W. Schiffers
1852

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionesthe0004vari

INSTITUTIONES

THEOLOGICAE.

AUCTORE

F. L. B. Liebermann,

SS. THEOLOGIAE DOCTORE, DIOECESIS ARGENTORATENSIS VICARIO GENERALI.

TOMUS IV.

COMPLECTENS THEOLOGIAE SPECIALIS

VOLUMEN SECUNDUM.

Property of
ClgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

FATHERS' LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
L621
Alma California

EDITIO SEXTA EMENDATISSIMA.

MOGUNTIAE,

SUMPTIBUS KIRCHHEMII, SCHOTTI & THIELMANNI.

1844.

PARISIIS,
apud MEQUIGNON juniorem,
Facult. theol. Bibliopolam.

LONDINI,
apud D. NUTT, foreign Bookseller
158, Fleet Street.

8758

Property of
CUA
Please return to
Catholic Theological
Union Library

ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

LIBER QUINTUS.

DE GRATIA ET JUSTIFICATIONE.

Diximus, quando de Christi satisfactione disputatum est, immensas esse, quae nobis Redemptoris morte paratae sunt, opes. Nunc videndum, quaenam ea sint bona, et quomodo ad nos perveniant. Omnia in Christo et per Christum. Ipse caput nostrum et fons omnis gratiae, quae ab eo secundum uniuscujusque mensuram per omnia ejus membra se diffundit. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.* Joan. I. Fructus ergo Redemptionis gratia est. Haec pretium est sanguinis Christi, hanc nobis obedientia sua comparavit Salvator optimus, qui ... *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Tit. II, 14.

De hac nunc Dei ac Mediatoris gratia breviter agendum. Difficillimum est, quod aggredimur, opus, multis scopulis consitum, et magnorum ingeniorum naufragiis famosum. Quapropter hic imprimis tenendum, quod omnibus Religionis Christianae mysteriis commune est, ut auctoritate magis quam philosophica ratione, quae in rebus divinis admodum infirma et imbecillis est, utamur. Nam, cum de Dei voluntate agitur, ejusque liberrimis donis, nihil ut certum pronuntiare fas est, quod non a Deo revelatum accepimus; quod non ex Scripturis et antiquae traditionis monumentis erutum Ecclesiae fides promulgat. Haec sola tuta et firma credendi regula est, quae nos inter multiplices concertationum anfractus et oppositas ex utraque parte quaestiones media et recta via sine errandi periculo deducit. Absit a nobis omne partium studium, quod judicium omnino prae-

vertit, facitque, ut Scripturae et sanctorum Patrum testimonia ad praejudicia anticipatae opinionis inflectamus, atque ita non veritatis, sed praejudicatae opinionis amore ducti, de rebus maximis sententiam feramus.

Praeter ea, quae circa hanc de gratia Salvatoris doctrinam Ecclesiae judicio definita sunt, et idcirco ad fidem Catholicam pertinent, sunt et alia paene multa, quae adhuc in medio posita sunt, et Theologorum disputationibus subjecta. Haec, si ad exercenda ingenia et fidei dogmata elucidanda valent, non sunt prorsus repudianda, dummodo cum delectu ac magna simul animi moderatione adhibeantur. Et si in liberis ejusmodi quaestionibus aliquam opinionem defendendam suscipimus, cavendum, ne nimio concertationis aestu abrepti alios condemnemus; ne ex eorum numero esse videamur, de quibus *Augustin.* ait: *Amant suam sententiam, non quia vera est, sed quia sua est.*

Egregia sunt et huic nostro argumento maxime accommodata, quae S. Prosper inculcat *a*). *Cum de gratiae profunditate et altitudine disputatur, tribus illis saluberrimis et veracissimis definitionibus simus innixi. Quarum una profitetur aeternum et proprium divinae esse bonitatis, ut omnes homines salvos fieri velit, et in agnitionem veritatis venire. Alia simul praedicat, omnem hominem, qui salvus fit, quique in agnitionem veritatis venit, Dei auxilio juvari et regi, utque in fide, quae per dilectionem operatur, permaneat, custodiri. Tertia vero temperanter et sobrie protestatur, non omnem voluntatis Dei comprehendi posse rationem, et multas divinorum operum causas ab humana intelligentia esse subductas.* Tum pergit: *His recte pertractatis, nullius superest causa certaminis, neque ultra necesse est, nos interminabilibus quaestionibus occupari.*

Hunc librum commode in quatuor partes partiri possumus: I^{a} erit de natura gratiae, II^{a} de ejus necessitate, III^{a} de efficacia, IV^{a} de ejusdem distributione. Equidem Theologi plerique speciali tractatione de gratia sanctificante agunt, nos autem quidquid ad gratiam tum habitualem seu

---

a) Lib. II. de Vocat. gent. cap. XXX.

sanctificantem, tum actualem pertinet, conjunctim tractabimus. Ita scilicet fiet, ut post exactam priori libro difficillimam quaestionem de Christi satisfactione, nunc eam, quae de hominis justificatione est, nullo interposito medio aggredi possimus. Hujus enim materiae pars maxima ad primam divisionis partem pertinet, quae de natura gratiae inscripta est. Ut autem in re tam abstrusa et difficili, quantum fieri potest, caute et accurate versemur, neque ex ambigua verborum significatione confusio generetur, quaedam de gratiae definitione, ejusque multiplici divisione, praemittenda censemus.

Gratiae definitio et divisio.

I. Gratiae vocabulum diversa significatione sumi potest et revera sumitur in Scripturis. Unde primum determinandum est, quid nos gratiae nomine in hac praesenti disputatione intelligamus. Gratia a Theologis vulgo definitur: *Donum Dei supernaturale, quod homini gratis et ex Christi merito confertur ad finem supernaturalem consequendum.* Quemadmodum Apostolus ait ad Rom. III. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu.* Ubi non satis esse credidit si diceret: *Justificati gratis*, sed addidit: *Per gratiam ipsius.* — Et: *Per redemptionem, quae est in Christo Jesu.*

II. Jam de gratiae divisione in *naturalem* et *supernaturalem* nobis sermo esse non potest; nam dotes naturae, quamvis et ipsae gratuitae sint, sub gratiae denominatione non comprehendimus. Neque de *Creatoris* gratia loquimur, quae primo homini et angelis concessa fuit, et *sanitatis* aut *innocentiae* gratia vocitatur: sed de ea, quae *medicinalis* dicitur, aut *Servatoris* gratia, quia lapsis tribuitur intuitu meritorum Christi. Hujus autem gratiae multiplices sunt divisiones. Dantur gratiae *externae*, cujusmodi sunt exempla Christi, Evangelii praedicatio, miracula, et alia ejus generis plurima: dantur et *internae*, quae homines interius afficiunt, mentem illuminant, voluntatem sanant. Iterum gratia alia est *gratis data*, quae utique non tam ad eorum, quibus tribuitur, quam ad aliorum utilitatem refertur. In hunc censum veniunt opitulationes, prophetiae, linguarum et miraculorum dona, et alia quae Apostolus recenset I Cor. XII. — Alia

vocatur *gratia gratum faciens*, et est donum supernaturale ad propriam cujusque spiritualem salutem potissimum datum. Sic II ad Cor. III. dicitur: *Sufficit tibi gratia mea.* De hac tantummodo hoc loco agimus.

III. Gratia posteriori hac ratione accepta in *habitualem* primum et *actualem* tribuitur. Illa est donum Dei permanens, et per modum habitus inhaerens, quo homo justus efficitur, et Dei amicus. Haec est motio Dei transiens, qua natura humana in iis, quae ad salutem pertinent, excitatur et adjuvatur. Exinde sequitur hujus actualis gratiae partitio in *praevenientem, concomitantem* et *subsequentem*, juxta illud Tridentini sess. VI. cap. XVI. *Quae virtus* (Christi) *in ipsos justificatos jugiter influit, et bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur.* Parum aut nihil ab hac divisione differunt, qui gratiam partiuntur in *operantem* et *cooperantem*, aut in *excitantem* et *adjuvantem.* Restat celeberrima in gratiam *sufficientem* et *efficacem* divisio. Sufficiens ea dici gratia solet, quae dat posse agere, seu veram et expeditam agendi potentiam, tametsi effectus non sequatur. *Efficax* est, quam effectus consequitur.

PARS PRIMA.

DE NATURA GRATIAE.

Sunt in hac quaestione, sicut in aliis multis, quaedam necessaria, a quibus, cum ad fidem ipsam pertineant, nulla licet ratione deflectere; alia libera, quae citra fidei periculum in diversas partes ventilari possunt. Quoniam gratia, uti dictum est, alia habitualis est seu sanctificans, actualis alia: de utriusque natura duplici capite agemus.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA GRATIAE SANCTIFICANTIS.

De fide primum tractabimus contra Novatorum systemata: dein de Scholarum opinionibus pauca referemus.

§. I.

De iis, quae contra Novatorum systemata ab Ecclesia definita sunt.

OBSERVANDA.

I. *Gratia sanctificans*, quae alio nomine *habitualis* dicitur, ea est, quae in cordibus nostris per Spiritum sanctum diffunditur; quae peccata abluit; per quam sanctificati sumus in Baptismo; quae nos regenerat, filios Dei et haeredes regni, membra Christi, et organa Spiritus sancti nos efficit; per quam in cives novae Jerusalem et domesticos Dei adscribimur. Haec est, per quam Spiritum adoptionis et vivificantem accepimus; qua consepulti sumus cum Christo, ut in novitate vitae ambulemus; per quam resurgimus cum Christo, eum induimus, ejus corpori inserimur. Haec proprie *medicinalis* gratia est, qua non tantum peccata remittuntur, sed *originalis aegritudo sanatur*, ut *Augu-*

stinus ait *a)*. In hac gratia sanctificante sita est *hominis justificatio*, de cujus natura nunc quaedam dicenda sunt contra Protestantium errores. Vix dici potest, quam multas et pertinaces pugnas haec quaestio excitaverit ab initio exortae haeresis. Novatores suam novam et inauditam sententiam eo majori contentione propugnarunt, quo magis ea Catholicorum animos offenderat. Hanc palladium esse dicebant suae reformationis, totius Religionis Christianae fundamentum, quo sublato Religio ipsa corrueret; hanc praecipuam et sufficientissimam praescindendae unitatis rationem. Sed ecce! Hoc fundamentum jam diu a Protestantium doctissimis dirutum est. Unde certe mirandum, aut dolendum potius, nihilo secius veteres discordias durare, quamvis jam constet vanam fuisse, quae dissidio praetexta erat, causam.

II. Quando haec de justificatione controversia mota est a Novatorum principibus, una erat eorum sententia: 1.° Justificationem hominis non fieri per intrinsecam et inhaerentem justitiam, sed per justitiam Christi extrinsece imputatam. 2.° Hominem justificari per fidem, qua justitiam Christi apprehendit. In quo duplici iterum errore involvuntur. Nam primo non eam fidem intelligunt, qua mysteriis a Deo revelatis assentimur; sed qua citra ullam dubitationem certi sumus, peccata nobis esse propter Christum dimissa. Deinde in illud paradoxum inciderunt, quod etiam ab ipsis in sacras Scripturas illatum est, *quod sola fides justificet*. Ex quo consequitur, opera nihil facere ad justificationem. « Neque contritio, ait Lutherus *b)*, neque dilectio, « neque ulla alia virtus, sed sola fides est medium et instru« mentum, quo gratiam Dei, meritum Christi et remissionem « peccatorum adprehendere et accipere possumus. » 3.° Docuerunt, justitiam in omnibus aequalem esse; peccata quoque non proprie deleri, sed tantum tegi, aut non imputari. Qui duplex error ex illo demanat, quem primo loco nominavimus. Nam, si justificatio nihil est animae internum, sequitur peccata in anima non deleri: et si nostra justitia nihil est, quam ipsa justitia Christi, sequitur eam eandem esse et aequalem in omnibus. 4.° Et illud finxerunt, quemlibet debere certum esse de sua justifi-

a) De peccator. meritis cap. XIX. *b)* Solida et plana declar. art. III.

catione, et quidem certitudine tanta, quanta de aliis revelatis veritatibus habetur. 5.° His erroribus, cum sana ratione non minus quam cum perpetua Ecclesiae doctrina pugnantibus, alium adjecit *Calvinus*, ultra quam dici potest, iniquum et portentosum; scilicet, *acceptam semel per fidem justitiam amplius amitti non posse.*

III. Cum haec aliaque perniciosa dogmata passim in vulgus spargerent Novatores, mirum est, quam invidiose illi Catholicorum fidem criminati sint: Catholicos Christum mediatorem projecisse, vim crucis et sanguinis Christi meritum evacuasse, spem omnem in suis meritis collocare etc. Sed vana haec et per calumniam conficta. Catholici nunquam negarunt, Christi mortem esse causam meritoriam nostrae justificationis; juxta illud Apostoli I Cor. I, 30. *Vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Catholici, cum certas in peccatore dispositiones requirunt, nunquam negarunt, justificationem gratis et sine meritis dari, optime intelligentes, quae Apostol. ad Rom. ait cap. III. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem, quae est in Christo Jesu.* Hinc omnes cum Synodo Tridentina profitemur *a): Ita nos gratis justificari, ut nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promereri possit.* Demum nunquam negarunt Catholici, impium per fidem justificari, dummodo verba in eo sensu sumantur, quem perpetuus Ecclesiae consensus tenuit. Ita enim loquitur *Trident.* loco citato: *Fides est humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo.* Caeterum hoc ipsum Concilium naturam justificationis ejusque causas accurate et dilucide ita exponit sess. VI. cap. VII. *Causa justificationis finalis est gloria Dei et Christi, ac vita aeterna. Efficiens, misericors Deus, qui gratuito abluit, et sanctificat. Meritoria, Christus qui nobis in ligno Crucis justificationem meruit. Instrumentalis, sacramentum. Demum unica formalis causa est justitia Dei; non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicet ab ipso donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes.*

a) Sess. VI. cap. VIII.

Totum hoc de justificatione argumentum copiosissime pertractarunt Cardinalis *Bellarmin.* Lib. V. de justif., et Reverendiss. fratres *Walemburgici.* Tum et illustriss. *Bossuetius* historia Variationum pluribus in locis. Vide quoque D. *Wiest* Op. M. T. VI. §. 26. in Schol.

IV. Qui haec tam clara, tam sibi cohaerentia, et ex ipsis fidei visceribus deducta diligentius expendere velit, atque ex parte opposita ad illas explicationes attendere, quibus recentiores Protestantes patrum suorum dicta emollierunt, videbit, omnem propemodum quaestionem ad nudas voculas redigi; ut *Bossuetius* observat *a).* Nos per justificationem intelligimus non tantum remissionem peccati et imputationem justitiae Christi; sed et infusionem gratiae per Spiritum sanctum, qua homo vere justus efficitur. Illi justificationem sumunt in sensu forensi, sicut apud Jurisconsultos sumi solet, eamque a regeneratione et sanctificatione distinguunt. Nos praeter fidem alias quoque dispositiones requirimus ad justificationem. Illi dicunt, se quidem fidem *solam* admittere, sed vivam, et quae per charitatem sese exserat. Haec, ne modum excedamus, breviter adnotasse sufficiat; quippe satis manifestum est, nullum esse controversiae caput, quod facilius componi posset, si omnis amoveatur litigandi cupido. Sed obstant nunc alia et graviora impedimenta. Nam qui hodie inter Protestantes doctiores videri volunt, ii nec justitiam imputatam, nec fidem justificantem, nec virtutem internam supernaturalis gratiae admittunt. Nostrum nunc est, hoc argumentum diligenter et particulatim exponere; ut, cum primum stabilitum fuerit Catholicum dogma, dein ad hanc regulam ponderari possint, quae a veteribus et novioribus Protestantibus de hac quaestione fuerunt disputata, atque intelligi, quae sint a vera fide aliena, quae cum Catholico dogmate possint conciliari.

Vide, quae inter *Abbatem Molanum* et *Bossuetium* de hac materia tractata fuerunt, cum de constituenda pace inter Christianas Ecclesias ageretur. Item *Veronii* Regulam fidei. Systema *Leibnitzii.* — Et novissimum opus vere religiosi et doctissimi viri *Maximiliani Prechtl*, abbatis Ord. S. Bened. Friedensworte an die kath. und protest. Kirche.

a) Respons. ad Scriptum Molani, cui titulus Cogitationes privatae etc. Tom. XXV. pag. 365. edit. Lebel.

Doctrina Catholica de justificatione.

Concilium Trident. cum hanc difficillimam quaestionem aggreditur, haec decreto suo praemittit in prooemio: *Sacrosancta oecumenica Synodus ... exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram, sanamque doctrinam ipsius justificationis, quam sol justitiae Christus Jesus, fidei nostrae auctor et consummator, docuit, Apostoli tradiderunt, et Catholica Ecclesia, Spiritu sancto suggerente, perpetuo retinuit.* Nos hanc fidei magistram sequemur. Ideoque capita hujus doctrinae praecipua ita tractabimus, ut primo probemus, ea ad dogmata Catholica pertinere adducto Concilii generalis decreto; tum verbum Dei Ecclesiae decreto suffragari ostendamus.

PROPOSITIO I.

Justificatio non consistit in mera imputatione externa justitiae Christi: sed in gratia sanctificante, quae est donum Dei animae intrinsecum et inhaerens.

Concil. Trident. Sess. VI. Can. XI.

Siquis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Dei, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.

Hanc doctrinam Ecclesia ex verbo Dei hausit, tum scripto tum tradito, ejusque ratio ipsa suffragatur fide illustrata.

Pars I. Scriptura passim docet, homines justos esse per justitiam inhaerentem, cujus causa et origo est Christus; Christum, Spiritum sanctum habitare in homine. Sic Rom. V, 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius obeditionem justi constituuntur multi.* Notanda est antithesis, quam adhibet Apostolus. Per peccatum unius hominis peccatores intrinsece constituti sumus: ergo et justi efficimur intrinsece per unius obeditionem. Ad Rom. VIII, 9. 10. *Vos in carne*

non estis, sed in Spiritu; si tamen Spiritus habitat in vobis. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus vero vivit propter justificationem. En in quo posita sit justificatio! *Si Christus in vobis est. Si Spiritus habitat in vobis.* Quemadmodum etiam I ad Corinth. dicitur cap. III, 16. *Spiritus Dei habitat in vobis.* Aliis in locis Scriptura justificationem hominis diserte regenerationem vocat, aut renovationem. I Petri I, 3. *Secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam.* Ad Ephes. IV, 23. 24. *Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis.*

Pars II. Patrum testimonia colligere necesse non est; neque enim diffitentur Heterodoxi, Patres internam et inhaerentem justitiam admittere. V. *Wiest* loco citato. Inter alios *Augustini* haec sententia est lib. I. de peccat. meritis et remiss. *Legimus in Christo justificari, qui credunt in eum, propter occultam communicationem et inspirationem gratiae.*

Pars III. Non minus cum ratione pugnat Novatorum doctrina, quam cum Scriptura et omnium saeculorum fide. Et vero, quaenam haec esset justitia, quae hominem justum non redderet? Aut cum qua homo justus esset et injustus: justus quidem, quia justificatus supponitur; injustus autem, quia nullam propriam haberet et internam justitiam? — Sed ... *quae participatio justitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras?* II Cor. VI. Deinde, quid posset absurdius cogitari, quam hominem alium haberi a Deo, ac ipse in se esset? Esset quippe injustus in semetipso, et justus haberetur a Deo, propter imputatam Christi justitiam. Et iterum: Quis unquam justus fuit justitia alterius? «Quod unus pro alio satisfaciat, ait *Bellarmin. a)*, facile potest intelligi: quod autem unus sit justus, quia alius est justus, et omnino inauditum, et non tam supra, quam contra omnem rationem.»

---

a) De justif. lib. II. cap. XI.

Corollarium.

Ergo in justificatione peccata non extrinsece tantum remittuntur et teguntur, sed reipsa tolluntur et delentur.

Concil. Trident. Sess. V. Can. V.

Siquis per D. N. Jesu Christi gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit.

Probatur. Quemadmodum hic Protestantium error, quod peccata in justificatione tegantur tantum et non deleantur, ex falso illorum dogmate fluit, de externa et imputata justitia: ita ex dogmate Catholico, quod in propositione stabilivimus, necessaria consecutione deducitur, tolli reipsa et deleri peccata, et non radi tantum aut tegi. Necessarium enim est, ut omnis peccati mortalis macula deleatur, quando per charitatem in corde diffusam homo justus efficitur et sanctus. Inde illae Scripturarum voces, cum de peccatoris justificatione loquuntur: peccata *deleri, auferri, projici in profundum maris, mundari* homines, *lavari* a peccatis, ut sint sancti et immaculati. Isai. XLIII, 25. Psal. L, 3. Psal. CII, 12. Mich. VII, 18. Joan. XXVII, 19. Eph. I, 4. I Joan. I, 7. 9. — Optime igitur *Bellarmin.* « Nobis imputatur justitia ejus (Christi), « quoad satisfactionem, quam pro nobis praestitit: sed non « propterea non justi, id est mundi, et immaculati haberi « possumus, si vere in nobis peccatorum maculae sordes- « que inhaereant. » Vid. eund. loc. cit. cap. VII.

PROPOSITIO II.

Fides in adultis ad justificationem requiritur: haec autem fides, quam Scriptura et Patres exigunt, non ea est, qua peccator firmiter credit peccata sibi propter Christum esse dimissa; sed qua firmum assensum praebet iis, quae a Deo revelata sunt.

Concil. Trident. Sess. VI. cap. VIII.

Fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est pla-

cere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire. Vid. etiam cap. V. VI. et VII.

CAN. VII. ejusdem Sess.

Siquis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur; anathema sit.

PROPOSITIONIS PARS I. Necesse non est, ut hanc propositionis partem adversariis probemus; cum utique in hoc non peccent, quod putent hominem justificari absque fide. Sed discant non calumniari Ecclesiam Catholicam. Discant, eandem semper doctrinam ab illa fuisse propositam fidelibus, quam Scripturae ac imprimis Apostolus intonant multis in locis. Satis itaque erit haec pauca exempli loco afferri. Marc. XVI. Christus ait: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, hic salvus erit; qui autem non crediderit, condemnabitur.* De hac fide, quae omnis justitiae fundamentum est, Apostolus agit in tota Epist. ad Roman. *Justitia Dei,* inquit cap. III, 22., *per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in eum* ... et paucis interjectis: *Arbitramur enim, justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Ad *Ephes.* scribit II, 8. *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Ad *Hebr.* cap. XI, totus iterum est in hac asserenda doctrina, et cum de Enocho dixisset, quod testimonium habuerit placuisse Deo, statim subjungit v. 6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo.*

PROPOS. PARS II. Quae sit fides illa, quam Scripturae ad justificationem exigunt, ita dilucide exponit *Trident.* sess. VI. cap. VI. *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt; atque illud imprimis, a Deo justificari impium etc.* Agitur ergo de fide, per quam assensum praebemus revelatis dogmatibus, quae a fiducia et charitate distinguitur, ex qua, quasi ex sua radice, spes et charitas

efflorescunt. Sic *Christus* Marc. XVI. postquam ad discipulos dixerat: *Praedicate Evangelium omni creaturae,* tunc demum ea addit, quae supra citavimus: *Qui crediderit, salvus erit.* Ergo de fide loquitur, qua credimus Evangelio. Idem argumentum ex his aliis Scripturae testimoniis confici potest: *Joan.* XX, 31. *Haec scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Ad Rom. X, 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Ad Hebr. XI. *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*

PROPOSITIO III.

Fides sola non justificat.

CONCIL. TRIDENT. Sess. VI. Can. IX.

Siquis dixerit, sola fide impium justificari, ita, ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse, eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi; anathema sit.

PROBAT. Protestantes, qui verbum Dei in Scripturis expressum perpetuo jactare solent tanquam unicam fidei regulam, debuissent utique suam tam insolitam de fide justificante sententiam certo aliquo et expresso Scripturae testimonio probare: si enim Scriptura expresse diceret, fidem solam justificare, id sine dubio credendum esset. Verum, ut scite observat *Bellarmin. a)*, nusquam hactenus ostendere potuerunt particulam *sola*, cum de fide justificante agitur, in sacris litteris contineri. Illam quidem Lutherus insigni fallacia in versione germanica addidit cap. III. v. 28. ad Roman. contra fidem omnium tum graecorum, tum latinorum codicum. Neque illud ipse negare potuit, cum esset hac de re postulatus; sed pro solita sua

---

a) De justif. lib. I. cap. XVI.

modestia respondit: *Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas.* — Nos cum Scriptura docemus quidem, hominem justificari per fidem; quod autem sola et nuda fides non justificet, id ex Scripturis ipsis ita demonstrabimus, ut nihil possit certius reperiri.

1.° Expressis verbis asseritur, solam fidem non sufficere. Ad Rom. II, 13. *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Legatur, quaeso, caput integrum, et apertius patebit sensus verborum, quae citavimus. Jacobi cap. II, 14. *Quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* et v. 24. *Videtis, quod ex operibus salvator homo, et non ex fide tantum?* Porro S. Jacobi Epistola tota in eo est, ut sententiam nostram adstruat, eosque retundat, qui eo jam tempore loca quaedam ex Epistola ad Romanos falsis interpretationibus depravabant.

2.° Scripturae vim justificandi non soli fidei tribuunt, sed aliis quoque virtutibus, quas Concilium inter dispositiones ad justitiam numerat. Ergo sola fides non justificat.

Prob. ant. Modum, quo peccator ad justificationem disponatur, solide et accurate explicat Trident. sess. VI. cap. VI. Operae pretium est, ut textum Concilii diligenter legant et perlegant Theologi. Ita autem totam hujus praeparationis rationem describit Concilium, ut primum locum habeat fides, quae fundamentum est omnis justitiae; deinde quae fidem sequuntur, timor, spes, dilectio, poenitentia, ac tandem propositum suscipiendi Sacramentum, inchoandi novam vitam, et observandi mandata. Verum haec omnia ad justificationem esse necessaria tot Scripturae testimonia testantur, ut infinitus esset, qui vellet omnia colligere. Sint ergo haec pauca.

Timor. Ecclesiast. I, 27. *Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit justificari.* *Spes.* Matth. IX. *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Prov. XXVIII, 25. *Qui sperat in Domino, sanabitur... Dilectio.* Lucae VII. *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Galat. V, 6. *Neque cir-*

cumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per charitatem operatur... Poenitentia. Actor. II, 38. *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum. Propositum vitae melioris, et desiderium Sacramenti.* Actor. II. *Compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres?* Ezech. XVIII. *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, et facite vobis cor novum et spiritum novum.*

3.° Ergo aliae quoque virtutes ad justificationem requiruntur; ergo fides sola non justificat; nisi dicas fidem semper esse cum illis virtutibus tam necessario unitam, ut ab illis separari non possit, quod iterum Scripturae omnino est contrarium. Quid enim sibi volunt ista aliaque similia? *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* I Cor. XIII, 22. *Multi mihi dicent in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? Et tunc confitebor illis: Nunquam novi vos, discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.* Matth. VII. Et illud Jacobi II, 19. 20. *Tu credis, quoniam unus est Deus, benefacis: et daemones credunt, et contremiscunt. Vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est?* Ergo fides potest esse sine spe, sine charitate, sine bonis operibus. Unde bene *August.* ait *a*): *Fides sine charitate potest quidem esse, sed non et prodesse.*

Accedit et alia, ex certis Scripturae locis deducta ratio: Scriptura aperte pronuntiat, adulteros, fures, avaros aliosque magnorum criminum reos, a regno coelorum excludi. Vid. I Cor. VI. Ergo justi non sunt, qui talia agunt, quamvis in numero fidelium computentur et fidem non amiserint. Unde ergo injusti? Unde ab haereditate filiorum exclusi? Nonne, quia charitatem non habent, poenitentiam non habent, vitae melioris propositum non habent? Potest ergo fides ab aliis virtutibus separari; et si separata sit, si sit *sola*, non justificat.

---

a) Lib. XV. de Trinit. cap. XVIII.

Huc pertinet Can. XXVIII. Conc. Trident. Sess. VI.

Siquis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva ... anathema sit.

PROPOSITIO IV.

Gratia Dei sanctificans in homine etiam justificato augeri potest.

Concil. Trident. Sess. VI. Can. XXIV.

Siquis dixerit, justitiam acceptum non conservari atque etiam non augeri coram Deo per bona opera ... anathema sit. — Conf. ibid. cap. X.

Prob. I. Proverb. IV, 18. *Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem.* Apocalyps. cap. ult. *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc.* Et *Augustin.* Serm. CLVIII. alias XVI. de verbis Apost. *Justificati sumus, sed ipsa justitia, cum proficimus, crescit.*

Prob. II. Si justitia augeri non potest, necessario erit in omnibus aequalis: quod iterum sicut a Scripturae et Patrum doctrina, ita a communi quoque sensu abhorret. De S. Joanne ait Christus Matth. XI. *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Bapt.* Luc. VII. de muliere peccatrice legitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Hunc porro errorem *S. Hieronymus* ex instituto confutavit in lib. contra *Jovinianum.* Et *S. August.* tract. VI. in Joan. n. 8. *Ipsi sancti*, inquit, *in Ecclesia ... sunt alii aliis sanctiores, alii aliis meliores.* Et vero, quis, nisi sensum communem abjecerit, contendet, hominem quemcunque recens baptizatum, aut post multa peccata Deo per poenitentiae Sacramentum reconciliatum, tam justum esse evangelica justitia quam sancti Apostoli, quam beatissima Virgo?

PROPOSITIO V.

Nemo sine speciali revelatione de sua justificatione absolute certus esse potest.

Concil. Trident. Sess. VI. cap. XI., *quod inscribitur: Contra inanem haereticorum fiduciam.*

Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito deque Sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet; sic quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Conf. ejusdem Sess. Can. XIII. XIV. XV.

Prob. Proverb. XX, 9. *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Ecclesiast. IX. *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.* Eccles. v. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu. neque adjicias peccatum super peccatum, et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* Sic et Paulus I Cor. IV, 4. de se ipso ait: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Noverat Apostolus, noverant alii pii perfectique viri tum veteris tum novi Testamenti, gratiam humilitate servari; eos autem, qui vana fiducia inflantur, in se confidentes tanquam justi, foras ejici cum Pharisaeis et hypocritis: hi enim magis superbire et praesumere dicendi sunt, quam confidere et sperare. Unde bene *S. August.* ait lib. de corrept. et gratia. *In hoc loco tentationis tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas.*

PROPOSITIO VI.

Gratia, qua homo justificatur, ea non est, quae ex natura sua amitti non possit.

Concil. Trident. Sess. VI. Can. XXIII.

Siquis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere . . . anathema sit.

Prob. Difficile non est monstrosam Calvinianorum doctrinam de inamissibili gratia tum testimoniis, tum exemplis

ex Scripturis refellere. Si fides semel accepta nunquam amittitur, quid sibi volunt ista: *Ezech.* XVIII. *Cum avertit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in illa.* Item Lucae VIII. *Qui supra petram, hi sunt, qui cum gaudio suscipiunt verbum, et radices non habent; sed ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* Et Joan. XV. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Quid haec Apostolorum dicta? I Cor. IX. *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Galat. V. *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini; a gratia excidistis.* Et II Petri II. *Melius erat illis non cognoscere viam justitiae, quam post agnitionem retrorsum converti.* Apocalyps. II, 4. *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti.* Et cap. III, 11. *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Mitto alia multa tum veteris tum novi Testamenti loca. Jam si exempla quaerimus, multos reperiemus, qui a fide et sanctitate defecerunt. Nullum antiquius afferri potest, quam Angelorum et primi hominis lapsus. Tum et illa occurrunt, *Saulis, Davidis, Salomonis, etc.* Et in novo Testam. *Judae proditoris; Hymenaei et Alexandri, qui circa fidem naufragaverunt,* I Tim. I., atque ipsius Principis Apostolorum *Petri.*

Supervacaneum est, ex ratione pugnare contra sententiam, quae videtur in Christianae Religionis opprobrium et rationis offensionem conficta. Quoquo enim se vertant Reformati, rem non expediunt, sed involvunt magis. Quare, ut optime advertunt fratres Walemburg. *a)* ex praestructa falsa hypothesi, quod in electis post atrocia quaeque peccata remaneant habitus fidei et charitatis, in duas abierunt oppositas sententias. Plerique omnes, maxime post Dordracenam Synodum, consequenter sectae suae principiis pertendunt, electos etiam gravium peccatorum reos, non tantum in justitia permanere, sed etiam filios Dei esse et amicos: verum innumeris premuntur Scripturae locis, quibus criminum rei ut Dei inimici et injusti declarantur. Igitur alii contendunt sceleratos a Dei adoptione et amicitia esse quidem exclusos; sed manere

a) De justif. cap. LXXXIV.

in eis fidei et charitatis habitus: non advertentes absurdum esse, habitum charitatis sine Dei amicitia consistere. Utrique cum se oppugnant, Catholicorum sententiam adstruunt.

RESPONDETUR ADVERSARIIS.

Dicunt I. 1.° In Scripturis disertis verbis dicitur, Christum esse justitiam nostram. Jeremias cap. XXXIII. de futuro Messia loquens ait: *Hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus justus noster*; vel, ut ex hebraeo vertunt; *Dominus justitia nostra.* Juxta Apostolum I Cor. I. *Christus factus est nobis a Deo justitia;* et ad Rom. V. dicitur Christum pro nobis factum fuisse peccatum, *ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Ergo nostra justitia alia non est, quam justitia Christi nobis imputata. 2.° Justificare in Scripturis saepe idem est, ac justum declarare. Sic Isaiae V, 23. *Vae, qui justificatis impium.*

Respond. ad I. Christus ea ratione justitia nostra dicitur, quia quidquid in nobis est gratiae supernaturalis, effectus est satisfactionis Christi, quae nobis in justificatione confertur et applicatur, ut *Trident.* docet *a).* «Et hoc modo non esset absurdum « ut explicat *Bellarmin. b)*, siquis diceret nobis imputari Christi « justitiam et merita, cum nobis ita donentur et applicentur, « ac si nos ipsi Deo satisfecissemus, dummodo non negetur, « esse in nobis praeterea justitiam inhaerentem, cui justo Dei « judicio non debeatur poena, sed gloria.»

Ad II. Quando de hominis judicio agitur, potest equidem justus declarari, qui justus non est; at omne Dei judicium necessario veritate nititur; neque Deus justum habere aut declarare potest, nisi quem ipse intrinsece faciat aut fecerit justum.

Dicunt II. 1.° Homo etiam justificatus, testante Scriptura, adhuc vere peccator est; et remissio peccatorum non est vera peccati ablutio et extinctio, sed tantum non imputatio. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* I Joan. I, 18. Et Apostol. de se ipso ait, Rom. VII, 17.: *Nunc autem jam non ego operor illud* (malum); *sed quod habitat in me peccatum.* Deinde frequenter occurrunt haec et similia: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.*

a) Sess. VI. cap. VIII. *b)* De justif. lib. II. cap. X.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum... quae verba ex Psal. XXXI. citat. Apost. ad Rom. IV. 2.° Peccata tolli non possunt eo sensu, ut qui peccavit, dici deinde posset non peccasse, sed tolluntur tantum quoad formale, siquidem tollitur reatus culpae et poenae. Ergo optime cum Protestantibus dici potest, manere peccata post justificationem. Ita abbas *Molanus* in cogitationibus privatis de methodo reunionis.

Resp. ad I. *S. Joannes* de culpis levioribus loquitur, a quibus ne justi quidem immunes sunt. Deinde longe aliud est credere se ab omni peccato esse immunem, et ideo justificatione non indigere; aliud peccatorem manere, etiam accepta justificatione. Haec certe S. Joannis sententia non fuit, qui ibidem v. 7. ait: *Sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato...* et v. 9.: *Fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra et emundet nos ab omni iniquitate.* Apostolus, ad Rom. VII., de concupiscentia loquitur, quae improprie tantum peccatum dicitur. *Hanc concupiscentiam*, ait Trident. *a)*, *quam aliquando Apostolus peccatum appellat, S. Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Siquis autem contrarium senserit, anathema sit.* Apostol., cum cap. VII. multa de naturali hominis corruptione dixisset, ut gratiae medicinalis necessitatem adstrueret, sic concludit, v. 1. cap. VIII. *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.*

Caeterum quamvis tegi aut imputari peccata, si vim vocabulorum spectes, non sit idem ac tolli et delere, idem tamen omnino haec significant, si ad Deum referantur. Deo non potest aliquid tegi, nisi penitus deleatur. *Omnia enim nuda sunt et aperta oculis ejus.* Hebr. IV. Neque potest Deus non imputare peccatum, hoc est, hominem non habere impium, nisi impius esse desinat. Hinc *Augustinus b)* Pelagianis Ecclesiae imputantibus, ejus sententia peccata non auferri, sed radi, respondit: *Quis hoc nisi infidelis affirmet?* Et alibi *c)*: *Non sic, inquit, intelligatis, quod dixit, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant.* Vid. apud *Bellarmin.* lib. II. cap. IX. *Justini* Martyr. sententiam.

a) Sess. V. Can. V. *b)* Contra duas Epist. Pelag. lib. I. cap. XIII. *c)* Conc. II. in Ps. XXXI.

Ad II. Haec interpretatio est doctissimi *Molani*, moderati prorsus consilii viri et pacis studiosissimi. Neque difficile esset hac ratione viam conciliationis invenire. Nemo Catholicorum unquam ita desipuit, ut assereret, factum infectum fieri posse, seu peccatum tolli quoad materiale; at nos cum Scriptura et Patribus et secundum communem hominum sensum peccatum tolli dicimus, cum tollitur reatus. *Hoc est non habere peccatum*, ait *August. a)*, *reum non esse peccati.* Ipse Melanchthon *b)* ait, formale peccati esse reatum. At certe sublata rei forma, ipsa rei ratio et natura destruitur. Nam per formam res id efficitur, quod est.

Dicunt III. Doctrina Protestantium de fide justificante nihil habet, quod offendere possit Catholicos. Libenter concedunt, Lutherum, et ex ejus sectatoribus non paucos, contradicendi libidine abreptos, modum excessisse. Verum jam dudum ad justos limites adstricta est haec ipsa controversia. Haec ipsa propositio: *sola fides justificat*, quae tot dissentionum causa fuit, nihil habet reprehensione dignum, si distinguitur inter fidem *solam et solitariam.* Haec fidem mortuam significat, bonis operibus et bene agendi proposito destitutam; illa non item. Ergo etc.

Resp. Nostrum est, fidem illam accurate exponere, quam Ecclesia Catholica a Patribus accepit, et contra novellos errores in Concilio Trident. definivit. Quo propius ad hanc accesserint Protestantes, eo planior patebit aditus ad conciliationem. Doctiss. *Molano*, cum ejusmodi sententiam prodidisset in suis cogitationibus privatis, respondit *Bossuetius:* «Quod fides justificet *non* « *nuda*, *sive sola*, *aut solitaria ac bene operandi proposito de-* « *stituta*, ubi Lutherani cum amplissimo auctore consenserint, « omnino Catholicis satisfecerint.» His lubentissime subscribimus; nam de vocabulis non disputamus. Concedemus et hoc Protestantibus: solam fidem justificare, si per solam fidem eam intelligant, *quae sola non sit.*

Dicunt IV. Si Protestantes dicunt, ad justificationem requiri, ut quis justificatum se credat fide divina; nihil certe dicunt a Christi Religione alienum. An non, ut ipsum Trident.

---

a) Lib. I. de nupt. et concup. et cap. XXVI. *b)* In locis communib. tit. de pecc.

docet, credere oportet, quae divinitus revelata et promissa sunt? Aut an dubitare licet de veritate promissorum, aut de Dei in exequendis promissis fidelitate? An de Sacramentorum efficacia? An de meritis Christi et satisfactionis abundantia? Sed de ipsa fide, qua justitiam apprehendimus, non potest esse dubitandi locus; nam qui credit et scit se credere, is potest absolute certus esse de sua fide. Ergo etc.

Resp. Si quid in hac Protestantium doctrina reprehendimus, id reprehendimus, quod nimium est, quod extra legitimos terminos excurrit. Discant tandem Christi doctrinam ibi quaerere, ubi constanter media itur via, ubi fortiter contra errores pugnatur, sive a dextris, sive a sinistris irruentes. Catholica Ecclesia illud imprimis in peccatoribus requirit, ut cum filiali fiducia ad Deum accedant, et ex misericordiae divinae consideratione in spem erigantur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore: verum haec fiducia non pertinet ad illam fidem divinam, cui falsum subesse non potest. Si salutem cum timore operari iubemur, illud nihil habet Deo injuriosum; omnis enim timendi ratio in nostra infirmitate sita est, et in voluntatis nostrae inconstantia. Vid. Concil. Tridentini locum in probat. citatum.

Illud quod in objectione additur, nos posse absolute certos esse de fide nostra, ex *Molano* desumptum est. Ad id respondet *Bossuetius a)*, Virum eruditiss. ibidem fateri, *nos de salute certos esse duntuxat conditionaliter.* At certe non videtur, quare necesse sit, ut de *justificatione* certiores simus quam de *salute.* Alibi hoc idem argumentum urget *b)*: si certitudinem de *justificatione* absolutam requirunt Lutherani: cur, ait, «ipsi toto animo abhorrent a *salutis* certitudine, quam Calvinistae obtrudunt, ne quis infletur; cum in justificatione idem sit periculum et aequa utriusque conditio.» Accedit 1.° quod homo quidem certus esse possit de *sua fide:* at certus non est, an fides sua talis sit, qualis ad justificationem requiritur. 2.° Quod justificationem praecedere debeat poenitentia, ut Scriptura ubique clamat: at de poenitentia et vera conversione ne ipsi Lutherani certos se esse

---

a) Resp. ad cogit. priv. Molani p. I. n. 24. *b)* Ibid. n. 6. Vid. etiam n. 13.

confidunt. 3.° Quod haec Prostantium doctrina consectarium sit eorum dogmatis de imputata justitia Christi, cujus falsitatem jam demonstravimus. Ipsi enim concedunt, hanc certitudinem haberi non posse de regenerationis dono, quod ait Calvin. *a)*, ut mutilum semper est in hac carne, ita multiplicem dubitandi materiam in se continet. 4.° Denique praetermittere non possumus hoc magni Leibnitzii ratiocinium *b)*: «Si credere se justificatum requiritur ad justificationem, et proinde justificationem praecedit, utique credere se justificatum debet, qui justificatus nondum est; debet ergo credere falsum.»

§. II.

De quibusdam quaestionibus, quae ad fidem Catholicam non pertinent.

QUAESTIO I.

An gratia sanctificans sit aliquid homini intrinsece inhaerens per modum habitus?

Resp. Concil. Trident. sess. VI. Can. XI. definivit hominem justificari per gratiam et charitatem, quae in cordibus diffunditur et ipsis inhaeret: verum a nomine *habitus* consulto abstinuit, ne quorumdam Theologorum opinioni praejudicium afferret. Huc enim Concilii institutum spectabat, ut contra haereticos ostenderet, homines justificari non extrinseca justitia, ut illi dicebant, sed intrinseca et inhaerente. Ita gravissimi Theologi, et inter alios *Andreas Vega c)*, et *Melchior Canus d)*, qui ambo Concil. interfuerunt. De fide igitur non est, justitiam, et quae eam efficit, gratiam sanctificantem esse qualitatem aliquam animae impressam, seu habituale aliquid et permanens. Attamen omnino certa est haec sententia, et ex Concilii Tridentini definitione tam aperta ratione colligitur, ut jam communis sit inter Theologos, et contraria ab omnibus ut erronea habeatur et temeraria. Vid. Catech. Conc. Trident. p. II. cap. II. p. 35. —

---

a) Calv. instit. lib. III. cap. XIII. n. 5. *b)* Syst. Theolog. Mog. edit. II. pag. 62. *c)* In sess. VI. Conc. Trident. de justif. lib. VII. cap. XXIV. *d)* Lib. VII. de locis Theol. cap. II.

Sed et Protestantes ipsi inter justificationis donum inhaerens et habituale tam parum distinguunt, ut qui internum aliquid et inhaerens admittunt, illud absque omni haesitatione *habitus* vocabulo exprimant. Sic *Leibnitzius* in systemate theolog. ait: « Sin « justificatio sumatur, ut in doctrina morali, ut justus sit, qui « *habitu* justitiae est praeditus, manifestum est, *habitum* illum « justitiae a Deo nobis infundi in regeneratione, cum novum « hominem induimus, » et *Mestrezatius*, Theologus Calv. a Veronio citatus, ait, spiritum novi Adam, seu justitiam inhaerentem in nos derivari per regenerationem; sicut corruptio *habitualis* Adami derivatur in nos per generationem naturalem.

QUAESTIO II.

An gratia sanctificans sit ipsa Spiritus sancti persona?

Resp. Haec sententia eximium defensorem et patronum nacta est in doctissimo viro *Dionysio Petavio*, qui de Trinit. lib. VIII. cap. IV. n° 5. ita habet. « Praeclara quaedam, et ad fructum « animarum jucundissima superest inquisitio; utrumnam, cum ad « nos mitti ac donari nobis dicitur Spiritus sanctus, de ejus per- « sona et substantia id sit intelligendum, tanquam occulta qua- « dam ratione ipsa Spiritus persona sese in nostros animos « insinuet. » Jam ante *Petavium* Magister sententiarum docuit lib. I. distinct. 17., charitatem, qua diligimus Deum et proximum, esse ipsummet Spiritum sanctum. Legi merentur, quae hac de re fuse ac pro more suo egregie disputat *Petavius*. Attamen contrarium tenent Theologi fere omnes, qui justitiam et charitatem dicunt a Spiritu sancto produci quidem, sed non esse ipsum Spiritum; et cum Scriptura ait ad Rom. V. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, aperte charitatem distingui a Spiritu sancto tanquam effectum a causa.

QUAESTIO III.

An gratia sanctificans sit ipsa charitas; an aliquid a charitate distinctum?

Resp. Apud omnes certum est, gratiam sanctificantem seu habitualem esse aliquid distinctum ab illis virtutibus quae pos-

sunt in homine permanere, absente gratia sanctificante; ejusmodi sunt, fides, spes etc. Unde de charitate tantum hic quaeritur. Hanc a gratia sanctificante realiter distinctam esse *S. Thomas* docuit, et post eum Thomistarum Schola; in hac imprimis ratione innixi, quod Scriptura de gratia et charitate, tanquam de rebus distinctis loquatur. Ut cum II Cor. XIII. dicitur: *Gratia D. N. J. Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Sed levia haec sunt; nam particula *et* non semper probat distinctionem inter ea, quae conjunguntur. Deinde, ut *Estius* observat, magis ibi distinguuntur personae quam dona. Gratiam debemus Filio, qui eam promeruit, charitati Patris vel Dei, qui nobis Filium dedit, et Spiritui sancto, qui eam diffundit in cordibus nostris.

Illa ergo sententia, quae gratiam sanctificantem ait a charitate non esse distinctam, multo communior est et gravioribus suffulta argumentis. Non exigui ponderis argumentum hoc est, quod sacrae litterae, quidquid gratiae sanctificanti adscribi solet, id etiam charitati attribuant. Sic 1.° gratia sanctificans nos Dei filios efficit: at idem de charitate affirmat S. Joann. epist. I. cap. IV. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* 2.° Gratia Deo gratos nos reddit et acceptos: idem efficit charitas. Joan. XIV, 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* 3.° Gratia vitam spiritualem infundit: sed de charitate id ipsum dicitur: *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* I Joan. III, 14. — 4.° Gratia nos Deo conjungit; id quoque praestat charitas. I Joan. IV. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* 5.° Denique gratia semen vitae est, radix bonorum operum: idem vero de charitate praedicatur. *Coronam vitae repromisit Deus diligentibus se*, ut S. Jacobus ait cap. I. — Et Apostol. I Corinth. XIII. omnium fere virtutum actus charitati adscribit.

Accedit Concilii Trident. auctoritas. Gratia sanctificans utique est ea, per quam impii justificantur. At Concilium docet sess. VI. cap. VII., hanc justificationem fieri, *dum per Spiritum sanctum charitas diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaerèt.* Est ergo charitas quid unum cum gratia sanctificante.

CAPUT SECUNDUM.

DE NATURA GRATIAE ACTUALIS.

OBSERVANDA.

I. Quae nunc sequuntur de gratiae actualis natura, multo minus operae et diligentiae postulant; cum omnia sint in quibusdam controversiis posita, quarum aliae ad vanas Scholasticorum quaestiunculas relegandae sunt, aliae, quae tamen momenti aliquid habent, ne ad graviora properantibus moram faciant, perstringendae sunt breviter. De gratia scimus, quod supra naturam sit, quod gratuita sit, quod necessaria, Neque aliam naturam esse contendimus actualis et habitualis gratiae. Haec in suo exordio actualis est; tunc manet instar dispositionis et habitus in homine, atque iterum actualis efficitur, quotiescunque, veluti scintilla, novo flatu excitatur. Hinc pauca sunt ad ea, quae jam exposita fuerunt, adjicienda; ne cum, quae altiora sunt, percunctari et explicare praesumimus, non lucem sed tenebras affundamus Catholico dogmati.

II. Ergo celeriter et peranguste dicemus de quibusdam Theologorum opinionibus circa gratiae actualis naturam. *Arnaldus*, epistola ad D. *Duvancel*, contendit, illam nihil aliud esse quam ipsam actionem mentis deliberatam et liberam. Verum, sicut haec sententia a Janseniano systemate aliena non est, ita etiam sanae rationi non est consentanea; nam cum illa voluntatis actio effectus gratiae sit, profecto gratia ipsa esse non potest. Alii gratiam excitantem operationem indeliberatam esse dicunt in anima existentem, nec tamen ab ea productam: sed quis cogitare sibi potest actum animae, ab anima non productum? In hac enim hypothesi anima non ageret, sed pateretur. Iterum alii magni nominis Theologi omnem difficultatem tolli existimant, si gratia ejusmodi (de gratia prima excitante agitur) actio mentis dicatur indeliberata, ab anima physice et active producta. Verum et haec sententia non satis accurata videtur: gratia enim, qua voluntas primum excitatur ad bonum, simul in nobis est et sine nobis. Igitur a nobis non producitur, sed ab uno Deo, cujus et donum est. · Sed de his satis.

III. Nunc pauca de iis quae, quamvis ad fidem non pertineant, ad eam tamen propius accedunt, et ad sanae doctrinae

intelligentiam plurimum valent. Primum est: *Gratiam internam actualem non in illustratione mentis tantum consistere, sed etiam in voluntatis motione.* Haec sententia tam communis est apud Theologos, ut ab ea recedere plane temerarium esset. Nihil in Scripturis clarius exprimitur: *Dabo vobis cor novum ... auferam cor lapideum ... et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis.* Ezech. XXVI. *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corda eorum scribam eam.* Jerem. XXXI. *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere.* Philipp. II, 13. Eodem modo Ecclesia orat, ut Deus gratia sua voluntatem nostram moveat et inclinet. Et *S. Augustinus* multis in locis de hoc Dei adjutorio loquitur, quod voluntatem excitat, juvat ac movet ad bonum, non tantum per instructionem, sed, ut ait lib. IV. ad Bonif. cap. V. *per inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus.* Quae quidem voluntatis gratia, ipso Augustino judice (ibid.), proprie gratia est. Ubique illam esse dicit gratiam novae legis, qua voluntatis humanae sanetur aegritudo. *Voluntas nostra ostenditur infirma per legem, ut sanet gratia voluntatem, et voluntas sanata impleat legem.* De spiritu et litt. cap. IX. De hac gratia ipsi controversia erat cum Pelagianis. *Eam volumus gratiam, fateatur* (Pelagius), *qua non solum revelatur sapientia, verum etiam et amatur.* De gratia Christi cap. X.

IV. Prima hac lite composita, aliud exsurgit controversiae caput; scilicet: *An omnis gratia voluntatis sit charitas proprie dicta, aut ejus inspiratio.* Id affirmant praestantissimi inter Catholicos Theologi, praeeunte insigni gratiae defensore *S. Augustino*, qui ita de gratia loquitur, ut eam nullibi videatur a charitate distinguere. *Quid est bona voluntas, nisi charitas?* ait *a)*, *et charitas sola justitiam inchoat, provehit et perficit.* Et alio loco *b)* contra *Julianum*, Pelagii discipulum, disputans inquit: *Inter divinae gratiae species si poneretis dilectionem, quam non ex nobis, sed ex Deo esse, eamque Deum dare filiis suis, apertissime legitis, sine qua nemo pie vivet; sine qua nullius est bona voluntas, et cum qua nullius est nisi bona voluntas, vere liberum defenderetis, non inflaretis arbitrium.* Adde quod idem S. Doctor gratiam actualem expressis verbis docet *inspirationem dilectionis,*

---

a) De grat. Chr. cap. XXI. *b)* Lib. III. contr. Jul. cap. CVI.

ut cognita sancto amore faciamus a). Haec aliaque argumenta, quae videri possunt apud doctiss. *Wiest b)*, id saltem efficere nobis videntur, ut majorem probabilitatem illi sententiae concilient, quae gratiam actualem inspirationem charitatis esse asserit, saltem inchoatae.

Sunt tamen etiam, qui ex adversa parte pugnant. Inter alios D. *Bailly*, tom. III. art. II. de natura gratiae actualis propos. VI. Verum pace doctissimi viri dixerim, multa ab eo dici vera quidem et gravissimi momenti, sed ad eam quam hic agimus causam non pertinentia. Totus in eo est, ut exitiosam illam *Baji*, *Jansenii* et *Quesnelli* sententiam impugnet, quae dicit, nihil esse inter charitatem et vitiosam cupiditatem medium. Sed haec sententia, quae ab Ecclesia damnata fuit, et ex qua utique plurima fluunt sanae doctrinae contraria, plane differt ab illa, de qua hic quaestio est. Nam stante hac sententia: Quod omnis gratia actualis movens voluntatem ad bonum supernaturale sit charitas initialis, non sequitur, opera omnia, quae ex hac charitate non fiunt, ex vitiosa cupiditate prodire et esse peccata; sed id tantum, ejusmodi opera non esse supernaturalis ordinis, non esse ex gratia facta.

PARS SECUNDA.

DE NECESSITATE GRATIAE.

Pertractatis iis, quae ad naturam gratiae tum actualis, tum habitualis visa sunt pertinere, sequitur, ut quantum pateat gratiae adjutorium videamus. In hac controversia duplicis generis hostes experimur, ex adversis partibus contra veritatem pugnantes. Sunt qui gratiam Dei, sunt qui hominis libertatem evertunt. Illi liberum arbitrium inflant, valere hominem suis viribus ajunt, nec indigere medici auxilio nulla originali labe vitiatam naturam. Ili contra, pe-

---

a) Lib. IV. contr. duas epist. Pelagii n. XI. b) Tom. II. Op. min. §. 261. Sch. 2.

nitus perditum et pessumdatum esse liberum arbitrium clamitant; malum esse et vitiosae cupiditatis veneno infectum, quidquid non potentiore supernae gratiae virtute in mente nostra exprimitur. Inter has contrarias sententias ita nobis incedendum est, ut a veritate Catholica ne latum unguem deflectamus. Haec docet nos, per peccatum attenuatum quidem fuisse liberum arbitrium, sed non penitus extinctum: mansisse in nobis scintillas pristini luminis et bonarum affectionum, et quaedam honestatis et bonitatis moralis semina: et quidquid supernaturalis vitae est, ex Christi merito fluere, neque agere aut velle quidquam nos posse, quod ad pietatem et salutem pertineret, sine gratiae auxilio.

Itaque ante omnia illud observandum est, sicut verum, ita et bonum duplicis esse ordinis. Datur enim verum naturalis ordinis, cujus notitia mentis humanae viribus accommodata est: datur et supernaturale, quod sicut naturae ordinem, ita et naturalis intellectus vires excedit. Iterum bonum aliud mere morale est, cui naturalis tantum rectitudo inest et honestas: aliud supernaturalis ordinis est, quod ad aeternam hominis salutem dirigitur.

Primi, cum quibus nobis congrediendum est, ii sunt, qui gratiae necessitatem negant; tum ad eos convertemur, qui nimis deprimunt liberum arbitrium. Et horum quidem error in caeteras quoque hujus tractationis partes diffunditur: nam sicut necessitatem gratiae, ita et vim ejus et efficaciam plus aequo attollunt; largitatem autem divinae bonitatis restringunt. Unde locum hic esse existimamus maxime opportunum, brevem historiam contexendi praecipuarum haeresium, quae circa gratiam emerserunt. Ab ipso Pelagio ducemus exordium, tum de Pelagianorum reliquiis, seu Semipelagianis quaedam dicemus. Postea eos recensebimus qui ex adverso stant, et communi nomine Praedestinatiani vocantur. Hos omnes suis coloribus ita egregie depinxit doctiss. *Tournelius*. « Diversa quidem et opposita hinc « inde haeresis: sed eadem utrobique haeresis indoles, « ingenium idem superbum, contumax, sinuosum: eaedem « fallendi artes, fucata pietate, simulata modestia, ambi-

« gua verborum significatione, superbo aliorum contemptu, « audaci legitimae auctoritatis despicientia » *a)*.

Haereses, quae circa gratiam emerserunt.

Pelagiana Haeresis.

I. *Pelagius* monachus fuit, patria Britannus. Diu Romae vixit, ubi multorum animos sibi devinxit, moribus ad pietatis formam compositis. Is ineunte saeculo quinto, Manichaeorum haereseos oppugnandae specie, gratiam Redemptoris omnino evertere conatus est. Docuit enim carnem nostram, quam illi a malo principio profectam dicebant, ita puram esse, ut ab omni originali labe sit immunis: legem Mosaicam, quam illi criminabantur, adeo perfectam fuisse, ut ea sola instructi, veteris Testamenti Patres sancti esse potuerint, et omnis peccati expertes; quemadmodum et Christianos citra omne peccatum vitam agere nihil prohibet. Denique, quod praecipuum haereseos caput est, liberum arbitrium ita integrum esse et sanum, ut medicinali gratia non egeat. *Dicunt*, ut Patres Milevitani de Pelagio ejusque asseclis scribunt ad Innocentium Papam *b)*, *posse hominem in hac vita praeceptis Dei cognitis ad tantam perfectionem justitiae, sine adjutorio gratiae Salvatoris, per solum liberum voluntatis arbitrium, pervenire, ut ei jam non sit necessarium dicere: dimitte nobis debita nostra.*

II. Pelagius multiplici arte variisque flexibus errores suos disseminavit. Primum totus erat in Creatoris et naturae laudes effusus, quod Stoicam magis Philosophiam, quam Christianam Religionem sapiebat. Ne tamen omnem omnino gratiam respuere videretur, hoc nomine liberum hominis arbitrium insignivit. Cum autem fucus ille ex sententia non cederet, libero arbitrio primum legem et doctrinam, tum et peccatorum remissionem et Christi exemplum adjecit. Quin et multis interiorem tandem gratiam admisisse videtur, quam tamen in sola mentis illustratione posuit per legem et doctrinam melius propositam. Quidquid sit de hac Pelagii concessione, certum est 1.° eum, cum gratiam admittere visus est, quae possibilitatem bene agendi praeberet, possibilitatem

a) En quae sit indoles omnium sectarum et novarum partium, quae in Ecclesia, sed non ex Ecclesiae spiritu emergunt, *usque in praesentem diem.* (1835). *b)* Vid. apud August. Ep. 92 et 95.

distinxisse a voluntate et actione, ita ut *posse* quidem ad Deum pertineret, *velle* autem et *agere* ad hominem. *Nos Deus non adjuvat*, ait *a)*, *ut velimus et agamus, sed solum ut velle, agere possimus.* 2°. Nunquam eum gratiae interioris necessitatem admisisse; tametsi fateretur nos sanctificationem et salutem *facilius* assequi aspirante gratia. 3.° Omne demum gratiae auxilium, quodcunque illud sit, ita ab eo fuisse concessum, ut illud meritis humanis retribui assereret, neque gratuitum esse voluit, quod a Deo conceditur, donum: contra illud Apostoli *b)*: *Si gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.*

III. Praecipui Pelagii discipuli et adjutores fuerunt *Coelestius*, ejusdem cum Pelagio patriae et professionis, et *Julianus*, Eclanensis in Italia Episcopus. Primus tantam huic haeresi contulit operam, ut Pelagiani non raro ex ejus nomine *Coelestiani* vocati sint. Alarico Italiam devastante, Pelagius et Coelestius in Siciliam transfretarunt; inde profecti in Africam ad visendum *Augustinum*, quem tamen convenire non poterant ob celebrem, quam tum habuit, cum Donatistis collationem. Itaque Pelagius in Palaestinam solvit, ut *Joannem Jerosolymitanum* in partes suas traheret. Coelestius Carthagine consistens a *Paulino* Diacono ad *Aurelium* Episcopum delatus est; a quo in Synodo damnatus in Asiam profugit, et Ephesi Presbyteratus gradum per obreptionem obtinuit. Post damnationem Coelestii Augustinus primum contra Pelagianos librum edidit: *De peccatorum meritis et remissione.* 411 412

IV. Interea Pelagius in Palaestina haeresin disseminat, et a S *Hieronymo* confutatur. Nihilominus versipellis homo in Synodo XIV. Episcoporum *Diospoli* habita, cum fidem orthodoxam simularet, in communionem receptus est, favente imprimis Joanne Jerosolym. Audito Diospolitani Concilii exitu, Africani Episcopi provincialia duo Concilia celebrant; unum *Carthagine* LXVIII. Episcoporum, alterum *Milevi*, quae est Numidiae civitas, cui S. Augustinus interfuit. Damnati in utroque Concilio Pelagius et Coelestius, missaeque a Patribus epistolae ad Innocentium I. Respondit Innocentius Decretalibus litteris, quibus auctoritas sedis Apostolicae non parum commendatur. Has cum accepisset Augustiuus, Pelagianos, quos antea ut fratres habebat, haereticos 415 416 417

a) Vid. August. lib. de grat. Christ. cap. IV. *b)* Rom. XI, 6.

nominavit, illudque solemne edixit: *Rescripta Roma venerunt, causa finita est, utinam finiatur et error.*

V. Coelestius ex urbe Ephesina, et postea e Constantinopoli ab *Attico* Patriarcha pulsus Romam venit mortuo Innocentio, ibique libellum edidit, quo se purgaret; cumque eodem tempore Pelagii litterae Romam allatae sint cum fidei professione callide et fraudulenter concepta, *Zosimus*, Innocentii successor, haereticorum simulatione deceptus, litteras dedit ad Africanos, quibus utrumque, Pelagium et Coelestium, valde commendat. Africani, acceptis Zosimi litteris, Carthaginem convenerunt, et in generali
418 Synodo CXIV Episcoporum statuerunt, standum esse decreto Innocentii I. adversus Pelagianos. Synodalia gesta ad Zosimum perlata sunt, qui et ipse, re denuo examinata, et fraude Haereticorum detecta, contra haeresin ejusque auctores sententiam tulit; quo peremptorio decreto error confossus et confectus est.

VI. Huic Zosimi decreto omnes per orbem Episcopi obsecuti sunt praeter octodecim, qui duce *Juliano* Eclanensi ad oecumenicam Synodum appellarunt. Verum, non obstante iniqua appellatione, non solum imperialibus legibus, sed et sacerdotalibus statutis depositi, et ex omni Italia deturbati sunt. Pelagianorum damnationem non tantum Zosimi successores *Bonifacius*, *Sixtus* et *Coelestinus*, sed et oecumenica Synodus Ephe-
431 sina confirmavit, Actione V. et VII.; non revocata ad examen causa, quod toties postulaverant Pelagiani, quibus magna cum Nestorio amicitia erat. Praecipui dogmatis Catholici contra Pelagianos defensores fuerunt *Hieronymus* et *Augustinus*. Primus in Oriente ac Palaestina, ubi tum Pelagius degebat, epistolam contra haeresin scripsit ad Ctesiphontem; ac rursus post Diospolitanam Synodum tres dialogos contra eundem Pelagium edidit. At nemo acrius, nemo felicius pro fide Catholica certavit, quam Augustinus, quem Deus ante gratiae prodigium effecerat, ut illius efficeret praesidium. Hic per annos plus quam viginti contra Coelestium, Pelagium et Julianum ita decertavit, ut merito dici possit, eum in hac difficili lucta totius Ecclesiae partes sustinuisse.

VII. Nunc quaestio oritur, de qua potissimum gratia inter Augustinum et Pelagium mota fuerit controversia. Janseniani, ut magno nomine se tegant, asserunt, Pelagianos ante Zosimi

decretam veram et interiorem voluntatis gratiam admisisse, ut haereticos autem habitos, quia gratiam admiserunt, cui resisti possit. Hujus assertationis falsitatem multis argumentis probarunt Theologi Catholici: at hi ipsi, dum Jansenistarum commenta impugnant, inter se concordes non sunt. Persuasum est quam plurimis, Pelagium argumentis Catholicorum pressum interiorem illustrationis gratiam admisisse, quod tamen negant *Suarez*, *Bellarminus*, *Norisius*, aliique. *Ahomassinus*, et qui cum eo sentiunt, de gratia habituali et sanctificante quaestionem fuisse contendunt. Sunt, quod magis mirare, qui dicunt Augustinum pro gratia physice promovente stetisse. Quid? An non pari jure affirmares, in tam difficili lucta, ubi de servando fidei deposito agebatur, strenuum gratiae defensorem pro congruitate aut pro delectatione victrici Augustinianorum dimicasse, aut certe pro scientia media? Vid. *Tournelium*, de gratia quaest. III. — *Wiest* Op. M. tom. VI. §. 5. etc.

Semipelagianismus.

I. Haec haeresis ex Pelagianismo nata est, cum parte erroris deposita aliam retinuit. Itaque *Semipelagiani* et peccatum originale admiserunt et gratiae medicinalis ad omne opus bonum necessitatem: sed credendi voluntatem vel initium fidei, et in ea perseverantiam dixerunt a solo homine esse; quapropter necessitatem gratiae interioris praevenientis ad initium fidei constantissime negarunt, quamvis et in hoc non eodem omnes modo senserint et docuerint: nam alii gravius, alii tolerabilius erraverunt. Vocantur etiam *Massilienses*, ab urbe Massiliensi, ubi frequentiores reperiebantur. Hic error originem traxisse videtur ex libris S. Augustini male intellectis. Nam cum ex iis, quae Augustinus de praedestinatione gratuita et de dono perseverantiae contra Pelagianos disseruerat, hominis libertatem tolli et fatalem necessitatem induci putarent, ipsi in contrarium errorem prolapsi sunt. Augustinus, ut errori grassanti occurreret, et virorum, quorum fides caeteroquin integra erat et vita probata, dubia dissolveret, duos libros edidit, unum *De praedestinatione* 428
Sanctorum, alterum *De dono perseverantiae.*

II. Revera viros quosdam Semipelagianorum errore infectos reperimus, qui eruditione et sanctitate florebant, uti *Cassianus*:

Massiliensis presbyter, cujus libri de institutis monachorum et collationibus Patrum in omnium usu versabantur. Tum *Faustus*, qui ex Abbate Lerinensi Regiensis Episcopus factus est. Ambo in Sanctorum censum relati sunt, eo quod dubium non sit eos innocenter errasse, nondum satis elucidata controversia. In eodem errore versabatur *Vincentius*, quem multi putant celebrem esse illum *Lerinensem*, qui commonitorium scripsit. Quin et *Augustinus*, nondum Episcopus, hanc sententiam secutus erat, ut fatetur libro de praedestinat. Sanctorum. Praecipui sanae et Catholicae fidei assertores fuerunt, praeter Augustinum, sancti *Prosper* et *Hilarius*, qui ambo videntur laici fuisse. Prae caeteris Prosper, Augustini doctrinae addictissimus, contra gratiae oppugnatores multa praeclare scripsit tum stricta, tum soluta
459 oratione. Sub *Felice* IV. habita est Synodus *Arausicana* II. (Orange), in qua Semipelagiani damnati sunt ut haeretici. Hoc Concilium a Romana sede confirmatum indubitatam apud omnes Catholicos obtinuit auctoritatem. Eandem damnationem instauravit *Trident.* sess. VI. Can. 2 et 3.

Praedestinatianismus.

Veteres Praedestinatiani.

1. Quemadmodum Pelagiani electionem gratiae penitus everterunt, eam ex meritis humanis et bonis operibus humana industria comparatis omnino suspendentes: ita, qui *Praedestinatiani* postmodum dicti sunt, in contrariam et longe absurdiorem abierunt sententiam; nam liberum arbitrium omnino sustulerunt, et hominum sicut salutem ita et perditionem fatali quadam necessitate contineri commenti sunt. Certum est, Praedestinatianam haeresin figmentum non esse, quidquid contra dicant Jansenius ejusque sectatores. Sub finem quinti saeculi coacta est Arelatae Synodus XXX. Episcoporum, in qua *Lucidus* presbyter hujus haereseos est accusatus. Ad hunc Faustus Regiensis epistolam scripsit Synodi nomine. Ex libello quod Lucidus Patribus obtulit, certo colligitur, nonnullos tum extitisse, qui de praedestinatione extra fidei regulam sentiebant; nam Lucidus, qui in libello pristina sua dogmata damnat, inter alia anathema pronuntiat contra eum: *qui dicit, humanae obedientiae laborem divinae gratiae non esse*

jungendum; item, qui dicit post primi hominis lapsum ex toto voluntatis arbitrium extinctum. Tournelius, loco cit. — *Petav.* de Incarnat. lib. XIII. cap. VII.

II. Nova in causa Praedestinatianorum controversia Gallicanam Ecclesiam vexavit, regnante Carolo Calvo, cui initium *Gotescalcus* quidam nobilis Saxo, primum coenobii Fuldensis, deinde Orbacensis apud Suessiones alumnus et presbyter. Hic primum a *Rabano*, Moguntino Episcopo, in Concilio Moguntiae coacto damnatus est (848). Mox ad Hincmarum Remensem, Archiepiscopum suum, remissus, ab eodem, cum ad saniorem sensum revocari non posset, in Synodo in Carisiacensi palatio congregata, convictus haeresis, propter contumaciam virgis caesus et in carcerem detrusus est. Gotescalci damnatio neque tum temporis, neque postea ab omnibus probata fuit. Sed difficile est contra auctoritatem pugnare virorum, qui ea aetate prae omnibus virtutis et eruditionis laude floruerunt; id enim *Rabano* et *Hincmaro* omnes concedunt. Difficile est fidem denegare *Carisiaco Concilio*, et imprimis *Moguntinae Synodo*, quae a multis *nationalis* dicitur, et in qua, ut *Trithemius* testatur, multi aderant viri vita et doctrina famosi. Verum haec evolvere longioris esset historiae; id unum observamus, in ea, quae inter Galliae Ecclesias tunc orta erat paulo acriori conflictatione, de Gotescalco tantum, non de ipsa fide fuisse disceptatum; nam utriusque partis fautores illud ipsum communiter semper asseverarunt, Deum, quantum in se est, omnes salvos fieri velle, et ut fiant, congruentibus auxiliis adjuvare. — Vid. *Petav.* loco cit. cap. VIII. *Natalem Alexand.* in saeculum IX. Diss. V. *Tournel.* loco citato.

Lutherus et Calvinus.

I. Brevissime haec complecti licet, cum nullius fere usus sint hodie. Quis enim Lutheranorum nunc cum Luthero, quis Calvinianorum cum Calvino docet? *Lutherus* sententiam suam aperte et crude exposuit in libro *De servo arbitrio*, ubi inter alia haec habet: *Humana voluntas in medio posita est, ceu jumentum: si insederit Deus, vult et vadit quo vult Deus; si insederit satan, vult et vadit quo vult satan: nec est in ejus arbitrio, ad alium sessorem currere aut etiam quaerere, sed ipsi sessores certant ad ipsum obtinendum et possidendum.* Si in eodem libro

coactionem et violentiam a voluntate removet, emollit quidem, sed non mutat sententiam, manet enim necessitas proprie dicta. *Necessario dico, non coacte*, inquit ibidem, *necessitate immutabilitatis, non coactionis. Hoc est: homo, cum vacat spiritu Dei, non quidem violentia velut raptus obtorto collo, nolens facit malum, sed sponte et libente voluntate facit; quae, si cogeretur, voluntas non esset, nam coactio potius est et, ut sic dicam, nolunt as.* In eodem libro non obscure doctrinam tradit de praedestinatione ad aeternum interitum, *Si placet tibi Deus*, ait, *indignos coronans, non debet etiam displicere Deus immeritos damnans. Hic est fidei summus gradus . . . credere justum, qui sua voluntate nos necessario damnabiles facit.*

II. Horrenda sunt et prorsus nefaria Calvini dogmata circa aeternae reprobationis decretum, quod ipse absolutum esse existimat, non ex praevisione peccati suspensum. *Deus*, ait *a)*, *consilio nutuque ita ordinat, ut inter homines nascantur certae morti devoti, qui suo exitio ipsius nomen glorificent.* Haec *Bezae* quoque et quorundam aliorum sententia fuit. Multi quidem alii Calvinianae sectae addicti jam inde ab exordio a Magistri sui doctrina recesserunt; at non omne virus evomuerunt pestiferae haereseos. Quae enim de certitudine praedestinationis, et gratia semel accepta inamissibili commenti sunt, tam sunt absurda, ut nihil possit cogitari absurdius. Jam, quae de gratiae efficacia et libero arbitrio Calvinus docuit, vix non tolerabilia videbuntur cum hac insania comparata. In antidoto ad Can. V. sess. VI. Conc. Trid. inquit: *Liberum arbitrium . . . titulum sine re esse qui affirmant, Christum habent auctorem.* Lib. V. de libero arbitrio negat, *gratiam sic nobis offerri, ut nostrae postea sit optionis vel obtemperare, vel refragari.* — Equidem: *Si coactioni opponatur libertas, fatetur liberum arbitrium esse*; sed clamat cum Luthero, inter coactionem et necessitatem sedulo distinguendum *b)*.

III. Contigit Lutheri et Calvini sectatoribus, quod omnibus illis solemne est, qui auctoritate repulsa certam credendi regulam amiserunt; ut quamvis ab errore recedant, non accedant tamen ad veritatem; sed errorem cum errore commutent. *So-*

---

a) Lib. III. instit. cap. XXIII. n. 6. *b)* Lib. II. de libero arbitrio. Item lib. II. instit. cap. 2 et 3.

cinianos plenis velis in Pelagianismum incurrisse jam vidimus: neque mirum, supernaturale omne auxilium respuere eos, quorum palmare principium est, nihil admittere quod naturae et humanae rationis limites egreditur. Ex Calvini secta prodierunt *Arminiani*, quos Calviniani dogmatis odium vix non in Socinianismum impulit; sic *Simon Episcopius*, celebris Arminianorum Theologus, apud Freder. Spanhemium docet: *gratiam consistere in lumine naturae, et reliquis donis homini post peccatum relictis.* — Sed et alii fere omnes novarum Religionum discipuli a duro Patrum suorum dogmate, medium, in quo stat veritas, transilientes, primum in Semipelagianismum, tum per gradus proficientes, in Pelagianismum, Socinianismum ac Naturalismum inciderunt. Ac nescio an non, cum gratiae necessitatem impugnant, ipsi eam probent evidentissimo argumento, propriae scilicet impietatis et flebilis nimium perditionis exemplo.

Bajus et Jansenius.

1. *Bajus*, Doctor Lovaniensis, anno 1563 a rege Catholico Tridentum delegatus est, cum jam ad exitum properaret Concilium. Domum redux opuscula quaedam edidit, ex quibus extractae propositiones LXXVI. a Pio V. damnatae sunt, tacito 1567
tamen *Baji* nomine. Inter alias et istae reperiuntur: 39. *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.* 67. *Homo peccat damnabiliter in eo, quod etiam necessario facit.* 54. *Sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso attribuitur Augustino, cum Pelagii sit.* 38. *Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Data Pontificis Bulla, novae concertationes ortae sunt, cum Baji fautores viam sibi quaesierint censuram Apostolicam eludendi per unius commatis mutationem. Post enumeratas propositiones ita concludit S. Pontifex: *Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent, in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento haereticas, erroneas etc. damnamus.* Qui Bajo favent, comma, quod post verbum *possent* collocandum est, transferunt post illa verba *sensu ab assertoribus intento.* Bajus post plures tergiversationes se Bullae subjecit et propositiones damnavit in ea 1569

notatas. At novis iterum concertationibus exortis, *Gregorius XIII.* Praedecessoris Bullam confirmavit. Missus Lovanium *Francisc. Toletus* S. J. postea cardinalis, qui Bullam promulgavit in frequentissimo totius Academiae consessu. Assenserunt omnes et ipse Bajus.

II. Bajanismus praelusit Jansenismo, atque in eum postmodum transfusus est. *Cornelius Jansenius*, apud Batavos natus, Utrajecti Theologiae studuit sub *Jansonio*, Baji acerrimo defensore. Idem Jansenius, cum Lovanii versaretur, amicitiam cum Abbate San-Cyrano contraxit, quem postea Parisiis invisit. Lovanium redux Doctor creatus est; deinde regius sacrarum litterarum professor institutus, ac demum Yprensis Episcopus factus, cum eam Ecclesiam per triennium rexisset, grassante in urbe lue extinctus est. Jam moribundus ultimam manum operi adhibuit, quod *Augustinus* inscripsit. Huic operi per viginti duos annos pertinaci labore incubuit, eique Augustini nomen praefixit; quia puram se Augustini doctrinam a quingentis, uti ajebat, annis e scholis exulem, revocasse contendebat. Jansenius librum suum, quem manuscriptum reliquit, et qui nonnisi biennio post ejus mortem typis evulgatus est, judicio Romanae Ecclesiae subjecit. «Si, inquit in testamento suo, Romana sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, et illius Ecclesiae, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum.»

III. Vix ut lucem aspexit Jansenii liber, ab *Urbano* VIII. Bulla *In eminenti* proscriptus fuit. Sic damnatus, sed non extinctus est error; imo sopitis in Belgio turbis, multo gravius incendium in Galliis exarsit; cumque audacius in dies se nova haec secta erigeret, LXXXV Praesules Gallicani quinque propositiones ex Jansenii libro *Innocentio* X. denuntiarunt. Istae sunt famosae illae Jansenii propositiones:

1ª *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

2ª *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.*

3ª *Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

4ª *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obteperare.*

5ª *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.*

Innocentius, acceptis Episcoporum litteris, jussit examini subjici delatas ad se propositiones, easque post longam et maturam discussionem, celebratis duorum annorum spatio triginta sex 1653
congregationibus, solemni constitutione damnavit, propositionem quamlibet suis notis perstringens. Quatuor priores absolute tanquam haereticae damnatae sunt, quinta cum aliqua sensus divisione. Cf. *Tournel.* qui omnia, quae ad causam Jansenii pertinent, luculentissime et cum magna accuratione exponit: auctor nulli vel levissimae suspicioni obnoxius; nam neque Jesuita erat, neque Jansenistarum partibus serviens *a*).

IV. Innocentii X. constitutio communi plausu in Galliis recepta est. Janseniani primum haerent attoniti, mox collectis animis et consiliis famosam excogitant facti et juris distinctionem, ad quam deinceps plenis velis tanquam ad tutissimum portum se receperunt. Cum autem Clerus Gallicanus post novum examen de- 1654
clarasset, propositiones in libro Jansenii exstare, et in proprio verborum sensu, atque eo ipso quo a Jansenio asseruntur, esse damnatas, Innocentius hanc declarationem confirmavit per Breve apostolicum. Paulo post, ut omne effugium praecluderetur haeresi, *Alexander* VII., Innocentii successor, novam constitutionem edi- 1656
dit, jussitque ut omnibus Clericis formula fidei subscribenda proponeretur, qua jurarent, se adhaerere constitutionibus Innocentii X. et Alexandri VII., et quinque propositiones ex libro Jansenii excerptas in sensu ab auctore intento sincero animo damnare. Verum nihil frangere potuit illorum, qui Jansenio adhaerebant pertinaciam. Alii aperta fronte repugnarunt asserentes, formulare sine perjurio subscribi non posse; inter hos praecipuus erat *Arnaldus*, qui ob suam in errore obstinationem a facultate Parisiensi e numero Doctorum expunctus est. Alii, qui molliores vocabantur, in-

---

a) *Tournel.* de gratia quaest. III. in edit. Paris. in 8. a pag. 320 usque ad 690.

scriptionem dederunt, non veritatem, sed erroris latibula quaerentes. Mirum, quot fletus et obliquos meatus invenerint rigidi illi restrictionum mentalium oppugnatores! Inter haec dissidia magis semper apud eos invaluit illa sententia, quod in quaestione facti religiosum silentium sufficeret.

V. Id inter alios asseruerunt quatuor Episcopi, in suis pro subscriptione formularis publicis mandatis, quod eos apud Pontificem et regem illico in magnam invidiam vocavit. Nihil ergo omiserunt, ut fictis fraudulentisque obsequii testificationibus impendens sibi periculum declinarent; eoque tandem res pervenit ut Clemens IX., qui Alexandro successerat, illorum Episcoporum eo-
1668 rumque, qui pacis mediatores agebant testimoniis fidens, benevolentiam illis ac paternum affectum restituerit. Haec est celebris illa *pax Clementina*, qua mire gloriati sunt Janseniani. Sed falso
1702 omnino; nam cum anno 1702 attrito fere religiosi silentii figmento famosus casus conscientiae prodiret, in quo statuitur absolutionem denegandam non esse Clerico declaranti, se damnare quinque propositiones quoad jus; sed quantum ad factum seu attributionem illarum quinque Propositionum libro Jansenii existimare se, religiosum sufficere silentium; Clemens XI. solemnem constitutio-
1705 nem edidit, quae incipit *Vineam Domini Sabaoth*, in qua constitutiones Innocentii X. et Alexandri VII. confirmat; Clementis IX. sicut et Innocentii Brevia quaedam ad Episcopos Belgii data a falsis interpretationibus vindicat, et doctrinam damnat in casu conscientiae expressam. Clerus Gallicanus constitutionem Clementis XI. eodem quo data erat anno in comitiis generalibus solemniter recepit, cui suffragati sunt caeteri Ecclesiae universalis Episcopi. — Vid. *Tournel.* loco cit. a pag. 445 usque ad 472.

VI. *Pascasius Quesnellus* post Arnaldum sectae Jansenianae dux fuit. Hic adnotationes composuit in novum Testamentum, quae primum non paucos pietatis specie deceperunt. At mox patuit, quo auctoris consilia tenderent, ut scilicet Baji et Jansenii errores, additis quoque ex suo nonnullis, incauto lectori sub pietatis lenociniis propinaret. Itaque Romae et Parisiis interdictum opus. Cum autem necessarium videretur, solemni judicio nova
1713 recrudescentis haeresis pericula praevertere, Clemens XI. constitutionem *Unigenitus* emisit, qua centum et una propositiones ex Quesnelli libro damnatae sunt. Haec Bulla in Galliis, reg-

nante adhuc Ludovico XIV., ab Episcopis et facultate Theologica acceptata est, paucis exceptis, qui ad futurum Concilium appellarunt et ideo *Appellantes* dicti sunt. Postea auctus est Appellantium numerus, donec post multas miserandasque discordias Parisiensis Archiepiscopus Cardinalis *Noaillius* Bullae absque 1728
limitatione subscripsit. Facultas Theologica, quae pristinae dignitatis oblita primam suam adhaesionem resciderat, mox iterum ad saniora consilia rediit, et exemplum secuta est Parisiensis praesulis. Praecipuum tunc facultatis decus erat doctissimus *Tournelius*, professor Sorbonicus, cujus imprimis opera factum est, ut celebratissima per orbem Schola, excussa brevi vertigine, eriperetur factiosis et redderetur sibi ac veteri gloriae. Eodem tempore edita est declaratio regia, quae Bullam *Unigenitus* legem Ecclesiae et status esse pronuntiat. Inter alia quae celebris hujus Bullae fata concernunt, et quae ne strictim quidem indicare hic possumus, commemorare sufficiat, quae *Benedictus XIV.* ad Galliae Episcopos scripsit. « *Tanta est pro-* 1756
fecto in Ecclesia Dei auctoritas Apostoticae Constitutionis quae incipit: Unigenitus... ut nemo fidelium possit, absque salutis aeternae discrimine, a debita erga ipsam subjectione sese subducere aut eidem ullo modo refragari. » Has litteras reverenter suscepit Clerus Gallicanus anno 1760 et 1762. Cf. Op. M. D. *Wiest* t. VI. pag. 57. *Dobmayer* t. VII. pag. 152. — Utrumque auctorem cum magna fidentia citamus, quia illorum exquisitam rerum theologicarum cognitionem inficiari nemo potest. Quare et illud lubentissime adjicimus, hos ipsos doctissimos Theologos aliosque passim solidioris doctrinae viros palam edicere: *Jansenismum neutiquam ut phantasma haberi posse.* Id quidem jam diu persuadere voluissent Jansenii asseclae, rati, se facilius nocituros, si possent inter Catholicos, ejurato sectae suae nomine, latere. Verum jam anno 1700 Clerus Gallicanus, in comitiis generalibus congregatus, rem prae caeteris promovente illustrissimo *Bossuetio*, hanc propositionem damnavit: *Phantasma Jansenismi, quaesitum ubique, sed nusquam repertum, praeterquam in laboranti quorumdam phantasia.*

Unde vide, quid de iis censendum sit, qui nostra adhuc aetate apertissima historiae monumenta spernentes, aut forsan ignorantes, omnia utut putida Jansenistarum commenta illoto saepe

et rustico ore deblaterant. Innumera sunt, quae haec secta tum Galliae, tum Germaniae intulit mala, imprimis quando, depulsa in Religionis damnum celeberrima societate, non parum animi illi accessit ac virium. Nam, cum omnes, quos innovandi libido adusit, libenter in socios et amicos adscriberet; cum fidos e gremio suo discipulos, aut alios partium suarum fautores, in magnatum et principum aulas, in eruditorum academias induceret, et per monachorum claustra libros suos doctrinamque diffunderet; eo tandem res pervenit, ut multos, quos moderna Philosophia non penitus a fide dejecerat, hos ipsa in transversum egerit. Neque dubium est, novissimas rerum publicarum perturbationes, sicut modernae Philosophiae, sic et Jansenismi opus fuisse.

Haec praemittenda censuimus antequam eorum, quae de gratia dicenda supersunt, defensionem suscipiamus. Et quoniam de gratiae necessitate nunc agendum est, disputabimus 1° contra eos, qui gratiae necessitatem destruunt, cum nimium attollunt liberi arbitrii vires; 2° contra eos, qui liberi arbitrii vires destruunt, cum nimium urgent gratiae necessitatem.

CAPUT PRIMUM.

Agitur contra eos qui gratiae necessitatem destruunt, dum nimium attollunt arbitrii vires.

Cum Pelagianis et Semipelagianis hic nobis dimicandum est, aut certe cum illis qui eorum erroribus implicantur. Pelagiani, hominem sine gratia bonum quodcunque efficere et salutem operari posse contendebant. Semipelagiani bonam saltem voluntatem et fidei initium homini attribuerunt. Utriusque sectae discipulos damnavit Ecclesia tanquam ingratos et superbos homines, qui crucis beneficium evacuant, spiritui gratiae contumeliam faciunt, et seipsos a salute excludunt, dum ad eam suis viribus enituntur. Quo periculosius curandum, ut veram et genuinam Ecclesiae doctrinam ab haereticorum erroribus secernamus, et qua fieri potest, claritate et accuratione exponamus. — Itaque primum de

gratiae actualis necessitate dicemus in genere; deinde, qua ratione justi praeter sanctificantem etiam actuali gratia indigeant, examinabimus.

§. I.

De necessitate gratiae in genere.

PROPOSITIO I.

Homo in praesenti statu nullum opus salutare velle aut efficere potest sine gratiae supernaturalis auxilio.

Probatur I. *Ex Script.* Joan. XV. Christus ad Discipulos ait: *Ego sum vitis, vos palmites . . . sine me nihil potestis facere.* Ex Apostolo, qui justo titulo Apostolus gratiae appellatur, multa testimonia afferri possent, quae supernaturalis auxilii necessitatem commendant. Sufficiant haec pauca: I ad Cor. XII, 3. *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Et ad Philipp. I, 6. *Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* Et Cap. II, 13. *Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Cf. Roman. IX, 16. — Ephes. II, 10. — I Cor. XV, 10. Non potest gratiae tum adjuvantis, tum praevenientis necessitas clarius exprimi, quam his similibusque sententiis. Quid enim habere potest homo a semetipso, quid efficere potest saluti proficuum, si sine Christo nihil potest? Si necesse est, ut Christus in eum, sicut vitis in palmites influat? Si non potest nomen Domini Jesu utiliter ad salutem invocare, nisi ope Spiritus sancti? Si Deus est, qui opus bonum incipit et perficit, qui operatur velle et perficere?

Prob. II. *Ex Conciliis et Patribus.* Ex Conciliis unum *Arausicanum* II. citabimus; quod, quamvis particulare fuerit, universalis tamen Synodi auctoritatem consecutum est, quia universus orbis Catholicus ejus decretis subscripsit. Ita autem decretum est ab Arausicanis Patribus Can. IV. *Siquis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit; non autem ut etiam purgari velimus per sancti Spiritus infusionem et opera-*

tionem in nos fieri confitetur, resistit Spiritui sancto. Et Can. VII. *Siquis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est Evangelicae praedicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti . . . haeretico fallitur spiritu.*

Ex Patribus *Augustinus* omnium maxime gratiae necessitatem contra Pelagianos adstruxit. Lib. de gratia Christi, cap. XXVII. sic habet: *Gratiam Dei sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet.* Et lib. de gratia et libero arb., cap. XVII. n° 33. *Sine illo, vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

Confirmatur propositio. Quod universa Christi Ecclesia spem omnem salutis in gratiae adjutorio ponat, per Jesum Christum obtinendo, ex publicis ejus precibus manifestum est, quae omnes hoc humilitatis et verae pietatis spiritu animantur. Ideo orat pia mater, ut Deus *actiones nostras aspirando praeveniat, et adjuvando prosequatur:* ut non tantum *petentibus desiderata concedat:* sed etiam *faciat nos, quae sibi sunt placita postulare:* ut det *nobis spiritum cogitandi quae recta sunt, et agendi: ut nos gratia ejus semper praeveniat et sequatur* etc.

Accedit et ea potissimum ratio, quod homo ad finem supernaturalem sit destinatus; ad finem autem supernaturalem etiam media supernaturalia requirantur: quod autem naturae viribus efficitur, ordinis supernaturalis esse non potest.

Corollar. *Homo non potest a peccato resurgere sine speciali gratiae auxilio.*

Prob. 1.° Si ad omne opus salutare requiritur gratiae interioris auxilium, tum certe ad illud, quo nullum magis ad veram justitiam et salutem pertinet.

2. Synod. Arausicana II. Can. XIX. ait: *Natura humana, cum sine gratia Dei salutem non possit custodire quam accepit: quomodo sine gratia poterit reparare quod perdidit?*

PROPOSITIO II.

Gratia actualis interior tum ad fidem, tum ad fidei initium necessaria est.

Probatur I. Hoc Catholicum dogma multis apertisque Scripturae locis adstruitur, et S. *Augustin.* totus est in iis explanandis urgendisque contra Pelagianos et Semipelagianos. Pleraque ex Apostolo desumpta sunt; alia ex ipso Christi Servatoris ore fluxerunt. Utriusque generis unum aliudve proferamus.

Joannis VI, 29. Christus interrogatus a Judaeis: quid faciemus ut operemur opera Dei? respondit: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* De hac autem fide loquens ait v. 37. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet. Quid est: ad me veniet,* ait Augustinus *a*), *nisi, credet in me?* Pergit Christus eodem cap. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* ... et iterum v. 66. *Nemo potest venire ad me, nisi ei fuerit datum a Patre meo.* Matth. XVI, 17., cum Petrus fidem in Christum solemniter professus esset, subjungit Christus: *Beatus es Simon Bar-Jona; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est.*

Apost. ubique fidem gratiae attribuit, ut ad Ephes. II, 8. *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis.* Ad Philipp. I, 29. *Vobis donatum est a Christo, non solum ut in eum credatis, verum etiam ut patiamini pro eo.* Et ne quis existimaret, initium saltem fidei, aut pium credulitatis affectum, a nobis esse, hoc quoque humanae superbiae perfugium praecludit: I ad Cor. IV. *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ad Rom. XI, 35. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Et iterum II Cor. III, 5. *Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ex hoc loco

---

a) Lib. de praedestinat. SS. cap. VIII.

S. *Augustinus a*) invicte refellit Semipelagianos, qui fidem, non ejus initium, a Deo esse docebant. *Unde*, inquit, *in omni opere bono, et incipiendo et perficiendo, sufficientia nostra ex Deo est. Ita nemo sibi sufficit, vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem? sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Probatur II. Concil. Arausicanum II. Can. V. declarat, Apostolicis dogmatibus adversari eum, qui ... *sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum ... non per gratiae donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti ... sed naturaliter nobis inesse dicit.* Vid. ejusd. Conc. Can. VII et VIII., et *Trident.* sess. VI. Can. III.

PROPOSITIO III.

Homo sine gratia actuali interna neque graviores tentationes superare, neque omnia legis naturalis praecepta servare, neque omnia peccata evitare potest.

Probat. I. pars. Si homo gratiae adjutorio non indigeret ad superandas tentationes, saltem graviores, sine ratione Scriptura victoriam tentationum Deo adscriberet, nosque ad implorandum Dei contra tentationes auxilium adhortaretur. Ut I Corinth. X, 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Ad Ephes. VI, 11. *Induite vos armaturam fidei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* I Petri V. 8. *Adversarius vester diabolus circumit quaerens quem devoret; cui resistite fortes in fide.* Matth. XXVI, 41. *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Et in oratione dominica quotidie petimus: *Ne nos inducas in tentationem.*

In haec verba orationis dominicae ita commentatur S. *Cyprian. Quando rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis et imbecillitatis nostrae, dum sic rogamus: ne quis se insolenter extollat; ne quis sibi superbe atque arroganter aliquid assumat.* Mittimus alia Pa-

---

a) Lib. de praedestinat. SS. cap. II.

trum loca, imprimis S. Augustini, quem scimus totis viribus certasse, ne quid gratiae Christi vana hominum confidentia detraheret. Juvat tamen hic auctoritate uti Concilii Diospolitani, quod, quamvis nimiae erga Pelagium indulgentiae accusatum fuerit, tamen inter orthodoxa doctrinae capita, quae Synodus voluit ut Pelagius confiteretur, hoc recenset n° X. *Fateatur, quando contra tentationes concupiscentiasque dimicamus, non ex propria voluntate, sed ex adjutorio Dei provenire victoriam: non enim aliter verum est quod Apostolus ait: non volentis, non currentis, sed miserentis est Dei.*

Prob. II. pars. Si homo sine speciali gratiae auxilio tentationes saltem graviores superare non potest, sequitur, eum etiam praecepta moralia omnia adimplere non posse: tentationes enim a lege avocant, eaeque ut plurimum circa legis naturalis praecepta versantur. Lex sine gratia ostendit quidem, quae agenda sunt, non autem dat ut agamus. *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* II Corinth. III, 6. Nec est in hominis natura post lapsum sufficiens potentia ad singula atque etiam difficilia praecepta adimplenda. *Scio.* ait Apost. ad Roman. VII, 18., *quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.* Deinde, secundum Scripturas, integra observatio mandatorum signum est certissimum verae perfectaeque charitatis: charitas autem ex viribus naturae acquiri non potest, sed infunditur a Deo per Spiritum sanctum.

Adde quae Sapiens de continentia, quae utique ad legem moralem pertinet, ait, Sap. VIII. *Scivi, quia aliter non possum esse continens, nisi Deus det.* Fateor equidem, haec verba commode de ipsa Sapientia intelligi posse, ita ut sensus sit: Scivi quia non possum compos fieri hujus Sapientiae, eamque propriam possidere, nisi Deus eam donet. Verum, quae textum hunc praecedunt clare indicant, Salomonem de continentia loqui, quam individuam Sapientiae comitem esse optime noverat. Quidquid sit, certum est, quod Sapiens ibi aut diserte loquatur de virtute continentiae, aut de illa coelesti Sapientia, quae mater est castitatis, et qua adjuvante et animam posset servare bonam,

et corpus incoinquinatum; certum quoque, S. *August.* pluribus in locis illa verba de virtute continentiae interpretari. Inter alia Epist. 89. quaest. 2. haec habet: *Jubet ergo Deus continentiam, et dat continentiam: jubet per legem, et dat per gratiam: jubet per litteram, dat per spiritum.*

Probat. III. pars. Cum militia sit vita hominis super terram; et homo sine gratia tentationes saltem graviores evitare non possit; cumque impossibile sit omnia praecepta etiam legis naturalis servare sine gratia: manifestum est, hominem absque gratia non posse esse ab omni peccato immunem.

CONTRARIA REFUTANTUR.

Objiciunt I. Scripturae pluribus in locis declarant, in negotio salutis hominis voluntatem praeire gratiae Dei. Ergo etc.

Probat. ant. Psal. IX. *Non dereliquisti quaerentes te, Domine.* Proverb. XVI, 1. *Hominis est, praeparare animam, et Domini, gubernare linguam;* et v. 9. *Cor hominis disponit viam suam; sed Domini est dirigere gressus ejus.* Zachar. I. *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Lucae XI. *Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis.* Rom. VII, 18. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Illis Scripturae testimoniis commendatur quidem liberum arbitrium et liberae voluntatis cum gratia cooperatio; at non excluditur gratiae praevenientis necessitas: quemadmodum, cum gratiae necessitas commendatur, non excluditur, imo supponitur libera voluntatis cooperatio. Ita S. *August.* lib. II. ad *Bonifacium* cap. VIII., et lib. de grat. et libero arbitr. cap. V. — Confirmatur haec responsio ex verbis *Trident. Synodi,* sess. VI. cap. V. *Cum dicitur: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos; libertatis nostrae admonemur: cum respondemus: Converte nos, Domine, ad te, et convertemur a), Dei gratia nos praeveniri admonemur.* Utique ad obtinendam uberiorem gratiam necessarium est, ut homo animam praeparet, ac viam suam disponat; utique petendum est, quaerendum est, pulsandum est:

---

a) Jerem. XXXI. et Orat. Jerem. v. 21.

sed ne hoc quidem sine gratiae auxilio fieri potest. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*, ait Apost. ad Rom. VIII., *nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Atque idem Apost. qui ad Rom. ait: *Velle adjacet mihi*, ad Philipp. II. ait: *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.*

Objiciunt II. Multi veterum Patrum in ea sententia fuerunt, quod voluntas gratiam praeveniat. Duos tantum ex Graecis citabimus et ex Latinis duos. — *Clemens Alexandr.* lib. I. Stromatum docet, Graecos ad Christum venisse per Philosophiam. Et lib. VII. *Philosophia graeca velut praepurgat animam ad fidem accipiendam. Chrysostom.* hom. XII. in Epist. ad Hebraeos ait: *Non praevenit* (Deus) *nostras voluntates, ne perdat nostrum liberum arbitrium: quando nos elegerimus, tunc multum nobis affert auxilium.* Inter Latinos S. *Hilarius* libro VIII. de Trinitate n. 12. declarat, Deum *nobis non dare voluntatem, quae, si data esset, non haberet fides praemium.* Et ipse *August.* in Expositione quarumdam Propositionum Epist. ad Rom. haec habet: *Quod credimus, nostrum est; quod autem bonum operamur, illius est, qui credentibus in se dat Spiritum sanctum.*

Respondemus cum S. *August.*, lib. de praedest. SS., cap. XIV. *Quid igitur opus est ut eorum opuscula scrutemur, qui priusquam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari; quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur.* Unde leviter tantum materiam de gratia attigerunt. Imo ad hoc potissimum intenti fuerunt Graeci Patres, ut contra *Marcionitas*, *Manichaeos*, aliosque hujus generis haereticos, liberum arbitrium vindicarent; et cum aliis in locis omnia gratiae tribuant, hanc certe, cum de libero arbitrio loquuntur, excludere non voluerunt. Sic *Clemens Alexandr.*, lib. VI. Stromat., Dei notitiam, quanta ad justificationem necessaria est, asserit sine gratia haberi non posse. *Chrysost.* loco citato addit: *Nisi a Superis opem adipiscaris, frustra erunt omnia .... non enim suum esse totum voluit Deus, ne videretur nos temere coronare; neque rursus nostrum, ne incidamus in arrogantiam. Nam si, cum minorem habemus partem, efferimur et praeclare de nobis sentimus; quid faceremus, si totum esset in nostra potestate?* S. *Hilarius* hoc tantum cavere voluit,

ne cum Manichaeis liberum arbitrium destruere existimaretur; hinc addit, quod fides non haberet praemium, si illam nobis inferret necessitas affixae voluntatis. Quod S. *Augustinum* attinet, nemo nescit, eum ante episcopatum Semipelagianorum errore fuisse implicatum, ac postmodum expresse hunc errorem retractasse.

Objiciunt III. Illa Apostoli verba ad Corinth.: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis* etc. et alia hujus generis nihil aliud probant, quam necessitatem adjutorii alicujus externi, quod Pelagiani omnes admiserunt. Sufficientia sane omnium Christianorum, ad cogitandum aliquid Evangelio consentaneum, est a Deo: quia Evangelium ipsum non ingenio hominum, sed soli Deo debetur. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Sensus quem Pelagii defensores Apostoli verbis affingunt, contextui et scopo Apostoli, et communi Patrum interpretationi repugnat. Dixerat eo loco Paulus ad Corinth., eos epistolam esse vivam, epistolam scriptam non atramento, sed spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis; quod dicere utique non potuisset, si Corinthii Evangelium audissent tantum; cum constet multis aliis praedicatum fuisse Evangelium, qui tamen idcirco neque crediderunt Evangelio, neque consentanea ad Evangelium vixerunt. Igitur Corinthii eo sensu cogitarunt consentanea Evangelio, quod non intellectu tantum, sed et voluntate amplexi fuerint cum fidem Christi, tum charitatem. Hoc idem Apostolus denuntiarat in priore Epistola ad eosdem Corinth. III. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque, qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.* Hoc est: Ego quidem praedicavi vobis, Apollo vos baptizavit et uberiori doctrina instruxit; at nemo ex his profecisset ad fidem et perfectionem Christianam, nisi Deus intimo gratiae suae vigore fidei et virtutum fructus in vobis produxisset.

Objiciunt IV. Si ad consequendam salutem sufficiens non sit virtus propriae voluntatis, sed ex divino auxilio nostra sufficientia procedit; ergo sublatum est liberum arbitrium. Nam in voluntate hominis non est, quod illius industria ac vigore non efficitur, sed gratuita misericordia et adjutorio Dei. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Jam olim Pelagiani non cessarunt haec gratiae defensoribus objicere. *In hoc tota haeresis ista haeresis ita consistit*, ait S. *Augustinus a)*, *quod non sit liberum arbitrium, si indigeat auxilio Dei; quoniam propriam voluntatem habeat unusquisque, aut facere aliquid, aut non facere.* Fatemur equidem, difficile esse ita gratiam conciliare cum libero arbitrio, ut nihil remaneat obscuritatis. *Ista quaestio*, ait S. *Augustinus b)*, *ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Verum, res manifesta efficitur ex divinae Revelationis auctoritate; et ratio ipsa, si modum, quo gratia operatur investigare non potest, id tamen admittere non refugit, quod Deus possit ineffabili modo ita in humanam voluntatem agere, ut, cum vires supernaturales agendi suppeditat, necessitatem tamen voluntati non imponat. Hinc S. *Augustinus* pluribus in locis ad hoc Pelagianorum argumentum respondit, illudque vanum esse ostendit et nullius roboris. *Sicut lex per fidem*, inquit *c)*, *sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed stabilitur: quia nempe gratia sanat voluntatem, qua justitia libere diligatur.* Et iterum *d)*: *Cum potestas datur, non utique necessitas imponitur.* Utrumque ergo verum est: hominem ante omnem gratiam liberum habere arbitrium etiam ad pietatis opera; atque hoc ipso potentiam remotam et vires imperfectas ad bonum volendum atque perficiendum: proximam autem et expeditam potentiam ad bonum in praesenti statu non adesse, nisi gratia adjuvetur voluntas. Quare et S. *Augustinus* optime ait *e)*: *In bono liber* (hoc est, expeditus et solutus) *esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos filius liberavit, tunc vere liberi eritis.*

Objiciunt V. Si homo non posset omnia legis naturalis praecepta servare, haec ipsi essent impossibilia: atqui Deus impossibilia non jubet. Ergo etc.

Resp. dist. maj. Essent impossibilia absque gratiae adjutorio, *conc.*; adjuvante gratia, *nego.* Haec objicientibus Pelagianis res-

a) De gestis Pelagii, cap. ult. n. 66. *b)* Lib. de grat. Chr. cap. XLVII. *c)* Lib. de spirit. et litt. cap. XXX. n. 52. *d)* Ibid. cap. XXXI. n. 54. *e)* De corrept. et grat. cap. 1.

pondit *Augustinus a): Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat! Sed ideo jubet aliqua, quae non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quae orando impetrat, quod lex imperat.* Huc et illud pertinet tam evulgatum ejusdem Patris *b): Non igitur Deus impossibilia jubet: sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis.*

§. II.

De gratiae necessitate relatae ad justos.

OBSERVANDA.

I. Inter ea doctrinae capita, quae priore §° discussa sunt, aliqua reperiuntur, quae nullo modo possunt ad justos pertinere. Nam fides et fidei initium, ac ipse credulitatis affectus, donum gratiae sunt, iis qui ad justitiam se disponunt necessarium, non illis qui gratiam justificationis jam acceperunt, et adscripti sunt in numerum filiorum Dei. Deinde illud argumentum, quod nihil supernaturalis operis possit solis naturae viribus effici, pro injustis quidem valet, qui, si gratiam actualem non habent, nullam habent. At justi gratiam habent in se ipsis manentem, quae, etiamsi nulla gratia actualis accederet, eorum opera ad supernaturalem ordinem elevaret. Unde, quamvis generatim probatum fuerit, gratiam ad omne opus salutare esse necessariam, nullo facto discrimine inter justos et impios; operae pretium est, nunc speciatim investigare, an justis etiam praeter habitualem seu sanctificantem gratiam necessaria sit gratia actualis ad bonum supernaturale operandum. Quidam Theologi, et inter caeteros *Thomassinus* in commentariis de gratia, in ea videntur sententia fuisse, quod justis sanctificans gratia ad peragendum bonum supernaturale sufficiat. Haec, ajunt, est ipsa habitualis charitas, quae nos sursum erigit, ex qua boni affectus et pia desideria tanquam ex sua radice nascuntur. Aut otiosa jacebit charitas illa et iners? An non conjunctam necessario habet delectationem justitiae, quae promptos nos efficit et expeditos ad

a) Lib. de grat. et libero arbit. *b)* De nat. ut grat. CXLIII. n. 50.

omne bonum? Optima quidem haec et minime reprehendenda: verum quaecumque sit illa delectatio, non potest ea esse in ipso actu posita, sed in habitu quodam et propensione, quam illi Theologi *formalem motionem* vocant, cum sit quasi *forma* in anima. Ut ergo actus sequatur, praeter habitum actuali auxilio, *actuali motione* opus est, et quidem supernaturali, ubi id efficimus, quod naturae vires superat.

II. Extra dubium est, hominem non posse omnia peccata declinare sine gratia habituali aut *sanante*, ut S. *Thomas* docet. *In statu naturae corruptae indiget homo gratia habituali sanante naturam ad hoc, quod omnino a peccato abstineat.* At, nunc alia oritur quaestio: an homo hac gratia habituali et sanante instructus, seu an homo justus possit omnia et singula peccata vitare? Id certum est, si de mortalibus agitur; non, quod habitualis gratia sufficiat sine actuali auxilio; sed quia actualis gratia habitualem comitatur, et justus nunquam auxiliis illis destituitur, quibus ad non peccandum indigere potest. Manet igitur de peccatis venialibus controversia. Quaeritur nempe an homo justus cum auxiliis gratiae ordinariis vitam immunem servare possit ab omni veniali peccato?

Nemo dubitat, Deum speciali privilegio aliquem posse ab omni omnino peccato servare immunem; illudque privilegium B. Virgini concessum fuisse expresse tradit *Trident.* sess. VI. Can. XXIII. Ea quoque longe ante Tridentini tempora S. *Augustini* sententia fuit, qui lib. de corrept. et grat. cap. XXXVI. n° 42. hanc materiam pertractans ait: *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccato agitur, haberi volo quaestionem.*

III. Quamvis gratia justificans adeo sit actuosa, ut conjuncta cum actuali auxilio ei attemperato justo vires largiatur sufficientes, ad peccata lethalia non separatim modo, sed etiam universim fugienda: certum tamen est, ex Augustino, Tridentina Synodo et traditione Ecclesiae, justo, ut reipsa salvus fiat, opus esse *speciali perseverantiae dono.* Quod ut clarius fiat, notandum est, duplicem a S. Augustino distingui perseverantiam *a).* Potest homo per aliquod tempus in justitia vivere, et ab ea postmodum

---

a) De dono persev. cap. I.

decidere. Potest etiam in justitia prima vel post lapsum recuperata usque ad finem perseverare. De hac sola, quae *perseverantia absoluta*, *simplex et finalis* dicitur, hic nobis agendum est. — Haec perseverantia finalis iterum in *passivam* et *activam* distinguitur. Passiva est ipsa conjunctio mortis cum statu gratiae: ut cum parvuli statim a suscepto Baptismo moriuntur. Activa est, quando homo, Dei auxilio adjutus, in statu gratiae ad finem usque perseverat.

Perseverantia finalis est gratia specialis, singularis, et solis electis propria, eamque *Trident.* post S. *Augustinum* magnum perseverantiae donum appellat; estque series beneficiorum et auxiliorum Dei, qua in adultis efficitur, ut mundum cum suis amoribus, terroribus et erroribus vincant, et in justitia perseverantes diem extremum obeant. Unde patet, perseverantiae donum non solum in interiore auxilio gratiae consistere, sed etiam in speciali tutela et protectione Dei, qua peccandi occasiones praevertuntur, et tentationes arcentur aut temperantur.

PROPOSITIO I.

Gratia actualis etiam justis necessaria est ad bonum supernaturale operandum.

Prob. *ex Script.* 1.° Omnia illa Scripturae testimonia, quae propositione 1.ª prioris §. allata sunt, generatim probant, gratiae actualis auxilium ad omne opus salutare esse necessarium; et manifestum est, ea ad justos potissimum pertinere, diriguntur enim ad eos qui Christo nomen dederant, et regenerati fuerant salutari lavacro. 2.° Speciatim faciunt ad rem praesentem, quae Christus Joan. XV. ad Apostolos locutus est. *Sicut palmes non potest facere fructus a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Sicut ergo palmes jugi et continuo vitis influxu indiget, ut fructus facere possit; sic justus ope indiget actualis gratiae, ut bonum operetur. Accedit praeceptum orandi etiam justis datum: *Et ne nos inducas in tentationem.* Et illa Christi ad Discipulos adhortatio Matth. XXVI. *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Item illud Apostoli ad Hebr. XIII, 21. *Deus*

pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se per Christum Jesum. Apostolus de justis loquitur, atque ut Deus operetur in illis omne bonum precatur.

Prob. *auctoritate conciliorum et* S. *Augustini.* Concil. Trid. sess. VI. cap. XVI. ostendit, nihil justificatis deesse, quominus vitam aeternam promereri possint. *Cum ille ipse Christus Jesus, tanquam caput in membra et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent. Arausican.* II. Can. IX. sic habet: *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur.* S. *Augustin.* lib. de natura et gratia, cap. XXVI. *Sicut,* inquit, *oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic homo etiam justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.*

Sunt etiam quaedam ex ratione deprompta, quae lucem aliquam affundunt huic materiae. Tale est illud generale principium, facultatem quamcunque, etiam cum habitu conjunctam, dispositionem quidem dare et propensionem ad agendum: in actum autem prodire non posse, nisi actualis motio accedat. Hanc porro motionem necesse est naturae actionis esse attemperatam, naturalem quidem cum naturales exercentur actiones, supernaturalem autem, cum supernaturale efficiendum est opus. Sic corpus, quamvis gravitatem naturaliter habeat et motus recipiendi facultatem, actu tamen non movetur, nisi motio accedat a motore externo. Quod utique ita accipiendum est, ut ratio habeatur discriminis, quod intercedit inter corpora, quae motioni resistere non possunt, et causam actionum liberam, quae huic saepe reluctatur.

PROPOSITIO II.

Nemo absque speciali privilegio omnia peccata etiam venialia vitare potest.

Prob. I. Communis Scripturarum tum V. tum N. T. vox est, neminem esse ab omni omnino peccato liberum,

atque etiam justos, quibus ordinaria gratiae auxilia nunquam desunt, multoties peccare. *Ex veteri Testam.* II *Paralip.* VI, 36. *Non est homo, qui non peccat.* Proverb. XVIII, 17. *Justus prior est accusator sui.* Et cap. XXIV, 16. *Septies cadet justus, et resurget.* Ecclesiastes VII, 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum et non peccet. Ex novo Testam.* Jacobi III, 2. *In multis offendimus omnes.* I Joan. I, 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.*

Probat. II. *Concilium Trident.* sess. VI. Can. XXIII. ita definivit: *Siquis hominem semel justificatum dixerit . . . posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Et S. *August.* lib. de natura et gratia ita disserit contra Pelagium: *Parum attendit, cum sit acutissimus, non frustra etiam justos in oratione dicere: Dimitte nobis debita nostra.*

PROPOSITIO III.

Perseverantia finalis est speciale donum Dei.

Probatur I. Jeremiae XXXII, 40. *Timorem meum dabo in cor eorum, ut a me non recedant.* In haec verba ita scribit *August.* lib. de dono persev. cap. II. *Quod quid aliud est, quam, talis et tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhaereant.* Hic de perseverantia illa agitur, quae activa vocatur, cum Deus per sanctae charitatis inspirationem ita hominem regit, ut non peccet, vel si peccaverit, ut resurgat, atque ut lapsus ipsi cooperentur in bonum, et ad salutem conferant.

Sapient. IV, 10. 11. *Placens Deo factus est dilectus; et vivens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Hic perseverantiae donum in externa providentiae directione ponitur, qua peccandi occasiones removentur ab electis, et ipsi tentationum periculis subducti ex hac vita rapiuntur, cum charitatem habent diffusam in cor-

dibus suis. Huc ea pertinent S. *Augustini* de dono perseverantiae, cap. XVII. *Videte jam a veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perscverantiam usque in finem hujus vitae: cum vitae huic quando voluerit, ipse det finem. Quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem. Sed mirabilior et fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis ... detur haec gratia.*

PROBAT. II. Conc. Trident. sess. VI. Can. XVI. perseverantiam finalem vocat *magnum perseverantiae donum.* Et ibid. Can. XXII. definit: *Siquis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.*

CAPUT SECUNDUM.

Agitur contra eos, qui liberi arbitrii vires destruunt, cum nimium urgent gratiae necessitatem.

OBSERVANDA.

I. Quemadmodum liberum arbitrium nimis inflatum a Pelagianis fuit: sic alii postmodum ita extenuarunt voluntatis humanae vires, ut eam nihil omnino boni moralis efficere posse affirmarent. Imo eo amentiae proruperunt Novatores, ut non tantûm opera, quae sine fide justificante fiunt, peccata esse contenderent, sed ipsos adeo justos in omnibus suis operibus peccare assererent: tametsi faterentur, propter fidem ejusmodi peccata justis non imputari ad culpam.

II. *Bajus* suum circa humanae libertatis ruinam errorem ex Novatorum doctrina hausit. Palmare illius principium est: inter charitatem proprie dictam seu theologicam, et vitiosam cupiditatem nihil esse medium; ex quo consequitur, omnia infidelium opera esse vera et proprie dicta peccata. Item, fidem supernaturalem cum charitate conjunctam, esse primam gratiam; nullum opus bonum supernaturalis ordinis fieri posse sine habituali seu sanctificante gratia: demum, non infidelium modo, sed omnium

peccatorum opera mala esse. Ita fert propositio XXV Baji. *Omnia infidelium opera sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.* Propositio XXXV.: *Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.* Huc et sequentes pertinent inter damnatas, XXVII. *Liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.* Et XXXIII. *Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.* Conf. quae in hist. praedest. de Bajo dicta sunt.

III. Eandem materiam Jansenius fuse tractavit lib. IV., et quamvis nota illi fuerat lata in Bajum censura, ita tamen post longam discussionem sententiam suam aperit cap. XVII. *Insana, error, impietas contraria Christianorum sensui, Scripturis et fidei, quod infidelium sit ulla vera virtus et opera sine peccato.* Janseniam secutus est *Quesnellus*, qui Baji propositiones fere omnes suas fecit, et recudit in suis reflexionibus moralibus, quas Clemens XI. proscripsit constitutione *Unigenitus*, data die 8. Sept. anni 1713.

IV. Probatum est §. II. prioris capitis, etiam justos gratiae actualis auxilio indigere ad bonum supernaturale operandum: nunc et illud quaeritur: An hoc auxilium actualis gratiae etiam illis concedatur, qui adhuc sunt sanctificante gratia exuti; et an ope hujus gratiae possint opus supernaturale efficere, quamvis justi non sint? Item, an in eo statu, in quo nunc versatur humanum genus, homo possit bonum aliquod morale operari solis naturae viribus? Cardinalis *Norisius* in vindiciis Augustinianis §. 4. contendit, ad omne opus bonum naturalis ordinis requiri gratiam supernaturalem. *Vasquesius*, S. J. Theologus, speciale quoddam Dei auxilium exigit, naturalis quidem ordinis, sed naturae lapsae indebitum, et datum ex meritis Christi. Verum communiter docent Theologi cum S. Thoma, sine gratia, et solis naturae viribus, bonum aliquod morale fieri posse.

V. Supersunt duae non prorsus inutiles quaestiones, quae magnam habent cum priori affinitatem: scilicet: An homo lapsus sine gratia et solis naturae viribus possit tentationes vincere, saltem leviores? An Deum super omnia diligere, ut est auctor naturae? De his quoque nec multa dicenda sunt, nec omnino nihil. Notandum 1.° triplici modo superari posse tentationes. α) Cum unum peccatum alio vincitur. Hoc utique non est ten-

tationem dejicere, sed tentatione prosterni. Qui tristem hanc victoriam refert, *in vulnera vulnere surgit*, ut *S. Prosper* ait *a)*. β) Cum tentationi resistitur ex motivo supernaturali et modo ad salutem utili. γ) Cum ex motivo agitur honesto, et qui tentationem vincit, nec peccatum ullum admittit, nec meritum ex victoriâ habet. De hoc solummodo in praesenti disputatur. 2.° Amor Dei alius *supernaturalis* est, *naturalis* alius. Uterque a Theologis iterum distinguitur in *effectivum* et *affectivum*. Primus conjunctus est cum observatione mandatorum Dei. Affectivus est ipse voluntatis affectus in Deum. Dicimur Deum amare super omnia, quando statutum nobis est, omnium rerum ac vitae ipsius dispendium pati potius quam Deum offendere. *Bajus* distinctionem amoris Dei in naturalem et supernaturalem tanquam commentitiam explodit *b)*. Inter Catholicos Theologos quidam putant, Deum per solas nostras vires ab homine lapso amari posse super omnia, non quidem amore *effectivo*, ut ajunt, sed *affectivo*. Id negant alii multo plures, et inter caeteros *Bellarminus c)*.

PROPOSITIO I.

Falsum est, omnia infidelium opera esse peccata, quia fiunt sine fide supernaturali.

Probat. I. Scriptura docet, infideles non omni veritatis luce destitui, inesse in eorum mentibus veri et recti notiones, et quaedam veluti virtutum semina: hinc et quaedam ab ipsis facta esse aut fieri posse laudabilia, quibus adeo divinam sibi benignitatem conciliare possint. Sic Apostol. ad Roman. II, 14. et 15. ait: *Gentes quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt. Ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Manifestum est, de gentibus ibi agi, fidei lumine nondum collustratis. An ergo peccabunt, cum ea quae legis sunt faciunt? Ibid. cap. I. Apostolus gentiles reprehendit: *quia, cum cogno-*

---

a) Carm. de ingratis, cap. 25. *b)* Propos. inter damnatas XXXIV. *c)* Lib. VI. de grat. et libero arbit. cap. VII.

vissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Supponit ergo, in potestate eorum fuisse Deum glorificare, adeoque aliquid boni rectique paragere. Sic Exod. I, 20. laudantur et remunerantur obstetrices Aegyptiacae. Daniel capit. IV. Nabuchodonosorem hortatur, ut peccata sua eleemosynis redimat.

Prob. II. auctoritate SS. Pontificum et S. Augustini. Summi Pontifices *Pius* V., *Gregorius* XIII. et *Urbanus* VIII. proscripserunt hanc Baji propositionem XXV. *Omnia infidelium opera peccata sunt, et Philosophorum virtutes sunt vitia.* Damnatae sunt et aliae ejusdem auctoris, quae hujus XXV. quasi principia sunt et fundamenta, et quae paulo ante a nobis memoratae sunt. Huc et ista propositio pertinet ab Alexandro VIII. proscripta anno 1690. *Necesse est infidelem in omni opere peccare.*

S. *Augustin.* lib. de spiritu et littera cap. XXVII. docet, dari inter opera gentilium quaedam, *quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus.*

Prob. III. *Theologicis rationibus.* Baji et Jansenii sectatores ideo dicunt, infidelium opera esse peccata, quia nullum opus bonum agnoscunt, nisi ab inhabitante Spiritu sancto profectum, seu quia nihil medium esse dicunt inter charitatem et vitiosam cupiditatem. Atqui aperta est hujus principii falsitas tum ex perversis consectariis, quae sponte ex eo profluunt, tum ex Scripturae et Ecclesiae auctoritate. Primum hoc loco breviter probabimus; secundum, cum ea testimonia magis ad peccatores, quam ad infideles pertineant, ad sequentem propositionem remittimus.

Prob. min. I. pars. 1.° Ex illo Jansenianorum principio sequitur, gratiam et charitatem naturae innocenti fuisse debitam; impossibilem esse statum naturae purae; fidem supernaturalem cum charitate conjunctam, primam esse gratiam; nullam concedi gratiam extra Ecclesiam; timorem gehennae vitiosum esse, etc.

2.° Si omnium infidelium opera essent vitiosa, sequeretur, gentilem qui naturali pietate coleret parentes, aut mi-

sericordia motus opem ferret misero, his actibus peccare, et fieri deteriorem, quod ipsa naturalis ratio respuit.

3.° Ex sententia adversariorum sequeretur (quidquid ipsi contra dicant), infidelium opera non tantum in genere mala esse, sed omnia necessario esse peccata mortalia. Nam si charitas non dominatur, juxta eos dominatur cupiditas, et homo finem suum ultimum in creaturis constituit, quae quidem non levis est culpa, sed lethifera.

PROPOSITIO II.

Homo gratia sanctificante destitutus potest opus bonum efficere non naturalis tantum ordinis, sed et supernaturalis, accedente gratiae actualis auxilio.

Prob. I. pars. Ex propositione priore infideles, utique gratia sanctificante destitui, tamen, ut demonstratum est, bona quaedam opera perficere possunt. Ergo etc. Et vero, si ii qui fidem non habent, *quae humanae salutis initium est, fundamentum et radix omnis justificationis a)*; possunt non tantum Deum agnoscere, sed etiam honesta facere et laudabilia: quanto magis de illis id dici poterit, qui fidei lumine illustrati sunt, quamvis adhuc peccatorum vinculis constringantur. Nec obesse potest illud adversariorum principium, ex vitiosa cupiditate esse, quidquid non est ex charitate profectum; hujus enim principii falsitatem satis, quae jam dicta sunt, demonstrant, et quae mox dicenda sunt clarius ostendent.

Prob. II. pars. 1.° Fides Catholica docet dari virtutes Theologicas absque charitate. I ad Cor. XIII. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria haec, major autem est charitas* Trident. sess. VI. Can. XXVIII. definivit: *Siquis dixerit, amissa per peccatum gratia simul et fidem semper amitti, aut fidem quae remanet non esse veram fidem, aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.*

---

a) Trid. sess. VI. cap. VIII.

2.º Scriptura peccatores excitat ad poenitentiam, ut depulso peccato in Dei gratiam restituantur. Ezech. XVIII, 30. *Convertimini, et agite poenitentiam.* Actor, X. *Cornelius* centurio, antequam fidem Christianam edoctus fuit et baptismate ablutus, vocatur: *Vir religiosus, ac timens Deum, faciens eleemosynas.* Accedit Tridentinae Synodi auctoritas. Haec sess. XIV. Can. IV. attritionem, quae ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, vocat donum Dei et Spiritus sancti impulsum, quo poenitens viam sibi ad justitiam parat. Sess. autem VI. de praeparatione loquens ad justificationis gratiam, cap. VI. ait: *Disponuntur ad justitiam, cum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum. Et dum peccatores se esse intelligentes, divinae justitiae timore utiliter concutiuntur etc.*

Dicitur: *Accedente gratiae actualis auxilio.* Siquidem, nihil quod supra naturae ordinem sit, et ad hominis salutem pertineat, sine gratiae actualis auxilio effici posse, cap. I. probatum est. Unde et illud consequitur, etiam homini non justificato concedi gratias actuales proprie dictas. Nam homo sine gratia sanctificante opus bonum efficere potest supernaturalis ordinis (ex propos.), nihil autem boni salutaris sine gratia actuali fieri potest. Ergo etc.

Coroll. *Ergo non omnia peccatorum opera sunt peccata.* Patet 1.º ex propositione.

2.º Ex definitione Concilii Trid. quod sess. VI. Can. VII. ita definivit: *Siquis dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata . . . anathema sit.*

PROPOSITIO III.

Liberum hominis arbitrium non ita est per peccatum attritum, ut homo non possit sine speciali gratiae auxilio bonum aliquod morale efficere; aut leves quasdam tentationes vincere; aut etiam Deum ut auctorem naturae diligere amore aliquo imperfecto et inchoato.

Prob. I. pars. Hanc sententiam docet et tuetur S. *Thomas* 1ª, 2ae quaest. 109. art. 2. «*Natura humana,*

ait, *per peccatum non est totaliter corrupta. Potest etiam in statu naturae corruptae per virtutem suae naturae aliquod bonum particulare agere.* Id dein illustrat exemplo hominis infirmi, qui potest per se aliquem motum habere, quamvis moveri non possit motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinae. Novum huic sententiae robur accedit ex damnatione Bajanarum propositionum. Propositio XXXVII. ita sonat: *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit.* At dicunt, ob censurae acerbitatem tantum, qua Doctores aliquos Catholicos perstringit, proscriptam esse propositionem hanc. Sit igitur et haec ordine XXVII., quae nuda est et simplex absque oppositae sententiae censura. *Liberum arbitrium sine adjutorio Dei nonnisi ad peccandum valet.* Et haec inter Quesnellianas XXXIX. *Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; nihil ardoris, nisi ad se praecipitandum; nihil virium, nisi ad se vulnerandum. Est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.*

Prob. II. pars. Si voluntas ne levissimas quidem tentationes vincere posset sine speciali gratiae adjutorio, sequeretur nullas omnino mansisse in arbitrio vires: at contrarium ex prima parte apparet. Hinc communior est haec nostra sententiae inter Scholae Theologos; et Bellarminus ipse *a*), qui generalem conclusionem posuit: non posse solis naturae viribus ullam veram tentationem superari, ita tamen sententiam suam explicat, ut nostram non impugnet, sed magis tueatur.

Prob. III. pars. Homo potest propriis viribus bonum aliquod morale efficere, ubi nulla gravis pulsat tentatio; potest etiam Deum naturaliter cognoscere ut auctorem naturae et bonorum omnium datorem: unde non videtur, cur non possit amore aliquo erga ipsum affici; homo enim naturaliter amat quod bonum est. Nolumus tamen sententiae subscribere illorum qui existimant, Deum in statu naturae lapsae amari posse *super omnia* amore, uti dicunt, affec-

---

a) De grat. et libero arbitrio lib. V. cap. VII.

tivo, absque speciali gratiae auxilio. Nam amor Dei super omnia est omnium actuum, quos homo elicere potest, perfectissimus; et cum includat vel omnium mandatorum actualem observationem, vel saltem firmum et efficax propositum, omnia praecepta observandi, et superandi omnes difficultates, quae voluntatem a Dei amore deterrere possunt, sequitur quod etiam actus sit omnium difficillimus.

RESPONDETUR AD OBJECTA.

Objiciunt I. Multa sunt tum veteris tum novi Testamenti loca, quae probant, nihil boni reperiri in iis, qui fide et gratia distituti sunt, sed mala esse omnia eorum opera.

Probat. 1.° Ex V. T. Proverb. XV. dicitur: *Sacrificium impiorum abominatio.* Psal. XIII. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* 2.° Ex N. T. Matth. VII, 18. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Rom. XIV, 23. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Quo et illud pertinet Hebr. XI, 6.: *Sine fide impossibile est placere Deo...* et ad Tit. I.: *Omnia munda mundis; coinquinatis autem et infidelibus nihil esse mundum, sed inquinatae sunt eorum mens et conscientia.* Ergo etc.

Resp. nego conseq. Ad I. Alia est sacrificiorum, alio operis cujuscunque moralis ratio. Sacrificia ad Dei cultum pertinent et sunt pars ejus praecipua; Deum autem rite colere non potest, qui eum offendere legem ejus praevaricando non cessat. At opus morale, ut eleemosyna, in pauperem directum, finem alium non habet, quam egenti opem ferre, qui finis in se bonus est et honestus. Verba Psal. XIII., quae etiam allegat Apostol. Rom. III., non significant, neminem esse, qui bonum aliquod morale faciat; sed neminem esse qui juste vivat. Omnes homines in peccato esse et inutiles ad opera salutaria, nisi Dei gratia sanentur et justificentur.

Ad II. Verba Christi Matth. VII. proverbii more dicta sunt; proverbia autem id exprimunt, quod communiter fit. Porro concedimus, sicut infidelitatem, ita et vitiosos peccatorum habitus malas ejusmodi arbores esse, quae nonnisi malos fructus facere possunt. At infidelis non semper ex infidelitate agit, neque peccator semper ex vitioso habitu. Apostolus ad Rom. XIV. nomine fidei, non illam intelligit fidem, qua credimus in Christum, et quae Theolo-

gica vocatur: sed fidem practicam, quae etiam conscientia dicitur. Si alio loco dicitur, sine fide impossipile esse placere Deo, sensus est, hominem sine fide nullum posse supernaturale opus efficere, aut aliquid agere, quo Dei gratiam et amicitiam promereri possit. Ad Tit. I. Apostolus agit de cibis mundis et immundis secundùm legem, de quibus multa tum temporis inter Judaeos ad fidem conversos controversia erat. Ita locum interpretantur *Hieronym. a)*, et *Augustinus b)*. Quodsi quis contendat, illa verba: *Infidelibus nihil est mundum*, de operibus infidelium esse intelligenda, quaerimus, quid ergo significent illa: *Omnia munda mundis.* Non potest haec sententia significare, omnium justorum opera justa esse, cum justi sint, qui dicere jubentur: *Dimitte nobis debita nostra.*

Objic. II. Si qua bona ab infidelibus et peccatoribus effici possent, sequeretur haec bona solis naturae viribus produci posse, sine speciali gratiae auxilio: atqui nihil boni moralis etiam naturalis ordinis sine gratiae adjutorio fieri potest. Ergo etc.

Resp. I. neg. maj. Nemo Catholicorum est, qui non sentiat, meritò proscriptas esse Baji propositiones, quae dicunt, *omnia infidelium opera peccata esse. Omne quoque, quod agit peccator, vel servus peccati, esse peccatum.* Attamen plures sunt, qui nihil boni solis naturae viribus, et solo generali Dei concursu effici posse contendunt; sed ad illud requiri auxilium Dei speciale idque gratuitum. Et alii quidem supernaturalia requirunt auxilia, alii naturalia illa esse existimant. Sed hi omnes simul affirmant, illa Dei auxilia non peccatoribus tantum, sed et infidelibus esse cessa; noluisse Deum post peccatum hominem in nihilum redigere, aut aeternae damnationi addicere; itaque scintillas quasdam pristini luminis et sapientiae velut semina in mentibus reliquisse, quae continuo afflatu foveret.

Resp. II. neg. min. Contrarium propositione III. probatum est.

Objic. III. Quaecunque fiunt ab homine peccatore, inficiuntur et vitiantur a sua causa, tametsi ex genere suo sint bona; exeunt enim a corde inquinato. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Non potest opus inquinari a malitia causae, nisi quando ab hac malitia procedit. Infidelis non semper agit ex infidelitate; neque omnia peccatoris opera ex concupis-

---

a) In commentario. *b)* Lib. XXXI. contra Faustum.

centia nascuntur, quae, ut Jacobus ait *a*), *cum conceperit, parit peccatum.* Ita docet S. *Thomas b*), ita *Bellarminus c*) contra Novatores ratiocinatur. Addit Bellarminus et hoc verissimum: quod, si semper malitia causae aut status agentis vitiaret effectum, oporteret, opus non tantum esse malum, sed in specie malitiam ipsam causae participare. Itaque eleemosyna hominis avari esset mala in specie avaritiae, et jejunium intemperantis esset malum in specie intemperantiae, quae absurdissima sunt.

Objic. IV. Praeceptum Domini est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Deuter. VI, 5. Huic autem praecepto aliud connexum est, referendi omnes actiones suas ad Deum tanquam ad finem ultimum, quod non minus dilucide in Scripturis exprimitur: ut I Cor. X.: *Sive manducatis, sive aliud facitis, omnia in Dei gloriam facite.* Et Coloss. III.: *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Jesu Christi, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum.* Ergo infideles in omnibus actionibus peccant, non ideo quidem, quia omnia eorum opera mala sunt in se et ex natura sua; sed peccant peccato omissionis, quia non agunt ex motivo charitatis, neque actiones suas ad Deum referre possunt, quem ignorant.

Resp. neg. conseq. Haec a recentioribus quibusdam excogitata distinctio mera est cavillatio, qua fucum facere volunt, et Bajanae propositionis damnationem eludere. Quando Ecclesia damnavit hanc propositionem: *Omnia infidelium opera sunt peccata;* illam in sensu Baji intellexit, ac de actionibus ab infidelibus positis locuta est, quibus illi peccarent. Illud praeceptum diligendi Deum, et referendi actiones ad eum tanquam finem ultimum, simul *affirmativum* est et *negativum.* Ut est negativum, jubet ut nihil unquam faciamus, quod sit amori Dei ejusque gloriae contrarium, atque hoc sensu semper et pro quolibet tempore obligat: ut autem affirmativum est, quamvis frequenter obliget, non tamen praecipit, ut quolibet instanti actiones ad Deum referantur actu et explicite. «Non est necesse, ait *Bellarminus d*), omnia referre ad Deum explicite; sed satis est, si «opus referatur ad bonum finem proximum, tum enim per se

---

a) Jacob. cap. I. 15. *b)* I^a II^{ae} quaest. X. art. IV. *c)* De grat. et libero arbitrio lib. V. cap. IX. *d)* Loco citato.

« dirigetur in Deum ut in finem ultimum. Itaque, nisi apponatur circumstantia finis mali, omne opus bonum morale per « se refertur in Deum. »

Nota. Multa alia a Jansenio ejusque discipulis congesta sunt argumenta, imprimis ex S. Augustino, et, qui hunc magistrum secutus est, S. Prospero. Haec utique exponere et diluere in hac compendiata tractatione non possumus. Facile tamen ad loca objecta respondebit, qui statum hujus quaestionis prope intellexerit. Augustino et Prospero cum Pelagianis aut Semipelagianis concertandum erat, qui gratiam ad salutem aut salutis initium necessarium esse negabant. Unde toti erant in asserenda hac gratia supernaturali, sine qua nihil omnino boni supernaturalis effici posse Catholici omnes vehementer affirmant. Quapropter et illud tenendum, actiones infidelium, etiamsi moralem aliquam bonitatem habere possint, tamen meritorias non esse, sed steriles ad vitam aeternam. Porro si illud opponitur Augustini in Enchiridio cap. CXVIII., quo mire gloriantur adversarii: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas* ... facilis est responsio. Agitur enim eo loco de statu hominis habituali, non de singulis ejus actionibus: id autem neque nos negamus, nullum esse medium in homine inter statum gratiae et peccati. At sicut eorum opera, qui in statu habituali justitiae sunt, non semper ex hoc fonte justitiae manant, ita et impiorum non omnia impia sunt opera.

Cf. doctiss. *Tournel.* de gratia quaest. IV. Art. II. III. IV.

PARS TERTIA.

DE EFFICACIA GRATIAE.

Quae nunc sequuntur non minus difficultatis et subtilitatis habent, quam ea, quae de gratiae natura et necessitate diximus. Nihil, in hac parte, certaminis superest cum antiquis et recentioribus Pelagianis, qui gratiae supernaturalis necessitatem pernegant: ut quid enim de gratiae virtute et efficacia disputaremus cum superbis et ingratis hominibus, qui

spreto redemptionis pretio se propriis viribus ad ardua quaeque eniti et vitam aeternam promereri posse contendunt? Id maxime hoc loco agitur, cujusmodi sint ea auxilia, quibus Deus nos adjuvat, tum ut quod bonum est, velimus, tum ut operemur: seu qua ratione Deus ope supernaturalis gratiae agat in hominis voluntatem; an victrice et insuperabili virtute ita voluntatem afficiat, ut haec necessario se ad agendum determinet; vel an homo bonum agendo ita gratia cooperetur, ut potuisset reipsa non operari. Magnam esse vim et efficaciam gratiae omnes Catholici fatentur. At quanta haec sit quaeritur. Haec controversia variis erroribus ac magnis Theologorum concertationibus famosa est; magna igitur opera et diligentia pertractanda, quamvis, quantum fieri potest, succincte. Commode in duo capita dividitur, quae desumuntur ex celeberrima gratiae partitione in efficacem et sufficientem. Itaque 1.° de gratia agemus, quae *efficax* dicitur, quia cum illa voluntas operatur, 2.° de *sufficiente*, quae, quamvis potestatem det operandi, tamen ob defectum voluntatis suo frustratur effectu.

CAPUT PRIMUM.

DE GRATIA EFFICACI.

I. Inter praedestinatianorum errores is imprimis recenseri debet, quod aperte docuerint, liberum arbitrium peccato primi parentis periisse, nullam homini mansisse libere se determinandi facultatem; voluntatem necessario aut gratiae obsequi, aut cupiditati. Distinguunt quidem inter coactionem et necessitatem, et liberum hinc inde vocant hominem eo sensu, quod sponte agat sua, neque cogatur aut violenter trahatur externo motu. Verum quod ad libertatem proprie requiritur, constanter rejiciunt, nempe quod voluntas sub potestate sua habeat bonum et malum, et eligere alterutrum suapte natura queat.

II. Ex hac Novatorum sententia Jansenistarum postmodum systema profluxit, quamquam Jansenius ejusque sectatores nihil non egerint, ut fallaciis et verborum ambagibus controversiam

involverent, aliisque persuaderent, Ecclesiam, cum librum Jansenii proscripsit, falsa erroris imagine deceptam fuisse. At fucum nemini faciunt, qui rem velit absque partium studio examinare. Jansenianus error a Calvini doctrina in re ipsa non differt, utrinque enim libertas, si qua nomine tenus relinquitur, in immunitate a coactione constituitur; utrinque gratia efficax in delectatione ponitur, cui non possit humana voluntas resistere. Crude suam sententiam exposuerunt primi Novatores; multo astutius Janseniani, qui delectatione sua victrici et relative superiori, in qua totius eorum systematis cardo volvitur, pro *absoluta* necessitate *relativam* induxerunt. Non utique ut libertati aliquid tribuerent, quae utraque necessitate destruitur; sed ut viam sibi pararent facilius decipiendi, ac novis subtilitatibus et flexionibus tortuosis subvertendi vias Domini rectas.

Dicunt autem, voluntatem humanam, bilancis adinstar, duobus velut ponderibus huc illuc librari, cupiditate nempe seu delectatione terrena, et charitate seu coelesti delectatione. Hanc vim delectationis relativam vocant, quia semper illa vincit, quae major est comparate ad oppositas sibi vires. Et quemadmodum bilanx in eam partem necessario inclinatur, in qua majus est pondus: ita dicunt, animum necessario delectationem sequi, quae viribus praevaluerit.

Vide historiam Praedestin. Parte II.

III. Haec perversa et ab Ecclesia Catholica reprobata dogmata omnes Theologi Catholici damnant communi consensu: in iis autem quae nullo Ecclesiae judicio definita sunt, et ipsi inter se pugnaciter certant. Nobis tutius videtur extra aciem versari, et hujus certaminis spectatores agere paulisper. Igitur duplici paragrapho, 1.° quae ad fidem pertinent, stabiliemus; 2.° de Theologorum opinionibus pauca dicemus historice.

§. I.

De iis quae fides docet circa gratiae efficaciam.

PROPOSITIO I.

Datur gratia efficax, quae certo et infallibiliter dat velle et operari.

Probatur. Gratia efficax ea dicitur, quae est cum effectu conjuncta, et ita quidem, ut Deus eam concedendo

certus sit effectum secuturum. Atqui dari ejusmodi gratiam certa est et indubitata fidei doctrina, Scripturae aeque ac traditionis auctoritate suffulta. Scripturae bonum opus, ipsamque bene agendi voluntatem Deo attribuunt, Deum ajunt, cor hominis inclinare, quocunque voluerit, dare cor novum, operari in nobis velle et perficere etc. Ezech. XXXVI, 26. 27. *Dabo vobis cor novum, et Spiritum meum ponam in medio vestri . . . et faciam ut in praeceptis meis ambuletis et judicia mea custodiatis.* Prov. XXI. *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini; quocunque voluerit, inclinabit illud.* Philipp. II, 13. *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.* Rom. IX, 16. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ad Hebraeos XIII, 21. *Aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram se per Jesum Christum.*

Patres, qui ante exortam Pelagianam haeresin scripserunt, quamvis, ut S. August. observat *a)*, hanc materiam breviter quibusdam scriptorum suorum locis et transeunter attigerint, passim tamen non necessitatem tantum gratiae, sed ut vim ejus et efficaciam agnoverunt. Inter alios S. *Basilius* ait Epist. 38. ad Gregor. n° 4. *Quodcumque ad nos ex divina potestate venerit, omnia in nobis efficientis gratiae opus esse dicimus.* Innumera sunt ipsius Augustini loca; totus enim est in asserenda gratiae divina et admirabili virtute. *Quis tam impie desipiat,* ait Enchirid. cap. XCVIII., *ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere.* Et lib. de grat. et libero arbit. cap XVI. *Certum est, nos velle cum volumus; sed ille facit, ut velimus bonum . . . Certum est, nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati.*

Aliud argumentum non exigui ponderis desumitur ex publicis Ecclesiae precibus, quae Deum non tantum orat ut gratia sua nos adjuvet, sed ut *faciat nos amare quod*

---

a) Lib. de praedestinat. SS. cap. XIV.

praecipit; ut nostras etiam rebelles compellat voluntates etc. etc. Sed quorsum tot argumenta in re tam aperta, quae a nemine in dubium vocatur? Omnes enim, qui gratiae necessitatem confitentur, vim quoque ejus et efficaciam admittant necesse est; quamvis, in quo ea consistat, non eadem omnes ratione explicent. Unde potius ad eos convertenda est disputatio, qui ita virtutem gratiae extollunt, ut nihil relinquant hominis arbitrio, nisi eo eundi, quo trahitur.

PROPOSITIO II.

Gratia efficax non est necessitas.

Probatur I. Ex Script. Eccl. XXXI, 8. 10. *Beatus dives, qui inventus est sine macula . . . qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit.* Prov. I, 24. *Vocavi et renuistis.* Isaiae V, 4. *Quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? Expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?* Multa ejusmodi in Scripturis tum veteris tum novi Testamenti leguntur, quae necessario supponunt, hominem, cum bonum operatur, non necessitate aliqua compelli, sed gratia praeveniente excitatum libere consentire, ita ut in ipsius potestate sit, etiam pulsante gratia non operari. Quorsum enim tot poenarum comminationes, tot piorum et justorum hominum laudationes, tot vituperationes malorum, tot adhortationes ad virtutem, si hominis non est dirigere viam suam? An frustra dicitur, recepturum unumquemque prout gessit in corpore suo, sive bonum, sive malum? An frustra Apostolus, cum fideles ad tolerandas viriliter afflictiones adhortatus esset (Hebr. XII.), adjunxit: *Propter quod gressus rectos facite pedibus vestris . . . contemplantes, nequis desit gratiae Dei.*

Probat. II. *Concilii Trident. et Sedis Apostolicae decretis.* Tridentinum sess. VI. cap. V. explicans, unde sit justificationis exordium in adultis, declarat illud a Deo ejusque gratia per Jesum Christum sumendum esse, ita tamen *ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil agat, inspirationem illam*

recipiens, quippe qui illam abjicere potest: neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Habemus ejusdem Concilii solemnia decreta, quae libero arbitrio etiam in praesenti naturae statu jura sua vindicant contra impia Novatorum commenta. Can. IV. ejusd. sess. dicitur: *Siquis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet; neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit.* Et Can. V. *Siquis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo ... anathema sit.*

Accedunt iis Synodi decretis Rom. PP. sanctiones: 1.° a Pio V. et Gregorio XIII. damnatae sunt istae propositiones Bajanae: 39: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.* Et 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali* 2.° *Innocentius* X., celebri constitutione contra Jansenii librum edita, tanquam haereticam damnavit hanc propositionem ordine tertiam: *Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Ex hac damnatione facilis est consequentia ad nostram propositionem. Homo justus per opera bona ex gratia efficaci facta vere et proprie meretur; id definivit Trident. sess. VI. Can. XXXII., nec Jansenius ipse diffitetur. Atqui nullum est meritum sine libertate indifferentiae, seu immunitate a simplici necessitate. Ergo gratia efficax non est necessitans.

Prob. III. *Patrum, et imprimis* S. *Augustini, auctoritate.* Haec consentiens semper Patrum doctrina fuit, duo ad actum quemcunque bonum et salutarem concurrere, Dei scilicet gratiam, et hominis liberam voluntatem; atque sine hac libertate hominem nec poena nec proemio dignum esse, praecepta, adhortationes, exempla fore inutilia. — Et horum quidem Patrum testimonia magno numero collecta reperiuntur apud *Petavium, Bellarminum* et alios

Theologos, qui copiosius de hac re scripserunt. Unum tantum aliumve citabimus. S. *Irenaeus* lib. IV. cap. 71. ait: *Qui operantur illud* (bonum), *gloriam et honorem percipient; quoniam operati sunt bonum, cum possent non operari illud. Hi autem, qui illud non operantur, judicium justum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possent operari illud. Tertull.* pluribus locis arbitrii in partem utramque libertatem adstruxit. Lib. II. contra Marcion. cap. V. ita ratiocinatur. *Non poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate; nec rursus comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non et contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur.*

At quoniam haeretici, qui de libero arbitrio perverse docuerunt, omnes *Augustinum* fere nominant suae opinionis auctorem, aliqua ex hoc Patre delibanda censemus, nam multae sunt et variae ejus hac de quaestione disputationes. Certum est, *Augustinum* id unum petiisse a Pelagianis, ut gratiae necessitatem agnoscerent; gratiam autem necessitantem nec a Pelagio petiisse, nec ipsum unquam aguovisse. *Fateatur Pelagius,* ait lib. de natura et grat. cap. X., *sine gratia hominem sine peccato esse non posse* ... et lib. I. de gratia Christi cap. VII. expendens illa Pelagii verba: *Deus gratiae suae auxilium subministrat, ut, quod per liberum hominis facere jubentur arbitrium, facilius implere per gratiam,* statim subjungit: *Tolle facilius, et non solum plenus, sed etiam sanus est sensus.* Caeterum centies ipse testatus est, nullam voluntati necessitatem inferri per gratiam. Epist. 89. quaest. 2. *Liberum arbitrium non ideo tollitur.* Lib. de spiritu et litt. cap. XXXIV. *Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriae voluntatis est.* Et ad Simplician. lib. I. quaest. 2. *Ut velimus, et suum esse voluit et nostrum; suum vocando, nostrum sequendo.* Demum, ut alia praetermittamus, lib. de nat. et grat. cap. LXII., illud valde inculcat, neque solum arbitrium, neque solam gratiam bonum opus efficere, sed utrumque simul, quod et Apostoli insigni testimonio approbat. I ad Cor. XV, 10. *Abundantius omnibus la-*

boravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Quae verba illustrat ... *ait* (Paulus): *Non ego autem, sed gratia Dei mecum;* id est, non solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.

PROPOSITIO III.

Gratiae efficacia non consistit in delectatione relative victrici ad sensum Jansenii.

Argum. I. Probatum est, gratiam, etiam illam quae effectum operatur, nullam voluntati necessitatem inferre. Sed hoc ipso systema victricis delectationis evertitur; in hoc enim sxstema illud situm est, quod voluntas semper et necessario impulsum sequatur majoris delectationis.

Argum. II. Si gratia vim omnem et efficaciam habet a delectatione justitiae relative victrice; intelligi non potest, cur primi homines et angeli in veritate non steterint. Id certe fieri non potuit, quod vis concupiscentiae aut delectationis terrenae esset vehementior; nam summa erat in illo statu justitiae dilectio et delectatio, nulla repugnante carnali concupiscentia. Quod si tum gratiae delectatio victrix non fuit, cum nullus ei concupiscentiae motus adversaretur, si voluntatem innocentem, nulla adhuc peccati labe tactam, non invicte inclinavit: cur post peccatum vim tantam exseret in voluntatem, quam cupiditas ipsa intus exagitat? An delectatio justitiae potentior erit in homine lapso, quam in eo adhuc stante? in natura terrenis affectibus irretita quam in natura sana, innocente et gratiarum donis abundanter perfusa?

Argum. III. Si gratiae efficacia in delectatione justitiae consisteret, sola charitas aut justitiae delectatio motus concupiscentiae frangere posset, et voluntatem inclinare ad bonum: atqui certum est, bona opera non tantum ex coelesti delectatione, sed ex timore etiam aut alio ex fonte oriri. Hinc primi hominis gratia non delectationis tantum et amoris, sed etiam timoris auxilium complexa est. Quodsi autem timor Adamo fuit necessarius, multo magis requiritur post

peccatum: nunc enim durior est anima nostra ad degustandam justitiae dulcedinem, et difficilius frangitur adulta et inveterata concupiscentia, nisi delectationi amoris formido supplicii accedat, ac caeteri affectus in eundem finem conspirent. Inde est quod timor suppliciorum tanquam maxime utilis et efficax ad salutem commendetur in Scripturis. Ecclesiast. I. *Timor Domini expellit peccatum.* Matth. X, 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Psal. CXVIII. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.* Eandem doctrinam ex Traditionis et Scripturae fontibus haustam *Trident. Synodus* tradidit sess. VI. cap. VI. ubi motum timoris inter illas dispositiones recenset, quae ad justificationem disponunt. Sess. XIV. cap. IV. docet, attritionem ex gehennae metu conceptam donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum. Vid. ibid. Can. V. — Neque alia unquam fuit S. *Augustini* sententia, quem temere aeque ac injuriose in partes suas trahere volunt adversarii. Passim enim docet, timorem viam parare charitati *a)*, timorem a peccatis absterrere, vim cupiditatis frangere, et ita vulnerare animum, quomodo medici ferramentum putredinem tollit *b)*. Sic in Psal. CXXVII. ait: *Audiunt haec homines: Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur; et quia vere futura sunt impiis, timent, et continent se a peccato. Jam incipit homo bene vivere. Timent ne mittatur in gehennam: bonus est iste timor, utilis est.*

Argum. IV. Universa Ecclesia subscripsit Constitutioni *Innocentii* X., qua quinque famosae Jansenii propositiones damnatae sunt tanquam haereticae. At concedunt omnes, ne iis quidem dissentientibus qui hactenus defensores fuerunt Jansenii, totum Jansenianae doctrinae caput in una delectatione relative superiore collocandum esse, in qua gratiam efficacem Jansenius ipse collocat; hanc delectationem relative victricem communem fontem esse, ex quo quinque

---

a) De verbis Apost. Serm. XIII. *b)* Tractat. IX. in Epist. Joan.

illae damnatae propositiones tanquam totidem rivuli demanant. V. *Tournel.*, qui hanc materiam fuse lateque pertractat in praelectionibus de grat., T. I. p. 498.

Argum. V. Multa alia sunt quae Janseniano systemati opponi possint. Praecipua indicabimus tantum, ne longior fiat disputatio nostra. Systema delectationis victricis recens est, et a Jansenio primum excogitatum: absurda plurima continet, neque sibi ipsi cohaeret. Nam quod aedificare volunt Janseniani, id destruunt; et quae destruere totis viribus nituntur, magis confirmant. Vim gratiae ita attollunt, ut etiam libertatem auferrant voluntati: attamen monstratum illis est, in eorum systemate ne gratiam quidem admitti posse intrinsece efficacem. Nihil est a quo magis abhorreant, quam ab usu scientiae mediae; attamen ad eam recurrere debent, ut Deus possit certo et infallibiliter praevidere, quis futurus sit gratiae effectus. Hunc enim praevidere non potest in decreto dandae gratiae, cum haec non sit absolute efficax, ejusque effectus a gradibus oppositae concupiscentiae dependeat. Ergo Deus, antequam statuat gratiam victricem conferre, prius explorare debet, quinam futuri sint gradus concupiscentiae in homine, ac dein eam inter alias gratiam eligere, quam vidit concupiscentiae fore superiorem. Sed satis est. Si cui nimia videntur quae diximus, attendat is, quaeso, nos non vanas umbras hic persequi delirantis Philosophiae, neque contra sectam nos disputare jam diu sepultam et oblitteratam. De re agitur ad Theologiam revelatam quam maxime pertinente, et de secta quae vivit ad haec usque tempora, et nihilo descivit a pristino more. Vid. supra citatas doctissimi *Tournelii* praelectiones de gratia, quaest. III. de gratia efficaci, art. II.

OPPOSITIONES.

Dicunt contra II. propositionem. 1.° Scripturae ita vim gratiae exprimunt, ut nihil juris relinquant voluntati. Psal. I. dicitur: *Cor mundum crea in me Deus.* I Corinth. XII. *Qui operatur omnia in nobis.* I Joan. III, 9. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* 2.° SS. Patres et im-

primis S. *August.* gratiam comparant cum opere creationis, cum Incarnatione verbi, cum sanationibus a Christo divina virtute patratis; etc. Ergo etc.

Resp. ad I. Facilis est responsio. Deus in nobis cor mundum creare dicitur, quando peccati maculas abstergit, et ex peccatoribus justos facit: quod quidem solius gratiae opus esse nemo diffitetur. Nam quamvis homo gratia adjutus se praeparare possit ad justitiam; justum tamen se ipsum efficere non potest. Unica causa formalis justificationis, ut *Trident.* docet *a)*, est justitia Dei, qua donati renovamur spiritu mentis nostrae. Locus ex Apostolo desumptus gratiae efficaci optime convenit, necessitantem autem non probat. Deus omnia operatur in nobis, sed non sine nobis. Haec verba S. Joannis: *quoniam semen ipsius in eo manet*, aperte ostendunt, eum non loqui de gratiae actualis auxilio, sed de justitia habituali, qua homo fit filius Dei. Sensus ergo est: qui natus est ex Deo, non potest peccare, saltem lethaliter, quamdiu manet in eo charitas. At potest ex charitate excidere.

Resp. ad II. Notum est, comparationes nunquam posse in omni sensu urgeri. Videndum est, quis scopus fuerit auctoris, et in quo ille punctum comparationis constituerit. Ideo patres ejusmodi comparationibus usi sunt, ut ostenderent, gratiam merum Dei donum esse; ejus effectus esse supernaturalis ordinis; Christum, sicut verbo sanavit aegrotos, ita gratia sua curare vulnera animae; hominem ad novam vitam renasci gratiae sanctificantis infusione; demum non minus nos debere Deo pro donis spiritualibus, quam pro creationis beneficio. Caeterum non est, cur huic discussioni longius immoremur; nam Novatores nunquam veteris Ecclesiae traditionem appellarunt; et *Calvinus* ipse, nihil esse praesidii in Veteribus, soli Augustino inhaerendum, clamitat. Quod autem S. *Augustinus* nunquam crediderit, hominem sub gratiae imperio libertatem amisisse; quod nunquam ex hac parte justificationis nostrae beneficium cum opere creationis comparare voluerit, ex solo hoc ejus testimonio manifestum est, Serm. XV. *Qui te creavit sine te, non salvabit te, sine te.*

Dicunt cont. III. propos. S. *Augustin.* multis in locis docet, gratiae efficaciam in victrici delectatione consistere; ita ut certo

---

a) Sess. VI. cap. VII.

et necessario effectum operetur, quotiescunque gradibus, seu viribus superior est opposita delectatione concupiscentiae. Et quoniam plurima enarrandi tempus non suppeditat, unicum illum locum citabimus, qui in expositione in cap. V. epist. ad Galat. continetur, quo nihil potest clarius et expressius reperiri. *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.* Hic locus, ait Jansenius, aureis meretur scribi characteribus. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Neque nobis licet in hoc coarctato opere, ea, quae ex S. Augustini operibus ab adversariis congeruntur, singillatim discutere. Id egerunt ex nostris viri doctissimi *a)*, et mendacii ac calumniae in tantum Ecclesiae doctorem convicerunt non tantum antiquos reformatores, sed etiam noviores dogmatistas, quibus sub Catholica professione ejusdem est de arbitrii libertate profani dogmatis communio. En quaedam generatim observanda. Certum est, Augustinum cum de arbitrii natura et humana libertate dissereret, a reliquis Patribus et a Catholica ipsa doctrina nunquam recessisse; plura ex ejus libris jam citavimus. Nunc, multo pluribus praetermissis, unum hoc addimus eleganter aeque ac vere dictum, lib. de duab. animabus. *Neque hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem neminem vituperatione suppliciove dignum, qui id non faciat quod facere non potest. Nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poëtae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacris locis, et in orbe terrarum genus humanum?* Siquis porro attenderit, quam longa et gravis illa lucta fuerit, quam S. Augustinus cum gratiae hostibus sustinuit; quantae sint hujus materiae obscuritates, quam difficilis rei omnium abstrusissimae tractatio; huic fucum facere non poterit illa testimoniorum multitudo ex hujus Patris operibus undequaque corasa a viris, qui systema suum non ex Augustino hauserunt, sed in Augustini opera intulerunt, et omne ingenii acumen in id convertunt, ut ejus verba a nativo sensu detorta ad suam sententiam trahant. Ita et Scripturis abutuntur Novatores. Jam diu a doctissimis viris monstratum est, omnia illa S. Augustini loca toto coelo distare a Janseniano errore, idque ex his potissimum capitibus eruunt:

a) Vid. inter alios *Petav.* de opificio sex dierum toto lib. IV. et *Murator.* de ingen. moder. lib. III. cap. VII. et VIII.

1.° S. Augustinus ut plurimum, cum loquitur de gratia efficaci, non dicit, eam non posse respui, sed de facto non respui; aut etiam non posse respui in hypothesi, quod Deus hominem vocare velit eo modo, quo praevidit eum secuturum.

2.° Quae S. Doctor de victrici delectatione justitiae docet, magis de habitu et affectu intelligenda sunt, quam de actibus singulis: nam plerumque quisque ita vivit et operatur, ut affectus est: quamvis illud non semper contingat. Quis autem neget habitualem gratiam, quae est ipsa gratia sanctificans, victricem esse et efficacem vel eo nomine, quod justos efficiat quibus infunditur? Deinde eadem est in Jansenii systemate coelestis delectationis ratio, quae et terrenae; semper enim vincit, quae viribus est superior. At Augustinus clare docet *a)*, pravam consuetudinem, quae utique ex mali delectatione oritur, quemque Christo duce et adjutore superare posse; perspicuum ergo est, quid sentiendum sit de delectatione coelesti.

3.° Cum S. Augustinus ait, hominem necessario id agere quod amplius eum delectat, non loquitur de illa indeliberata et objectiva delectatione, quam Jansenius victricem vocat, quia ait voluntatem necessario eo tendere, quo major haec objecti delectatio rapit; sed delectationem intelligit subjectivam et deliberatam, quae omne id complectitur, quod animum possit movere ad agendum, omne quod voluntas appetit tanquam bonum libera determinatione. Multa sunt ejus in hanc rem testimonia. Num potest aliquid his verbis disertius dici *b)*: *Inter omnia quae delectant, plus te delectet ipsa justitia. Justitia sic te delectet, ut vincat etiam licitas delectationes?*

Quod famosum illud effatum attinet: *Secundum id operemur necesse est, quod amplius nos delectat*, observandum est, aurea illa verba, quae millies Jansenius repetit, a S. Augustino scripta fuisse cum adhuc in Semipelagianismo haereret; ut probant Patres Benedictini in nova operum illius editione. At ipse Jansenius asserit, quae eo tempore conscripta fuerunt, nullius ponderis esse in hac quaestione. Praeterea, quod Janseniani falsum sensum verbis illis affingant, ex iis quae mox a nobis exposita sunt mani-

---

a) De Serm. Domini in monte lib. I. cap. 23. *b)* Serm. CLIX. alias XVII. de verb. Apost.

festum est; quibus et hoc addimus decretorium testimonium ex lib. VIII. Confess. cap. VIII., ubi de se ipso ait S. Doctor: *Non faciebam, quod incomparabili affectu amplius mihi placebat.*

En quo jure adversarii nostri Augustini nomine glorientur! Optime igitur illis olim vir Catholicus respondit, ad librum Jansenii alludens, quem *Augustinus* inscripsit: «Vos contenditis, *Augustinum* totum vestrum esse, et recte dicitis; et vos Augustinum habetis et nos: sed vos *Yprensem*, nos *Hipponensem.*»

§. II.

De Scholarum opinionibus.

OBSERVANDA.

Quaemadmodum Theologi Catholici omnes mire consentiunt, quando de efficacia gratiae in genere agitur; ita dissident inter se et magna animorum contentione pugnant, quando quaeritur, in quo posita sit haec gratiae efficacia, et quomodo ea cum hominis libertate conciliari possit. Quae in humanis opinionibus versantur, libere ventilari possunt, dummodo fides in tuto sit, a qua nec ad dexteram nec ad sinistram licet deflectere. Doctrina Catholica haec est: Deus per gratiam in homine operatur, quidquid vult; nec tamen operatur, quod homo non vult. Agit Deus invicta voluntate in hominem; et tamen nulla homini imponitur necessitas: agit homo plena libertate, eam gratiae obsequitur; et tamen Dei voluntas non vincitur. Forsan melius fuisset in re tam obscura, quae certa et definita sunt credere, in aliis autem fateri ignorantiam, et ad altitudinem consiliorum Dei et investigabiles divinae Sapientiae vias recurrere. Nam si nulla philosophica ratio explicare potest, quomodo voluntas obsequatur rationi; quis nobis aperiet miram illam et ineffabilem vim gratiae, qua Deus, quidquid vult, in nobis certo et infallibiliter operatur, quin libertas patiatur detrimentum.

At quo obscurior haec quaestio est, eo apertior campus patuit Scholarum concertationibus; et vix unquam famosior controversia agitata est inter Theologos. Disputarunt autem primo circa gratiae efficaciam, an ea intrinseca sit gratia, an ab extrinseco desumenda? Deinde circa gratiae efficacis cum libero arbitrio concordiam. Notandum autem, gratiam dici *ab intrinseco* efficacem,

quando infallibilis ejus cum effectu connexio in ipsa gratiae natura fundatur; ita ut non idcirco gratia efficax sit, quod homo velit et faciat; sed idcirco velit et faciat homo, quia gratia efficax est; ab *extrinseco* autem efficacem vocari, quando infallibilis ejus cum effectu connexio non ex gratiae natura repetitur, sed ex aliqua causa gratiae extrinseca, ut v. g. ex praesensione futuri consensus humanae voluntatis. Gratiam ex natura efficacem admittunt *Thomistae* et *Augustiniani*, ab extrinseco efficacem *Molinistae* et *Congruistae*.

Sententia Thomistarum.

Thomistarum sententiam, si non invenit, tamen explicavit uberius et expolivit *Dominicus Bannes*, saeculi XVI. Theologus ex S. Dominici familia. Qui hanc sententiam amplectuntur, ideo *Thomistarum* nomine veniunt, quia se in omnibus S. Thomae vestigia sequi contendunt, et doctrinam tradere, quam a tanto Magistro acceperunt. Quam vere id dicant, aliis examinandum relinquimus. Dicunt autem, quod, sicut ad actus naturales praeter concursum Dei generalem requiratur praemotio physica; ita nihil supernaturalis boni effici possit absque illo gratiae auxilio, quod hominem physice ad actum praedeterminet: ex quo concludunt, gratiae efficaciam in praedeterminatione physica consistere. Porro haec praedeterminatio physica juxta Thomistas ita definiri potest: *Actio Dei, qua voluntatem, priusquam ipsa se determinet, ita ad actum applicat insuperabili virtute, ut homo non possit se non determinare.* Argumenta hujus sententiae petuntur tum ex supremo Dei dominio, quod postulat, ajunt, ut actiones nostrae liberae a Deo pendeant, quantum id fieri potest illaesa nostra libertate: tum ex natura ipsa voluntatis, quae nisi a Deo primo motore ad singulas actiones determinaretur, pensilis maneret et indifferens. Cum haec argumenta omnibus humanae naturae statibus communia sint, fatentur Thomistae, praedeterminationem physicam etiam in statu naturae sanae fuisse necessariam.

Si Thomistis objicitur, libertatem conciliari non posse cum gratia voluntatem physice praedeterminante, illico confugiunt ad distinctionem sensus compositi et divisi. Ideo, dicunt, dissentire non potest, qui est physice derminatus ad actum, quia impossibile est contraria conjungere, et qui semel supponitur ad agendum

determinatus, non potest simul supponi non agere, quamvis veram habeat non agendi potentiam. Id quidem negari non potest, si homo supponatur libera electione determinatus ad agendum, tum enim ut non agere non possit, ipsa libera sua determinatione effecit: at si ad agendum physice praedeterminatus supponitur, profectu nullus libertati relinquitur locus. Haec quoque Thomistarum sententiae impingitur non levis criminatio, quod Deum auctorem faciat peccati. Respondent quidem, nihil hic objici posse, quod non in illum etiam Dei concursum caderet, quem nemo negat ad omnes hominis actiones esse necessarium. Sed discrimen est. Concursus, quem Scholae admittunt, universale aliquod auxilium est, sine quo non posset homo nec velle nec agere; praedeterminatio autem ad singulos actus datur, estque motio specialis, vi cujus Deus efficit ut invincibiliter operemur. Deinde concursus Dei generalis ex se est plane indifferens, et voluntatem adeo non determinat, ut ab hac potius determinetur; unde difformitas actionis tota in voluntatem refunditur. At si praedeterminatio physica ad singulos actus admittitur, jam defectus, siqui sunt in actione, non aliunde quam ex primo movente duci possunt.

Accedit et hoc argumentum; quod S. Augustinus lib. XII. de correptione et gratia accurate gratiam, quae electis in hoc reparatae naturae statu ad perseverandum conceditur, ab illa distinguat, quae Adamo concessa fuerat et Angelis; in sententia autem Thomistarum tollatur hoc discrimen, et gratia praedeterminans non minus homini stanti necessaria fuisset quam lapso.

Augustinianorum sententia.

Sententia Augustinianorum est ipsum systema Jansenii emollitum et a labe haeresis purgatum. Nam voluntatem dicunt delectationi, quae gradibus superior est, semper quidem obsequi, sed non obsequi necessario. Sic autem sententiam suam explicant: voluntas necessario appetit bonum, neque bonum, sive verum illud sit, sive apparens, appetere potest, nisi ad illud suaviter afficiatur. Hinc Ecclesia, ne malum sub specie boni arripiamus, continuo orare nos jubet: *Inclina cor meum Deus in testimonia tua. Da populis tuis id amare quod praecipis, id desiderare quod promittis* etc. Ergo, cum aliunde notum sit, nihil boni supernaturalis fieri posse sine gratia praeveniente, et voluntas non eligat, nisi quod

suavitate sua eam allicit, recte concluditur, gratiam efficacem in delectatione praeveniente simul et victrice esse reponendam.

In hac quoque sententia gratia admittitur ex se, et propria sua virtute efficax; verum quis locus relinquatur libertati difficile intelligitur. Augustiniani, ut hac se difficultate expediant, dicunt, se delectationem admittere moraliter tantum determinantem. Impossibile quidem esse non agere, quando voluntas victrici delectatione ad agendum inclinatur; sed hanc impossibilitatem pariter moralem tantum esse, non physicam et absolutam. Nos, quibus constitutum est, ejusmodi quaestionibus non diutius quam necesse est immorari, hoc unum Augustinianis ratiocinium opponimus: victrix illa delectatio debet esse medium, in quo Deus creatae voluntatis consensum praevideat. Ergo, cum praescientia Dei sit in summo gradu infallibilis; illa etiam delectatio, ut idoneum esse posset summae infallibilitatis fundamentum, cum effectu connexa esse deberet, non morali tantum, sed et physica et absoluta necessitate.

Sententia Molinistarum.

Contrariam omnino viam ingressi sunt *Molinistae*, quorum haec sententia est: unam et eandem esse gratiae *sufficientis* et *efficacis* naturam; a nostro arbitrio et libero consensu pendere, ut consentientibus nobis efficax fiat, aut inefficax sit nobis dissentientibus. Sed nunc ad illud respondendum, quod in hac causa praecipuum est: quomodo, si gratiae efficacia a libera voluntatis assensione dependeat, fieri tamen possit, ut Deus, quae vult, in nobis infallibiliter operetur, illudque futurum praevideat certa et infallibili cognitione. In promptu est Molinistarum responsio: nam ope scientiae illius, quam *mediam* vocant, tam clare explicant nodum, ut multos non parum ipsa solutionis claritas offendat. Deus, inquiunt, primum per scientiam rerum sub conditione futurarum videt, quem haec aut illa gratia effectum habitura sit in homine, si detur; deinde ponit decretum talem largiendi gratiam, cum qua praevidet consensuram voluntatem. Quae ita conceditur gratia, efficax est, et tam certum est, eam effectum habituram, quam certum est, falli non posse Dei praescientiam.

Contra scientiam mediam *a)*, et totum Molinae systema *de concordia gratiae et liberi arbitrii*, quod in hac scientia radicatum

a) Vid. sup. dicta lib. I. cap. III. art. II. §. II.

et fundatum est, adversarii surrexerunt multi et acerrimi, qui ferventius quam par erat novam, ut dicebant, doctrinam aggressi sunt, ac si praesens immineret Christianae fidei periculum. Res ad sedem Apostolicam delata. Inde famosae congregationes *de auxiliis* sub Clemente VIII. et Paulo V. in quibus haec quaestio magno animorum aestu diu agitata est inter Dominicanos et Jesuitas. Tandem Paulus V. anno 1606 disputationibus finem imponens jussit, ut utraque sententia libere in scholis doceretur, donec aliud a sancta Sede fuerit decretum; hac tamen lege, ut neutra pars alteram censuris et injuriis lacessat. Hoc Pauli V. decretum ab aliis dein Pontificibus fuit renovatum. Longe igitur absunt ab Ecclesiae sensu, qui propriae opinionis defendendae ardore abrepti contrariam sententiam haeresis insimulant; ut dum Molinistae Pelagiani, Thomistae Praedestinatiani vocantur. Molinistae nunquam negarunt, gratiam a Deo ipso vim illam et efficaciam habere, qua voluntatem ad agendum excitat, et in agendo adjuvat; quamvis in actu secundo, ut dicitur, efficax efficiatur per liberum voluntatis consensum. Insuper semper admiserunt necessitatem interioris gratiae ad singulos actus, qua non tantum intellectus illustretur, sed et voluntas moveri et roborari indigeat, quam si agnovissent Pelagiani, nulla inter eos et S. Augustinum de adjutorio gratiae controversia fuisset.

Haec quidem, quamvis haeresis maculam abstergant a Molinistarum systemate, non potuerunt tamen omnem adversantium partium invidiam restinguere. Imprimis gratiae ex se efficacis propugnatores multos Scripturae et SS. Patrum textus opponunt, qui gratiae efficacis virtutem mirifice extollunt, eamque videntur in intrinseca quadam vi et energia collocare, qua voluntas ad bonum infallibiliter inclinatur. Quomodo, inquiunt, illud Apostoli explicabunt Molinae sectatores: *Deus operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate?* Non ait Apostolus, Deum id operari in nobis, *ut velle possimus*, quod proprium est gratiae sufficientis; *sed ipsum velle et perficere.* Alia adhuc multa congerunt, quae diluere forsan non esset adeo difficile. Sed hoc muneris nostri non est, neque ope nostra indigent Molinistae, qui contendunt, se posse omnes objectionum rivulos unius scientiae mediae sole siccare.

Sententia Congruistarum.

Inter oppositas partes mediam, atque ideo certiorem tutioremque viam invenisse sibi visus est *Suaresius*, nobilis ex Societate Jesu Theologus. Qui eum secuti sunt, *Congruistae* vocantur; quia efficaciam gratiae ponunt in contemperatione quadam et congruitate cum internis animi affectibus. Non omnes eodem modo suam sententiam explicant, si tamen explicant, et non magis involvunt quaestionem, nam post aliquas verborum ambages iterum in unam aut aliam ex illis partibus incurrunt, quas devitare conati sunt. Gratiae, quas Deus homini largitur, inquiunt, tales non sunt ex se, ut repudiari non possint: verum nunquam desunt Deo gratiae auxilia, quae hominis statui ita sunt attemperata, ut Deus ea largiendo voluntatem certo ad suum inflectat imperium, et per eam ipsam, quae voluerit, operetur. Porro gratiae congruitatem admittunt, non *consequentem*, quae jam supponit liberum voluntatis consensum conditionate praevisum; sed *antecedentem*, quae petitur ex intrinsecis gratiae dotibus, ex ejus intentione, suavitate, contemperatione cum ingenio, indole, et affectibus in voluntate dominantibus. Nobis videtur, 1.° ejusmodi gratiam vere esse ex eo, id est ex sua natura efficacem. Quid enim est gratia ex se efficax nisi, quae antecedenter ad praevisum voluntatis consensum certo et infallibiliter effectum est habitura? 2.° Non differre hanc sententiam ab ea, quae efficaciam gratiae reponit in morali praemotione, seu delectatione moraliter victrice, unde et iisdem, quibus illa, difficultatibus premitur. Redit enim hic idem argumentum, quod supra contra Augustinianos urgeri posse ostendimus; scilicet congruitatem illam, quaecunque illa sit, non ita infallibiliter producere effectum, ut possit esse idoneum fundamentum praescientiae divinae, quae quidquid futurum est, non morali tantum, sed absoluta et metaphysica certitudine praenoscit.

His facillime se expediunt omnes illi, qui scientiam mediam in subsidium vocant suae sententiae. Dicunt autem, Deum non tantum videre, eam esse gratiae cum humana voluntate congruitatem, ut moraliter certum sit, effectum esse secuturum; sed etiam praevidere per scientiam mediam, hominem revera consensurum huic gratiae, si detur. Ita omnis difficultas tollitur; ita Deus dici potest effectum consequi absoluta et infallibili certitu-

dine, quamvis ex ipsius gratiae efficacia aut congruitate moralis tantum certitudo nascatur. Cum Augustinianorum systema eodem quo illud Congruistarum malo laboret, eodem etiam posset remedio curari. En, quantus sit usus scientiae mediae! Est ergo etiam medicina.

Sed praestat finem imponere huic materiae; quippe nullas nobis in hac controversia partes esse, initio professi sumus. Sufficit, si ea in tuto collocata sint, quae ad fidem Catholicam dignoscuntur pertinere. Siquis plura desiderat, et ad discutiendas diligentius Theologorum sententias se physice praedeterminatum, aut victrici delectatione impulsum sentiat, consulere poterit Theologos, qui rem fusius uberiusque tractarunt.

CAPUT SECUNDUM.

DE GRATIA SUFFICIENTE.

OBSERVANDA.

I. Eadem fere est hujus quaestionis quam prioris tractandae ratio; ita enim sibi intime connexae sunt, ut qui in una erraverit, in altera necessario offendat. Novatores qui gratiae vim tribuunt invincibilem, cui voluntas reluctari non possit, gratiam sufficientem prorsus repudiant. « Deus ... voluntatem movet, ait « Calvinus *a)*, non qualiter multis saeculis traditum est et cre- « ditum, ut nostrae postea sit electionis, motioni aut obtempe- « rare aut refragari; sed illam efficiendo. Illud ergo toties a « Chrysostomo repetitum repudiari necesse est: *Quem trahit*, « *volentem trahit.* » Sic et Synodus Dordracena. « Distinctio illa « gratiae in sufficientem et efficacem minime nobis probatur. « Retineant eam sibi Bellarminus et Arminius: quoscunque enim « Spiritus sanctus trahit, illis non tantum dat posse currere, sed « etiam ut reipsa currant. » — Calvini vestigia premunt Jansenistiani, qui omnem quoque gratiam pure sufficientem auferunt. Idque necessario fluit ex systemate victricis delectationis. Unde Jansenius, postquam illud docuerat, quod totius systematis summam constituit, nempe hominem necessario operari bonum aut

a) Lib. II. Institut. cap. XIII. n. 10.

malum, prout aut terrena aut coelestis delectatio vim suam victricem exserit in voluntatem, haec addit *b)*: «Sed, utrumlibet « fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax, vel ita inefficax, « ex qua operatio nequidem possit sequi, nisi ejus inefficacia « per aliam suppleatur.» Unde bene notandum, in sensu Jansenii gratiam quidem destingui in efficacem et inefficacem, non autem in efficacem et sufficientem. Non semper vincit gratia; et quae non vincit inefficax est, at minime sufficiens. Haec gratia, quam etiam parvam vocat, operatur quidquid operari potest; sed vires non dat sufficientes ad bonum, neque fieri potest ut effectum consequatur, nisi novae gratiae accessione convalescat, et vires acquirat delectationi oppositae superiores.

II. Theologi Catholici omnes gratiam necessitantem respuunt, et communi consensu docent, manere cum gratia efficaci liberum voluntatis consensum. Inde consequitur, eos gratiam sufficientem admittere, hac enim sublata homo necessario ageret, cum non haberet vires sufficientes ad oppositum. Qua nunc ratione gratia possit dici sufficiens, qua ratione ab efficaci differat, diverso modo ab illis exponitur, pro sententiae quam circa gratiae efficaciam sequuntur diversitate. De his superiore cap. locuti sumus, unde plura dicere superfluum est. Haec tantum addere liceat, quae *Thomistarum* sententiam spectant; et quae difficile non erit, mutatis quibusdam vocabulis, ad eorum, qui *Augustiniani* vocantur, doctrinam applicare. Neminem credo tantae esse perspicacitatis, ut, quae illi de gratia efficaci et sufficiente docent, mente assequi valeat. Quis enim intelligat, eam gratiam sufficientem vocari posse, quae revera non sufficit, siquidem, fatentibus Thomistis, effectum non consequitur, nisi accedat gratia efficax physice promovens? An non rectius insufficiens diceretur, quae suo semper fraudatur effectu, et ideo fraudatur, quia vires non tribuit ad bonum operandum sufficientes? Neque ista inter se cohaerent, quod auxilium ejusmodi, quod ad actum non sufficit, sufficiat tamen ad culpam: quod ii qui gratiam ad implendum praeceptum necessarium non habent, illud tamen implere valeant, et rei sint nisi impleant. Quemadmodum, quod ii qui vi insuperabili praedeterminantis gratiae aguntur, possint tamen resistere, et hoc ipso praemium mereantur, quod non obsistant. — Sed de his satis est.

Quoniam ergo nihil de Theologorum sententiis dicendum supersit, Novatorum quoque et Jansenistarum perversi errores a nobis confutati sint superiori capite, totam hanc quaestionem unica propositione absolvemus.

PROPOSITIO.

Datur gratia vere et proprie sufficiens.

Prob. I. *ex Scripturis.* Deus Judaeorum gentem vineae similitudine adumbrans ait Isaiae V, 3. 4. *Judicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? Expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas.* Proverb. I, 24. *Vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui acciperet; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.* Actor. VII, 51. *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus vos semper Spiritui sancto resistitis.* II Corinth. VI. *Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Apocal. III, 20. Dominus ait: *Ecce sto ad ostium et pulso; siquis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Ex his aliisque Scripturarum testimoniis perspicuum est, Deum multa conferre hominibus gratiae auxilia, quibus adjuti poenitentiam agere possent, et fructus ferre bonorum operum et vitam Deo gratam instituere; quamvis haec auxilia saepe effectum non consequantur, quia gratiae reluctatur voluntas. En ergo gratias, quae dant vires ad bonum sufficientes, quin tamen bonum efficiant.

Prob. II. *ex Ecclesiae decisionibus.* Arausicanum II. anno 529. Can. XXV. ita statuit. *Hoc secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint adimplere.* Ab Innocentio X. et Alexandro VII. proscripta et tanquam haeretica damnata est ista Janseniana propositio ordine II. *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.* Hic aperte capitalis ille Jansenianorum error perstringitur, quod gratia

omnis sit efficax, quod semper id omne efficiat, ad quod efficiendum a Deo datur; ex quo sequitur, nunquam illi humanam resistere voluntatem.

Probat. III. *S. August. auctoritate.* Nullius potest esse in hac causa major et ponderosior auctoritas, quam *S. Augustini.* Sed ille multis in locis hanc gratiam adstruit, quae sufficit ut vocatus veniat, et quae tamen respuitur. Huc omnia illa pertinent quae supra citata sunt *a).* Nam qui dicit liberi arbitrii esse, gratiae consentire vel ab ea dissentire, is hoc ipso gratiam adstruit sufficientem. Hanc ita agnoscit *August.*, ut etiam rationibus confirmet, quarum praecipua haec est, quod praecepta Dei nec utilia nec justa forent, neque poena dignus haberi posset qui ea violaret, nisi gratia adesset, quae vires daret relative sufficientes. Sic in Psalm. XCI. ait: *Non cessat satanas suadere malum, sed non cessat Deus admonere bonum. Satanas autem non cogit invitum; in tua potestate est consentire aut non consentire.* Et libro III. de libero arbitrio cap. XVI. n. 45. *Ex eo quod non accepit, nullus reus est; ex eo vero quod non facit quod debet, juste reus est: debet autem, si accepit et voluntatem liberam et sufficientissimam facultatem.*

CAVILLATIONES QUAEDAM ADVERSARIORUM.

Dicunt I. Gratia sufficiens est inutilis et perniciosa; 1.° quidem inutilis, quia nunquam sortitur effectum; 2.° perniciosa, quia ad hoc unum servit, ut hominem reum efficiat, et in culpam conjiciat graviorem. Ergo etc.

Resp. Si gratia sufficiens effectum non sortitur, illud contingit ex vitio voluntatis libere renitentis. Vitium in homine est, non in gratia, quae dat potentiam agendi expeditam, et vires operi ponendo pares; neque necessario effectu suo destituitur; sed ideo datur, ut fructus exserat bonorum operum. Hinc omnes Theologi in eo cenveniunt, quod gratia sufficiens Dei donum sit, cum magna salutis utilitate conjunctum. Omnes tanquam impiam blasphemiam repudiant illam Jansenii sententiam, quae ait, gratiam sufficientem talem esse, ut velit daemon eam hominibus

a) Hac parte III. cap. I. §. I. prop. II.

dari. Omnes quoque sequentem propositionem damnant, ab *Alexandro* VIII. proscriptam: *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est; sic ut merito possimus dicere: A gratia sufficiente libera nos, Domine.*

Dicunt II. Gratiae sufficientis assertores nunquam explicare poterunt, in quo ejus utilitas consistat, aut quid demum sit haec gratia. Sunt enim inter illos non pauci, qui mentem suam ita explicant, ut diceres, gratiam sufficientem eam esse, quae non sufficit; aut ideo sufficientem dici posse ad agendum, quia semper dat posse agere, sed nunquam dat agere; quod prorsus absonum est et monstro quid simile. Ergo etc.

Resp. Nos, cum doctrinam Catholicam defendendam suscepimus, nulli nos addiximus Scholarum sententiae. Maximam esse gratiae sufficientis utilitatem omnino persuasum nobis est omnibusque Catholicis, quamvis non eodem omnes modo rem explicent. Illud ergo quod adversariis tam ridiculum videtur et absonum, non cadit in dogma Catholicum, sed forsan in Theologorum quorumdam sententiam, quam et nos jam supra sibilavimus *a)*. Quamvis illi etiam Theologi gratiae sufficientis quasdam afferant utilitates. Dicunt, eam movere ad bonum, effiicere ut homo non sine metu malus sit, ut in ipso peccato suam infirmitatem agnoscat etc., quae nescio an non etiam Janseniani parvae suae gratiae tribuant. Demum, ubi nullae amplius explicationes suppetunt, ad mysterium confugiunt, dicentes, se altius Dei consilium ignorare. At nos, qui Catholicae fidei mysteria cum humili obsequio amplectimur, scholastica mysteria adorare nondum didicimus.

Qui Molinae sententiam sequuntur, hic triumphos agunt, et fortassis nulla ex parte eorum systema magis humanae rationi arridet; nam, cum juxta eos gratia sufficiens ex natura sua nihil differat ab efficaci, consequens est, eam non alia ratione effectu carere, quam quod voluntas eam, hoc ipso quod consentit, ex sufficiente reddat efficacem. Ex quo etiam summa hujus gratiae utilitas innotescit, cum omnis gratia primum sufficiens esse debeat, ut possit, accedente voluntatis consensu, in efficacem transire.

---

a) Hoc cap. observ. II.

Instant. Si illae Theologorum sententiae merito exploduntur, quia novas mysterio tenebras offundunt; non minus repellendum est Molinistarum systema, quod temerario ausu explicare praesumit profundissima divinae sapientiae arcana, et cum humanae rationis superbiam nutrit, ipsum gratiae mysterium destruit. Manent ergo quae prius objecta sunt; explicari non posse quid sit haec gratia sufficiens et quae sit ejus utilitas.

Resp. Manet etiam illud jam saepe a nobis observatum, non posse negari, quae certa sunt, quia non possunt explicari quae obscura sunt. Contingit hic quod in aliis omnibus Religionis mysteriis; rem novimus, modum non novimus. Dari gratiam vere et proprie sufficientem, tam certum nobis est, quam certum nobis est dari efficacem gratiam; quamvis quomodo utraque operetur in nobis, et qua ratione differant inter se, explicatu sit admodum difficile. Caeterum persuasum nobis est, vanam esse illam quorumdam criminationem, quod Molinistae mysterium destruant, et plana ac aperta reddere velint rationi humanae, quae Apostolus vocat incomprehensibilia judicia Dei, et investigabiles vias ejus. Nam ipsi libenter suam fatentur ignorantiam, ubi Paulus et Augustinus nihil se scire confessi sunt, etiamsi faciliori via sciant libertatem conciliare gratiae. Aut (ut alia hoc loco praeteream) an non hoc ipsum incomprehensibile est divinae sapientiae arcanum, quod huic illae subministrentur gratiae, quibus Deus praevidet voluntatem consensuram, alteri autem ejusmodi auxilia dentur, quae Deus scit effectum non fore consecutura? Sed de his recurret dicendi occasio.

PARS QUARTA.

DE GRATIAE DISTRIBUTIONE.

Supersunt hujus libri, qui de gratia Christi inscribitur, quaedam non exigui momenti capita, quae praetermitti non possunt in dogmatica hujus materiae tractatione. Ea in hac quarta parte, quantum fieri potest, breviter absolvemus. Omnia, ut nobis videtur, commode ad haec tria referri

possunt: Quaeritur 1.° An gratia secundum merita detur? 2.° An omnibus detur? 3.° An omnibus aequaliter detur?

CAPUT PRIMUM.

AN GRATIA SECUNDUM MERITA DETUR.

OBSERVANDA.

I. *Meritum* hoc loco in bonam partem accipimus pro consecutione juris aut tituli cujusdam ad praemium. Meritum, ut jam supra observatum est, a Theologis aliud dicitur *de congruo*, aliud *de condigno*. Illud est actio libera et Deo accepta, cui merces debetur ex aliqua convenientia aut congruitate. Meritum *de condigno*, quod simpliciter et proprie meritum dicitur, est illud quod jus tribuit ad mercedem, sive dein jus illud ex sola Dei promissione derivetur, sive ex operum quae ex gratia demanant dignitate, sive ex utroque simul.

II. Conditiones veri et proprie dicti meriti hae passim numerantur. 1.° *Ut qui meretur, idem sit justus et adoptatus in filium Dei.* Id satis manifeste docet Conc. Trid. sess. VI. cap. XVI., ubi ait, vitam aeternam esse gratiam, misericorditer *filiis Dei* promissam per Christum. Et Christus ipse Joann. XVI.: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; ita nec vos, nisi in me manseritis.* 2.° *Ut sit liber;* quis enim mereri potest in eo, quod necessario agit? Scriptura illum praedicat beatum, *qui potuit transgredi, et non est transgressus.* 2.° *Ut sit viator.* Ad Galat. VI.: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* 4.° *Ut opus sit bonum, nam quae mala sunt, non coronat Deus*, ait Augustin. *a).* Non autem sufficit rectitudo aliqua naturalis operis, sed necesse est, ut supernaturalis gratiae sit effectus. 5.° Demum requiritur ex parte Dei *promissio mercedis. Debitorem ipse fecit se*, inquit Augustin. *b)*, *non accipiendo, sed promittendo.* Opera nostra, quamvis bona, non habent cum aeterna mercede aequalitatem. *Non sunt condignae passiones hujus*

---

a) De grat. et libero arbit cap. VI. *b)* In Psal. LXXXIII.

temporis ad futuram gloriam, ait Apostol. Rom. VIII. Omnes autem hominis actiones multiplici ratione Deo sunt debitae.

Ad meritum *de congruo* vulgo requirunt Theologi, 1.° *ut qui meretur sit viator*, 2.° *ut actus sit liber*, 3.° *ut sit ex gratia supernaturali elicitus*. At statum justitiae non exigunt; quia actus peccatoris nondum justificati ad impetrandam justitiam disponit; neque etiam promissionem Dei; sufficit enim aliqua actus ad rem obtinendam congruentia.

III. Haec ad meliorem hujus quaestionis intelligentiam praemittenda putavimus; nunc status ipse controversiae breviter exponendus est. Ac primo quidem, in eo Catholici omnes consentiunt, quod gratia non secundum merita detur; id enim prae caeteris ad ipsam gratiae naturam pertinere, ab initio monuimus. Hanc fidem Ecclesia constanter tenuit; hanc contra Pelagianos et Semipelagianos strenue defendit S. *Augustinus*. Hanc iterum Tridentina Synodus professa est, cum sess. VI. cap. VIII. declarat: *Gratis justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur*. Quid ergo? Itane nihil mereri poterit Christianus? Qua ergo ratione illud intelligendum est, quod duce eadem S. Synodo Catholici omnes profitentur, hominem justificatum vere mereri tum augmentum gratiae in hac vita, tum gloriam in coelo aeternam, et hujus quoque gloriae augmentum? Minime haec pugnant inter se. Nam, ut dictum est, nihil eorum, quae justificationem praecedunt, nec ipsa justificatio promereri potest; quae autem post justificationem fiunt bona opera, ex gratia proficiscuntur, et vim merendi ex gratia habent; quod pulchre ita explicat Augustinus *a)*: *Vita etiam aeterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, ab Apostolo tamen gratia nuncupatur; nec ideo, quia meritis non datur; sed quia data sunt ipsa merita, quibus datur*. Sic gratiae augmentum quod bonis operibus promeretur, nihilominus donum est Dei gratuitum, quia merita, quibus tribuitur, ipsa sunt gratiae dona. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia*. Joan. I, 16. Huc et illud pertinet *Concilii Trident.* sess. VI. cap. XVI.: *Ita neque propria nostra justitia tanquam ex nobis propria sta-*

a) Epist. CXCIV. al. CV. n. 19.

tuitur, neque ignoratur aut repudiatur justitia Dei: quae enim justitia nostra dicitur, quia per illam nobis inhaerentem justificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum. Et iterum ibid.: *Absit tamen, ut Christianus homo in se ipso vel confidat vel glorietur, et non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona.*

IV. In nulla forsan materia majore cautione opus est, ut ea, quae objectum fidei sunt, probe secernantur ab opinionibus liberis Scholarum. Quod primum attinet, an gratia ante omnia hominis merita detur, notandum est Theologos quosdam, et inter alios *Molinam*, docuisse, opera moraliter bona, quamvis rationem veri meriti non habeant, hominem tamen disponere ad primam gratiam, non quidem per se, sed per accidens, ex pacto nimirum quod Deus Pater iniit cum Christo, conferendi eam ex mera liberalitate *facienti, quod in se est, ex viribus naturae.* Haec sententia a multis et ab ipso Clero Gallicano anno 1700 notata tanquam falsa et temeraria: non potest tamen dogmati contraria dici, neque proscripta fuit ab Ecclesia. Multo magis dissentiunt Theologi, quando quaeritur, an mereri possint justi per opera ex gratia facta? Intacta hic quoque fides, intacta Patrum traditio. Dari merita, concedunt omnes; sed disputant, sitne meritum justorum dicendum ex condigno, an ex congruo? sitne condignum ratione promissionis tantum, an etiam ratione operis? An omnia justorum opera sint vitae aeternae meritoria, an ea tantum quae ex charitate fiunt? An justus possit mereri pro aliis quocunque merito? Haec ergo aliaque ejus generis, cum sint inter Theologos controversa, non possunt ad fidem pertinere, neque necesse est de iis cum heterodoxis contendere. Nobis quidem videtur multo probabilius asseri posse, bona justorum opera mereri *de condigno*; inesse in operibus ipsis, quatenus ex gratia proficiscuntur, dignitatem quae jam rationem aliquam meriti habet; tametsi jus proprium retributionis ex sola Dei promissione et liberalitate profluat; item justum non operibus charitatis solum, sed et aliis ex gratia factis mereri vitam aeternam. — Verum contraria sentientes non impugnamus; neque mens nobis est aliis opinionem nostram obtrudere, ubi Ecclesia suum cuique judicium

permisit. Vid. *Francisc. Veronii* regulam fidei, cap. II. §. I. *De meritis gratiae et gloriae.*

V. Locus nunc esset, de heterodoxorum sententiis quaedam disserere. Sed haeret animus. Quorum ergo, aut cujus sententiam afferemus? An eorum qui auctores fuerunt novellae religionis? An eorum qui post eos secuti sunt? An recentiorum? Notum est, in omnibus fere partibus, atque in iis potissimum quae ad gratiam pertinent, a patribus penitus deflexisse filios. Hi enim plerique Pelagiani sunt, si tamen sunt aliquid. Quemadmodum eorum Patres ab initio exortae haeresis contra Scripturae et Traditionis sensum meritum repudiarunt: ita hi plus quam par est merito tribuunt, aeque in Scripturam et Traditionem offendentes, quia omnia philosophicis argumentis metiuntur, nulla habita gratiae et supernaturalis ordinis ratione! sed missis his, qui Christiani non sunt, ad eos paululum redeamus, qui sectae olim progenitores aut principes fuerunt. His, quoniam omnia salutis media a sola Christi satisfactione suspensa esse docuerunt, vel ipsum meriti nomen exosum fuit. Calvinus *a)* in vetustos Patres acerbe invehitur, eosque dicit male fidei sinceritati consuluisse, quod nomen meriti operibus tribuant. Hac de re jure a Bellarmino reprehensus, tanquam impudentis arrogantiae homo, qui totam antiquitatem temere accusat, et non minori cum temeritate contendit, hoc vocabulum extraneum esse a Scripturis. Calvinus antesignanum habuit Lutherum ejusque socios, quorum usque eo ardor processit, ut ea, quae in ipsa Augustana confessione de operum meritis reperiebantur, eraserint, ne viderentur cum Catholicis sentire. Dolendum sane, cum tanto contentionis aestu, et quod pejus est, cum tanta animarum jactura declamatum et pugnatum fuisse contra Ecclesiam; cum tamen re acrius perpensa apparuerit, de verbis magis quam de rebus motam fuisse controversiam. Jam dudum a viris maximi inter Catholicos nominis monstratum est, Novatores, ut *meriti* vocabulum reprehendere possent, sensum affinxisse, quo nunquam fuit a Patribus et ab Ecclesia usurpatum; caeterum doctrinam de bonorum operum fructu et mercede jam a primis Novatoribus ita fuisse expositam, ut parum aut nihil videatur a Catholicorum doctrina differre,

a) Institut. lib. III. cap. XV. n. 2.

si ea, quae ab Ecclesia definita sunt, a Theologorum opinionibus secernantur, de quibus cum haeterodoxis nihil necesse est contendere. Vide quae supra parte 1ª observata sunt, ubi auctores etiam citantur, qui de hac materia uberius scripserunt.

PROPOSITIO I.

Gratia Dei gratuita est.

Probatur I. Apertissima sunt Scripturae testimonia. — Rom. XI, 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* Et v. 35. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Ibid. IX, 16. *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei ...* v. 18. *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* Ephes. II, 8. 9. *Gratia estis salvati per fidem; et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ne quis glorietur.* I Corinth. IV, 7. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*

Probat. II. Concil. Arausicanum II. Can. XVIII. definivit: *Nullis meritis gratiam praevenientibus debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, praecedit ut fiant.* Eadem Concilii Trident. doctrina est, ut supra observatione III. ostensum est. Notum est quam strenue S. Augustin. hanc perpetuam Ecclesiae fidem contra Pelagianos defenderit. Unde innumera sunt, quae ex hoc Patre afferri possent loca. En unum brevissimum ex Tract. LXXXVI. in Joan. *Gratia non invenit, sed efficit merita.*

PROPOSITIO II.

Justi operibus bonis ex gratia factis vere merentur augmentum gratiae et vitam aeternam.

Prob. I. In Scripturis vita aeterna disertis verbis merces vocatur. Sapient V. *Justi in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum.* Matth. V, 12. *Gaudete et exultate, quia merces vestra copiosa est in coelis.* Apocalyp. ult. *Ecce venio cito, et merces mea mecum est.* At

merces et meritum relativa sunt; et sicut gratia gratis datur, ita merces meritis redditur. Alia sunt Scripturae loca, quae dicunt, praemia aut supplicia post hanc vitam secundum opera rependi. Matth. XVI, 27. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Ad Galat. VI. *Quae seminaverit homo, haec et metet.* Ergo vita aeterna tanquam merces et praemium promittitur bonis justorum operibus. Porro haec justorum opera, quae in coelo aeternum gloriae pondus operantur in nobis, in hac etiam vita praemium habent, gratiae nempe et justitiae incrementum. De hoc quoque gratiae augmento Scriptura loquitur, cum ait, Apocalyp. ult. *Qui justus est, justificetur adhuc* ... cum Marci X, 30. ille, qui relictis omnibus Christum sequitur, dicitur accipere *centies tantum, nunc in tempore hoc, et in saeculo futuro vitam aeternam.* Item cum dicitur Lucae XIX, 26. *Habenti dabitur, et abundabit.* Haec verba ad probanda bonorum operum merita citantur in confessione Augustana in ea editione, quae Wittembergae ab ipsa origine facta est.

Prob. II. Superfluum esset, veterum Patrum testimonia proferre; non latet adversarios nostros, omnes nobiscum sentire, etiam Augustino non excepto, quem ipsi libenter suum faciunt. Vid. *Bellarm.* loc. cit. cap. IV. Sic *August.* Epist. CV. ad Sixt. ait: *Nullane sunt merita justorum? Sunt plane, quia justi sunt, sed ut justi fierent, merita non fuerunt.* Et Tract. LXXIV. in Joan. n. 2. *Restat ut intelligamus, Spiritum sanctum habere qui diligit, et habendo mereri ut plus habeat, et plus habendo plus diligat.*

Nihil igitur novi docuit Tridentina Synodus, sed fidem antiquam contra Novatorum errores vindicavit, cum sess. VI. ita statuit.

Can. XXVI. *Siquis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerint facta, expectare et sperare aeternam retributionem a Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum etc. ... anathema sit.*

Et Can. XXXII. *Siquis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ip-*

sius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriae augmentum ... anathema sit.

CONFUTATIO.

Argum. I. Scripturae multis in locis aperte testantur, salutem ac coelestem gloriam gratis dari, ex misericordia dari; exclusam esse omnem gloriationem nostram; nullam esse proportionem inter vitam aeternam et opera nostra; nos omnes servos inutiles esse, nihilque nos habere, quod non multis titulis Deo debeamus. Ex innumeris locis haec pauca seligimus. Rom. VI, 23. *Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna in Christo Jesu D. N.* Psal. CII.: *Qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Rom. VIII, 18.: *Existimo quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Lucae XVII, 10.: *Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Haec et alia pene multa, quibus Dei misericordia commendatur, et nostra gloriatio excluditur, minime pugnant cum illis Scripturae testimoniis, quae mercedem et praemium promittunt bonis operibus; sed id tantum probant, quod jam supra notavimus, utrumque verum esse; et gratis nos salvari, et meritis rependi vitam aeternam. Merita gratiam non excludunt, sed supponunt; gratia merita non tollit, sed facit; sicque semper manet illud, quod canit Ecclesia: *qui salvandos salvas gratis.* Hinc optime *August.*, citata Scripturae loca explicans, observat *a)*, *justitiae nostrae vitam aeternam esse mercedem, non gratiam; ipsi autem homini esse gratiam, non mercedem, quoniam homini justitia gratia est.* Sic Apostolus rectissime dixit, passiones hujus temporis non esse condignas ad futuram gloriam; siquidem nemo non intelligit passiones, seu, ut Apost. II Cor. IV. ait, id, quod in praesenti est momentaneum et leve tribula-

a) Lib. de correp. et grat. cap. XIII.

tionis nostrae, nullam habere proportionem ad futuram gloriam, si ad substantiam operum attenditur; at usus ipse tribulationum et patientiae, et tolerantia malorum propter Deum, magni amoris est argumentum, et magni pretii opus, cui Deus, qui dives est in misericordia, aeternam remunerationem promisit. Id ergo prae omnibus in hac materia observandum est, omne meritum bonorum operum ex meritis Christi fluere, neque a Dei misericordia unquam sejungi posse, qui mercedem operibus nostris constituit. Omnes, quicunque illi sunt, merito se servos inutiles nominant, quia nihil ex se ipsis boni habent, quia, quidquid agant, nunquam facere possunt ultra id quod debent; verum ex gratuito pacto, quod nobiscum Deus facere dignatus est, possumus cum Apostolo dicere: *Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.*

Argum. II. 1.° Fides excludit omnem gloriationem, quae ex operibus nascitur. *Non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* 1 Cor. I, 39. *Exclusa est gloriatio tua etc.* Rom. III. Ergo excludit et merita. 2.° Christus ita Patri suo satisfecit, ut nullum meritis nostris relinquat locum; quidquid ergo meritis hominum tribuitur, Christi meritis detrahitur. Ergo etc.

Resp. ad I. Gloriatio, quae a fide excluditur, ea est quae nimium sibi confidit, ac si suis viribus justitiam posset acquirere; non ea autem, quae in Deo gloriatur, id est, quae justitiam et merita per Deum se habere posse confidit, alioquin non diceret Apostolus: *qui gloriatur, in Domino glorietur.* II Cor. X, 17. *Haec nobis gloriatio*, inquit S. *Bernardus a), non solum non prohibetur, sed etiam suadetur, cum dicitur: gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis b).* Vid. quae supra citata sunt ex Conc. Trid. sess. VI. cap. XVI.

Ad II. nego ant. Merita justorum non opponuntur meritis Christi, sed quidquid illa laudis habent, id totum in laudem meritorum Christi redundat: idcirco enim merita sunt et dicuntur, quia vim illam hauriunt ex meritis Christi; ut palmes, qui manet in vite, ex ea succum omnem et fructum mutantur. Sed dicunt: Non igitur sufficiebant merita Christi? Sufficiebant utique, et supra modum abundabant. His enim et remissionem peccatorum,

---

a) Ser. XIII. in Cant. *b)* Joan. V, 44.

et gratiam, qua justi efficimur, his opera nostra bona debemus, et hoc ipsum quod meritoria sint. En quanta sit virtus meritorum Christi, quae non tantum vitam aeternam, sed etiam virtutem merendi nobis meruerunt!

Argum. III. Plures sunt meriti conditiones, quae vix aut nullo modo in opera nostra simul possunt confluere. Ejusmodi sunt, ut opera sint undequaque perfecta; ut quod praestamus, sit indebitum; ut quae damus, ex proprio demus, seu ut opus plane nostrum sit; demum ut aequalitas sit inter mercedem et opera. Ergo etc.

Resp. Omnes istae conditiones ad libitum confictae sunt a Protestantibus, et nec Scripturae nec Traditionis auctoritate fulciuntur. Omnes Catholici ultro fatentur, quod justitia nostra non sit undequaque perfecta, quamdiu sumus in vita; quod Deo omnia debeamus, et nostra et nosmetipsos; quod non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed quod omnis sufficientia nostra ex Deo sit etc. Sed haec non obstare contendunt, quominus opera justorum merita dici possint et revera sint; ut ex Scripturis et omnium saeculorum traditione edocemur. Nihil certe obstat, quominus opera, quae fructus sunt inhabitantis in nobis Spiritus sancti, dignitatem aliquam habeant in se, quamvis non sint omni modo perfecta. Nihil obstat, quominus Deus velit mercedem retribuere sanctis operibus, quae virtutem suam ex gratia habent; hoc enim quam maxime Dei clementiam commendat, quod coronando merita nostra, sua dona coronet. Neque etiam quod debitum est, idcirco mercede carere debet. Nam et filii obsequium, quamvis debitum sit, meriti tamen habet rationem, atque ideo magis, quia non est mercenarii obsequium, sed filii; filii autem obsequium ex amore demanat. Merito igitur cum Novatoribus expostulamus, quod meritum alio modo quam Catholici definiant, ne cum his meritum admittere cogerentur, quod nihil aliud est, quam de vocabulo litem movere. Ipsi deinde, multis in haec merita jactatis calumniis, ea saepe de operibus et operum remuneratione loquuntur, quae etiam Catholici non reprehenderent. Sic *Forbesius* ait *a)*, controversiam omnem facile sedari posse: «Si dignitas sive condignitas operum omnis in Dei

a) De justif. lib. V. cap. III.

« promissionem mere gratuitam, et illius gratiosam earundem « acceptationem transferatur. » Idem Theologus ante jam dixerat, veteres Patres meriti et merendi vocabula hoc sensu usurpasse, eumque vocat innoxium. Sed haec et ipsa Scoti sententia, quam multi secuti sunt Theologi. Et quamvis alii dignitatem aliquam aut pretium bonis operibus intrinsecum esse putent, non est tamen de his cum Protestantibus disceptandum.

CAPUT SECUNDUM.

AN GRATIA OMNIBUS HOMINIBUS DETUR.

OBSERVANDA.

I. Principium, unde gratiae in homines distributio deduci debet, in illa positum est quaestione, quam libro IV. tractavimus: an scilicet dominicae satisfactionis beneficium ad omnes omnino homines pertineat? Nam si Christus dedit semetipsum redemptionem pro multis; si Deus sincere diligit nniversum genus humanum; si firma et seria sit illa voluntas, qua vult omnes homines salvos fieri; consequens est, ut omnibus gratiam ac necessaria comparandae salutis praesidia et adjumenta suppeditet; nisi enim ita faceret, cum sine gratiae adjutorio salus aeterna comparari nequeat, profecto non omnes salvos velle diceretur, neque in omnes mortis Christi pretium redundaret. In hac causa omnes illos adversarios experimur, quos supra sub communi nomine *Praedestinatianorum* indicavimus, quorum haec est exitialis doctrina: salutem nemini esse possibilem, praeterquam iis qui salvantur; nullam esse distinctionem inter auxilium efficax et sufficiens; omnes qui mandata non servant, viribus quoque ea adimplendi esse destitutos.

II. Diligenter tamen observandum est in hac controversia, quaedam esse ad fidem pertinentia, alia non ita. Ad fidem pertinet, justis non deesse gratiam, qua possibilia ipsis sint mandata Dei. An autem aliis quibuscunque fidelibus, qui justi non sunt; an infidelibus etiam, an peccatoribus excaecatis et obduratis adsit gratiae auxilium sufficiens, quo possint saltem remote et me-

diate vitare peccata; et ad fidem ac salutem pervenire, nondum est Ecclesiae judicio definitum. Observat tamen *Bellarminus a)*, Catholicos Theologos quam plurimos, ac fere omnes, pro certo habere, omnibus hominibus pro loco et tempore sufficiens auxilium non deesse, quamvis non omnes illud admittant, aut admissum retineant.

PROPOSITIO I.

Justis omnibus, urgente praecepto, datur gratia vere sufficiens, qua illud possint implere.

Probatur. Innocentius X. et Alexander VII. solemnibus constitutionibus ab Ecclesia universa receptis damnarunt propositionem istam, quae est inter Jansenianas prima. *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque gratia, qua possibilia fiant.* Hanc propositionem dicti pontificis, *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, et haereticam declarant,* et ut talem damnant. Merito inter notas hujus propositionis et haec continetur, quod jam fuerit *anathemate damnata.* Ita enim docet Trident. Synod. sess. VI. cap. XI. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis b),* et paulo post: *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Hanc Catholicam doctrinam Concilium eadem sess. solemni decreto definit Can. XVIII. *Siquis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato, sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Sed et Patres Concilii Arausicani II., quod saeculo VI. habitum est, et cujus maxima semper in Ecclesia auctoritas fuit, eandem doctrinam adstruunt in suis capitulis de grat. et lib. arb. *Secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem*

---

a) De gratia et libero arbit. lib. II. cap. I. *b)* Haec ex S. August. deprompta sunt lib. de nat. et grat. cap. XLIII.

animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.

His consonant Scripturae et Patres. Quid enim aliud significat singularis ille favor Dei erga justos? Ut. Psal. XXXIII. *Oculi Domini super justos.* Et Eccles. XI, 12. *Quis permansit in mandatis ejus, et derelictus est?* De justis utique loquitur Apostol., cum I ad Cor. X. scribit. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Quod ad Patres attinet, ex uno Augustino unicum afferamus testimonium. Lib. de nat. et gratia cap. LXIX. *Eo ipso*, inquit, *quo firmissime creditur, Deum justum et bonum impossibilia non potuisse praecipere; hinc admonemur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus.*

PROPOSITIO II.

Omnibus hominibus datur gratia sufficiens ad salutem.

Probatur I. generatim. Huc omnia illa tum Scripturae, tum Patrum loca spectant, quibus supra probatum est *a)*, Deum velle omnium hominum salutem, et Christum pro omnibus hominibus mortuum esse. Nam si Deus vult salutem hominum, necesse est ut illud, sine quo salus acquiri non potest, ex eadem voluntate ipsis conferat; hoc autem est gratia. Itaque gratiam omnibus necessariam illis impertitur quam vocant *sufficientem.* Vid. quae supra dicta sunt Observ. I. Hac de causa Christus, Joann. I., dicitur *lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* ... et ibid. cap. IV. *Salvator mundi* vocatur. In quae verba S. Augustin. ita commentatur *b)*. *Quantum in medico est, sanare venit aegrotum. Ipse se interimit, qui praecepta medici observare non vult. Venit salvator ad mundum. Quare salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum? Salvari non vis ab ipso, ex te judicaberis.*

Prob. II. Speciatim. Certum est, non justis tantum gratiam conferri, qua possint in accepta justitia perseverare;

a) Lib. IV. P. III. cap. II. prop. III. *b)* Tract. XII. in Joan. n. 12.

sed peccatoribus etiam, ut possint amissam recuperare. Unde enim tot adhortationes tum veteris tum novi Testamenti, quibus ad poenitentiam excitantur peccatores? Ut Ezech. XXXIII, 11. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis.* Ezech. V, 8. *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.* II Petri III, 9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* An non irrisoriae essent ejusmodi exhortationes, nisi Deus vires quoque suppeditaret peccatoribus, quibus converti possent? Sunt et alia multa, quae manifestum est ad omnes omnino fideles, etiam eos qui a justitia exciderunt, pertinere. Sic Joan. III, 16. Christus ad Nicodemum ait: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Ibid. cap. XVII, 20. ita Patrem precatur: *Non pro eis rogo tantum, sed et pro iis, qui crediturі sunt per verbum eorum in me.* Item et illud generatim de omnibus, et de fidelibus speciatim dictum, I Timoth. IV, 10. *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.*

Accedit auctoritas tum Conc. Lateran. IV., quod cap. *Firmiter* docet, *hominem lapsum semper posse per veram poenitentiam reparari:* tum Patrum et Doctorum Ecclesiae, quorum omnium ea consentiens doctrina est, quam *S. Augustinus* lib. de nat. et grat. cap. LXVII. brevi hac sententia expressit: *Neminem peccare in eo, quod nullo modo caveri potest. Peccatur autem. Caveri igitur potest; sed opitulante illo, qui non potest falli.*

Quaerunt praeterea Theologi, an infidelibus etiam gratiae dentur sufficientes, quibus ad fidem et salutem adduci possint? Imo, an tanta sit in omnes homines divinae bonitatis abundantia, ut ne illi quidem qui dura service Spiritui sancto resistunt, quamdui in hac vita sunt, omni prorsus sufficientis gratiae auxilio destituantur? Utrumque ex iis perspicuum est, quae Probatione I. dicta sunt generatim. Quamvis investigabiles sint viae Domini, neque explicari ab

aliquo possit, qua ratione Deus omnibus etiam infidelibus aut induratis hominibus salutem faciat possibilem; id tamen ita esse dubitare non possumus. Apost. ad Rom. I. Gentiles ait in eo esse inexcusabiles, quod cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverint. Ibid. cap. III, 29. 30. *An Judaeorum Deus tantum? Nonne et gentium? Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem.* Iterum ait Apostol. in eadem Epist. cap. II, 4. 5. *An divitias bonitatis ejus et patientiae et longanimitatis contemnis? Ignoras, quod benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae.* En, de hominibus, quibus cor durum est et impoenitens, ait, quod benignitas Dei eos ad poenitentiam adducat. Et auctor libri Sapientiae cap. XII., de antiquis habitatoribus terrae sanctae loquens, qui semen erant maledictum ab initio, ita habet v. 10. *Sed partibus judicans dabas locum poenitentiae* ... et v. 20. *Inimicos servorum tuorum, et debitos morti cum tanta cruciasti attentione, ad tempus et locum, per quae possent mutari a malitia.*

OBJECTIONES.

Objiciunt I. *Contra I. propos.* 1.° Justis et fidelibus divinae gratiae praesidium interdum subducitur in poenam peccati originalis; idque S. Augustinus insinuare videtur pluribus in locis. 2.° Passim docent Patres, etiam justos interdum a Deo deseri, saltem ad breve aliquod tempus, ut ita, quam parum suis viribus valeant, experirentur, et eorum confundatur et sanetur simul superbia, cum divinae tutelae clypeo destituti victi e certamine discedunt. Id palam fieri Petri Apostoli exemplo, tum alii Patres, tum imprimis Augustinus fatentur. Ergo etc.

Resp. ad I. nego ant. Non diffitemur quidem, ex peccato quod adhuc animum occupat alia subinde profluere. *Peccatum*, ait *Gregor. Magnus a)*, *quod poenitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit.* At non ita se res habet, si peccatum

---

a) Homil. XII. in Ezech. — Et Moral. lib. XXV. cap. IX.

illud poenitentia, aut quod majus est, Baptismo sit dilutum. Quis enim credat, eos, in quibus Spiritus sanctus velut in templo inhabitat, in tentationibus deseri, idque ob peccatum originis, cujus nulla amplius macula in anima superest? S. August. nullibi ait, justis interdum gratiam illam negari, quae ad singulos actus requiritur, quaeque si desit, in peccatum prolabimur. Conferantur Theologi, qui uberius de hac materia disserunt.

Resp. ad II. dist. ant. Patres docent, justos aliquando deseri, eo sensu, quod Deus illis subtrahat gratias uberiores et efficaces, *conc.;* eo sensu, quod gratia sufficiente destituantur, *iterum disting.:* proxime et immediate sufficiente *conc.;* ea quae remote saltem et mediate sufficeret, *nego.* Haec si bene intelligantur, facillimum erit, omnia quae sive ex Scripturis, sive ex Patribus mala prorsus fide ab adversariis congeruntur argumenta diluere. Deus potest aliquo modo dici deserere eum, cui gratiam illam subtrahit, quae efficax dicitur, et quae certo est cum effectu conjuncta. Haec subtractio relate ad justos medicinalis est, ut scilicet superbia, quae etiam justorum animos non raro pulsat, retundatur, et ipsi propria edocti experientia discant quam sint infirmi, neque sibi ipsis ultra quam par est confidant. Verum in hac etiam efficacis gratiae subductione, justis semper manet auxilium superandae tentationi necessarium; et si interdum eveniat, ut vires sint imbecilliores quam ut tentationem superent, praesto illis est oratio; nam si deest gratia vincendi, certo non deest gratia petendi, petentibus autem promittitur auxilium. Ille utique vincere potest, qui potest impetrare gratiam qua vincitur; et sua culpa succumbit, qui, propriae virtutis fiducia elatus, ad eum accedere negligit, qui solus potest facere cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. *Ideo jubet aliqua, quae non possumus, ut noverimus quid ab eo petere debeamus; ipsa est enim fides, quae orando impetrat, quod lex imperat.*

Frustra ex lapsu Petri argumentum desumunt adversarii. 1.° Plurimi ex veteribus, et inter alios *Chrysost.* et *August.*, in ea sunt opinione, quod Petrus, antequam Christum exterius negaverit, jam lapsus fuerit interno superbiae et praesumptionis peccato, quod S. Augustinus *cordis ruinam* appellat. 2.° Petro non defuit gratia, qua aut proxime et immediate, aut certe remote et mediate potuisset praeceptum Christum confitendi adimplere. Et qui-

dem, si Petro vires defuerunt tanto discrimini pares, nihil eum cogebat, se in apertum peccandi periculum conjicere; imprimis cum a Christo admonitus fuerit suae fragilitatis. Deinde jussus a Christo ut oraret et vigilaret, hoc quoque salutis remedium neglexit; quod si fecisset, et divinam humiliter protectionem implorasset, certo non defuisset gratia, neque passus fuisset Deus, ut supra id, quod potuit, tentaretur. Cf. *Tournel.* qui Tractatu de gratia, quaest. VIII. art. I., huic quaestioni paulo diutius immoratur, propter eam, quae inter Jansenianos eorumque ducem *Arnaldum*, et Doctores Catholicos exorta erat controversia. Facultas quippe Theologica Parisiensis anno 1656 censura perstrinxit hanc Arnaldi propositionem. *Veritas haec magna per Evangelium constituta, et SS Patrum auctoritate confirmata, qui nobis in beato Petro exhibent hominem justum, cui gratia, sine qua nihil possumus, in ea defuit occasione, in qua eum non peccasse dici non potest.* Perspicuum est, hanc propositionem totum virus continere primae Jansenianae propositionis; unde et eaedem illi notae a sacra facultate inustae sunt, quibus SS. Pontifices primam Jansenii propositionem confixerant.

Objiciunt II. Gratia sufficiens profecto iis non adest, qui fide in Christum destituti sunt. Nam 1.° Scriptura expresse dicit Act. XIV, 15. Deum *in praeteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas.* 2.° *August.* lib. de corrept. et gratia manifeste supponit, nullam gratiam dari infidelibus; nam causam, cur etiam infideles juste corripiantur, eam solam affert, quod in Adam peccaverint. 3.° Fides est prima gratia. 4.° Non magis repugnat divinae bonitati excludere adultos a gratia fidei, quam infantes a Baptismo, quo solo in numerum fidelium cooptari possunt, et participes effici meritorum Christi; atqui multos constat absque sua aut parentum culpa ab hac gratia excludi. Ergo etc.

Resp. ad I. nego cpnseq. Deus dicitur gentes dimittere, quando justo sed inscrutabili judicio parcius in eas dona sua effundit, neque illa extraordinaria gratiae auxilia largitur, quae animos subigunt, et omnem mentis caecitatem depellunt; et haec quidem tempore Apostolorum contigerunt, quando Deus gentes vocavit de tenebris in admirabile lumen suum. At non idcirco concludendum, eas antea interiore auxilio penitus fuisse destitutas. Eodem loco statim subjicit Apostolus: *Non enim semetipsum*

(Deus) *sine testimonio reliquit.* Quapropter ad Rom. I. idem Apostolus ait, gentes fuisse inexcusabiles. Neque dicas, exterius quidem auxilium cognoscendi Dei non omnino illis defuisse, sed interiore fuisse destitutos. Certe, si cum auxilio exteriore non etiam interius conjunctum fuisset, quo potissimum indigebant, fuisset utique excusationi locus. Illud enim potuissent obtendere: vox quidem naturae auribus nostris intonuit, sed interiori auxilio, quod omnino necessarium erat, destituti sumus. Nunquam ergo etiam infidelibus Dei gratia defuit, *quae*, ut auctor libri de vocatione gentium ait *a)*, *etsi parcior antea atque occultior fuit, nullis tamen saeculis se negavit, virtute una, quantitate diversa, auxilio incommutabili, opere multiformi.*

Resp. ad II. S. Augustin. de illa correptione loquitur, quae ipsa est gratia; quae infligitur, *ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur b);* quod sine interiore gratia fieri non potest. *Desiderare enim auxilium gratiae*, ait eodem lib. *c)*, *initium gratiae est.*

Respond. ad III. dist. ant. Fides est prima gratia, qua juste vivitur, et homo ad justitiam proxime disponitur, *conc.* Prima gratia simpliciter, sine qua nihil omnino boni fieri potest, quo remote saltem disponamur ad fidem et sanctificantem gratiam, *nego.* Fides a Concilio Trident. sess. VI. cap. VIII. recte vocatur, humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis; quia sine fide impossibile est placere Deo; quia omnes illae virtutes, ut spes, contritio, charitas, et quae ad justitiam requiruntur, ex fidei radicibus exsurgunt. Verum fidei gratiam non esse simpliciter primam, quasi ante illam nihil omnino boni ad salutem fieri possit, manifeste probat exemplum Cornelii Actor. X. — Gratiae nomen nonnunquam semotiora quaedam ac fidem antegressa significat auxilia, quibus, ut ait Petavius, praeculti ac velut subacti infidelium animi praeparantur ad fidem. Vid. S. Thomam quaest. XIV. de verit. art. II. ad primum.

Resp. ad IV. Diffitendum non est, quaestionem hanc difficillimam esse, et densissimis involutam tenebris. Attamen discrimen

---

a) Cap. IX. Hic liber S. Prospero tribuitur. *b)* Eod. lib. de corrept. et grat. cap. IV. *c)* Cap. I. n. 2.

est maximum inter parvulos hujusmodi, et adultos infideles. Parvuli nullius interioris gratiae capaces sunt, unde Deus eorum salutem velle censetur, si illis media externa, quibus salutem consequi possint, praeparavit; atque de eorum applicatione, quantum in se est, sufficienter providit. Id autem Deum egisse omnibus perspectum est; nam pro ipsis quoque Baptisma institutum est, remedium peccati facile et obvium, a quo nemo omnium excluditur. Igitur salutis remedio non ideo frustrantur, quia Deus noluit eos ad salutem pervenire; sed ob praematuram mortem, quae naturalis effectus est causarum secundarum, quem Deus, tanquam provisor generalis interturbare non tenetur. *Non est ex defectu divinae misericordiae*, ait S. Thomas *a)*, *quod in maternis uteris existentibus remedium non exhibetur; sed quia non sunt capaces illius remedii.* At longe alia est adultorum conditio. Nam cum hi ipsi agere debeant libera voluntate, et sine interiore gratia nemo opus salutare perficere possit, sequitur, quod Deus eos omni influxu gratiae privare non possit, nisi eos velit a salute excludere.

Objiciunt III. 1.° Quamvis Deus sincere velit, omnes salvos fieri, potest tamen juste denegare gratiam induratis et excaecatis peccatoribus, et eos tradere in reprobum sensum, atque id Deum facere Scripturae pluribus in locis affirmant, ut Exodi IX. Isaiae VI. Eccles. VII, 14. Joan. XII, 39. Roman. I. et IX. etc. 2.° S. *Augustin.* ejusque discipuli, atque inter caeteros S. *Proper*, non semel aperte docent, obduratos omni gratia esse destitutos. S. August. Deum ait, peccatores indurare non quidem *impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam b).* Alio loco excaecatum vocat *desertum omni lumine veritatis c).* Et in eodem libro de peccatore ita loquitur: *Secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas.* Quod utique de illis praecipue intelligendum est, qui longiori tempore animum contra omnes gratiae monitiones obfirmarunt. Notum quoque est illud S. Prosperi carmine de ingratis cap. XI.

Dic unde probes, quod gratia Christi
Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur

---

a) In 4. dist. VI. art. I. ad I. *b)* Epist. CXCVI. — *c)* Lib. de perfect. justitiae, cap. XIX.

Praetereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit? . . .

Resp. ad I. Non quaeritur, quid Deus juste possit, sed quid velit. Communis est Catholicorum sententia, Scripturae et Traditionis auctoritate confirmata, de nullius hominis salute, quamdiu in hac vita est, esse desperandum; etiam indurato peccatori locum superesse poenitentiae; impossibilia non esse Dei mandata; neminem peccare in eo, quod cavere nullo modo potest. Verum ex his consequens est, nulli, dum in hac mortali vita versatur, omne gratiae adjutorium deesse. Merito ergo ab adversariis petimus: an indurati peccatores, cum divinas aeque ac humanas leges proterve conculcant, in iis peccent, quae agunt? Peccant utique, et peccata illis merito imputantur. Ergo possent a peccato abstinere; at non possent sine gratiae auxilio. En in quae absurda necesse sit incurrere eos, qui ejusmodi peccatoribus omne supernaturale auxilium subtrahunt! Sequeretur enim, induratos nullo modo cavere posse, quae contra Dei mandata pleno judicio committunt; sequeretur ergo, eos non peccare; sequeretur excaecationem eos facere impeccabiles; sequeretur eos injuste puniri, quoniam injusta est poena, ubi non est peccatum. Haec in genere dicta sufficiant. Neque enim singula quae ex Scripturis citantur excutere necesse est. Notum esse debet Candidatis, quid Scriptura per illud intelligat, quando Deum ait obdurare, aut despicere, et in sensum reprobum tradere peccatores.

Resp. ad II. Quae in priore responsione dicta sunt, etiam valent ad explicanda SS. Patrum, imprimis S. Augustini et S. Prosperi loca. Omnes enim conveniunt in illis generalibus principiis, quae supra a nobis indicata sunt. Ita diserte docet S. August. *a): De quocunque, quamvis pessimo, in hac vita constituto non est desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.* Igitur cum Deum ait obdurare non impertiendo misericordiam, intelligendum est, non impertiendo illud specialis et uberioris gratiae auxilium, quo proxime et immediate possent vitare peccata. Nonnunquam etiam impotentiam bene agendi intelligit eam, quae consequens est ot voluntaria. Non potest excae-

---

a) Lib. I. Retract. cap. IX.

catus converti durante excaecatione; sed potest saltem mediate et remote suam excaecationem deponere. Adde, quod S. Doctor magnam non peccandi difficultatem necessitatem subinde vocat. Ejusmodi difficultas oritur ex habitu inolito, et longa peccandi consuetudine. Quibus vero gradibus illam incurramus, explicat lib. VIII. Confess. cap. V. *Ex voluntate perversa facta est libido, et dum servitur libidini, facta est consuetudo, et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.*

S. Prosper de gratia illa loquitur, quae non tantum vires subministrat proxime aut remote sufficientes, sed quae ipsam conversionem operatur, at hominem ex peccatore justum revera efficit. Vid. quae supra ad secundam objectionem dicta sunt, et quae ibi ex S. Prospero citantur.

CAPUT TERTIUM.

AN GRATIA OMNIBUS AEQUALITER DETUR.

OBSERVANDA.

I. Perspicuum est ex priori capite, Deum cum vera et sincera animi propensione feratur in omnes homines, omnesque salvos et beatos esse velit, omnibus etiam gratiam, et necessaria comparandae salutis praesidia et adjumenta suppeditare. Verum, quamvis in omnes omnino homines, etiam reprobos, haec gratia diffundatur, qua si recte uti velint, filii Dei effici possint et regni coelestis haeredes; non tamen par et aequalis tribuitur omnibus.

Idcirco *multiformis* vocatur in Scripturis; et sicut in aliquibus copiosa est et exuberans, ita aliis modice et quasi cum parcimonia dispensatur. Quod eleganter exponit auctor. lib. de vocat. gentium *a)*. *Gratia Dei omnibus hominibus adfuit providentia quidem pari et bonitate generali, sed multimodo opere diversaque mensura: quoniam sive occulte, sive manifeste, ipse est, ut ait Apost., Salvator omnium, maxime fidelium.* Quo et illud spectat

---

a) Lib. II. cap. XXXI.

S. Fulgentii, qui de gratiae distributione loquens, haec habet *a)*: *In cujus gratiae largitate quidam non leviter errant, existimantes eam aequaliter dari.*

II. Pervenimus nunc ad profundissimum praedestinationis et reprobationis mysterium, cujus quasi superficiem per fidem cognoscimus, abyssum autem intueri non possumus. Nullibi, quae de gratiae inaequali distributione diximus: certiora sunt simul et occultiora. Certum est, aliquos esse, quorum saluti singulari cura invigilat Deus; quos aut incolumes servat a vitiorum contagio, aut post multa etiam flagitia subito occupat, ac in vasa electionis transformat omnipotenti virtute. Certum est, alios contra quodammodo exclusos esse a filiorum Dei consortio, cum nunquam ad cognitionem veritatis perveniant, aut a gratia excidant, antequam ex hac vita decedant; quia gratia illa praepotens et efficax, quae electos ad salutem perducit, aut praeterit eos, aut in medio vitae cursu, sive in meta ipsa destituti. En mysterii inaccessa altitudo! En gratiae profunditas profundissima! *Cur illum potius quam illum liberet aut non liberet*, ait S. Augustinus *b)*, *scrutetur*, *qui potest*, *judiciorum ejus tam magnum profundum; verumtamen caveat praecipitium.*

III. *Praedestinatio* pars quaedam est providentiae, eaque nobilior, utpote quae versatur circa naturas liberas, et finem earum supernaturalem. Si generatim sumitur, ad malum poena ut ad bonum pertinet, et in utramque partem ab Augustino ejusque discipulis interdum accipitur. Verum frequentius et libentius tam Augustinus, quam discipuli ejus, in bonam partem cam interpretantur, quatenus est gratiae et gloriae praeparatio. Ut providentia, sic praedestinatio, mentis simul et voluntatis actus complectitur, et quamvis etiam *praescientiae* nomine quandoque designetur, ut ad Rom. XI, 2.: *Non repulit Deus plebem suam*, *quam praescivit;* saepius tamen *electionis*, *decreti*, *propositi* vocibus exprimitur, quae ad voluntatem magis pertinent. Graeci utuntur verbo προορίζειν, quod non praescire est, sed praefinire, aut prius definire; et S. Augustinus ita praedestinationem definit *c)*: *Haec praedestinatio nihil est aliud quam*

---

a) Lib. I. de veritate praedestinat. cap. XIV. *b)* Epist. ad Sixtum CXCIV. alias CV. *c)* Lib. de dono persev. cap. XIV.

praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Neque putandum est, Augustinum caeterosque Patres discrimen quoddam posuisse inter praedestinationem et electionem, ac si prima ad gratiam tantum pertineret, altera autem ad gloriam. Omnes utrumque vocabulum confundunt, et sicut electionem, sic et praedestinationem tum ad gratiae praesidia, tum ad praemium gloriae comparant. Hinc illa praedestinationis definitio, quam S. Thomas magistralem vocat *a*), *praeparatio gratiae in praesenti, et gloriae in futuro.*

IV. Praedestinationi opponitur *reprobatio;* et sicut praedestinatio est voluntas Dei efficax electos ad salutem aeternam perducendi; ita reprobationis nomine intelligitur decretum aeternum, quo aliqui propter sua peccata excluduntur a vita aeterna, et poenis aeternis addicuntur; nihil enim Deus in tempore efficit, quod ex omni aeternitate faciendum non constituerit. Nonnullis est pura omissio praedestinationis, cum Deus electos suos ex massa perditionis segregans, alios relinquit ac quasi praeterit. Reprobatio, ajunt, est simplex negatio, aut suspensio actus in Deo non praedestinante; sed quid sibi vult ista suspensio actus in ente infinito et perfectissimo? Aut quaenam est differentia inter hanc praeteritionem, et positivam exclusionem? Alii negativam reprobationem admittunt quidem, sed eo sensu, quod eam non in mera actus suspensione collocent, sed in actu positivo, quo Deus aliquos praedestinando, alios non vult praedestinare, et consequenter a gloria excludere. Nobis videtur perinde esse, sive reprobatio, quae negativa dicitur, sit pura negatio, sive actus positivus non concedendi gratias; eadem enim dura et acerba incommoda ex utroque modo explicandi consequuntur. Multi igitur Theologi nullam negativam reprobationem admittunt, nisi post praevisionem peccatorum; quo sensu accepta etiam positiva vocari posset.

V. De Praedestinatianorum erroribus, supra, quantum necesse est, diximus; atque tam impia doctrinae portenta semel recensuisse sufficiat. *Petavius*, qui tom. I. lib. IX. et X. gravissimum hoc et difficillimum argumentum copiose et erudite

---

a) In I. Dist. 60. quaest. I. art. II.

pertractat, ibidem Calvinum, Bezam aliosque propter pestifera de praedestinatione et reprobatione dogmata ita exagitat, ut simul doceat, ea non a Catholicis modo, sed a plerisque etiam, qui Calvinianae haereseos labe infecti sunt, fuisse proscripta. At multi tamen ab errore non prorsus recesserunt; quia id tantum concedunt, reprobationem non fieri ante originalis peccati praevisionem. Jansenius, ejusque asseclae, qui ex haereticorum fundo suam circa gratiam doctrinam mutuati sunt, inter alia docent, peccatum originale, etiam per Baptisma dimissum, esse primam causam formalem damnationis aeternae reproborum.

VI. Catholicorum sententiae ab ea opinione pendent, quam circa gratiae efficacis et sufficientis naturam defendunt. Et sicut omnes in eo consentiunt, quod gratia efficax detur, in explicandis autem ejus proprietatibus differunt inter se; ita et hic. In iis quae ad fidem Catholicam pertinent, una omnium vox est. Omnes Praedestinatianorum aeque ac Pelagianorum impia commenta repellunt; at ubi disputandi libertas conceditur, hoc suo jure plene et quandoque intemperanter utuntur. Primum quidem in duas partes scinduntur, quarum una contendit, Deum electos suos primum destinare ad gloriam, tum gratiam dare et perseverantiam, ut certo salventur quos salvare decrevit: altera econtra docet, praevisionem meritorum et perseverantiae praecedere decretum praedestinationis ad gloriam. Sed utraque ex parte iterum non uno modo omnes sententiam suam explicant. Si Thomistas consulimus, praedestinatio nihil est aliud quam decretum dandi gratias physice praedeterminantes, praecipue finales. Eadem fere Augustinianorum sententia, posita pro praedeterminatione physica, delectatione moraliter victrice. Alii praedestinationem ad gloriam hinc pendere volunt, quod Deus gratias congruentes et perseverantiam certis hominibus largiri decreverit. Manent adhuc scientiae mediae assertores; atque notatu dignum est, in systemate hoc ex aequo defendi posse praedestinationem ad gloriam, sive ante, sive post praevisa merita gratiae. Primum Bellarminus et Suarezius defendunt, secundum Lessius aliique. Illi dicunt, Deum primum destinare ad salutem, deinde iis quos salvare decrevit ejusmodi praeparare gratias, quibus videt eos, si dentur, responsuros fore. Hi volunt, primum eligi gratias, quas Deus per scientiam mediam scit efficaces fore, tum praeviso consensu et

perseverantia, ad gloriam praedestinare. Sed in his quoque non exiguae obscuritates sunt; atque ut de his controversiis generatim dicam, non raro mirari subit, viros graves et acutos de profundissimis Dei arcanis cum tanta asseveratione loqui, ut eos crederes divinis consiliis adfuisse; aut potius mentem divinam secare in minutissimas partes, ut quisque postmodum has partes eo, quo lubet, ordine collocet, et ita eam formam decretorum effingat, quae suo systemati est commodata.

PROPOSITIO I.

Datur vera ex parte Dei praedestinatio.

Prob. I. *Scripturae testimoniis.* Nihil potest expressius desiderari quam haec Christi et Apostoli dicta. Matth. XXV, 34. *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Luc. XII, 32. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro, dare vobis regnum.* Rom. VIII, 35. *Quos praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Ephes. I, 4 et 5. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti . . . praedestinavit nos . . . secundum propositum voluntatis suae.*

Prob. II. S. Augustinus, qui ex professo contra Semipelagianos duos libros conscripsit, unum de praedestinatione Sanctorum, et alterum de dono perseverantiae, non semel affirmat, se nihil aliud docere, quam quod tota semper Ecclesia tenuit. *Praedestinationis hujus fidem,* ait lib. de dono persev. cap. XXV., *quae contra novos haereticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit.* Magistro consentit S. Prosper, qui in responsione prima ad objectiones Gallorum ait: *Praedestinationem Dei nullus Catholicus negat.*

PROPOSITIO II.

Nemo sine speciali revelatione scit se esse praedestinatum.

Probat. I. Ad praedestinationem necessario requiritur justificatio et perseverantia finalis; atqui probatum est,

parte I. cap. I. propos. V., neminem sine speciali revelatione certum esse posse de sua justificatione — et parte II. cap. I. §. II. propos. III., perseverantiam finalem speciale Dei donum esse. Ergo etc.

Probat. II. *ex Concil. Trident.*, quod nostram de dono perseverantiae assertionem disertis verbis definivit Sess. VI. Can. XVI. De ipsa autem praedestinatione ita docet cap. XII. ejusdem Sess.: *Nemo, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero praedestinatorum.*

PROPOSITIO III.

Praedestinatio ad gloriam fit post praevisa merita ex gratia comparata.

Probat. I. Quando de arcanis divinae mentis consiliis agitur, nihil definire praesumat humana ratio prater illud, quod Dei ipsius testificatione didicerit. Jam si observare hanc regulam velimus, facile erit, quae verior sententia sit, ex permultis Scripturae et veterum Patrum testimoniis colligere. Primum quidem latere neminem potest, ita de gloria et beata vita loqui sacras Scripturas, ut certum sit eam electis a Deo destinari tanquam praemium, tanquam ex meritis, quae certo Deus praescivit, pendentem, et cum illis ordinatam. Vide quae paulo superius de meritis bonorum operum dicta sunt *a)*.

Sunt et alia permulta, quae absolutae praedestinationi ad gloriam repugnant; contra, id omnino persuadent, quod nos adstruimus, Deum ex praesensione meritorum suam cuilibet aeternitatis sortem designare, et ad salutem eligere eos, quos in accepta gratia et justitia perseveraturos videt. Cum judex Matth. XXV. ad electos dixisset: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* ... rationem addit, cur ipsis praeparatum fuerit regnum. *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare.* Unde

a) Hac parte IV. cap. I.

S. Chrysostomus ita in hunc locum commentatus est hom. VIII. in cap. XXV. Matthaei: *Venite, benedicti*, etc. *Quaenam causa hujus? Esurivi enim* etc. *Nam antequam nati sitis, quia sciebam vos hujusmodi futuros, haec vobis a me praeparata fuerunt.* Et cum Apostolus ad Rom. VIII. scribit: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui*, an non praescientiam ponit ante praedestinationem? Deinde haec magis adhuc confirmat per ea, quae adduntur; nam juxta Apostolum, quicunque ita a Deo praedestinatur, is primum vocatur; et ubi vocationi respondet, justificatur; et ubi in justitia perseverat, glorificatur. Recte igitur S. Ambrosius in haec Apostoli verba ait lib. V. de fide cap. II.: *Apostolus inquit: Quos praescivit et praedestinavit: non enim ante praedestinavit, quam praescivit, sed quorum merita praescivit, horum praemia praedestinavit.*

Disertus ad nostram sententiam videtur hic alius Apostoli locus II Timoth. II, 20.: *In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia: et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam. Siquis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum.* Haec postrema verba indicant, ab hominis voluntate et opera pendere, ut vas honoratum fiat aut ignobile. Sunt et alia non pauca Apostoli testimonia, quae praedestinationem post merita adstruunt; ut illud I Cor. IX, 27.: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Item Roman. VIII, 17.: *Si filii, et haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur.*

In eandem sententiam scribit Apostolorum princeps Petrus, Epist. II. cap. I.: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Quis non videt, electionem ab operum meritis quasi suspensam, neque in certam et absolutam transire, nisi post praevisam conditionem impletam?

Prob. II. *SS. Patrum auctoritate.* SS. Chrysostomi et Ambrosii testimonia jam vidimus; neque aliorum Patrum qui ante Augustinum vixerunt diversa ab his sententia fuit,

quod fusius ostendit *Petavius* de praedest. lib. IX. cap. III. et seqq. — Quare et adversarii, passim relictis antiquioribus Patribus, controversiam ex eorum judicio dirimendam esse dicunt, qui post exortam Pelagianorum haeresin vixerunt, ac praesertim S. Augustini, qui in hac difficili causa partes totius Ecclesiae sustinuit. Nemo est qui nesciat, magnam esse in Ecclesia S. Augustini auctoritatem, idque non minus vere quam eleganter prae caeteris docet *Petavius* loco cit. cap. VI. Sed observat idem vir doctissimus lib. X. cap. I., non omnia quae in refellendis haereticis istis ab Augustino proposita sunt, pro Catholicis immotisque decretis haberi ab iis ipsis, qui illius doctrinam commendant. Distinguendum igitur est inter ea, quae ad fidem Catholicam pertinent, in quibus S. Augustinus neque a Patribus Graecis, neque a Latinis, qui ante ipsum fuerunt, ulla in re dissentit; et ea, quae ipse ex sua sententia disputando protulit, et quae non tantum Ecclesia, tanquam in medio posita, libero posteritatis judicio disceptanda reliquit; sed et ipse Augustinus nunquam voluit eodem cum Ecclesiae dogmatibus loco collocare. Sic lib. de grat. et lib. arb. cap. VI., cum hanc Pelagianorum doctrinam attulisset: *Vitam aeternam meritis nostris praecedentibus reddi*, haec addit: *Respondendum est eis, si merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa Dei dona esse intelligerent, non esset reprobanda ista sententia.* Unde clarum est, eum Pelagianos non reprehendere, quod praedestinationem ad gloriam admitterent, quae praescientiam meritorum consequitur: sed quod contra Ecclesiae fidem ita haec merita praedicarent, ut ea hominem ex semetipso habere dicerent.

Ergo, etiamsi Augustinus praedestinationem ad gloriam ante omnem meritorum praesensionem docuisset, in re libera et nullo Ecclesiae decreto definita, quid ipse sentiret, libere exposuisset; posteris autem contraria sentiendi libertatem nec potuisset auferre, nec voluisset. Attamen non desunt doctissimi Theologi, qui contendunt, falso omnino tanti Patris auctoritate gloriari adversarios, et multis ejus testimoniis probari posse, eum, cum de praedestinatione ad gloriam ageret, ita praescientiam cum praedestinatione con-

junxisse, ut vel praescientiam praedestinationi praemiserit, vel praedestinationem simpliciter praescientiam vocaverit. Quae fusius probat *Tournel.* de Deo p. 493 etc.

Prob. III. Quamvis proposita controversia ex Scripturae et Traditionis auctoritate dijudicanda sit, semotis rationis humanae inventis: non deest tamen et hoc argumentorum genus, quod ex rationibus Theologicis petitur. Dicunt v. g., quando gloria tanquam praemium proponitur ab alio obtinendum, rectam rationem exigere, ut gloria non decernatur, nisi praevideatur meritum: electionem post merita magis convenire divinae sapientiae, justitiae et bonitati, tum et hominis liberae voluntati: ita animos ad opera bona vehementius accendi, et plenius removeri desperationis periculum etc.

His breviter indicatis libentissime adjicimus S. *Francisci Salesii*, Genevensis Episcopi, testimonium, qui 26. Augusti anni 1618 haec scripsit ad Patrem *Leonardum Lessium* S. J.: *Sententia illa antiquitate, suavitate, ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissima de praedestinatione ad gloriam post praevisa opera, sane mihi gratissima fuit, qui nimirum eam semper, ut Dei misericordiae ac gratiae magis consentaneam, veriorem et amabiliorem existimavi, quod etiam tantisper in libello de amore Dei indicavi.* Et revera lib. III. cap. V. eam expresse docet, et probat ex verbis cujusdam Collectae, in qua Ecclesia ait, Deum misereri omnium, quos suos fide et opere futuros esse praenoscit.

PROPOSITIO IV.

Deus neminem absoluto decreto ad interitum praedestinavit, et reprobationis causa sunt peccata.

Probat. I. Jam aliquoties observatum est, nihil frequentius in Scripturis occurrere, quam divinae voluntatis in salutem omnium hominum incumbentis testificationes; deinde, quod ex hac Dei voluntate sequitur, neminem exceptum fuisse a sanguinis Christi oblatione *a)*. Verum ex his sponte fluit,

a) Vid. huj. Partis cap. II.

quod asserimus, neminem a Deo ad interitum destinari absoluto decreto; quis enim dicat, Deum salvos velle eos, quos, ut Calvinus ait, nudo suo arbitrio in mortis exitium crearet, ut irae suae organa forent?

Prob. II. Scripturae disertis verbis docent, neminem a gloria excludi et aeternis suppliciis destinari, nisi propter praevisa peccata. Matth. XXV. *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare etc.* Et ad Roman. II, 9. *Ira et indignatio in omnem animam hominis operantis malum.*

Probat. III. *Ex Conciliis et Patribus.* Arausican. II. Can. XXII. sic habet: *Aliquos ad malum divina potestate praedestinatos non solum non credimus; sed etiam, si sunt qui tantum malum velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Valentinum III. Can. III. definit: *In damnatione perditorum meritum malum praecedere justum Dei judicium.* Et Trident. Sess. VI. Can. XVII. *Siquis justificationis gratiam nonnisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate praedestinatos ad malum, anathema sit.* Ex SS. Patribus unum citabimus *Augustinum*, et ejus fidelissimum discipulum S. *Prosperum*. Primus lib. III. contra Julian. cap. XVIII. ait: *Bonus est Deus, justus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus; non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Secundus Respons. III. ad Capitula Gallorum. *Quod hujusmodi*, inquit, *in haec prolapsi mala, sine correctione poenitentiae defecerunt, non ex eo necessitatem habuerunt, quia praedestinati non sunt: sed ideo praedestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria praevaricatione praesciti sunt.*

RESPONDETUR ADVERSARIIS.

Dicunt contra I. propos. Doctrina de praedestinatione plena est offensionis, omnemque salutis curam et sollicitudinem extinguit, cum quisquis ita ratiocinari possit: aut e numero sum electorum, aut non sum. Si ex illo sum numero, fieri non

potest ut a salute excidam: si non sum, nullo meo conatu salutem adipisci potero. Ergo etc.

Respondet S. Augustin. *a)*. *Ista nos a confitenda Dei gratia, id est, quae non secundum merita nostra datur, et a confitenda secundum eam praedestinatione Sanctorum deterrere non debent: sicut non deterremur a confitenda praescientia Dei, siquis de illa populo sic loquatur, et dicat: Sive nunc recte vivatis, sive non recte, tamen vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse praescivit, vel boni, si bonos; vel mali, si malos.* Et quidem ejusmodi argumenta nullius momenti esse possunt, cum praedestinatio ipsa includat merita, per quae Deus ad felicitatis praemium nos destinat. Quamobrem, ut scite observat Petavius *b)*, falsa est haec enuntiatio: Quidquid agas, nihilominus ad salutem pervenies, si sis electus; non enim alia ratione pervenies, quam per illa pietatis officia, quae te libere facturum praevidit Deus.

Dicunt II. contra III. propos. 1.° Scriptura de praedestinatione ita loquitur, ut certum sit, praedestinationem causam esse gratiae et justificationis; et cum singula ejus testimonia depromere longum esset, haec exempli loco apponimus. Matth. XXIV, 22. *Propter electos breviabuntur dies illi.* Actor. XIII, 48. *Crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam.* Ephes. I, 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti* etc. 2.° S. Augustinus, cujus maxima in hac controversia debet esse auctoritas, aperte praedestinationem gratuitam defendit. 3.° Qui ordinate et sapienter agit, prius intendit finem quam media. 4.° Si electio ad gloriam ex meritorum praesensione suspensa sit, tollitur mysterium, nec est, cur ad incomprehensibilia Dei judicia recurramus. Ergo etc.

Resp. ad I. Constat, eos qui de divina praedestinatione disputant, quamvis contrarias opiniones sequantur, omnes tamen Scripturae testimonia in suas partes trahere. Quamobrem non tam ad verba ipsa attendendum est, quam ad sententiam verborum, et illa interpretatio caeteris praeferenda, quam communis Traditio et vetustorum Patrum sententia commendat. Nullus est Scripturae locus, quem non optime de ea praedestinatione intelligere possumus, quae praevisa merita consequitur. Quis enim

---

a) Lib. de dono persev. cap. XV. — *b)* De praedest. lib. IX. cap. XV.

concludat, illos qui Matth. XXIV. electi dicuntur, ante omnia merita fuisse praedestinatos? Et si Deus dies illos abreviare dicitur, ne eorum fides in tanta calamitate deficiat, hoc novum Dei beneficium est, prioribus additum, et piis eorum meritis ac constantiae tributum; haec perseverantiae finalis gratia, quam speciale Dei donum esse nemo dubitat. Locus Apostoli ad Ephes., quemadmodum et alii complures, qui nobis opponuntur, de praedestinatione ad gratiam intelligi debet; alii iterum de praedestinatione in genere agunt, atque idipsum evincunt, quod nos propositione prima adstruimus. Sic et illa verba: *Crediderunt, quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam*, praeordinationem probant quidem; an autem ad fidem ideo pervenerint, quia fuerant praeordinati; an potius fides praeordinationem sicut re et actu, ita etiam praevisione praecesserit, nullo verbo indicatur.

Ad II. Quae S. Augustini hac in re sententia fuerit, adhuc finitum non est inter Theologos. *Petavius* et *Maldonatus* volunt, eum praedestinationem docuisse ante merita, ideoque deserendum putant. Alii contrarium contendunt. Vid. quae in Probatione dicta sunt.

Ad III. neg. ant. generatim sumptum. Qui finem aliquem vult absolute et efficaciter, prius quidem finem eligit, dein media. At non ita agit, qui finem intendit a conditione pendentem: ut si quid tanquam praemium aut merces proponitur iis, qui libere velint ea exequi, quibus ad propositam laborum mercedem perveniant.

Ad IV. Manet mysterium, manent arcana Dei et inscrutabilia judicia, tametsi praedestinationis decretum dicamus ex meritorum praesensione manare. Unde enim haec merita, nisi ex Dei gratia? Et haec quam diverso modo a Deo distribuitur! Quae autem ratio unquam assequi poterit, cur unus ita vocetur, sicut Deus scit illi congruum esse ut sequatur; alter non ita? Cur ex duobus justis unus educatur ex hac vita dum justus est; alter post multa bona opera prolapsus, dum in peccato est, e medio tollatur? Quis explicabit, cur apud Tyrios et Sidonios facta non sint prodigia, quibus, ut Christus ipse testatur *a)*, ad fidem et poenitentiam fuissent adducti? Cur illa econtra in Corozaim et in Bethsaida patrata sint, ubi fidem non invenerunt? Cur ex

---

a) *Matth.* XI, 21.

duobus parvulis, quorum una est eademque causa, unus assumatur per misericordiam, ut ait August. *a)*, alter per judicium relinquatur; unus ad Baptismum perveniat, alter, antequam detur, expiret etc. En quam multa sint, quorum latent et in occulto sunt causae, et quorum admiratione defixus Apostolus exclamat: *O altitudo!* De his quoque *Augustin.* loquitur, cum ait *b)*: *Si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadetur, ut persuadeatur, illi autem non ita; duo solum occurrunt interim, quae respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! et: Numquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quaerat doctiores, sed caveat ne inveniat praesumptores.*

Atque haec ad reprobationis aeque ac praedestinationis materiam pertinent; unde necesse non erit ad ea iterum recurrere.

Dicunt III. contra IV. proposit. 1.° Apostoli sententia est: solam, sicut electionis, ita et reprobationis causam Dei voluntatem esse, qui absque praecedentibus meritis, cujus vult miseretur, et quem vult indurat. Legatur prae caeteris caput IX. ad Roman. ubi Apostolus hanc doctrinam multis modis inculcat, et obloquentes hac reprehensione retundit: *O homo, tu quis es, ut respondeas Deo? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* 2.° Notum est, S. Augustinum haec Apostoli verba de reprobatione ante propriorum delictorum merita intellexisse, hancque S. Patris doctrinam fuisse, ob unius originalis criminis noxam damnari, quotquot in massa perditionis relicti sunt. Ergo etc.

Resp. ad I. Multa a commentatoribus in haec aut alia Apostoli loca conscripta sunt, quae recensere nimis longum esset. Hoc unum observamus, ex Apostoli scopo perspicuum esse, ipsum eo loco exemplo uti Jacobi et Esau, ut ostendat vocationem ad gratiam fidei plane gratuitam esse, nec ullis naturae vel legis Mosaicae meritis debitam, contra quod superba Judaeorum jactantia contendebat. Igitur certum est, 1.° Esau non fuisse rejectum a salute, quam eum acquisivisse probabile est, sed a jure primogeniti, quod cum benedictione Abrahae et Isaaco facta translatum est in Jacobum; 2.° Apostolum hoc exemplo Judaeos edocere,

---

a) Enchir. cap. XCVII. — *b)* De spirit. et litt. cap. XXXIV.

Deum nemini debere gratiam fidei propter opera legis, cum ipse det cuilibet pro bona voluntate. Hunc trahit gratia uberiore et congrua, illum non ita trahit. Hunc ita vocat ut obsequatur, illum non ita vocat. In hoc mysterium est, de hoc Augustinus ait *a*): *Noli velle judicare, si non vis errare.* Verum haec ad praesentem quaestionem non pertinent. Nunquam ex Scripturis evinci poterit, Deum, nulla habita ratione bonorum aut malorum meritorum, alios eligere ad vitam, alios a salute repellere.

Resp. ad II. S. Augustinus multis videtur in ea sententia fuisse, quod causa sufficiens reprobationis sit peccatum originale; quod ex massa communi damnata et perdita nonnulli eruantur per misericordiam, alii justo judicio relinquantur; atque haec quoque magni Petavii de Augustino sententia fuit. Sed alii sunt Theologi, ut supra observatum est, qui nihil non agunt, ut tanti Patris auctoritatem sibi vindicent; atque inter alios *Tournelius* haec habet *b*): «Doctissimus Petavius candide agnoscit, hic nobis « S. Augustinum adversari, quem ipse hac in parte deserit: sed « qua libertate ipse Augustinum, eadem et nos Petavium hic « deserimus.» Deinde respondet ad objecta ex S. Augustino testimonia. — Caeterum bene intelligendum est, qua ratione peccato originis adscribi possit reprobatio. 1.° In parvulis, qui ante baptisma ex hac luce rapiuntur, reprobatio ex sola originali culpa duci potest. 2.° Infideles adulti tum ob peccatum originale salutari unda non dilutum, tum ob peccata propria voluntate commissa reprobantur. 3.° Iis, qui semel in Christo renati sunt, nunquam deinceps originale peccatum ad reatum aeternae damnationis imputatur. *Nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu...* ait Apost. Rom. VIII. et Trid. Sess. V. n. V. Ergo dimisso per baptisma originali peccato, et aliis, si quae antea fuerint, eorum non habetur ratio in poenis decernendis. *Sine poenitentia enim sunt dona Dei.* Rom. XI, 29. Hanc quoque S. Augustini, ejusque discipulorum sententiam fuisse in Probatione ostensum est. *Certum et immobile teneamus*, ait *Augustinus c), non esse iniquitatem apud Deum, qua quemquam sine malis meritis damnet.* Unde si S. Pater ipsam originalem noxam

---

a) Tract. XXVI. in Joan. *b)* De Deo, quaest. XXIII. de reprobat. art. II. *c)* Coloss. I, 9. 10.

tanquam fontem adstruere videtur reprobationis, illud ita intelligendum est, quod nulla essent peccata propria, quibus aeterna damnatio addictur, nisi praecessisset originale peccatum; quod hac ratione est causa per accidens et non ex se damnationis; cum ex hujus peccati velut reliquiis, ignorantia nimirum et concupiscentia, alia peccata fruticentur.

CONCLUSIO.

Nemo est in rebus Theologicis vel parum versatus, qui nesciat, operosam valde et difficillimam esse hanc tractationem; neque fieri posse, ut de gratia Dei recte aliquis, nisi opitulante hac ipsa gratia, loquatur. Unde si inter tot errorum scopulos rectum iter servare et incolumem deducere navem contigit, id utique Deo et Patri luminum acceptum referimus. At non propter nos tantum coeleste lumen efflagitavimus, dilectissimi Candidati, sed ut vestrae possemus utilitati consulere, et ostendere vobis, ubi sit virtus et sufficientia nostra, quo confugiendum, si volumus curam gerere salutis nostrae et aliorum. Itaque satagite, ut gratiae divinae participes effecti, quae sit vis ejus et efficacitas in vobis ipsis experiamini. Ostendet autem Deus virtutem gratiae suae in vobis, si vestrae imbecillitatis conscii, humili mente ad eum accedatis, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit. *Ideo et nos non cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spirituali: ut ambuletis digni Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei a).*

---

a) Ad Coloss. I, 9. 10.

LIBER SEXTUS.

DE SACRAMENTIS.

Post eam, quam superiore libro instituimus, de gratia Christi tractationem, contractam quidem sed satis pro instituto copiosam, nunc operae pretium est, ut, qua ratione et quibus veluti canalibus haec ad nos Dei dona dimanent, videamus. Voluit clementissimus Deus et Servator noster, ne in aliquo infirmitati nostrae deesset, sacros publicosque gratiarum fontes aperire, in Ecclesia sua jugiter manantes. Voluit ut homines, qui corpore et anima constant, quique ad spiritualia vix aliter quam per corporalia possunt assurgere, per signa quaedam externa dona coelestia degustarent ac perciperent. Id autem perfecit per Sacramentorum institutionem, quae totidem sunt divini in nos amoris monumenta permanentia et sempiterna. Haec merita in se continent Redemptoris et sanguinis effusi pretium, et inexhaustas divinae in nos largitatis opes, quibus abunde cumulantur, quotquot participes efficiuntur amicitiae Dei.

Difficillima semper et maxime operosa Theologis visa est accurata de Sacramentis tractatio, utpote quae infinitam propemodis rerum tum veterum, tum recentiorum notitiam postulat. Sunt enim multa omnibus Sacramentis communia, quae eo majori diligentia excipienda sunt, quo magis ad singulorum cognitionem sunt necessaria. Sunt et alia cuilibet Sacramento propria, quae plane perspecta esse oportet viro ecclesiastico, cum haec sint in quotidiano usu posita, et partem maximam efficiant sacri quod peragere debet ministerii. Quis enim audebit incertis vestigiis incedere in re tam gravi, in qua nonnisi cum maximo et nostro et aliorum

periculo erratur? Valde nos in hac discussione coarctant angusti quibus circumcribimur limites. Quod utique multo magis dolendum esset, nisi sciremus, hanc materiam in alias etiam sacras disciplinas late diffundi; nulla enim est, quae sibi non partem aliquam vendicat in hujus argumenti expositione. Multa Theologia moralis tanquam sua occupat; multa sibi attribuunt juris canonici tractatores; habet et Theologia pastoralis partem suam, habet et suam Liturgia non exiguam. Ergo ne, quod in hac materia saepe contingit, falcem mittamus in alienam messem, illa tantum nobis sumamus paulo accuratius exponenda, quae ad Theologiam dogmaticam pertinere dignoscuntur; caetera aut omnino praeterire, aut levissime tantum attingere propositum est. Vehementer autem S. Theologiae Candidatis inculcamus, ut illi partem nullam praetereant, sed quae unaquaeque disciplina habet ad rem sacramentariam pertinentia, diligentissime evolvant, ut sciant bene praeesse ministerio, et res sanctissimas digne et salutariter impertiri fidelibus; his enim maxime pietas et religio Christiana continetur. Non fufficit ut *nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Sed *quaeritur etiam inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* I Cor. IV, 1. 2.

Ante Novatores vix aliqua de Sacramentis agitata fuit controversia. Non, quod nemo antea hac de re perverse senserit; sed quod obscuri tantum nominis hostes surrexerint, aut ejusmodi, qui, aliunde deducta haeresi, reperti sunt quasi casu in Sacramentorum doctrinam impegisse. Nam, cum Sacramentorum fides tota sit in praecipuis Religionis nostrae mysteriis fundata; consequens est, haec impugnari et convelli non posse, quin illa quoque corrumpatur, aut pereat omnino. Veteres errores, ut *Bellarminus* observat *a)*, ad quatuor capita revocari possunt. Quidam Sacramenta omnia e medio tollere conati sunt, et spiritales se mentientes, cum tantum fanatici essent, nihil se egere contendebant exterioribus signis. Huc *Fratricelli* et *Beguini* pertinent, et ex antiquis ii, quos S. Epiphanius *Archonticos*

a) De Sacram. in genere cap. I.

vocat *a)*. Alii, si non omnia, at aliqua tamen Sacramenta sustulerunt. Sic *Novatiani* Confirmationem et Poenitentiam negabant *b)*, *Manichaei* Baptisma et Matrimonium *c)*, Albigenses Confirmationem, Poenitentiam, Ordinem et Extremam Unctionem etc. Tertia classis eorum est, qui Sacramenta virtute et efficentia sua spoliabant *d)*. Quarta demum eos complectitur, qui certa Sacramenta non recte intelligebant vel administrabant; ut qui baptisma dicebant non esse in nomine SS. Trinitatis conferendum *e)*, Eucharistiam verum Christi corpus non continere *f)*; Ordines etiam foeminis conferri posse etc. *g)*.

Verum quid necesse est antiquos errores recensere, qui vel paucorum tantum fuerunt, aut certe jam diu una cum haeresibus, ex quibus progeniti fuerant, interierunt? Exigua haec videri possunt, si ad illa attendatur gravissima et atrocissima bella, quae Novatorum sectae in Ecclesiam intulerunt. Quamvis enim inter se acerrime pugnaverint sectae istae, et mutuis odiis exarserint; omnes tamen in id summa pertinacia incubuerunt, ut non ritus modo Ecclesiae et universam ejus disciplinam, sed et Sacramenta ipsa, sed sacros illos, quos Servator noster in omnem suam Ecclesiam effluere fecerat, gratiarum fontes, aut obturarent, aut turbidos facerent. Ut autem hoc tantum malum latius propagaretur, et salutis remedia eriperentur Christianis, aut in venenum verteretur, quae curandis animabus data fuerat medicina, mirum est, quot artes, dolos, machinationes, et violentos, ubi vires aderant, impetus adhibuerint. Sed de his Novatorum erroribus crebrior erit dicendi occasio.

Haesit aliquamdiu animus, qua partitione in argumenti hujus tractatione uteremur. Strictior quidem videtur ea tractandi ratio, quae duabus partibus, primum de Sacramentis in universum, tum de iisdem speciatim ageret. Sed

---

a) Haeres. XL. Item Theodoret. de Haeret. fabulis lib. I. *b)* Epiph. Haeres. LIX. et Theodor. loco citato lib. III. *c)* August. Haeres. XLVI. *d)* Vid. Epiph. Haeres. LXXX. August. Haeres. LVIII. etc. *e)* Theodoret. l. c. lib. LI. *f)* Ignat. Ep. ad Smyrn. Theodoret. Dialog. III. Lanfranc. lib. adv. Berengarium. *g)* Epiphan. Haeres. XLIX.

mox apparuit, nullam esse inter duas has partes justam proportionem, neque ordini et claritati satis consultum fore ejusmodi divisione, accurata quidem, sed nimis impari, propter rerum quae ad secundam partem pertinent varietatem et abundantiam. Satius itaque visum est, in quinque partes secare totum opus.

I. erit de Sacramentis in genere.
II. de Baptismo et Confirmatione.
III. de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.
IV. de Poenitentia et Extrema Unctione.
V. de Ordine et Matrimonio.

PARS PRIMA.

DE SACRAMENTIS GENERATIM.

De Sacramentis in universum acturi ab usitato ordine et methodica ratione non recedemus. Itaque ordiemur ab iis quae naturam Sacramentorum spectant; tum de existentia et numero Sacramentorum; deinde de causis eorum extrinsecis; ac demum de eorum virtute et efficacia, quae instituti nostri sunt, dicemus breviter.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA SACRAMENTORUM.

Duo nobis hic occurrunt indaganda: primum est, quae sit notio et definitio Sacramenti; secundum, quibus partibus constet, seu quae sit ejus veluti physica natura.

§. I.

Notio et definitio Sacramenti.

OBSERVANDA.

I. Sacramenti nomen aliter a profanis quam ab ecclesiasticis Scriptoribus acceptum est. Veteres Latini, ut Varro auctor est, Sacramentum vocarunt pecuniam illam, quae a litigatoribus deponebatur in sacrum usum, si causa caderent; tum et jusjurandum hoc nomen accepit, aut quidquid jurejurando agebatur: inde usitata apud profanos vox *sacramenti militaris.* Apud Christianos sacramenti nomen vocabulorum inopia peperit. Graeci valde proprie μυστήριον appellaverunt quidquid ejusmodi est, ut prima specie commune quiddam et vulgare esse videatur, intus autem aliquid sanctum et divinum contineat, quod non licet in vulgus indicare. Quod autem Graeci *mysterium* dicunt, hoc Latini *Sacramentum* nominant. Unde nihil potest ineptius cogitari, quam quod Novatores sacramenti nomen repudient, ea de causa, quod in sacris litteris non extaret; latinum enim nomen est, quod in primigenio Scripturae textu insulse quaereretur; at saepe in latina interpretatione legitur, et, sicut graeca vox μυστήριον, passim pro re sacra sed occulta, aut illius signo usurpatur. *Nescierunt Sacramenta Dei.* Sap. II, 13. *Magnum pietatis Sacramentum.* I Timoth. III. *Sacramentum septem stellarum.* Apoc. I. etc.

II. Ut autem ad nostrum argumentum propius accedamus, videndum nunc est, quid proprie illud sit, quod nos peculiari quodam modo Sacramentum appellamus. Haeretici varias excogitarunt Sacramenti definitiones; nec mirum, cum a veritate Catholicae doctrinae multiplici ratione recesserint. Id enim solemne ipsis est, ut primum sibi dogmata fingant pro libitu, deinde definitiones ad praeconceptam opinionem accommodent. *Socinianis* Sacramentum est *nudum et simplex signum, quo Christianus a Judaeo et Gentili distinguitur. A Zwinglio* definitur: *Oppignoratio, qua se homines obligant Christo, ejusque Religioni dant nomen. Lutherus* ait *a)*, Sacramentum esse *promissionem Dei, signo externo annexam.* Huic definitioni consentiunt Lutherani

---

a) De captiv. Babyl. cap. ult.

omnes, sed eam paulo magis explicant; sic enim definit Apologia Confessionis Augustanae art. XIII.: *Sacramentum est ritus, qui habet mandatum Dei, et cui addita est promissio gratiae. Calvinus* aliam protulit Sacramenti definitionem ex Zwinglii et Lutheranorum, ut videtur, sententiis compositam. « *Sacramentum*, ait, *externum est symbolum, quo benevolentiae erga nos suae promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostrae imbecillitatem, et quo nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo et Angelis, quam apud homines testamur.*» Hanc definitionem propius examinat et excutit *Maldonatus a)*, eamque in omnibus suis partibus captiosam esse ostendit, in multis falsam. Fatendum tamen, ipsa Calvini verba ut sonant, et a totius Calvinianae doctrinae complexu praecisa, nihil habere a dogmate Catholico alienum; similia de Sacramentis in Catechismo Conc. Trid. legimus; et saepe Protestantes in suis definitionibus non tam peccant in iis quae dicunt, quam in iis quae non dicunt. Sacramenta id quidem sunt quod illi volunt, sed non id solum; omnes siquidem hoc capitali errore laborant, quod Sacramentis *signi practici* rationem adimant, et vim nullam ipsis tribuant efficiendi sanctitatem sive gratiam.

III. Etiam apud Catholicos auctores variae leguntur Sacramenti definitiones; quae tamen omnes sensum orthodoxum habent, tametsi verbis discrepent, et aliae minus, aliae magis evolutae sint et explicatae. Illud Veterum, quod Sacramentum sit *signum rei sacrae*, nominis quaedam interpretatio est, at rei definitio dici non potest, quia Sacramentum ab alio quovis signo non distinguit. Melius et accuratius definiunt, qui secuti sunt, rerum divinarum tractatores. *Magister sententiarum* sic habet *b)*: *Sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma, ejusdem gratiae imaginem gerens, et causa existens.* S. *Thomas* ait *c)*: « *Sacramentum est signum sensibile sacrae rei, in quantum (haec res « sacra) est sanctificans.*» Catechismus Concilii Trident. in hujus quaestionis expositione valde dilucida duas Sacramenti definitiones affert, quae tamen in eundem sensum recidunt. Prima his verbis continetur *d)*: *Sacramentum est invisibilis gratiae visibile signum*

---

a) Disputat. generali de Sac. pag. 11. *b)* Lib. IV. D. I. *c)* III. parte q. LX. art. II. *d)* Part. II. cap. I. q. III.

ad nostram justificationem institutum. Et paulo post *a)*: *Ut explicatius*, inquit, *quid Sacramentum sit, declaretur, docendum erit, rem esse sensibus subjectam, quae ex Dei institutione sanctitatis et justitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet.* His consonant omnes Theologorum nostrorum definitiones, atque inter caeteras ista, quae videtur accuratius Sacramenti naturam exprimere: *Sacramentum est signum sensibile a Deo lege stabili institutum, quod sanctitatis tum significandae, tum efficiendae vim habet.*

IV. Una omnium sententia est, definitionem hanc omnibus novae legis Sacramentis convenire. Verum id quaeri solet, an istud ipsum etiam veteris legis Sacramentis commune sit, ut sanctitatem significandi et efficiendi vim habeant. Plurimi contendunt, discrimen inter veteris et novae legis Sacramenta in hoc positum esse, quod illa gratiam significent tantum, haec autem, quod significant, etiam operentur in nobis; in quo non videntur satis accurate naturam Sacramentorum exprimere. Omnia enim Sacramenta, quaecunque illa sint, hoc ex natura sua habent, quod sint signa practica, quae idipsum efficiunt, quod proxime et immediate significant. Hinc Sacramentorum differentiam in eo potius collocandam censemus, quod illa quae Christus in nova lege instituit, proxime et immediate sanctitatem internam et gratiam, qua vere justi efficimur, significent, eamque efficiendi vim habeant: cum vetera veram et interiorem sanctitatem mediate tantum adumbraverint: proxime autem et immediate sanctitatem legalem, seu consecrationem aliquam aut destinationem ad cultum divinum significaverint, et quod ita significarunt, etiam effecerint. Haec si bene intelligantur, facillimum erit, figuras quasdam veteris Testamenti, quae utique signa erant rei sacrae, a Sacramentis secernere. Illae enim figurae eventus quidam erant transeuntes, non signa practica a Deo instituta, ut permanerent tanquam rudimenta Religionis, aut caeremoniae sacrae, quae sanctitatem aliquam saltem legalem aut externam operarentur. Hinc nec sacrificium Abrahae, nec serpens aeneus, quamvis Christum in cruce mortuum significabant, nec transitus maris rubri, qui figura erat Baptismi, nec manna,

---

a) Ibid. q. VI. n. 2.

quod panem vitae adumbrabat, quo in S. Eucharistia vescimur, proprie Sacramenta vocari possunt.

V. Nobis potissimum de Sacramentis novae legis agendum est, quorum tanta est et tam praecellens dignitas, ut veteris Testamenti Sacramenta, si cum illis conferantur, merito infirma et egena elementa vocentur ab Apostolo *a)*. Quae a Christo in nova lege instituta sunt, vere ac proprio sensu sunt signa practica gratiae; quia sanctitatem ipsam veram et intrinsecam efficiunt, et quod intus operantur, exterius ritu sensibili designant. Unde inter Sacramentum et illud ipsum quod significat, similitudo aliqua intercedat necesse est; uti docet *Augustinus b)*: *Si non haberent similitudinem eorum, quorum sunt Sacramenta, omnino Sacramenta non essent.* Sic Baptismus animam mundat, et maculas abstergit peccatorum; ideo completur in aqua: Eucharistia reficit, et ob id panis et vini speciem accipit: Unctio fovet, idcirco ministratur in oleo: in Poenitentia sub aperta forma judicii, illud interius judicium licet agnoscere, quo ab invisibili judice reus vel absolvitur, vel ligatur. Porro et illud observant sacri Doctores, Sacramenta triplici ratione signa esse sanctitatis et justitiae; nam praeter justitiam nostram duo alia cum justitia maxime conjuncta declarant: Christi scilicet Redemptoris passionem, quae sanctitatis causa est, et vitam aeternam, ad quam justitia nostra tanquam ad finem referri debet.

§. II.

Quae sint partes Sacramentorum.

OBSERVANDA.

I. In hac quaestione quaedam sunt ad fidem Catholicam pertinentia; sunt et alia, de quibus inter Theologos disceptatio est, quam tamen componere non esset admodum difficile. In hoc omnes conveniunt, quod dicant Sacramenta N. L. ex materia et forma constitui; quamvis non eadem omnes ratione illud intelligant. Sacramenta enim, quamvis proprie neque compositum aliquod physicum appellari possint, neque artificiosum, habent tamen quandam cum utroque analogiam. Et quidem si cum re

a) Galat. IV, 9. *b)* Epist. ad Bonif. XCVIII. alias XXIII.

arte facta comparatur Sacramentum (est enim et ipsum res quaedam artificiosa), tum sine dubio *materia* est illud omne, quod rationem signi habet, quod sensibus percipitur, sive res, sive verba: *forma* autem, quod neque videtur, neque auditur, scilicet tam rerum, quam verborum significatio. At potest etiam Sacramentum considerari, ut est simile composito physico, et ita verum est, quod vulgo dici solet, Sacramentorum materiam esse res, formam verba. Quod ita explicat *Bellarminus a*): «Ut in « composito physico materia praecedit, forma accedit; ita in « Sacramento verbum accedit ad elementum. Item in composito « physico materia est indeterminata, sed coarctatur a forma; ita « in Sacramento verbum determinat indifferentiam Sacramenti. « Denique ut in composito physico materia est imperfecta, forma « est perfecta, et dat esse rei; ita in Sacramento verba sunt « rebus perfectiora, cum sint signa multo clariora et praestan« tiora.» — «Addenda erant verba ad materiam, ait Catechis. C. « T. *b*), ut apertior clariorque rei quae gerebatur significatio fie« ret. Verba enim inter omnia signa maximam vim habere per« spicuum est; ac si ipsa desint, plane obscurum erit quidnam « materia Sacramentorum designet ac demonstret. Ut in Baptismo « licet videre.» Notandum tamen, quod, cum dicimus Sacramenta rebus constare et verbis, illud non ita accipi debeat, quasi verba non possint *rei* locum tenere, et rem esse subinde adinstar *verborum*. Sic in Sacramento Poenitentiae confessio res dicitur aut materia Sacramenti: in Matrimonii autem Sacramento, omnium consensu, loco verborum sufficiunt nutus aut litterae.

II. Jam saepe observatum fuit a Theologis, veteres Ecclesiae scriptores nihil explicite de materia et forma Sacramentorum tradidisse. Communiter illi tradunt, duo in Sacramento reperiri, signum et rem sacram. Signi nomine intelligebant quidquid sensibus percipitur; rei sacrae aut invisibilis nomine gratiam seu effectum Sacramenti designabant. Eodem pene recidit, quod non raro etiam veteres dicunt, aliud esse Sacramentum, aliud rem Sacramenti. Tunc enim Sacramentum signum, res gratiam denotat. Ita et illud frequentissime occurrit, Sacramenta rebus

---

a) De Sacram. lib. I. cap. XVIII. *b*) Part. III. cap. I. quaest. VIII. n. II.

constare et verbis; qua in re notum est atque apud omnes pervulgatum illud S. Augustini testimonium *a)*: *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.* Tandem Theologi Scholastici *materiae* et *formae* nomina a Philosophia mutuati sunt, et in Sacramentorum doctrinam induxerunt. Quod tamen ante saeculi decimi tertii initia factum non est. Quippe nulla hujus methodi mentio occurrit apud *Anselmum*, *Hugonem Victorinum*, imo ne apud ipsum *Magistrum Sententiarum.* Hic quidem, lib. IV. Dist. 2. et 3., formae Baptismi meminit, sed formae nomine nihil aliud intelligit, quam ipsum verborum contextum, illam solemnem formulam, quae nisi praescriptis verbis enuntietur, effectum non habet. *Morinus* existimat, *Guillielmum Antissiodorensem* circa annum 1215 primum omnium partes Sacramentorum per materiae et formae vocabula distinxisse, quem loquendi modum ut commodum et utilem Ecclesia dein tum Graeca, tum Latina adoptavit; unde nunc ab eo recedere absque temeritate nemo potest.

III. Protestantes, qui Sacramenta non alio fine instituta esse contendunt, quam ut fidem alerent et excitarent, verba quidem adhibent in Sacramentorum administratione, sed illis vim nullam attribuunt efficiendi gratiam, et ad illud tantum valere dicunt, ut praesentium excitent et sustentent fidem. Contra Catholici docent, in verbis non minus quam in rebus vim inesse efficiendae gratiae, eaque vere consecratoria esse, non concionalia tantum. De his brevissime nunc dicemus: nam de vi et efficacia Sacramentorum alio loco tractabimus.

PROPOSITIO I.

Sacramenta omnia N. L. rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma constant.

Probat. Auctoritate universalis Ecclesiae. *Eugenius* IV. in Decreto ad Armenos ait: *Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conficientis Sacramentum.* Etsi hoc Decretum post Graecorum discessum in Synodo Florentina

---

a) Tract. LXXX. in Joan.

editum fuerit, et Eugenii nomine inscriptum: nihilo tamen minus a Latinis Patribus, qui Florentiae erant, probatum, et totius postea Ecclesiae consensu editum est. Quae *Concilii Trident.* tempore Ecclesiae Occidentalis Traditio fuerit, ex hujus Synod. Sess. XIV. cap. III. manifestum est. Ecclesiae Orientalis Traditionem exhibet Responsum *Jeremiae,* Patriarchae Cp., ad Wittembergenses, cap. VIII., ubi disertis verbis ait: *Omnia Sacramenta definitam materiam et formam habent; ut Baptismi materia est aqua, forma verba Sacerdotis etc.* Idem docet *Gabriel,* Philadelphiae Metropolita, in libello de Sacramentis; ita et in Synodo Hierosolym. sub *Dositheo* anno 1672 mentio fit materiae Baptismi.

Posset etiam haec nostra assertio probari inductione singulorum Sacramentorum novae legis; sed de his plura, cum de singulis Sacramentis tractabimus. Nullum quippe est, in quo non aliquid sit minus determinatum, quod materiae nomine signari solet, et aliud, quod rem ex se indifferentem ad unum potius quam ad aliud significandum determinet, et hoc formae nomen jure sibi vindicat. Inde illud S. Augustini effatum de Baptismo *a)*: *Detrahe verbum, quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.*

PROPOSITIO II.

Verba, quae in Sacramentis adhibentur, sunt consecratoria, non concionalia.

Probat. multiplici argumento. 1.° Scriptura certam et determinatam verborum formam praescribit: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Eucharistiam calicem benedictionis vocat, non concionis, quia mysticis verbis Christi sanguis consecratur. I Cor. X. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Deinde munus concionandi a munere administrandi Sacramenta prorsus distinguit. I Cor. I. *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* 2.° Ecclesia Catholica semper

a) Tract. LXXX. in Joan.

baptizavit infantes, idque vel ipsi Novatores faciunt. At si vera est eorum sententia, et verba Sacramentorum concionis adinstar adhibenda sunt, non videtur cur ii in sectam Anabaptistarum non concedant; quomodo enim vere baptizatur infans, si verbum, quo Sacramentum constat, nullo percipit modo? 3.° Ecclesia semper probavit Baptismum absque concione collatum, dummodo verba evangelica: *In nomine Patris* etc. enuntiarentur, etiam in lingua baptizato ignota. Imo adversus Donatistas definivit, valere haereticorum Baptisma, quamvis perversa esset eorum fides et praedicatio, dummodo verba a Christo praescripta integra redderentur. 4.° Idem ex pluribus Patrum testimoniis probari potest, qui ita de verbis Sacramentorum loquuntur, ut nulla ab illis instructionis, sed invocationis tantum et consecrationis mentio habeatur. Id liquet ex *Justino Martyre,* Apol. II., *Basilio,* de Spiritu sancto, *Cyrillo Jerosolym.,* Catech. III. et IV. etc. Inter alios ait *S. Ambrosius* lib. IV. de Sacram. cap. IV.: *Ubi accessit consecratio, de pane fit caro Christi.* Et August. lib. III. de Baptis. cap. XVI.: *Si Evangelicis verbis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum.*

VOCES OBLOQUENTIUM.

Dicunt contra I. prop. Necesse non est ut Sacramenta rebus simul et verbis constent. Nam 1.° in Poenitentia res nullae habentur; nec verba in Matrimonio a mutis contracto. 2.° In veteri lege, ubi praescribuntur ritus Sacramentorum, nulla fit mentio verborum. Ergo etc.

Resp. ad I. Necesse est ut Sacramenta id omne habeant, quod Deus ea habere voluit. Nam cum signa sint non naturalia, sed ex voluntate et beneplacito Dei instituta, eorum quoque natura a sola Dei institutione repetenda est. In ejusmodi rebus tota ratio facti, est voluntas facientis. Jam in praenotatis observatum est, verba posse rerum vices sustinere, quando sunt pars Sacramenti minus definita; quemadmodum et nutus, aut alia quaecunque signa, quae consensum exprimunt, verborum locum tenent in Matrimonio a mutis contracto; muti enim per signa loquuntur.

Ad II. Si Sacramenta V. L. rebus tantum et non verbis etiam constitisse concedimus, ratio est, quia nulla verborum forma a Deo praescripta legitur. At Sacramenta nostra rebus et verbis constitui, hancque Christi, qui Sacramentorum N. L. auctor est, voluntatem fuisse, ex Scriptura et constanti Ecclesiae Traditione apertum est. Et quamvis ulterius inquirere necesse non sit, ubi de Christi voluntate constat, adsunt tamen etiam rationes, quibus idipsum suaderi possit. Lex vetus imperfecta erat, figura et umbra futurorum; unde et Sacramenta habebat imperfecta admodum et obscura, neque necesse erat, ut praeter ritus externos verba adhiberentur, quae expressius significant. At legis novae perfectio et dignitas postulare videbatur, ut Sacramenta nova, a Christo ipse instituta, signa essent in genere suo perfecta, et ideo non obscuram, sed distinctam haberent significationem, quam verba ipsa prae aliis omnibus signis efficiunt.

Inst. 1.° Materia et forma non possunt totum aliquod, aut compositum efficere, nisi indivise sint conjunctae, et simul existant: atqui res non ita se habet in Sacramentis; haec enim valent, quamvis inter formam et materiam intervallum aliquod intercedat; ut cum in Baptismo verba proferuntur post factam ablutionem. 2.° In Eucharistiae Sacramento verba rationem formae habere non possunt, quia Sacramentum permanet, verba autem non permanent.

Resp. ad I. Sacramentum est compositum morale, non physicum; materiam autem et formam habere dicitur propter aliquam tantum, quam cum composito physico habet analogiam. Unitas ergo et veritas Sacramenti sibi constat, cum rebus verba, aut vicissim res verbis ita succedunt, ut una sit actio, non physice, sed moraliter, et ex communi hominum judicio aestimata.

Ad II. In Sacramentis, quae in usu posita sunt, ut in Baptismo, verba omnino rationem formae habent, cumque verba rebus applicantur, fit quaedam non physica, sed moralis compositio, quae ad rationem signi sufficit. Verum Eucharistiae Sacramentum positum est in re permanenti. Unde materiam et formam habet cum perficitur, vel, ut loquuntur, *in fieri*. At *in facto esse* verba, quae transeunt, non possunt una cum rebus, quae permanent, unum efficere Sacramentum.

Dicunt II. 1.° Christus ipse praecepit Apostolis ut docerent et baptizarent. *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Matth. XXVIII. 2.° Sine concione verba Sacramentorum penitus sunt inutilia. Sic *Ambros. a): Aqua illa*, inquit, *quae in Baptismo effunditur, ad nullos usus futurae salutis est sine Dominicae crucis praedicatione.* In eandem sententiam citari potest celebris ille S. *Augustini* locus *b): Unde tanta vis aquae, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo; non quia dicitur, sed quia creditur?* Ergo etc.

Resp. ad I. Nemini dubium est, adultos instrui debere antequam Baptismum suscipiant, idque Ecclesia nunquam omisit. Sed instructio illa, etiam in mente Protestantium, Baptismi forma esse non potest, cum Protestantes ipsi infantibus Baptisma conferant, qui tamen doceri non possunt, et Baptisma Catholicorum non rejiciant, quamvis illud plerumque sine concione perficiatur. Quare ridenda potius quam refellenda est illa Calvini calumnia: *Incantationi similem esse quarundam vocum in peregrina ignotaque lingua mussitationem.* Quis enim unquam ita desipuit, ut verborum sono aut litterarum apicibus vim aliquam inesse crederet? Nos totum Sacramentorum effectum divinae virtuti adscribimus, neque verbis vim aliam tribuimus, quam quae a Christo ipsis indita est. Ut Deus verbo suo cuncta condidit, sic redemptionis nostrae mysteria certis verborum formulis perfici voluit.

Resp. ad II. Neque Ambrosius, neque Augustinus de illa praedicatione loquuntur, per quam fides in suscipiente excitatur, sed de verbis evangelicis, quibus Baptisma consecratur, et crucis dominicae merita nobis applicantur. *Mara*, inquit Ambros. in eodem loco, *fons amarissimus erat: misit in eum Moses lignum, et dulcis factus est. Sic aqua sine dominicae crucis mysterio ad nullos usus futurae salutis est; cum autem salutari fuerit crucis mysterio consecrata, tum ad usum spiritalis lavacri temperatur.* Sic et Augustini loco citato mens alia non est, quam nullam vim naturalem verbis inesse, quatenus soni quidam sunt voce expressi: sed supernaturalem esse, quam continent, virtutem; quia sensus verborum spiritalis est, et mysterium exprimit quod creditur. Unde mox addit: *Nam in ipso verbo aliud est sonus transiens,*

---

a) Lib. de iis, qui initiantur, cap. III. *b)* Tract. LXXX. in Joan.

aliud virtus manens. Et ibid.: *Hoc est verbum, sine quo procul dubio consecrari non potest Baptismus.*

Scholion. Quaerunt hoc loco Theologi, 1.° An Christus Sacramentorum materiam et formam ipse determinaverit? 2.° An materiae et formae Sacramentorum ita fixae sint et determinatae, ut nulla in illis immutatio fieri possit illaeso Sacramento? Primam quaestionem hic praetermittimus; erit enim locus de eo pauca disserendi, tum cap. III. hujus partis, tum postea, cum de Sacramentis in specie agetur. Secunda in multas iterum minutasque quaestiones diffunditur, quas solvere et elucidare aliarum magis disciplinarum, quam dogmaticae Theologiae opus est, quamvis non desint Theologi, qui in hoc quoque argumento diffusius versantur. Cfr. *Bellarm.* cap. XXI. — *Natalem Alex.* de Sacram. in genere, cap. III. prop. IV. *Tournel.* de Sacram. cap. II. art. II. punct. III. Card. *Gotti* de Sacram. etc.

Ne ergo longiores simus, unum hoc generale principium statuimus: Mutatio substantialis tum materiae tum formae veritatem Sacramenti omnino destruit; non item ea, quae est tantummodo accidentaria, quamvis et haec licita non sit, et peccet qui ita immutat. — Ratio hujus principii in promptu est; nam qui partem rei essentialem tollit, rem ipsam destruit. Deinde concedunt Protestantes, immutari non posse Sacramenti materiam: cur igitur non sit eadem ratio formae, quae in verbis consistit? Illud utique non inficiarentur adversarii, si nobiscum admitterent, verba Sacramentorum consecratoria esse, et non concionalia. Unde patet, hanc controversiam totam ab ea pendere, quae supra Propos. II. a nobis dijudicata est.

CAPUT SECUNDUM.

DE EXISTENTIA ET NUMERO SACRAMENTORUM.

OBSERVANDA.

I. Theologi quamplurimi, antequam de Sacramentorum existentia sermonem instituant, quaedam praemittunt de eorum necessitate; verum rem paulo attentius consideranti illico apparebit, tanti non esse hanc quaestionem, et quae de illa cum aliqua

ratione dici possunt, ad ipsam etiam Sacramentorum existentiam pertinere. Id enim diligenter observandum est, hic non agi de illa necessitate, quae Dei institutionem consequitur, et ex sola Dei, qui Sacramentorum auctor est, voluntate fluit; quaeque vel necessitas medii dicitur, vel praecepti; sed de ipsa necessitate institutionis et existentiae: deinde nullam admitti posse absolutam necessitatem; cum Deus gratiam nemini debeat, neque, si eam impertiri hominibus velit, Sacramentis indigeat. Liberum Deo est, sua dona eo quo vult modo dispensandi, ideoque Sacramentorum ratio certa et decretoria praeter Dei voluntatem afferri nulla potest. Tota ergo quaestio in rationibus congruentiae versatur, quas scire atque fidelibus exponere utilissimum est, non ut necessitas probetur Sacramentorum, sed ut appareat, quam ea sint divinae sapientiae et humanae naturae consentanea, quantum Deo debeamus laudis et amoris, cujus summa sapientia, et divina prorsus in pauperes et infirmos homines misericordia nusquam magis quam in hac Sacramentorum institutione elucet.

II. Jam causae, seu rationes convenientiae, cur Sacramenta institui oportuerit, plures numerantur. Praecipuae sunt: 1ª ut clarius appareret, gratiam quae per Sacramenta datur, a Deo esse; 2ª ut notae quaedam essent et symbola, quibus fideles internoscerentur, et Ecclesia visibilis per signa itidem visibilia in unum corpus adunaretur. *In nullum quippe Religionis nomen seu verum, seu falsum*, ut *Augustinus* docet *a)*, *coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur;* 3ª ut sint totidem testimonia fidei nostrae; per Sacramenta nempe, tanquam per voces quasdam visibiles, in hominum conspectu fidem nostram profitemur; 4ª ut ad humilitatem nos exerceant; aequum est enim, ut, qui rerum sensibilium principatum acceperat homo, cum obsequium praestare Deo noluit, nunc mundi elementis servire quodammodo cogatur; 5ª ex ipsa hominis natura et conditione desumpta est, qui vix aliter quam per sensibilia ad insensibilia eluctari potest. Quo illud S. Chrysostomi pertinet *b)*: *Si incorporeus esses, nuda ipse dona et incorporea tradidisset tibi: quoniam vero anima*

---

a) Lib. XIX. contra Faustum cap. XI. *b)* Homil. LXXXIII. in Matth.

corpori conserta est, in rebus sensibilibus intelligibilia tibi praebet. Mirum itaque videri non debet, tantam esse inter humanam naturam et Sacramenta similitudinem, ut haec videantur ad hominis imaginem instituta. Quemadmodum in homine duo uniuntur natura disjunctissima, et ex corpore et spiritu unus homo efficitur: ita et Sacramentum unum est aliquid ex duobus natura omnino diversis; habet enim aliquid quod sensibus percipitur, et quasi corpus est Sacramenti, et aliud quod spirituale est, et latet sub visibili elemento. Quemadmodum in homine pars illa, quae sensibus objicitur, infirma est et imbecillis, spiritu et vita destituta; vis autem omnis et vigor, ac totius hominis dignitas ex anima oritur: ita in Sacramento quae externa sunt, ac corporis locum tenent, ex se nihil prosunt, utpote omni supernaturali virtute destituta; at vim acquirunt coelestem, quando egeno elemento gratia, sicut anima corpori, infunditur. Item sicut in homine illud primum est, quod est corporale, anima autem corpus sequitur statuta a Creatore lege: ita primum Sacramenti ritus ponitur ab homine; ritui autem gratia Redemptoris stabili lege annectitur. Unde et illud consequitur, quod, quemadmodum solus Deus res tam dispares, spiritum et materiam, in unam hominis naturam conjungere potuit: ita et solus Deus auctor esse possit Sacramentorum; solus enim potest res divisissimas, ritum externum et gratiam, tam admirabili nexu copulare.

III. Haec generatim de Sacramentorum institutione praemittenda duximus; nunc ad diversos hominis status applicanda est quaestio. Novimus quantum sit inter innocentiae statum et naturae lapsae discrimen. Novimus triplicem iterum post peccatum hominis statum distingui. Primus ab Adamo deducitur ad Abrahamum usque, qui Circumcisionis legem a Deo accepit, imo usque ad Mosen, cui Deus legem suam dedit in tabulis lapideis exaratam. Secundus totum tempus Mosaicae legis complectitur. Tertius a Christo fluit usque ad saeculi consummationem. Quaeritur nunc: An in statu innocentiae Sacramenta extiterint, aut an institui debuissent, si is status perdurasset? Nobis vana videtur haec quaestio et nullius momenti; quis enim certi aliquid statuere audebit in iis, quae ab una Dei voluntate pendent, neque ulla revelatione nobis sunt cognita? Quod autem quidam dicunt, rationem illam congruentiae, quae ex ipsa hominis natura peti-

tur, ad statum etiam integrae naturae pertinere, in quo homo utique anima et corpore constaret; id verum quidem est, at vim probandi vix ullam habet argumentum istud, nisi ad statum illum attendatur, in quem homo per peccatum delapsus est. « *Eadem est hominis natura*, inquit S. Thomas *a)*, *ante peccatum, et post peccatum, non tamen idem est naturae status; nam post peccatum anima etiam quantum ad superiorem partem indiget accipere aliquid a corporalibus rebus ad sui perfectionem, quod in statu innocentiae homini necessarium non erat.* » Scilicet homo innocens et integer viribus, et lumine divinae Sapientiae perfusus, procul dubio non indiguisset sensuum adminiculo, ut ad invisibilia se converteret: at nunc, cum incommutabili veritate disserta in res sensibiles delapsus est, per sensibilia quoque ad insensibilia eluctari debet, *ut*, quemadmodum S. Gregor. ait *b)*, *quo casu anima venit ad infima, eo gradu revertatur ad summa.* Inde est, quod Patres imaginum et signorum sensibilium necessitatem passim peccato tribuant; et si de hominis natura loquuntur, eam tamen ab ea, in qua nunc est, conditione non separent. Praeclare hoc exprimit *Nazianzenus c): Medicamentum partim corporale, partim spirituale apertissime convenit in eos aegrotos, quorum natura corpore et spiritu continetur.*

IV. Ergo, sicut in statu innocentiae nihil est quod Sacramentorum institutionem probet aut exigat; ita omnia persuadent, vitiatam per peccatum naturam Sacramentis nunquam caruisse. Hic vim suam exerunt omnia, quae supra deduximus, argumenta; ostendunt enim, quam multiplici ratione homo lapsus et pristina nobilitate exutus Sacramentorum corporalium adminiculo egeat, ut denuo possit ad Deum contendere. Nunquam igitur illis caruit, cum Deus homini in necessariis non desit. Haec nos dubitare non sinunt, jam ante diluvium et revelationem Abrahamo et deinde Mosi factam, remedia quaedam parata fuisse hominibus, tum ad abstergendam originalem maculam, tum ad recuperandam sanctitatem per propria peccata amissam; haecque hominis conditioni fuisse accommodata, ideoque externa et sensibilia. Neque obstat illud S. Gregorii et aliorum dic-

---

(a Parte III. q. LXI. art. 2. *b)* Lib. XXVI. Moral. c. 8. *c)* Serm. de Baptism.

tum *a)*, *idem apud veteres valuisse pro parvulis solam fidem, quod apud nos valet aqua Baptismi.* Illi enim fidem interiorem a fidei professione non distinguunt, ac merito intelliguntur de fide in futurum Redemptorem, signo aliquo sensibili manifestata. *Probabile est,* ait S. Thomas *b)*, *quod parentes fideles pro parvulis natis, et maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem illis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei), sicut adulti pro seipsis preces et sacrificia offerebant.* Et S. *Augustin. c)*: *Nec ideo credendum, ante Circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura sacra latere voluerit. Nam et sacrificia eorum legimus, quibus utique sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccata mundi: apertius etiam legis jam tempore nascentibus offerebantur sacrificia pro peccatis.* Cf. *Melch. Canum* in relectione de Sacram. part. III., *Tourn.* de Sacram. q. II., *Catechis. Rom.* part. II. cap. I. q. VII. etc.

V. Idem S. Pater docet *d)*, Circumcisionem, ex quo instituta erat, in populo Dei fuisse signaculum justitiae fidei, et valuisse etiam in parvulis ad significationem purgationis originalis veterisque peccati; sicut et Baptismus ex illo valere coepit ad innovationem hominis, ex quo institutus est. Hanc doctrinam S. Augustini multi maximi nominis Theologi secuti sunt; quamvis aliis summis quoque et eruditissimis viris probabilius videatur, Circumcisionem in remedium peccati originalis non fuisse institutam. Neque argumenta desunt huic sententiae ex Scripturis et antiquis Patribus petita, quae si rem non plane conficiunt, priorem tamen sententiam infirmant, ac quaestionem in dubio relinquunt *e)*. Id porro semper manet inconcussum, etiam post datam Circumcisionis legem, pro foeminis, ac iis saltem masculis, qui ante diem octavam moriebantur, et demum pro veri Dei cultoribus ex Abrahamo non progenitis, remedium peccati

---

a) Lib. IV. Moral. cap. 2. *b)* Parte III. q. LXX. art. 4. *c)* Lib. V. contra Julian. cap. VI. *d)* Lib. II. de nuptiis et concupisc. cap. XI. *e)* Cf. *Tournel* loco citato q. III. art. III. Continuatorem Tourn. tom. VII. de Sacr. in gen. cap. III. art. I. concl. IV. — *Laurent. Berti*, t. III.

originalis aliud non fuisse, praeter illud, quod in legis naturae tempore adhibebatur. His nunc praemissis, quae obscuriora sunt et opinionum diversitate intricata, paucis ad hanc aliam quaestionem respondebimus, an Sacramenta extiterint in lege Mosaica? Non est in hac re diu laborandum, quae aperta est, et inter omnes finita. Sane *Eugenius* IV. in Decreto ad Armenos, et *Tridentinum a)*, Sacramenta veteris legis hoc ipso adstruunt, quod ea dicant dignitate et efficacia multum a Sacramentis N. L. distare. Idem argumentum ex celebri S. *Augustini* loco deducitur lib. XIX. contra Faustum cap. XIII. *Sacramenta veteris legis ablata sunt, quia impleta, et alia instituta sunt virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Ergo et Sacramenta sua habuit lex vetus, et quidem pene innumera. Abundat enim lex illa ritibus sacris, quibus nihil eorum deest, quae ad Sacramenti naturam requiruntur; erant enim signa gratiae a Deo stabili lege instituta, quae quamvis gratiam dare non poterant, eam tamen promittebant, et per Christum dandam significabant. Vid. *Melch. Canum*, loc. cit. part. V. de discrimine inter vetera et nova Sacramenta. *Bellarm.* lib. II. cap. XII. etc.

VI. Nunc ad eam quaestionem devolvimur, quae ad nos propius pertinet, quia de illo, in quo nunc vivimus, naturae statu agitur. Quaeritur autem 1.° An in lege nova necessaria fuerint Sacramenta? 2.° An aliqua fuerint revera instituta? 3.° Quaenam illa sint, et quis eorum sit numerus? Quod primum attinet, nihil addendum putamus ad ea, quae supra n.° I et II. de Sacramentorum necessitate generatim dicta sunt. Secundum discussione non indiget, tum quia nulla est Christianorum societas, quae non Sacramenta aliqua admittat, quamvis in numero dissentiat; tum quia haec quaestio a tertia necessario pendet: nam si numerum determinamus Sacramentorum, hoc ipso eorum existentiam adstruimus. Omnis ergo disquisitio in eo versatur, ut quot et quaenam sint N. legis Sacramenta videamus; atque in hoc magnum nobis certamen sustinendum est cum Novatorum sectis, quae, licet inter se discordes sint, omnes tamen ab antiqua et orthodoxa fide recedunt, in hoc uno consentientes, quod

---

a) Sess. VII. cap. II.

omnes a veritate dissentiant. *Lutherus* lib. de Captiv. Babyl. primum solum Baptismum videtur tanquam Sacramentum habere. Postea tria ait pro tempore ponenda esse, Baptismum, Coenam, et Poenitentiam. Demum rescissa Poenitentia duo tantum confitetur, Baptismum et Panem. Magistri inconstantiam imitati sunt discipuli. In Apologia Confess. Augustanae expressis verbis dicitur: « Vere igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Coena « Domini, Absolutio, quae est Sacramentum Poenitentiae; nam « hi ritus habent mandatum Dei, et promissionem gratiae. » — Haec communior olim Lutheranorum sententia fuit; quamvis ab exordio statim non pauci fuerint, quibus duo tantum admittere placuit. Inter hos *Bellarmin. a)* Illyricum recenset et Chemnitium, quos non immerito perjurii arguit, quod a doctrina Confessionis et Apologiae, in quam jurarunt, defecerint. *Zwinglius* lib. de vera et falsa Religione duo Sacramenta confitetur. Cap. *de Matrim.* addit etiam Matrimonium; at cunctanter et timide, metuens, ut ait, ne vocabulo Sacramenti, Matrimonii dignitas inquinetur (!) *Calvinus* ita mentem suam explicat lib. IV. instit. XIX. n.° 20. « Duo (in lege Evangelica) Sacramenta instituta: « Baptismus, et Coena Domini. Loquor autem de illis, quae in « usum totius Ecclesiae sunt instituta; nam impositionem ma- « nuum, qua Ecclesiae Ministri in suum munus initiantur, ut « non invitus patior vocari Sacramentum, ita inter ordinaria Sa- « cramenta non numero. »

Sed multae aliae fuerunt Protestantium opiniones. Alii quatuor Sacramenta admiserunt, tribus, quae Confessio Augustana habet, Ordinationem addentes ex Calvino. Alii his Matrimonium adjecerunt ex Zwinglii doctrina, et quinque confessi sunt. Demum Theologi plures Wittembergenses et Lipsiani in Concilio anno 1548. biennio post mortem Lutheri Lipsiae habito, septem admiserunt Sacramenta. Ideo *molles* dicti sunt, et graviter ab Illyrico reprehensi. Huic Concilio interfuit Melanchthon, vir hac in re, sicut in multis aliis, incertae semper et nutantis fidei. Quae Protestantium recentiorum sententia sit, superfluum est dicere. Nihil illi Sacramentis attribuunt, nihil fidei. Sola apud

---

a) Lib. II. de Sacram. cap. XXIII.

ipsos remanserunt Baptismi et Coenae non tam Sacramenta, quam vocabula.

PROPOSITIO.

Septem sunt legis novae Sacramenta, videlicet: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium.

Propositio fidem exprimit totius Ecclesiae Catholicae, quam ex fontibus Revelationis haustam Concilium Tridentinum Sess. VII. contra Novatorum errores solemni decreto sancivit. Canon I. ita sonat:

Siquis dixerit, Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo, Domino nostro, instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum; anathema sit.

ARGUMENTUM.

Haec Concilii oecumenici declaratio juxta strictas methodi leges sufficeret. Probavimus enim in Demonstratione Catholica, unam tantum esse veram Christi Ecclesiam; eam scilicet, quae omnium consensu Catholica dicitur; hanc Spiritu Dei regi, huic concreditum esse fidei depositum; hujus esse, fidei controversias infallibili judicio dirimere. Verumtamen, ne aliqua adversariis maneat criminandi occasio, ostendemus, non novam esse, quae a Concilio sancita est, doctrinam, sed partim ex Scripturis, partim ex antiqua et apostolica Traditione ad nos deductam.

Probatur I. Primum quidem illud removendum est, quod satis inepte ab adversariis objicitur, nusquam in Scripturis septenarium Sacramentorum numerum reperiri; nam etiam binarium aut ternarium numerum Scripturae non habent. Neque de Sacramenti nomine disputandum, alias nec Baptismus, neque Coena ad Sacramenta pertinerent, sed solum Matrimonium, quod tamen omnes fere haeretici negant esse verum Sacramentum. Illud ergo inquirendum est, an

septem ejusmodi ritus in Scripturis reperiantur, qui omnes Sacramenti characteres habeant, seu quibus veri Sacramenti definitio conveniat. Contendimus autem nullum esse ex septem Sacramentis, quod non in divinis Scripturis fundamentum habeat, quamvis non diffiteamur, haec testimonia relate ad pleraque Sacramenta non sat clara esse et manifesta; ideoque ad Traditionis seriem et Patrum sententias attendendum esse, ut ex utroque Dei verbo, scripto et tradito, argumentum exsurgat firmum et integrum. Scripturae et Patrum loca singillatim expendentur, quando de singulis Sacramentis sermo erit. Cf. *Bellarminum* de Sacram. lib. II. cap. XXIV.

Sufficiat hic unicum hoc generale argumentum, quod libri rituales Latinorum, et Euchologia Graecorum antiquissima omnium septem Sacramentorum mentionem faciant, ac qua ratione administranda sint, exponant. Loquuntur autem de his Sacramentis tanquam de re omnibus nota nullique dubio subjecta, quo perspicuum est, non fuisse a SS. Pontificibus confictam doctrinam hanc, ut calumniantur haeretici, sed ad nos ex antiquissima omnium Ecclesiarum Traditione fluxisse.

Probat. II. Nullo argumento felicius contra Novatores utitur Ecclesia Catholica, quam *antiquae possessionis praescriptione*. Negare utique non possunt adversarii, saeculo XVI, quo nova haeresis erupit, septenarium Sacramentorum numerum agnitum fuisse in universa Ecclesia. Eadem fides ubique viguit non modo *Concilii Constantiensis et Florentini, sed et Hugonis Victorini, et Magistri Sententiarum* temporibus. Porro illi Theologi, cum septem Sacramenta numerant, non novum aliquid scripserunt, sed quod invenerunt in usu Ecclesiae. Neque etiam fieri potuit, ut post Apostolorum tempora, constitutis jam per orbem Ecclesiis, nova dogmata quasi furtim, et nemine reclamante, totam Ecclesiam pervaderent, ac omnes subito per orbem Christiani in eundem errorem conspirarent, quin aliquod factae innovationis vestigium occurat. Crescit hujus argumenti robur, si attendatur, 1.° nullam unquam Ecclesiam fuisse, quae non crediderit, Sacramenta sibi ab ipso Christo tradita fuisse, neque in Ecclesiae potestate esse, vel augere, vel minuere numerum. 2.° Hic non agi de dogmate mere spe-

culativo, sed de re in quotidiano usu posita, et ad praxin pertinente singulorum hominum.

Accedit et illud, quod maximi ponderis est in hac controversia, quod Orientales Ecclesiae omnes, tum Photiana, tum antiquiores haereticorum sectae per Orientem disseminatae, quamvis a multis retro saeculis, tum ab Ecclesia Romana, tum a se invicem communione divisae, in hoc tamen dogmate mire nobiscum consentiant. Nunquam Graeci, quamvis, rupto unitatis vinculo, criminandi Latinos occasionem avidius quaererent, circa Sacramentorum fidem controversiam moverunt. Quando in Concilio *Lugdunensi* II., et postea in *Florentino,* de restituenda Ecclesiarum pace actum est, nullum hac de re vestigium occurrit alicujus dissidii, aut diversae doctrinae. Imo exorta Lutheri et Calvini haeresi, cum Wittembergenses Confessionem Augustanam Cp^im^ misissent, respondit Jeremias Cp. Patriarcha (1575), et novos errores gravi censura perstrinxit. Cap. VII. expresse declarat, *septem esse Ecclesiae Sacramenta, Baptismum, S. unguenti Unctionem etc.* Quum autem paulo post *Cyrillus Lucaris,* quem unum Calvinistae sibi devinxerant, novellam doctrinam apud suos spargeret, tota restitit Ecclesia Graeca, et praeter alia dogmata septem Sacramentorum fidem in pluribus Conciliis solemnibus decretis confirmavit. Ita habet Synodus Cp. anno 1638, cui tres Patriarchae et plurimi Episcopi intererant: *Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti, et credenti, non esse ex institutione Jesu Christi, neque ex Apostolorum Traditione praxique perpetua, septem Ecclesiae Sacramenta, Baptismum scilicet, Confirmationem* etc. Anno 1642 Cp^li^ nova sub *Parthenio* Patriarcha Synodus habita fuit, et alia anno 1672 Hierosolymis sub Dositheo. In utraque Calvini et Cyrilli Lucaris doctrina damnata fuit. In Synodo Jerosolym. dicitur cap. XV.: *Haereticorum dementia factus est alius Sacramentorum numerus quam septenarius.* In eandem fidem conspirant Coptae, Jacobitae, Syri, Maronitae aliaeque Orientalium sectae, quas constat jam a tredecim et amplius saeculis a communi matre esse divulsas. Cf. *Perpétuité de la foi.* Tom. V. liv. I.

Vide ergo quam insulsa sit illa Novatorum criminatio, mutatam fuisse antiquam fidem, et nova Sacramenta a summis Pontificibus Ecclesiae obtrusa. Ostendant nobis, quis auctor fuerit novi dogmatis, quo tempore illud primum serpere coeperit, qua ratione in omnes Ecclesias tum occidentales Catholicas, tum orientales schismaticas et haereticas irrepserit. Aut fateantur potius divinam esse, et ab Apostolis acceptam fidem illam, cujus nullum post Apostolos initium deprehenditur. *Quod universa tenet Ecclesia*, ait S. *Augustinus* a), *nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Cui mire consonat illud S. *Hieronymi* lib. contra Luciferianos, ubi de manus impositione disserens ait: *Exigis ubi scriptum sit? In actibus Apostolorum: et etiamsi Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtineret.*

OBJECTA ADVERSARIORUM.

Objiciunt I. Nulla potest assignari ratio, cur Sacramenta septenario numero definita sint, et neque plura, neque pauciora numerentur. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Optima ratio est Christi voluntas. At Christum septem Sacramenta, et nec plura nec pauciora instituisse, ex Scriptura et Traditione, et communi Ecclesiarum consensione discimus. Caeterum non desunt rationes congruentiae, quibus auctores Catholici confirmare solent numerum istum septenarium. Illa minime est contemnenda, quae ex similitudine vitae spiritualis cum corporali ducitur, et quam post S. Thomam, et Patres Florentinos in Decreto ad Armenos, eleganter exponunt auctores Catechismi Tridentini parte II. cap. I. quaest. XII. his verbis: « Homini ad vivendum vitamque conservandam, et ex sua « reique publicae utilitate traducendam, haec septem necessaria « videntur: ut scilicet in lucem edatur; augeatur; alatur; si in « morbum incidat, sanetur; imbecillitas virium reficiatur; deinde, « quod ad rempublicam attinet, ut magistratus nunquam desint, « quorum auctoritate et imperio regatur; ac postremo legitima

a) Lib. IV. de Bapt. cap. XXV.

« sobolis propagatione se ipsum et humanum genus conservet. « Quae omnia, quoniam vitae illi, qua anima Deo vivit, respon- « dere satis apparet, ex iis facile Sacramentorum numerus colli- « getur. Primus enim est *Baptismus*, veluti caeterorum janua, « quo Christo renascimur. Deinde *Confirmatio*, cujus virtute fit, « ut divina gratia augeamur et roboremur. Tum *Eucharistia*, qua « tanquam cibo vere coelesti spiritus noster alitur et sustinetur. « Sequitur quarto loco *Poenitentia*, cujus ope sanitas amissa re- « stituitur, postquam peccati vulnera accepimus. Postea vero *Ex- « trema Unctio*, qua peccatorum reliquiae tolluntur, et animi « virtutes recreantur. Sequitur *Ordo*, quo publica Sacramentorum « ministeria perpetuo in Ecclesia exercendi, sacrasque omnes « functiones exequendi potestas traditur. Postremo additur *Ma- « trimonium*, ut ex maris et foeminae legitima et sancta con- « junctione filii ad Dei cultum et humani generis conservationem « procreentur et religiose educentur. »

Objic. II. Septenarius Sacramentorum numerus nusquam apud Veteres invenitur; imo, cum de Sacramentis proprie loquuntur, duobus istis, Baptismo et Eucharistia, contenti sunt. Haec Calv. Instit. lib. IV. cap. XIX. — Alii tamen Chrismatis eos meminisse, imo et Poenitentiae confitentur; sed et haec septenarium numerum non efficiunt. Ergo etc.

Resp. Necessarium non erat, ut Patres septenarium numerum adstruerent; cum nulla hac de re mota fuerat controversia. Unde cum ad suum propositum aliquorum tantum Sacramentorum mentionem faciunt, non pugnant cum Theologis qui septem afferunt; nullibi enim dicunt non esse septem, aut esse tantum duo aut tria. Satis igitur esse debet, quod nullum sit ex septem Sacramentis, quod non ab antiquissimis temporibus reperiatur in omnibus Ecclesiis fuisse usurpatum, atque ipso usu et continua praxi omnium per orbem Christianorum multo tutius, quam scripto testimonio conservatum. Quamvis et haec testimonia non desint nobis, ut de Sacramentis singillatim ostendemus. Praeterea observandum est, veteres Patres caute admodum ac vix aliter quam necessitate compulsos, de Sacramentis tractasse; timebant enim, ne in Gentilium notitiam perducta, despectui essent. Vid. *Emman. a Schelestrato* eruditam dissert. de disciplina arcani.

At enim, inquiunt, *S. Augustin.* Baptismi tantummodo et Eucharistiae meminit, etiam in iis locis, ubi de Sacramentis N. L. generatim loquitur, eaque cum Sacramentis V. L. comparat; ut lib. III. de doctr. Christ. cap. IX., item in Ps. CIII. conc. 2. etc.

Resp. *Augustinus* duo illa Sacramenta exempli loco adhibet ut notiora, at simul et alia esse insinuat. Ait enim: *Sicuti* est Baptismi Sacramentum, et celebratio corporis et sanguinis Domini. — Et apertius cit. loc. in Ps. CIII. *Sicut in Baptismo et Eucharistia, et in caeteris sanctis Sacramentis.*

Objic. III. Sicut Patres omnia illa, quae a Concilio Tridentino definita sunt, Sacramenta non habent, ita et alia ab his recensent. Sic *Augustinus a)* signum Crucis Sacramentis annumerat; alibi in eundem sensum adscribit exorcismos, insufflationes, aliosque ritus circa Catechumenos fieri solitos. Sic *Ambrosius b)*, *Bernardus c)*, ut alios omittam, *lotionem pedum* Sacramentum appellant; nec immerito: nihil enim ipsi deest eorum, quae ad Sacramenti rationem sunt necessaria; non ritus externus, qui per se manifestus est; non promissio gratiae, quae his verbis continetur Joann. XIII.: *Nisi lavero te, non habebis partem mecum.* Non demum Christi institutio, nam Christus ait ibid. ad Apostolos: *Et vos debetis alter alterius lavare pedes.* Ergo etc.

Resp. neg. ant. Plures sunt ritus sacri ab Ecclesia instituti, qui Sacramenta aliquo modo imitantur, et hac de causa vocantur *Sacramentalia.* Si forte Sacramenta nominantur a Patribus, id fit latiore significatu; neque enim institutionem Christi habent, neque gratiae sanctificantis promissionem, quin etiam ante Baptismum pleraque conferuntur.

Major est de lotione pedum difficultas. At illa Protestantes premit, non Catholicos. Si tam clara sunt Scripturae verba, quibus et mandatum Christi et gratiae promissio exprimitur, respondeant illi, qui nullam praeter Scripturas fidei regulam admittunt. Nos dicimus, lotionem pedum a Christo adhibitam tantum fuisse ad exemplum humilitatis et charitatis, et ut externa lotione ostenderetur, quae animi mundities nobis esset adhibenda, cum ad Sacramentum Eucharistiae accedimus; verba autem illa·

---

a) Lib. XIX. cont. Faustum cap. XIV. — *b)* Lib. III. de Sacram. — *c)* Serm. de Coena Domini.

Si non lavero te etc. comminationem tantum poenae continere, si Petrus obedire recusaret. Unde certum est, verba Scripturae nec gratiae promissionem exprimere, nec institutionem divinam. Nunquam enim verba illa ita intellexit Ecclesia, quae est optima Scripturae interpretatrix. Hinc nulla Concilia, nullae Ecclesiasticae institutiones, nullae Catecheses, nulla Ritualia lotionem pedum Sacramentis accensent, aut eam fidelibus observandam praecipiunt. Et S. Ambrosius, qui lotionem pedum *Mysterium* vocat, late sumpto Mysterii nomine, testatur eodem loco, Romanam Ecclesiam hanc consuetudinem non habere. At constat, nuspiam antiquam et Apostolicam Traditionem diligentius custoditam fuisse, quam in hac Ecclesia, quae caeterarum mater et magistra est; neque exprobare illi unquam ausus est quisquam, quod Sacramentorum numerum imminuisset.

Nunc ad quaestiones quasdam breviter respondendum.

I. Unde ordo ille Sacramentorum exortus sit, quem *Tridentinum* in illis numerandis servat?

Respondetur cum *Bellarmino a)*, ordinem illum non esse ordinem dignitatis, sed primo poni quinque Sacramenta, quae ad omnes pertinent, deinde duo, quae non pro omnibus, sed ad bonum societatis in genere instituta sunt; et quidem in primis quinque servari ordinem temporis. Primo Baptisma ponitur, tum Confirmatio et Eucharistia, quia olim cum baptizabantur adulti, haec Sacramenta illis eodem die ministrata sunt. Hinc *Amphilochius* in vita S. Basilii ita de illius Baptismo scribit: *Baptizavit Episcopus Maximius Basilium et Eubulum, atque ungens eos sancto Chrismate, tradidit eis vivificam communionem.* Patet ergo, cur Eucharistia tertio loco ponatur. Sequitur quarto loco Poenitentia, pro iis, qui post Baptisma lapsi sunt; quinto Extrema Unctio, in fine vitae. Illa duo, quae non sunt omnibus communia, sunt Ordo et Matrimonium. Prius ponitur Ordo quam Matrimonium, quia Ordo est excellentior.

II. An omnia Sacramenta sint inter se dignitate paria?

Resp. *Concilium Tridentinum* Sess. VIII. Can. III. ita definivit: *Siquis dixerit, haec septem Sacramenta ita inter se paria esse, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.* Et

---

a) De Sacram. lib. II. cap. XXVIII.

recte Catechis. Conc. Trid. docet *a)*: « Si dignitas in Sacramentis « spectetur, Eucharistia sanctitate et mysteriorum numero longe « caeteris antecellit. »

III. An omnia Sacramenta N. L. sint necessaria?

Resp. In genere omnia necessaria sunt, quamvis non omnia eadem ratione. *Siquis dixerit*, ait *Trident.* Sess. cit. Can. IV., *Sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.* Discrimen autem in eo potissimum situm est, quod quaedam necessaria sint *necessitate medii*, quia sine illis salus obtineri non potest: talia sunt *Baptismus* pro omnibus, *Poenitentia* vero pro illis, qui post Baptisma lapsi sunt. Reliqua necessaria dicuntur *necessitate praecepti*, ut: *Confirmatio, Eucharistia* etc.

IV. An aliae adhuc dentur Sacramentorum divisiones?

Resp. Dantur aliae, quas breviter indicasse sufficiat. Nonnulla *mortuorum*, alia *vivorum* dicuntur Sacramenta; illa sunt *Baptismus* et *Poenitentia*, quae mortuas per peccatum animas ad vitam revocant: reliqua a justis tantum cum fructu percipiuntur, et mentem exigunt vitali gratia animatam. Sunt etiam inter Sacramenta, quae iterari non possunt, quia *Characterem* imprimunt, ut *Baptismus*, *Confirmatio* et *Ordo*.

CAPUT TERTIUM.

DE CAUSIS SACRAMENTORUM EXTRINSECIS.

De causis Sacramentorum intrinsecis jam diximus, cum de eorum natura et existentia agebamus. Quo brevior erit haec disputatio; neque enim de materia et forma, ex quibus constant Sacramenta, neque quo fine instituta fuerint, necesse erit plura disserere, cum ista jam sint a nobis pertractata. Pauca nunc de auctore Sacramentorum, et causa

a) Part. II. cap. I. quaest. XIII.

eorum effectrice exponenda sunt, tum de ministro Sacramentorum, eorumque subjecto.

ARTICULUS I.

De auctore Sacramentorum.

OBSERVANDA.

I. Hoc argumentum difficilem explicationem habere non potest. Nullum esse Sacramentorum auctorem praeter Deum ipsum, non tantum Orthodoxi omnes, sed et Protestantes agnoscunt, nec alio praetextu duo tantum admittunt Sacramenta, Baptismum et Eucharistiam, quam quod, ut ipsi dicunt, sola haec a Christo instituta legantur. Illud nunc paucis explicandum est, qua ratione Christus, qui Deus et homo est, auctor dicatur Sacramentorum? Utri scilicet naturae, an divinae, an humanae attribuenda sit haec institutio? Dicunt Theologi, solius Dei esse, vi et auctoritate propria Sacramenta instituere; Christo autem ut homini hanc potestatem fuisse communicatam specialis excellentiae praerogativa. Sed quorsum haec? Nobis videtur eadem hic reponi posse, quae alio loco dicta sunt, cum de Verbi incarnatione ageretur *a)*. Nam, quae ad Mediatoris et Sacerdotis officium pertinebant, procul dubio profecta sunt ab humana natura; sed a Persona divina aestimationem habuerunt, et pretium infinitum. Sic judicium exercebit Christus ut homo, at non humana sed divina potestate. Ita, cum de Sacramentorum institutione agitur, non video cur necesse sit ad potestatem aliquam confugere Christo homini ob singularem ejus excellentiam communicatam, quae potestas esset a divina auctoritate distincta. Institutio Sacramentorum est actio vere *theandrica*. Christus ut homo Sacramenta instituit, eorumque conficiendorum normam Apostolis tradidit; at vim efficiendi gratiam illis tribuit divina, quae ipsi propria erat, auctoritate. Unde enim vis omnis Sacramentorum, nisi ex meritis Christi? Unde autem haec tanta et inexhausta merita, nisi quia humanis actionibus infinitam dignitatem conciliavit Verbi Persona? Unde et illud clarum est, quod, quamvis gratia per Sacramenta tanquam per alveos et canales in nos effundatur; Christus tamen

a) Theol. spec. lib. IV. part. III. cap. III. §. III.

signis ejusmodi non illigetur, gratiamque, cujus ipse auctor est, solo imperio voluntatis absque Sacramento conferre possit.

II. Quaeri etiam hoc loco solet, an Deus potuerit homini puro, vel Ecclesiae ipsi, potestatem impertiri Sacramenta instituendi? Verum non video, quid haec quaestio habere possit utilitatis. Illud utique ut certum et immotum tenendum est, solum Deum eam vim certis signis impertiri posse, ut gratiam efficiant. Unde tota controversia in eo sita esset, an Deus possit potestatem tribuere homini, signa aliqua pro temporum opportunitate instituendi, quibus ipse deinde gratiam annecteret; quis autem, id fieri a Deo posse, negabit? Verum non quid efficere Deus potuerit, sed quid factum ab eo fuerit inquirimus. At nullibi potestatem ejusmodi hominibus concessam legimus, eamque se a Christo non accepisse, Ecclesia semper et palam professa est.

III. Parum aut nihil ab hac controversia distat illa satis nota inter Theologos quaestio: An Christus omnia N. L. Sacramenta *immediate* instituerit, an aliqua *mediate* tantum? *Hugo Victorinus*, *Magister sententiarum*, aliique olim docuerunt, Sacramenta quaedam post Christi discessum ab Apostolis aut ab Ecclesia instituta fuisse, facta ipsis ea instituendi a Christo potestate. Haec, cum ex ea potestate fluant, quam Christus Ecclesiae tradidit, a Christo *mediate* instituta dicuntur. Contra sententiam hanc omnes nunc pugnant Theologi, et merito quidem, si illa Ecclesiae collata potestas talis fuisse supponitur, ut Ecclesiae arbitrio relictum fuisset, quae et quot vellet Sacramenta instituendi; id est aut plura quam septem, aut alia ab iis, quae perpetuo Ecclesiae usu ad nos pervenerunt. Haec certe Christianae aures non ferunt, atque nihil magis cum communi totius Ecclesiae sensu pugnat. Sed forsan tota controversia in verborum ambiguitate constituta est. Nam si id tantum volunt auctores illi, Christum non omnia Sacramenta celebrasse dum viveret, quaedam celebranda demandasse Apostolis; atque ita aliqua post Christum tantum frequentata fuisse in Ecclesia, sed a Christo tamen promissa et praescripta, profecto nihil est quod reprehendamus; sed tunc non video cur haec Sacramenta dici possint *mediate* instituta a Christo; siquidem homines ut ministri tantum agerent, ex Dei auctoritate et praescripto; totaque quaestio in illud recideret, quod supra monuimus, om-

nium Sacramentorum materiam et formam non ita fuisse a Christo determinatas, et specie definitas, ut in Ecclesiae potestate non reliquerit, eas ad certam speciem determinandi.

PROPOSITIO.

Christus omnia novae legis Sacramenta immediate et per se ipsum instituit.

Propositio duo complectitur. Primum est, Christum omnium Sacramentorum auctorem esse, quod ad fidem pertinere nemo dubitat. Secundum est, Sacramenta omnia fuisse a Christo *immediate* instituta, quod certum quidem est, ad fidem tamen stricte non pertinet.

Probat. I. pars. Expressa est Concilii Trid. definitio Sess. VII. Can. I.: *Siquis dixerit, Sacramenta novae legis non fuisse a Jesu Christo, Domino nostro, instituta .... anathema sit.* Concilii decreto suffragantur:

1.° *Scripturae.* Id enim palam profitetur Apostolus, cum ad Corinth. ita scribit Ep. I. cap. IV.: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Ergo non instituendi Sacramenta, sed ministrandi et dispensandi potestatem acceperunt Apostoli.

2.° *Traditio.* Constans enim haec Ecclesiae persuasio fuit, omnia Sacramenta sibi a Christo tradita fuisse, neque posse aliquid circa numerum aut substantiam Sacramentorum immutari. *Auctor Sacramentorum quis est*, ait S. Ambros. *a), nisi Dominus Jesus?* et S. August. de vera Religione, cap. XVII. *ab ipsa Dei sapientia, homine assumpto, pauca Sacramenta saluberrime constituta esse* dicit. Item Epist. 108. *b)* ad Januarium: *Tenere te volo, Dominum Jesum leni jugo suo nos subdidisse et sarcinae levi: unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis, societatem novi populi colligavit.*

3.° *Ratio,* quae ubi semel naturam Sacramentorum definitionemque cognoverit, facili negotio intelliget, nullum

---

a) Lib. IV. de Sacram. *b)* Alias 54.

sine divina ordinatione Sacramentum esse novae legis; quoniam cum externo illo signo, quod Sacramentum dicitur, conjuncta debet esse gratiae promissio, cujus certam fidem facere humana auctoritas non potest; neque pro arbitrio quibus volet caeremoniis alligare, ac velut obsignare, quod unius est Christi.

Probat. II. pars. 1.° Omnibus iis rationibus, quibus priorem propositionis partem probavimus. Quamvis enim haeresis notam inurere non possimus contraria sentientibus, cum Tridentina Synodus aperte non declaraverit, Sacramenta omnia esse a Christo *immediate* instituta; non est tamen dubitandi locus, hanc fuisse Concilii sententiam; id enim fundatur in communi usu loquendi, nam ea instituere quis dicitur, quae per se ac immediate instituit.

Nec alia mens esse potuit Apostoli, qui ad Corinthios scribens id variis modis inculcat, non auctores, sed ministros Sacramentorum esse Apostolos. *Quid est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis.* Neque aliter, nisi vim verbis faciamus, Patrum testimonia interpretari licet.

2.° Siqua essent Sacramenta a Christo *mediate* tantum, ut ajunt, instituta, id utique de Extrema Unctione affirmari posset, de qua major videtur esse difficultas: sed *Concilium Trident.* de hoc Sacramento agens Sess. XIV. cap. I. definit, *illud esse vere et proprie Sacramentum, a Christo, Domino nostro, institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum.* Clare ergo distinguit Concilium inter Christum, qui instituit, et Apostolos, qui promulgarunt Sacramenta. Deinde optime observat *Bellarmin. a)*, Tridentinum Sess. XXI. cap. II. magnum discrimen ponere inter Sacramenta, et caeremonias Sacramentorum; cum has instituendi mutandique potestatem Ecclesiae attribuit, salva Sacramentorum substantia: at, si Christus *mediate* tantum Sacramenta instituit, eadem est Sacramentorum ac caeremoniarum ratio; nam et haec *mediate* a Christo sunt, quia eas instituendi mutandique potestatem a Christo habet Ecclesia.

---

a) De Sacram. lib. I. cap. XXIII.

ARTICULUS II.

De Ministro Sacramentorum.

« Quamvis Deus Sacramentorum auctor et dispensator « sit, verba sunt Catechismi C. T. *a)*, ea tamen non per « Angelos, verum per homines ministrari in Ecclesia voluit. « Non minus enim ministrorum officio, quam materia et for- « ma ad Sacramenta conficienda opus esse, perpetua sanc- « torum Patrum Traditione confirmatum est. » Cum paulo diffusior sit controversia haec, juvat eam in plura capita distinguere, atque 1.° de persona ministri; 2.° de ejus intentione, ac demum 3.° de ejus fide et probitate, quae necessaria videntur, exponere.

§. I.

De persona Ministri.

OBSERVANDA.

I. Minister est causa Sacramentorum instrumentalis, neque enim sine ministro confici aut administrari potest Sacramentum. Unde tota quaestio in eo versatur, quis sit minister Sacramentorum a Christo constitutus. Novatorum Principes multum inter se et nobiscum in hac re dissentiunt. *Lutherus* docet, omnes homines baptizatos potestatem habere Sacramenta omnia ministrandi, tametsi ad tollendam confusionem non oporteat omnes uti hac potestate, sed eos tantum qui fuerint legitime vocati. Haec sententia ex illo Protestantium principio consequitur, quod ministri publici nihil differant a caeteris laicis potestate aut dignitate; sed usu tantum potestatis. *Calvinus* in alio extremo versatur; nam ita tuetur, eos tantum qui legitime vocati sunt facultatem habere administrandi Sacramenta, ut illis qui vocati non sunt, praesertim foeminis, ne in necessitate quidem concedat ut baptizent.

II. Ante omnia nunquam illud ex animo dimittendum est, Sacramenta ex instituto et voluntate Dei fluxisse, de qua nobis nihil constare potest, nisi ex Scripturis et Apostolicis Traditionibus;

---

a) P. II. cap. I. quaest. XV.

adeo, ut non ratiunculas ad libidinem effictas, sed Scripturam et Traditionem consulere oporteat, cum de idoneis Sacramentorum ministris quaestio agitatur. Jam vero manifestum est. 1.° Angelos ministros non esse Sacramentorum, nullibi enim Christus legitur hoc munus Angelis contulisse. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus*, ait Apostolus *a)*, *pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum.* Sacramenta a Christo sunt, qui est Deus et Homo; pro Ecclesia sunt, quae est coetus hominum in hac terra militantium. Si exempla afferuntur in contrarium, respondemus, ista, si vera sunt, ad summum suadere, Angelos aut Sanctos in coelo constitutos posse esse ministros Sacramentorum extraordinarios; quamvis ne hoc quidem vellem cum certitudine affirmare. Nam etsi concedatur, Angelos posse, Deo ita volente, effectum Sacramentorum producere, imo et signa adhibere nostris similia, merito tamen dubitatur, an ea essent Sacramenta, qualia fuerunt a Christo instituta. 2.° Palam quoque est, Christum viros, non mulieres esse allocutos, cum Sacramenta instituit, neque omnes sine discrimine ministros Sacramentorum fuisse constitutos, sed eos, qui ad hoc munus sunt destinati et ordinati. Excipitur tamen Baptismus propter summam Sacramenti necessitatem, et Matrimonium, si contrahentes sunt ministri. Sed de his plura, quando de ministro cujuslibet Sacramenti speciatim tractabimus. Nunc illud sufficiat generale Concilii Trident. Decretum Sess. VII. Can. X. *Siquis dixerit Christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

§. II.

De intentione Ministri.

OBSERVANDA.

I. Sequitur nunc alia perplexa magis et involuta de ministri intentione quaestio. Pugnarunt enim non sine animorum contentione tum Protestantes cum Catholicis, tum Catholici inter se. At has qualescunque lites forsan difficile non erit componere, si termini explicentur probe, et controversiae status recte for-

a) Heb. V, 1.

metur. Sunt autem controversiae hujus capita duo; siquidem intentio, cum a voluntate dimanet, quae sibi finem aliquem praescribit, spectari potest vel ratione ipsius finis, seu objecti sibi propositi, vel ratione voluntatis, ac modi quo voluntas fertur in objectum. *Ratione objecti* iterum multiplex est. 1.° Minister ritum Sacramenti perficere potest, vel praecise ut est sacer et religiosus, vel ut est Sacramentum, atque ut gratiam et characterem imprimit. 2.° Potest hoc solum intendere, ut id peragat quod solet Ecclesia, quamvis ipse ritum ut sacrum non habeat, aut de Sacramentis et eorum effectu male sentiat. 3.° Potest exterius ritum celebrare serio, et intus contrarias cogitationes in animo volvere. 4.° Demum potest absque simulatione, etiam exterius per irrisionem et jocum agere, ut fit in comoedia. *Ratione modi* quo voluntas fertur in objectum, intentio iterum varia esse potest. *Actualis* dicitur, quando quis Sacramentum conficiens, de eo conficiendo actu cogitat. *Virtualis* est ipsa actualis intentio moraliter et virtute in ministro perseverans. *Habitualis* nihil est aliud, quam promptitudo aut facilitas operandi ex habitu vel acquisito vel infuso, qualis et dormientibus inesse potest. Intentionem autem *indirectam* vel *interpretativam* habere dicitur, qui rem ipsam non intendit, sed tamen vult id ex quo res oritur.

II. Novatores, qui Sacramentis alium effectum non tribuunt, quam ut fidem excitent in suscipiente, ea falsa opinione ducuntur, Sacramenta, quocunque administrentur modo, et qualiscunque sit ministrorum intentio, tam valide conferri, quam verbum Dei, etiam ludicre annuntiatum, potest cum pietate et religione accipi ab audientibus. Quae recentiorum Protestantium opinio sit, non inquirimus; ne forte sollicitiores in hac re videamur, quam illi ipsi de quorum doctrina agitur. Inter Catholicos nemo est, qui non cum Concilio Tridentino firmiter teneat, ad Sacramentum ex parte ministri requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; ex quo communi voce concludunt omnes, 1.° invalidum esse Sacramentum ludicre et per jocum collatum. 2.° Ut valeat Sacramentum, non requiri intentionem producendi effectum, vel celebrandi ritum ut sacer est, vel etiam faciendi id quod facit Ecclesia Catholica et Romana; sed sufficere intentio-

nem faciendi, quod facit Ecclesia, quaecunque demum ministri sit de vera Christi Ecclesia sententia.

III. Inter haec duo alia stat hypothesis, quae multis discussionibus ansam praebuit. Quaeritur, an etiam tum valeat Sacramentum, quando, qui illud ministrat, serio quidem ponit ritum externum, sed in animo contrariam fovet intentionem, et quod foris agit, intus irridet. Hic scinduntur Theologi, et multum disputant de *interna* et *externa* intentione. Qui intentionis *externae* patrones agunt, satis esse contendunt ad Sacramentum, si minister intentionem habeat celebrandi ritum, eo modo quo celebrat Ecclesia, quin occulta intentionis pravitate, aut etiam retentione maligna Sacramentum aut ejus effectus impediatur. Contra, qui intentionem *internam* exigunt, irritum et cassum declarant omne Sacramentum, quod per simulationem peragitur, quamvis minister ex officio agat, omnia rite observet, et nullum exterius appareat simulationis indicium. Vid. *Bellarm.* de Sacrament. in genere lib. I. cap. XXVII. *Tournel.* de Sacrament. quaest. VII. art. I. — Notatu digna sunt, quae illustr. *Bossuetius* habet in responsione ad cogitationes privatas doctiss. *Molani*, p. I. n.° XXI. « Ea con- « troversia (de intentione ad valorem Sacramenti) non modo facile « componi potest, verum etiam composita jam est; cum sit com- « munissima sententia inter Catholicos, etiam intentionem, quae « sit necessaria ad valorem Sacramenti, ea in re consistere, ut « minister velit actus externos ab Ecclesia praescriptos serio per- « agere, nec quidquam facere, quod contrariam intentionem pro- « dat, quam intentionem nec ipse irritam facere quacunque secreta « intentione possit. Testatur autem *Pallavicinus* Cardinalis in His- « toria Concilii *a)*, et alii, Concilium nihil quidquam voluisse « amplius definire. »

PROPOSITIO I.

Ut valeat Sacramentum, in ministro requiritur vera et proprie dicta intentio id faciendi quod facit Ecclesia; secus nullum est Sacramentum et cassum.

Probat. Auctoritate Concilii Trid. quod Sess. VII. Can. XI. ita definit: *Siquis dixerit, in ministris, dum Sacra-*

a) Lib. IX. cap. VI. n. 3. 4.

menta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit. Idem jam definitum legitur in Constitutionibus Martini V. et Eugenii IV. Primus inter articulos, de quibus jubet suspectos in fide interrogari, hunc recenset: *Utrum credant, quod malus Sacerdos cum debita materia et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere absolvat, vere baptizet, et vere conficiat alia Sacramenta?* Alter in Decreto ad Armenos dato ait: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum, si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.*

Non alia fuit veteris Ecclesiae doctrina; nunquam illa Baptismum v. g. approbavit ab insanis vel ebriis, vel per jocum et ludibrium collatum. Quin et ipsa Sacramentorum institutio probat, a Christo non tantum ritus praescriptos fuisse, qui, quocumque adhiberentur modo, gratiam conferrent; sed constitutos etiam ministros, qui Sacramenta conficerent. *Quorum remiseritis peccata* etc. *Hoc facite* etc. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* etc. Ergo Sacramenta etiam a ministrorum actionibus pendent. At ministri non agunt ut instrumenta inanimia, sed ut viva et libera, quae ratione sua et judicio utuntur. Placuit Deo ut Sacramentorum administratio esset actio humana, quae non potest exseri, nisi proprie dicta adsit intentio.

Adde quod res et verba, quibus Sacramenta constant, ad multos usus valere possint, neque ad proprium Sacramenti usum sint accommodata, nisi accedente ministri intentione. Haec non parum ex eo confirmantur, quod verba Sacramentorum practica sint. Nam verba, quae signa tantum sunt conceptuum, et speculativa vocantur, vim omnem habent a significatione: at non ita, quae practica dicuntur; haec enim efficacia esse non possunt, nisi proferantur ab eo, qui potestatem habet efficiendi ea quae per verba significantur. Sic vim nullam habent praecepta, nisi ab iis proferantur, qui potestatem habent et voluntatem praecipiendi.

PROPOSITIO II.

Ut perficiatur Sacramentum, non requiritur ut minister effectum Sacramenti intendat, neque ut ritum celebret tanquam sacrum, aut id velit facere quod facit Ecclesia Catholica et Romana.

Probat. I. ex decisionibus Martini V., Eugenii IV. et Concilii Tridentini in priori Propos. citatis. Illae enim nil aliud in ministro requirunt tanquam omnino necessarium, quam intentionem id faciendi quod facit Ecclesia; neque mentionem habent aut finis quem minister sibi proponit, aut effectus qui ex Sacramento profluit.

Probat. II. ex constanti usu Ecclesiae, quae nunquam iteravit Baptisma ab haereticis collatum, quamvis illi effectum Sacramenti negarent, aut id tantum intenderent facere, quod sua, non quod Romana facit Ecclesia. Imo ratum semper et validum habitum est Baptisma ab Ethnicis aut Judaeis datum, qui profecto sacrum habere non possunt ritum, quem ut pravam superstitionem detestantur. Adeo persuasum semper fuit Ecclesiae, vere perfici Sacramentum, dummodo praescripta verba et idonea materia adhibeantur, et minister velit serio exterius ritum Ecclesiae simpliciter et generatim, ut est ritus Ecclesiae, perficere.

Probat. III. Sacramenta sunt publica Religionis symbola a Christo propter suscipientium bonum instituta, vimque sanctificandi in se ipsis continent. Ergo et effectum consequuntur, quoties rite administrantur, nec adsit obex ex parte suscipientis. Minister autem, cum non suo, sed Ecclesiae nomine agat, privata sua intentione falsa et erronea opus Dei quod tractat inficere non potest. Atque optime S. Thomas ait *a)*: « Perversa intentio pervertit opus inten-« dentis, non autem opus alterius; et ideo ex perversa in-« tentione ministri pervertitur id quod agit, in quantum « est opus ejus, non in quantum est opus Christi, cujus est « minister. Et est simile, si minister alicujus hominis prava « intentione deferret pauperibus eleemosynam, quam Domi-« nus recta intentione mandaret. »

---

a) Parte III. quaest. LXIV. art. X.

ARGUMENTA CONTRARIA.

Opponitur contra I. propos. 1.° Pervulgatum est illud Athanasii factum, qui puer ludens cum aliis suae aetatis puerulis, quosdam ex iis baptizasse dicitur. Factum referunt *Rufinus a)*, *Socrates b)*, *Sozomenus c)*, qui et illud adjiciunt, hunc Baptismum ab Alexandro, Episcopo Alexandrino, fuisse comprobatum. Nec minus nota est S. *Genesii* historia, qui cum in theatro mimum ageret, et per jocum ritus Christianorum exprimeret, Baptismum petiit; cumque ab alio mimo baptizaretur, subito coelesti aura afflatus Christianum se esse professus est, et martyrium obiit.

2.° S. *Augustinus* lib. VII. de Baptismo cap. LIII. inter alias quaestiones, eam quoque proponit de Baptismo ludicre et mimice administrato aut suscepto; idque ponit tanquam confessum inter Catholicos, valere Sacramentum in Ecclesia, vel etiam apud haereticos fallaciter ac simulate datum. *Non dubito*, ait, *etiam illos habere Baptisma, qui, quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen illud accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia.*

3.° Catholici ipsi secum pugnant, cum intentionem requirunt ad Sacramentum; quod enim ex sola Christi institutione efficax est, seu, ut illi dicunt, effectum producit ex opere operato, illud utique non indiget intentione ministri, ut operetur. Deinde apud omnes in confesso est, valere Baptismum ab haereticis administratum, neque tamen in iis intentio esse potest faciendi quod facit Ecclesia.

Resp. ad I. Facta illa incertae prorsus fidei sunt, nam qui ea narrant auctores, neque concordes sunt in iis referendis, neque asseverantur ea, et tanquam certa et explorata affirmant. « Non is erat Alexander, ajunt Patres Benedictini in vita S. « Athanas. *d)*, qui tam seria in re ludum puerorum ratum ha« beret. » At pone, vera esse quae de Baptismo ab Athanasio collato dicuntur. Si ille ab Alexandro probatus fuit, omnino illi persuasum fuit, non defuisse intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Fieri potest ut ille qui per jocum Sacramentum ad-

---

a) Lib. I. Hist. cap. XIV. *b)* Lib. I. cap. XV. *c)* Lib. I. cap. XXII.
d) Praefat. operib. S. Athanas. praefixa.

ministrat, voluntatem tamen habeat illud perficiendi; ita ut animi recreatio finis tantum externus sit, ut Theologi loquuntur, qui honestatem quidem actionis tollit, non illius veritatem et substantiam; ideoque effectum Sacramenti non magis impedit, quam si Sacerdos absolvere quidem vellet, sed quaestu sibi ut fine proposito. S. *Genesium* credimus, melius suo sanguine, quam aqua a mimo infusa fuisse baptizatum.

Resp. ad II. S. *Augustinus*, cum fidenter asserit valere Sacramentum *fallaciter* datum aut acceptum, non agit de defectu illius intentionis quam Tridentina Synodus exigit; sed illud tantum ut certum ponit, quod et definitum esse ait *praeteritis majorum statutis*, nempe vere Sacramentum suscipi, quamvis ille qui ministrat fidem non habeat, et de Sacramento ejusque effectu perverse sentiat. Ejusmodi Sacramentum repetendum non esse declarat, etiam tum, cum fallacia detegitur: *Nemo*, inquit, *repetit, sed aut excommunicatione punitur ista simulatio, aut poenitendo sanatur.* Non ita fidenter loquitur Augustinus, quando illam quaestionem aggreditur: an tunc quoque valeat Sacramentum, quando minister nihil serio agit, sed omnia mimice et joculariter. Hic anxius haeret, atque pro ea, quae magnis ingeniis propria est, verecundia et modestia putat tutius esse... *in ea non progredi aliqua temeritate sententiae, quae in nullo plenario Concilio tractata sunt.* Cum autem statim subjiciat S. Doctor: *Id fiducia securae vocis asserendum esse, quod ... universalis Ecclesiae consensione roboratum est* ..., manifeste patet quae nunc ejus esset sententia, cum dubium omne sublatum sit summorum Pontificum et generalis Concilii decretis.

Resp. ad III. Immota est haec Catholicorum doctrina, quod Sacramenta per se operentur effectum, si vere Sacramenta sint. Intentio non requiritur ad effectum, sed ad ipsum Sacramentum, quod nisi primum perficiatur, vim exerere nullam potest.

Haereticis, cum Sacramenta ministrant, id propositum est, ut faciant quod facit Ecclesia Christi, quaecunque illa sit. Quod autem Ecclesiam Catholicam non ut veram Christi Ecclesiam habeant, is error fidei est, qui non potest irritare Sacramentum.

Urgent. Catholici, cum intentionem exigunt ad Sacramenti veritatem, alii internam requirunt, externam alii. Verum quidquid dicant, in absurda incurrunt. Ergo etc.

Prob. minor. Si interna intentio exigitur, necessario in summas anxietatis conjiciuntur fideles. Nam cum occulta haec sit, et in animo conclusa, nemo unquam certus esse poterit, an vere et valide susceperit Sacramenta. Si dicitur externam sufficere, manifeste eluditur decretum Concilii, quod non de actu externo loquitur, sed de intentione proprie dicta, id est de interiore voluntate faciendi quod facit Ecclesia.

Resp. nego minorem argumenti ejusque probationem. Nostrum non est, inter oppositas sententias pronuntiare, quarum utraque gravissimis fulcitur argumentis et auctoritatibus. Id autem fidenter affirmamus, vana esse quae in utraque probationis parte afferuntur.

I. Quae in primo probationis membro objiciuntur, ea quidem cum fundamento dici possent, si Sacramentum a fide et probitate ministrorum penderet, aut intentio requireretur producendi Sacramentum, vel effectum Sacramenti. Sed haec non requiri consentiens omnium Catholicorum sententia est. Nihil aliud postulant intentionis internae assertores, quam ut minister intentionem habeat faciendi quod facit Ecclesia, ita ut etiam Judaeus valide baptizaret, qui id unum intenderet, facere quod ab eo petitur, et quod faciunt Christiani. Quis autem sibi persuadeat, hanc intentionem abesse, quando ritus serio peragitur? Unde et omnes statuunt, nunquam iterandum esse Baptismum, qui serio et praescripta verborum formula fuit celebratus, neque de interna et occulta intentione anxius esse inquirendum; sufficere, ad depellendas anxietates tranquillandosque animos, certitudinem moralem, omnimodam autem securitatem in rebus ad salutem pertinentibus in hac mortali vita haberi non posse.

II. Melius certe hac difficultate se expediunt oppositae sententiae patroni. Illi securos nos esse jubent, non propter moralem illam certitudinem de interna ministri intentione, sed quia, uti dicunt, exterior intentio sufficit, quam semper habet minister hoc ipso, quod exteriores et usitatos ritus serio, et in debitis, ut vocant, circumstantiis observet, quidquid intus mente et cogitatione volvat; cum ab hac interna intentione suspensa non sit Sacramenti veritas. Minister ex persona Ecclesiae agit, et cum ministerio fungitur, intentio, quam exterius manifestat, et quae publica dici potest, est intentio ipsius Ecclesiae, quae semper est incor-

rupta. Porro si privata ejus intentio prava est et Ecclesiae intentioni contraria, multum ille nocet sibi, sed vitiare Sacramentum non potest. Ita doctiss. *Salmeron*, S. J. Theol., qui Concilio Trident. interfuit *a*). — Ita et multo ante Tridentinum S. *Thomas b*): *Dicendum, quod circa hoc duplex est opinio: quidam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio . . . alii melius dicunt, quod minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cujus est minister; in verbis autem quae profert, exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis Sacramentum.* Quod autem in parte probationis secunda dicitur, Concilium Trident. intentionem exigere proprie dictam, hanc autem cogitari non posse absque interna voluntate faciendi quod facit Ecclesia, hoc utique certum est et inconcussum; neque illud inficiantur, qui intentionis externae patrocinium suscipiunt. Dicunt autem, hanc intentionem externam vocari ratione objecti, quia externam tantum ritus celebrationem spectat; at tamen esse interiorem ratione principii a quo proficiscitur, cum sit actio voluntatis deliberata. Oportet enim ut deliberate agat, qui Sacramentum perficit; deliberate autem non agit, qui non vult vere id agere quod agit.

Haec si prope inspiciantur, non video quae adhuc supersit litigandi ratio. Patet enim, quod ab initio diximus, controversiam in verbis magis quam in re ipsa consistere, et ex verborum ambiguitate non parum implicatam fuisse quaestionem. — Supponatur enim, ministrum, qui serio et ad normam Ecclesiae omnia exterius peragit, contrariam intus intentionem formare; quaenam erit, quaeso, haec intentio? An, quod finem Sacramenti non intendat? quod ritum ipsum non velit administrare ut sacrum? Sed haec non requiruntur fatentibus omnibus. Manet ergo, quod intus haberet intentionem non faciendi quod facit Ecclesia. Sed illud tamen facit, ut supponitur, et quidem volens et deliberate facit. Ergo vellet, et non vellet. Sed, etsi concedatur utrumque posse in animo simul consistere, an non ea voluntas praevaleat necesse est, quae exterius opere com-

---

a) Comment. in Pauli Ep. III. parte, part. 2. *b*) Parte III. quaest. LXIV. art. VIII.

pletur? Sed satis indulsimus huic disputationi, quae etiamsi in theoria aliquam sententiarum differentiam praeferat, in praxin tamen non influit, cum is constans fuerit Ecclesiae usus, nunquam iterare Sacramenta, dummodo serio fuerint administrata, et utriusque sententiae defensores fateantur, illud optime fuisse ab Ecclesia statutum.

Scholion. De necessitate intentionis ratione modi consideratae nulla controversia est; quare neque nos necessarium ducimus longius in hac quaestione morari. Omnes communi sententia docent, ad valorem Sacramenti non sufficere intentionem *habitualem*, nec tamen necessario requiri *actualem*, sed sufficere et requiri *virtualem*. Rem optime explicat S. *Thomas a)*, ubi tamen observandum est, per habitualem intentionem ab ipso virtualem intelligi, ut textus ipse ostendit. «*Dicendum*, ait, *quod licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, haberet tamen habitualem* (virtualem), *quae sufficit ad perfectionem Sacramenti: puta, cum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere quod facit Ecclesia. Unde si postea in ipso exercitio actus cogitationis ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis perficitur Sacramentum. Quamvis studiose curare debeat Sacramenti minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat; sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate, quia praeter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundum illud Ps. XXXIX.: Cor meum dereliquit me.*»

Porro illam intentionem non sufficere, quae a nobis habitualis dicitur, res est per se manifesta, tum, quia etiam in illis adesse potest, qui modo libero et deliberato non agunt; tum quia nullo modo potest in actionem influere, cum nec actu, nec virtute in animo existat. Quocirca nec illa intentio, quae *indirecta* vel *interpretativa* dicitur, perficiendo Sacramento satis esse potest. Quamvis enim ad peccati rationem sufficere possit, ut actus sit voluntarius in sua causa, id tamen non ideo satis est ad Sacramenti administrationem. Intentio, cum sit ad ipsam Sacramenti perfectionem necessaria, debet in actionem ministri influere, eamque ad rationem Sacramenti evehere; sed intentio,

---

a) Part. III. quaest. 64. art. 8.

quae ad causam dirigitur, non influit proprie in effectum; causa quidem ex intentione exoritur, sed effectus ex causa.

§. III.

De fide et probitate ministri.

OBSERVANDA.

I. De persona ministri diximus, et quae illius intentio necessaria sit ut perficiatur Sacramentum. Nunc et illud inquirendum est non minoris ponderis argumentum, quid praeter intentionem in ministro requiratur, ut legitime et valide Sacramenta administret. Rem totam presse quidem, sed clare ac nitide exponit *Catechismus Trident.*, duplici quaestione ostendens, 1.° ministros sua pravitate gratiae sacramentalis virtutem impedire non posse; 2.° sibi nocere quamplurimum, imo in aeternam perniciem ac mortem seipsos detrudere, qui impura conscientia sacratissima mysteria pertractant. Haec certa semper et explorata Ecclesiae sententia fuit, qua et sua Sacramento conciliatur dignitas, et omnis a fidelium animis removetur anxietas. Nihil Sacramentis nocet ministri improbitas, neque effectu suo destituuntur, nisi, qui ea suscipiunt, se ipsos tanto bono fraudare, et Spiritui sancto velint obsistere. At novo scelere se obstringunt improbi dispensatores, quoties polluti ad sacrum munus accedunt. Quare non satis possumus illis haec verba ejusdem Catechismi inculcare: « Sanctitatem sacrarum rerum ministri imprimis sectentur, « pure ad Sacramenta ministranda accedant, atque ita se ad « pietatem exerceant, ut ex eorum frequenti tractatione et usu « uberiorem in dies gratiam, adjuvante Deo, consequantur. »

II. Celebris est controversia de rebaptizandis haereticis, quae saeculo tertio agitata fuisse dicitur inter *Stephanum*, Summum Pontificem, et *Cyprianum*, Carthaginensem Episcopum, quem narrant, cum suis Africanis et quibusdam Orientalibus Episcopis in hoc errore haesisse, quod irritum et nullum putaret Sacramentum ab haereticis collatum, illudque iterandum contenderet. Eundem errorem propugnarunt saeculo IV. *Donatistae;* at longius progressi quam veteres Rebaptizantes, docuerunt nulla et irrita esse Sacramenta, quae vel haeretici extra Ecclesiam, vel

improbi in sinu Ecclesiae contulissent. Mox tamen emollire sententiam conati sunt, et adhibita distinctione inter occultos et publicos peccatores, negabant valere Sacramentum ab eo datum, cujus nota esset improbitas. Donatistas longo intervallo secuti sunt *Apostolici*, XII. saeculi haeretici, de quibus inter alia haec refert S. Bernardus: *Peccatores*, inquiebant, *sunt archiepiscopi et presbyteri, ac per hoc nec dandis nec accipiendis idonei Sacramentis.* Idem paulo post Waldensium error fuit, ac sub finem saeculi XIV. Wiclefitarum et Husitarum, qui in Concilio Constantiensi condemnati sunt. Haec nunc dicta sint summatim; erit enim locus plura de hac materia disserendi, quando de Sacramentis tractabimus singillatim.

PROPOSITIO.

Ut valeat Sacramentum, non requiritur fides aut sanctitas in ministro.

Probat. I. Trident. Sess. VII. Can. XII. sic statuit: *Siquis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum; anathema sit.* Eadem Sess. Can. IV. de Baptismo, Baptismus ab haereticis cum debita forma et intentione collatus verus et validus declaratur.

Praeivit Tridentino Constantiensis Synodus, quae Sess. XLV. damnavit istum Wiclefi articulum, n° IV. *Si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.* Idem quoque Nicolaus I. docuit in responsione ad consulta Bulgarorum, cap. LXXI.

Probat. II. Si fundamentum quaeritur hujus doctrinae, habemus constantem et perpetuam Ecclesiae Traditionem, ab Apostolorum temporibus deductam, quae certissimum est verae et apostolicae fidei argumentum. Hujus Traditionis auctoritatem saepius commendat Augustinus, contra Donatistas agens. Sic lib. II. de Baptism. cap. VII. *Nondum erat*, ait, *diligenter illa Baptismi quaestio pertractata; sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in*

ipsis quoque schismaticis et haereticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est .... quam consuetudinem credo ex apostolica Traditione venientem, sicut multa quae non inveniuntur in litteris eorum, neque in posteriorum, et tamen, quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur. Hujus *consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum*, quando re in quaestionem pertracta, communis Traditio *etiam ad Concilii plenarii auctoritatem roburque deducta est.* Ibid. cap. IX. — Hoc Concilium, quod August. *plenarium orbis terrae Concilium* vocat, non aliud fuisse, quam Nicaenum I. pluribus argumentis probat *Bellarminus a).*

Probat. III. Ostendit *Bellarminus* ibidem, hoc doctrinae nostrae caput, quamvis in Scripturis non sit expressis verbis revelatum, ex iis tamen quae in Scripturis expressa sunt legitimo ratiocinio deduci. Duo sunt quae Scripturae docent: 1.° Ministrum Sacramentorum non sua, sed divina virtute ac auctoritate operari; 2.° Deum hanc potestatem a ministro ob ejus peccatum et infidelitatem non auferre. Ex quo consequens est, eam etiam in improbo et haeretico manere.

Prima Propos. ex Scripturis manifesta est. Joan. I. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* I ad Cor. III. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Ibid. cap. I. *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Ergo ministri, cum Sacramenta administrant, non agunt suo nomine aut virtute propria, sed sunt instrumenti instar aut canalis, per quem divina gratia in fideles exundat.

Secundum ex eo deducitur, quod potestas conferendi Sacramenta non sit gratia gratum faciens, ut vocant Theologi, sed gratia gratis data, quae confertur in utilitatem aliorum; sed constat, ejusmodi gratias etiam in peccatoribus esse posse, ut patet de Caipha, qui prophetavit, quamvis esset pessimus. Joan. XI. — Item de illis, qui

---

a) Lib. I. de Sacram. cap. XXVI.

Matthaei VII. dicunt: *Nonne in nomine tuo daemonia ejecimus?*

Ergo Sacramenta vim suam et efficaciam non habent a probitate ministri; secus, quo minister sanctior esset, eo Sacramentum foret efficacius. Ipsi Sacramento vis inest sanctificans, neque a ministro pendet sanctificatio nostra.

OPPOSITIONES FALSI NOMINIS SCIENTIAE.

Donatistae ultro confessi sunt, nullum sibi esse praesidium in Traditione Ecclesiae; ideo rationibus dimicandum esse clamitabant, aut Scripturae quaedam testimonia a suo sensu detorta ad sententiam suam etiam invita trahebant.

Dicunt I. 1.° Sacramenta soli Catholicae Ecclesiae concessa sunt: ergo haeretici nec jus habent in Sacramenta, neque potestatem ea ministrandi. 2.° In haeresi nec Christi confessio quidquam valet, nec mors ipsa pro Christo tolerata; ergo nec Sacramenta in haeresi data. 3.° Effectus Sacramenti est gratia sanctificans; at minister haereticus non potest gratiam sanctificantem producere; *nemo enim dat, quod non habet.*

Resp. ad I. nego consequent. Sacramenta bonum sunt Ecclesiae, quae sola ea jure et legitime administrat. Sacramenta, quae ab haereticis dantur, sunt ipsa verae Ecclesiae Sacramenta, quae ab ipsis illegitime dispensantur. Pecunia furto ablata manet tamen quod erat, etiamsi in manus venerit illegitimi possessoris. *Aliud est,* ait S. *August. a), non habere aliquid, aliud non jure habere, et illicite usurpare.*

Ad II. Argumentum plura confundit, quae diligenter sunt distinguenda; confundit primo ministrum Sacramenti cum subjecto; deinde Sacramentum ipsum cum ejus effectu. Mors pro haeresi tolerata utique vera mors est, sed homini haeretico nihil prodest ad salutem; recte ergo concludimus, Sacramenta haereticorum vera quidem Sacramenta esse, sed nihil prodesse animo haeretico suscepta. *Aliud est*, ait iterum Augustinus *b), non habere, aliud non utiliter habere. Qui non habet, est baptizandus ut habeat; qui autem non utiliter habet, ut utiliter habeat, corrigendus.*

---

a) Lib. III. cont. Donatist. cap. X. *b)* Lib. IV. cont. Donatist. cap. XVII.

Ad III. resp. 1.° Si hoc et alia ejus generis argumenta valerent, sequeretur, nulla et cassa esse Sacramenta non tantum ab haereticis et publice facinorosis, sed etiam ab illis administrata, qui occulte mali sunt; nam et ipsi gratiam sanctificantem non habent. Hoc argumento Donatistas saepius urgebat S. *Augustin.*

2.° Dist. min. Nemo dat quod non habet, si ex suo dat, et suo nomine agit, *conc.* si alterius bona dispensat, et virtute causae superioris agit, *nego.* Minister Sacramenti vivum est Christi instrumentum; unde nihil necesse est, ut ipse habeat, quod dat alteri. Sic famulus, qui ipse ne ullum obolum possidet, potest tamen Domini sui nomine largissimas opes in alios distribuere. Eleganter in haec disserit *Melchior Canus a).* « Istiusmodi actio-« nes, in quibus purum nudumque ministerium est, non a mi-« nistro vim accipiunt, sed a Christo, cujus revera magis dicun-« tur esse, quam nostrae. Nam ille est qui baptizat, ille est « qui absolvit. Quocirca sive justus administer sit, sive injustus, « ad effectum Sacramenti nihil omnino interest. Sicut refert etiam « nihil, qui ignem accendit, et ad exustionem admovet, frigidus « an calidus ille sit. Tantum quippe caloris impertiet, non quan-« tum habet ipse, sed quantum habet ignis admotus. »

Argumentatur II. ex Script. 1.° Multa sunt Scripturae loca quae aperte insinuant, nos ab impiis et immundis sanctificari non posse. Cujusmodi est ille Ecclesiast. locus cap. XXXIV. *Ab immundo quis mundabitur?* Item: *Qui baptizatur a mortuo, quid proderit ejus lavatio?* Aut illud Joan. IX. *Deus peccatores non audit.* Vel etiam haec Apostoli II Cor. VI. *Quae participatio justitiae cum iniquitate* etc. 2.° Cum Christus ad Apost. ait Joan. XX. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* . . . an non satis innuit, in ministro requiri Spiritum sanctum, ut possit per Sacramenta peccata dimittere? Nemo autem dicit Spiritum sanctum habitare in haereticis.

Resp. ad I. Totum hoc argumentum eo ipso vitio laborat, quod supra indicavimus; probaret enim contra Sacramenta non haereticorum tantum, sed et peccatorum omnium, quamvis occulta esset eorum improbitas. — Sed nunc ad loca objecta breviter respondendum; non enim longa discussione haec indigent,

---

a) Loci Th. lib. XII. cap. XII.

quae praeter malam fidem aut ignorantiam adversariorum nihil probant. Quae in Ecclesiastico leguntur, quaestionem nostram ne a longe quidem attingunt. Primus locus de somniis agit, eorumque vanitatem ostendit: igitur jure repudiari potest, tanquam a causa nostra alienus. Verum etsi ad rem, de qua agimus, vel invitus trahatur, nihil tamen nocet: nam qui Sacramenta suscipit, non mundatur a ministro, qui pollutus est; sed a Christo, qui semper mundus est, semper sanctus. — Secundi sensus est, homini, qui post contactum cadaveris, quo legalem immunditiam contraxit, si ablutus, iterum cadaver tangat, priorem ablutionem nihil prodesse. — Quae ex Joan. IX. afferuntur verba, ea caeci nati, non Christi verba sunt, et vulgarem populi opinionem exprimunt. — Apostolus Corinthios admonet, ut a convictu et consortio infidelium separentur. Ex quo optime concluditur, illum, qui cum haereticis in communionem Sacramentorum veniret, non tantum fructum nullum percipere, sed majore etiam peccato se contaminare, quamquam integrum et verum esset Sacramentum verbis Evangelicis consecratum.

Resp. ad II. Jam diximus, potestatem perficiendi Sacramenta esse gratiam gratis datam; et ideo optime Spiritui sancto attribuitur, quemadmodum et alia ejusmodi dona, quae malis etiam hominibus quandoque largitur Deus. 2.° Spiritus sanctus ministris Ecclesiae datur per manus impositionem; tum ut legitimam habeant administrandorum Sacramentorum potestatem, tum ut ipsi sanctificentur, et potestate sua licite utantur: at ut aliis Spiritum sanctum conferant, necesse non est ut eum ipsi habeant, sed tantum ut verum conferant Christi Sacramentum.

Dicunt III. Si integrum est Sacramentum, etiam ab improbis ministratum, ergo parum refert, an purus sit Sacerdos Sacramenti administer, an peccati mortiferi labe inquinatus; neque peccabit minister, qui lethalis criminis conscius Sacramenta conficit.

Resp. nego conseq. Magnum est inter utrumque discrimen. Si Sacramenti integritatem violaret ministri improbitas, id in aliorum perniciem cederet; at aequum non est, ut propter unius noxam spe sua frustretur innoxius. Inde fit, ut iniquus minister, dum gratiae dona per Sacramenta in alios effundit, novi seipsum criminis damnet, et mortem hauriat, ubi vitam dispen-

sat. Neque est de hac re dubitandum. Sacerdotibus legis Mosaicae praecipit Deus, ut sint sancti, et ut mundentur: *Sancti eritis, quia ego sanctus sum.* Levit. XIX. *Mundamini, qui fertis vasa sacra.* Quodsi autem veteris legis Sacramenta tantam in ministris munditiem exigebant, cum essent egena et vacua elementa; quid de novae legis Sacramentis existimare par est? Concordat cum his communis Patrum sententia. Hinc illud *Augustini a) ... omnia Sacramenta, cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.* Et *Gregorii M. b): Necesse est ut esse munda studeat manus quae diluere sordes curat.* Et certe, qui audet Sacramenta cum lethalis peccati conscientia dispensare, non mediocrem Sacramentis, et Christo ipsi, cui ut instrumentum conjungitur, infert injuriam, cum sancta irreverenter ac irreligiose tractet. — Neque dicas, etiam per opera charitatis ministrari Deo, nec tamen peccare, qui opera virtutum exerceat in peccato constitutus. — Respondet S. *Thomas c)*, opera illa virtutum nulla consecratione esse sanctificata, sed ipsa pertinere ad justitiae sanctitatem; Sacramenta autem in seipsis continere sanctitatem, eamque similem sanctitatem in ministro exigere, ut suo ministerio respondeat.

Scholion. Quemadmodum ministro Sacramentorum non id solum curandum est, ut vere conficiatur Sacramentum, sed etiam ut pura mente et religiose tractet mysteria; sic magnam quoque adhibeat curam et diligentiam, ut caeremonias in Sacramentorum dispensatione praescriptas sedulo observet; nam quamvis illae rei naturam non attingant, non possunt tamen sine peccato praetermitti, aut mutari in alias. Cf. *Bellarm.* lib. II. cap. XXIX. et seq. et *Tournel.* de Sacramentis quaest. IX. et ult., ubi hanc materiam non obiter et summatim, sed copiose et dilucide pertractat. Equidem liberet hac de re plura dicere, et eorum ora obtundere, qui antiquissimos sanctissimosque Ecclesiae ritus, a Patribus et ad nostra usque tempora a celebratissimis viris religiose servatos, rustico et impolluto ore conspuunt; ac tunc tantum se excultiores caeteris putant, cum non ministrorum, sed praedonum more, in sacra munia irruunt, quidquid tangunt,

---

a) Lib. II. contr. Ep. Parm. cap. I. *b)* Lib. I. Ep. XXIV. *c)* Part. III. quaest. LXIV. art. VI.

maculant, et Sacramenta ipsa suo dedecore conspergunt. Sed limites etiam praeter voluntatem ponendi sunt, quoniam in insectanda hominum istorum superbia, ignorantia et irreligiosa licentia non esset finis. — Interim omnes, qui ad munus sacrum accedunt, iterum iterumque hortamur, ut fideles sint mysteriorum Dei dispensatores, atque nunquam ex animo dimittant solemne hoc Tridentinae Synodi decretum, Sess. VII. Can. XIII.

Siquis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiae pastorem mutari posse; anathema sit.

ARTICULUS III.

De subjecto Sacramentorum.

OBSERVANDA.

1. Pauca in hac quaestione occurrunt, quae possent aliquod negotium facessere. Primum quidem apud omnes in confesso est, non aliud esse subjectum Sacramentorum, quam hominem viatorem. Nam Sacramenta instituta sunt, ut gratiam nobis conferant, et collatam augeant; utrumque autem ad solos homines, quatenus hanc vitam vivunt, pertinet. Deinde et illud extra dubium est, in adultis dispositiones aliquas requiri, ut licete et cum fructu Sacramenta percipiant; *quae enim participatio justitiae cum iniquitate?* II Cor. VI, 14. Quomodo membrum Christi esse potest per gratiam sanctificantem, qui membrum Belial est per propriam malitiam? Hinc *Trident.* Sess. VI. cap. VI. modum exponit quo disponere se debeant adulti ad Baptismi gratiam; et cum Sess. VII. Can. VI. definit, Sacramenta novae legis *gratiam conferre non ponentibus obicem*, et iterum Can. VII.... *dari gratiam per Sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei;* necessario supponit, praevias in homine dispositiones requiri, quae ubi desunt, effectu suo frustratur Sacramentum. Attamen non eadem sunt in omnibus Sacramentis necessaria. Quae dicuntur mortuorum Sacramenta, ea quidem non exigunt gratiam justificantem, cum huic percipiendae destinentur. Reliqua,

quae augendae gratiae serviunt, ea gratiam sanctificantem in suscipiente requirunt, cum sint vivorum Sacramenta.

II. Major in eo difficultas est, quae in suscipiente conditiones ad valorem Sacramenti necessario requirantur; ita ut sine illis Sacramentum irritum sit et nullum. Verum haec ipsa controversia non exiguam lucem mutuatur ab iis, quae priore Art. de fide et sanctitate ministri, atque de ejus intentione dicta sunt; hoc uno excepto, quod in suscipiente non raro interpretativa intentio sufficiat, quae nunquam valet in ministris.

PROPOSITIO I.

Fides et sanctitas in suscipiente non est necessaria ad Sacramentum valide suscipiendum.

Probat. Constans est Ecclesiae doctrina, ob pravam suscipientis dispositionem Sacramentum quidem effectu suo fructuque destitui, at non propterea nullum esse; cum effectus Sacramenti sit aliquid ab ipso Sacramento distinctum. Omnes itaque huic S. Augustini sententiae adscribunt: *Nec interest, cum de Sacramenti integritate et sanctitate tractatur, quid credat, et quali fide imbutus sit ille qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quaestionem nihil interest: fieri enim potest ut homo integrum habeat Sacramentum, et perversam fidem.*

Nota. Excipitur tamen poenitentiae Sacramentum, quia contritio, qua homo ad effectum Sacramenti disponitur, etiam pars est Sacramenti, et ad ejus integritatem pertinet.

PROPOSITIO II.

Ut valeat Sacramentum in adulto, requiritur et sufficit intentio, seu vera voluntas id recipiendi quod ab Ecclesia datur.

Probat. Sacramenti celebratio non minus in suscipiente, quam in conficiente, debet esse actio humana, quae citra intentionem intelligi non potest. Requiritur autem ea intentio, qua quis vult idipsum suscipere quod fit in Ecclesia. Ita enim *Concilium Trident.* de ministri intentione decernit, atque hac in re eadem est suscipientis ratio, cum utriusque

actio sit moralis et humana. Eodem hoc argumento et illud conficitur, intentionem aut voluntatem suscipiendi quod confert Ecclesia sufficere ad integritatem Sacramenti. Praeterea cum, uti propos. I. probatum est, Sacramentum non tollat perversa fides suscipientis; sequitur valere Sacramentum, quamvis suscipiens de ejus effectu et natura perverse sentiat.

Praetermittimus Conciliorum decreta, et quae S. *Augustinus* contra Donatistas disputans ex Ecclesiae Catholicae mente disseruit. Unum audiamus S. Thomam, qui de Sacramentis in genere agens, ita rem explicat *a)*: «*In adultis et in habentibus usum rationis, in quibus potest esse contraria voluntas actu vel habitu, requiritur et contritio sive devotio ad percipiendum rem Sacramenti, et intentio sive voluntas ad recipiendum Sacramentum. In pueris autem absque utroque percipitur et Sacramentum, et res Sacramenti; et similiter est in carentibus usu rationis, nisi contraria voluntas habitu insit, etsi non actu.*»

PROPOSITIO III.

In quibusdam Sacramentis, puta, Baptismo, Confirmatione, Poenitentia, Extrema Unctione, in recipiente ea sufficit intentio, quae interpretativa dicitur.

Probat. Ecclesia semper hanc servavit regulam, quae etiam multis Conciliorum statutis confirmata est, ut iis, qui subito vi morbi oppressi obmutescunt aut sui compotes amplius non sunt, Sacramentum Baptismatis, vel Absolutionis, vel Extremae Unctionis ministret, cum aliquo testimonio constat, eos Sacramenta suscipiendi voluntatem habuisse. Atqui in his casibus interpretativa tantum adest intentio. Ergo etc.

Neque illud hic opponi potest, quod in ministro ejusmodi intentio non sufficiat; nam administratio Sacramenti est vera actio Ecclesiastica, qua Sacramentum conficitur; haec autem actio humana et libera dici non potest, nisi intentio in eam actu aut virtute saltem influat; qui autem

a) Lib. IV. dist. 6. quaest. I. art. 2.

recipit Sacramentum, non tam agere videtur quam pati; unde sufficit ut non reluctetur, et ita sit affectus, ut Sacramentum voluerit accipere, et priorem intentionem non retractaverit.

Quaeres an liceat Sacramenta recipere a malis ministris?

Resp. 1.° In causa necessitatis Baptismus aut sacramentalis absolutio peti potest a ministris etiam notorie malis, et ab Ecclesia non toleratis. Unde Trident. declarat, nullam esse in articulo mortis casuum reservationem, et a quolibet Sacerdote poenitentem absolvi posse.

2.° Ubi causa necessitatis non subest, Sacramenta recipere non licet ab eo, qui speciali et expressa sententia fuerit excommunicatus, aut notorius Clerici percussor sit. Ita *Martin.* V. in Bulla: *ad evitanda scandala*, in Concilio Constantiensi edita.

3.° A Parocho, cui Sacramentorum administratio ex officio incumbit, aut ab alio Sacerdote parato, quamvis perversus ille sit, si sit ab Ecclesia toleratus, Sacramenta petere licet et accipere, quando justa adest ea petendi ratio: quilibet enim jure suo uti potest, etsi praeter intentionem ministro improbo gravioris sceleris occasionem praebeat. Quodsi tamen copia habeatur alterius ministri, lex charitatis postulat, ut ab eo Sacramenta non petamus, quem sceleribus contaminatum novimus.

CAPUT QUARTUM.

DE SACRAMENTORUM EFFECTIS.

Quarto nunc loco de Sacramentorum effectis agemus, quae pars est omnium fere ponderosissima. Nam post eam quae de Sacramentorum numero instituta est quaestionem, nihil est quod magis ad utilitatem nostram pertineat quam haec praesens tractatio. Hic demum quid nobis per Sacramenta datum sit intelligimus, et quae sit eorum admirabilis virtus; quae si animo probe perpendimus, et vehementius

in Deum tanti muneris auctorem exardescet animus, et ad capessenda haec praeclara ac coelestia dona magno studio et desiderio incitabimur.

Duo sunt hujus argumenti capita. Primus Sacramentorum effectus est, isque praecipuus ac omnibus Sacramentis communis, quod gratiam non significent tantum, sed etiam operentur in nobis. Alter effectus est character, quem animae imprimunt, qui non est communis omnibus, sed trium tantummodo proprius, Baptismi, Confirmationis et Ordinis.

De utroque duplici articulo dicemus.

ARTICULUS I.

De primo Sacramentorum effectu, qui est gratia.

Duo iterum in hac quaestione examinanda sunt. Primum, an Sacramenta gratiam vere contineant, eamque vi sua producant. Secundum, quam gratiam illa operentur in nobis.

§. I.

Quod Sacramenta vi sua operentur gratiam.

OBSERVANDA.

I. In eo virtus et efficacia Sacramentorum sita est, quod gratiam non significent tantum, sed eam contineant, atque vere et proprie ut Dei instrumenta efficiant. Quapropter et causa gratiae dicuntur non quidem *principalis*, quod uni Deo convenit, cui gratiam omnem, quae ex Sacramentorum usu et administratione percipitur, acceptam referimus, sed *instrumentalis*, cum sint veluti instrumenta, quibus Deus utitur ut gratiam conferat. Theologi, ut vim operandi Sacramentorum eo modo exprimant, qui rem ipsam apte significet, dicunt, Sacramenta dare gratiam *ex opere operato*. Haec vox a saeculo XIII. in Scholis usurpata, postmodum a Concilio Tridentino adoptata fuit, quidquid contra proferant Protestantes. Ideo autem Sacramenta dicuntur gratiam conferre ex opere operato, quia eorum operatio ex vi actionis sacramentalis a Christo institutae repetenda est, non autem a ministri meritis, aut fide, probitate et dispositione suscipientis.

Quamvis enim in suscipiente dispositiones quaedam sint necessariae, ut effectum Sacramenti consequatur, illae tamen non producunt gratiam, neque Sacramento vim tribuunt et efficaciam; sed tantum removent obicem seu obstacula, quibus impediri possit et retardari effectus Sacramenti. Sua ergo virtute agit Sacramentum, hoc ipso quod ritus legitime administretur, et nihil sit in subjecto quod obicem opponat gratiae. Quando gratia confertur ex merito et dispositione ministri aut suscipientis, tunc conferri dicitur ex *opere operantis.*

II. Antiquissima haeresis est, ait *Maldonatus a)*, Sacramenta Evangelica non dare gratiam. Vide *Irenaeum* lib. I. cap. XVIII. — Eundem errorem docuerunt Lutherani, et qui ab illis propagati sunt, quorum fundamentum est, quod sola fide justificemur. Haec quoque doctissimi *Bellarmini* observatio est *b)*. Post adducta plurima Novatorum testimonia, in quibus non pauca sunt, quae ad Catholicorum doctrinam videntur propius accedere, haec addit: « Quibuscunque verbis Catholicorum utantur Luthe-« rani, non possunt tamen ullo modo sentire, quod nos senti-« mus, Sacramenta esse veras et immediatas causas justificatio-« nis, nisi recedant a primo illo suo principio: Sola fides justi-« ficat. » Mihi praeterea videtur, quod etiam composita illa, quae de fide justificante movebatur, controversia, quam forsan conciliare non esset tam difficile *c)*, meliora tamen de Sacramentis non sentirent Protestantes. Id enim semper manet eis fixum: unicum esse Sacramentorum officium, ut Dei promissiones oculis nostris spectandas subjiciant; alias non esse Sacramentorum, quam verbi Dei partes etc. *d)*. At forsan alia recentiorum Protestantium sententia est? Non negamus eos a Patrum suorum doctrina recessisse, sed ea tantum ratione, quod longius nunc a Catholico dogmate distent; cum passim ad Socinianorum doctrinam accesserint, nec quidquam aliud in Sacramentis agnoscant quam mera signa, quibus qui utuntur, aut in membra Ecclesiae cooptantur, aut mutuam inter se communionem manifestant.

III. Multum quaesitum est a Theologis, quo proprie discrimine Sacramenta nova a veteribus separentur. Sciendum est autem,

a) De Sacram. parte IV. cap. I. — *b)* De Sacram. lib. II. cap. II. — *c)* Theol. Spec. lib. V. part. I. cap. I. §. I. n. IV. — *d)* Calv. lib. IV. Instit. cap. XIV. §. 12—17.

quaestionem hic non esse, an ritibus, aut numero discrepent, aut facilitate utendi, aut signi claritate, aut duratione temporis; his quippe omnibus titulis, imo et uberioris gratiae diffusione Sacramenta Evangelica veteribus antecellere etiam Protestantes permittunt. Haec, inquiunt *a)*, Christum promissum, quum adhuc expectaretur, adumbrarunt; illa jam praestitum et exhibitum testantur, ac factae jam redemptionis signa sunt; quapropter et vehementius movent animos, et ad excitandam alendamque fidem multo sunt aptiora. Id ergo agitur hoc loco, an Sacramenta veteris legis etiam fuerint causa gratiae, vel an hoc illis tantum Sacramentis conveniat, quae fuerunt in nova lege a Christo Salvatore instituta? *Concilium Trident.* Sess. VII. Can. II. definit: *Siquis dixerit, novae legis Sacramenta a Sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae et alii ritus; anathema sit.* Haec quidem brevius, ut *Bellarm.* ait *b)*, et obscurius decreta fuerunt a Concilio; quia jam fuerant clare definita ab *Eugenio* IV. in Decreto ad Armenos, ubi S. Pontifex post enumerata septem novae legis Sacramenta addit: *Quae multum a Sacramentis differunt antiquae legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.* Huic sententiae passim subscribunt Catholici, quamvis etiam post Florentinam Synodum quidam extiterint, qui hanc materiam vexare et turbare non cessarunt, affirmantes Summum Pontificem communem tantum Theologorum sententiam proposuisse, non autem dogma fidei quod esset necessario credendum. Praecipua controversia de circumcisione est, quae non est proprie Sacramentum Mosaicum, sed legis naturae; unde Joan. VII.: *Circumcisio non est ex Mose, sed ex Patribus.* Non defuerunt, qui contenderent circumcisionem ex opere operato contulisse gratiam; cum alii econtra affirmarent eam ad delendum originale peccatum proprie institutam non fuisse. Praeter haec variae adhuc erant, et inter has mediae opiniones. Placet plerisque S. Thomae sententia *c)*, qui docet, circumcisionem vi sua non justificasse, sed justificasse tamen

---

a) Instit. lib. IV. cap. XIV. n. 20. *b)* De Sacr. lib. II. cap. XIII. *c)* Part. III. quaest. LXX. art. IV.

per fidem, quam profitebatur qui circumcisionem recipiebat, sive adultus pro se ipso, sive alius pro parvulis.

Haec omnia multo diffusius tractata reperiuntur apud majores Theologos.

PROPOSITIO.

Sacramenta novae legis gratiam conferunt ex opere operato.

Concilium Trident. Sess. VII. Can. VI. ita statuit:

.... *Siquis dixerit, Sacramenta novae legis non continere gratiam quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel justitiae, et notae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.* Et ibid. Can. VIII. *Siquis dixerit, per ipsa novae legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.*

Haec Concilii decisio multis comprobatur, iisque validissimis argumentis.

ARGUMENTA

Ex Scripturis.

S. Augustinus de Baptismo cum Donatistis agens, haec prae caeteris adducit ex sacris litteris deprompta. 1^m^ Joan. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto.... Non ex parentum fide*, ait, *aut offerentium vel ministrantium, sed ex aqua et Spiritu sancto; aqua igitur regenerat hominem.* 2^m^ citat ex Epist. ad Ephes. V. *Christus seipsum tradidit pro Ecclesia, ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae.* 3^m^ ex prima Petri cap. III. ubi ita legitur v. 21.: *Quod et vos nunc similis formae salvos facit Baptisma.* Et haec quidem de Baptismo sufficiant. Sunt de aliis etiam Sacramentis non obscura testimonia. De Confirmatione. Actor. VIII, 17. 18. *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum*

sanctum. Cum autem vidisset Simon, quod per impositionem manuum daretur Spiritus sanctus etc. De Eucharistia. Joan. VI, 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* De Poenitentia. Joan. XX. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De Extrema Unctione. Jacobi V. *Orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum.* De Ordinis Sacramento. II ad Timoth. IX, 14. *Noli negligere gratiam, quae est in te, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyteri.* Idem affirmat Apostolus II ad Timoth. I.

Haec sane ostendunt vim effectricem gratiae Sacramentis novae legis inesse, eaque non esse signa tantummodo nuda, et omni efficientia destituta.

ARGUMENTA

Ex Ecclesiae Traditione.

I. Synodus Cp. prima, quae est generalis II., in Symbolo confitetur: *Unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Huic Symboli articulo omnino consonant, Concilium *Milevitanum* II. anni 416. Can. II. et *Arausicanum* II. anni 529. Can. XXV., quorum Conciliorum magna est in Ecclesia auctoritas. *Eugenii* IV. decretum jam supra citavimus. Et si licet ea, quae ex *Tridentino* prolata sunt, novis ex hac ipsa Synodo argumentis confirmare, habemus Canonem ejusdem Sessionis VII. Imo Sessione sexta, cap. VII., ubi causas justificationis enumerat, huic nostrae quaestioni jam praeludens ait, causam justificationis efficientem esse misericordem Deum, meritoriam Christum Dominum, ejusdem autem *causam instrumentalem* esse Baptismi Sacramentum.

II. Jam si Patres consulimus, videbimus eos unanimes in eandem sententiam concedere, omnes enim certatim Sacramentorum vim et efficaciam extollunt. Eorum testimonia longo ordine recensentur a *Bellarmino.* Notandum autem, quod ea quae de uno aliove Sacramento dicuntur, pro om-

nibus valeant; cum hac in re omnium Sacramentorum novae legis aequalis sit ratio.

Ne prolixior fiat probatio, haec pauca ex Patribus seligimus. S. *Gregorius Nyssenus* orat. in Baptismum Christi ait: *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis causa.* S. *Chrysostom.* Homil. XXV. in Joan. *Primum*, inquit, *dictum est, producat aqua reptile animae viventis; postquam vero alveum Jordanis ingressus est Christus, non animas viventes, sed animas rationales et spiritales aqua producit. Tertulliani*, antiquissimi scriptoris, haec verba sunt lib. de Bapt. cap. IV.: *Aquae sanctificatae vim sanctificandi combibunt* .... et lib. de resurrectione carnis cap. VIII.: *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur; caro corpore Christi et sanguine vescitur, ut et anima a Deo saginetur.* Ex *Augustino* hoc unum apponimus ex Tract. LXXX. in Joannem: *Unde tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat?* Non potest aliquid brevius et significantius dici.

III. Ad Scripturae et sanctorum Patrum testimonia accedit ea ratio, quae deducitur ex Baptismo infantium. Parvulos baptizandos esse etiam Protestantes concedunt; at, si Sacramenta signa tantum sunt quibus nostra excitatur fides, quaeritur qua ratione Baptisma possit parvulis prodesse? An merito fidei quam in ipsis excitat? Sed tam fatui non sunt adversarii nostri, ut credant infantem unius diei posse fidem concipere in Redemptorem. An fide et meritis ministri? Sed fidem et probitatem ministri ad Sacramenti veritatem non requiri jam probatum est, idque a Protestantibus conceditur. Manet ergo Catholicum dogma, quod ritus sacramentalis rite administratus ex institutione Christi tanquam causa instrumentalis effectum producat, ubicumque gratiae non opponitur obex.

ARGUMENTA CONTRARIA.

Innumera fere sunt, quae ab adversariis congeruntur argumenta; nam aut nostra convellere et impedire conantur, aut propriis armis in nos impetum faciunt. Nos cum non possimus in compendiosa tractatione ad omnia respondere, aliqua tantum exempli loco proponamus.

Objic. 1. 1.° Locus Petri Apostoli in priori Epist. cap. III. *Quod et vos nunc similis formae salvos facit Baptisma*, per metonymiam effectum gratiae Baptismo tribuit, tanquam gratiae signo. Quae autem sequuntur: *Non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum....* clare significant, per bonam conscientiam seu fidem remitti peccata, non per ipsum Sacramentum.

2.° Contra argumentum ex Patribus desumptum ita infert Calvinus *a)*: «Miseros istos sophistas (Catholicos Theologos) de« ceperunt etiam immodica illa Sacramentorum encomia, quae « de signis nostris apud veteres leguntur; quale est illud Au« gustini, *quod veteris legis Sacramenta Salvatorem tantum pro« mittebant, nostra autem dent salutem.* Has et similes dicendi « figuras quum non animadverterent hyperbolicas esse, et ipsi « hyperbolica sua dogmata promulgarunt.»

Resp. ad 1. Si ille est genuinus verborum Petri sensus, quem illis Calvinus affingit; quid causae est, quaerit Maldonatus, quod Calvinus nunquam ausus sit ita loqui: Baptismus salvos nos facit? Ex verbis S. Petri apertum est, comparationem institui inter arcam Noë, — *in qua pauci, id est octo animae salvae factae sunt per aquam* — et Baptismum, cujus arca typus fuerat. Sicut ergo illi, qui inclusi erant in arca, vere per arcam salvati sunt; vel, sicut arca illis octo animabus vere causa instrumentalis salutis facta est: ita Baptismus vere causa est salutis spiritalis; alioquin plus tribueretur figurae quam veritati. Eorum autem quae sequuntur hic naturalis et obvius sensus est: Baptismus autem nos salvos facit, non quatenus est ablutio carnis, ut ab ea sordes eluat et deponat; sed quatenus est ablutio animae: ita enim mundam efficit conscientiam nostram, ut nihil timeat interrogata a Deo. Addit: *Per resurrec-*

a) Institut. lib. IV. cap. XIV. n. 26.

tionem Jesu Christi... quasi dicat: Hanc vim, conscientiam scilicet bonam et sanctam efficiendi, habet Baptismus ex meritis Passionis Christi, cujus terminus et complementum fuit ejusdem resurrectio.

Ad II. Nescio an iste convitiator non magis in Patres ipsos invercundum se probet, quam in Theologos. Non est hoc Patrum sententias interpretari, sed ludificare. Si Sacramentorum vim miris encomiis extollunt; nihil refert, immodica haec sunt. Si id aperte intendunt, ut absque fuco et quantum fieri potest accurate et dilucide Ecclesiae doctrinam exponant; velint, nolint, per figuras loquuntur et hyperbolice. Caeterum de S. *Augustino* adhuc quaedam occurrent mox dicenda.

Objic. II. 1.° Scripturae passim fidei vim justificandi tribuunt, ergo eam Sacramenta non habent, nisi quatenus fidem movent et excitant.

Prob. ant. Ad Roman. I, 18. dicitur: *Justus ex fide vivit.* Similia in eadem Epist. habentur cap. III, 28. et cap. IV, 3. et aliis in locis. — Item Marci ult. v. 15. ait Christus: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* En in secundo membro condemnandus dicitur, qui non crediderit, nulla facta mentione Baptismi. Ergo fides salvat, non Baptismus.

2.° Instar aliorum Patrum sit S. *Augustinus*, cujus ea sententia est, quod fides Sacramenti, non Sacramentum justificet. Ita Melancht. in Apolog. art. XIII. Ita quoque Calvinus loco jam citato, ubi plura ejusdem Patris testimonia congerit, atque illud imprimis ex tract. XXVI. in Joannem: *Sacramenta Judaeorum in signis a nostris diversa quidem sunt, at in re quae significatur, paria: diversa specie visibili, paria virtute spirituali.*

Resp. ad I. Verba illa Apostoli: *Justus ex fide vivit* .... id tantum significant, hominem justum etiam in adversis Deo fidere, et constanter expectare divina promissa. Vid. locum parallelum Habacuc II., ad quem Apostolus alludit. Porro per fidem saepe omne illud exprimitur, quod fide nobis cognitum est, doctrina, promissa, et Sacramenta. Iterum ex fide vivimus, quia sine fide impossibile est placere Deo; et *Trident.* Sess. VI. cap. VI. fidem inter dispositiones numerat ad justificationem necessarias; nec tamen cum illud exigit, Sacramentorum vim infringere voluit.

Misera est Lutheri in haec verba: *Qui autem non crediderit, condemnabitur* ... cavillatio. Perspicuum est Christum de adultis loqui. His autem, sicut necesse est credere et baptizari ut salventur: ita sufficit non credere, ut condemnentur. Qui non credit, etiam non vult baptizari, atque etiamsi vellet, nihil illi prodesset Baptismus sine fide susceptus.

Ad II. S. *Augustinus* de mira Sacramentorum virtute et efficacia tam multa tamque clara et praeclara dixit, ut nihil contra efficere possint, quae ab adversariis citantur, et quae hoc unum habent, quod sint minus expressa, et de effectis Sacramentorum nihil dicant, quoniam de iis dicendi tunc non erat locus. In libris contra Faustum Manichaeos oppugnat, qui legem veterem damnabant; ostenditur igitur, Christum nequaquam fuisse Mosi contrarium, tametsi antiqua Sacramenta mutaverit; quoniam, licet omnium Sacramentorum finis Christus fuerit, alia tamen requirebantur, quae Christum significarent futurum, alia, quae jam natum ostenderent. Si alio loco ait, Sacramenta veteris et novae legis in re quam significabant paria fuisse; paria virtute spirituali: sensus est, finem omnibus communem fuisse, Christum, gratiam et salutem. At in modo gratiam operandi paria non fuisse, S. *Augustinus* non semel disertis verbis asseruit. Lib. XIX. contra Faustum cap. XIII. expresse ait, Sacramenta novae legis veteribus fuisse ... *virtute majora, utilitate meliora, aditu faciliora, numero pauciora.* Neque puto inhaerentem in ipsis Sacramentis sanctificandi gratiam melius exprimi posse, quam his verbis lib. IV. contra Cresconium cap. XVI.: *Non eorum meritis a quibus ministratur, neque eorum quibus ministratur constat Baptismus; sed propria sanctitate atque veritate, propter eum a quo institutus est; male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem.*

Objic. III. 1.° Vox illa — *Ex opere operato* — quam Synodus Trident. adhibet, barbara est, et monstruosa, ac ridiculum sophistarum commentum Patribus plane incognitum. 2.° Eo tendit Catholicorum doctrina, ut fidem excludat, Christi merita et passionem evacuet; ita ut Deus nihil in Sacramentis operari, sed solis externis symbolis vices suas resignasse videatur.

Resp. ad I. Nimis fastidiosi sunt, qui voces rebus exprimendis idoneas aspernantur, quod novae sint, cum res ipsae novae

non sint, quae novo modo exprimuntur. Sed ajunt, contra regulas grammaticae *operatum* passive accipi. Nonne id etiam Vulgata habet, ut ad Hebr. XIII.: *Talibus hostiis promeretur Deus?* Sed neque apud optimos auctores insolens id est, verba deponentia passivo significatu efferri, ut Cicero ad Nepotem: *Qui est pauper, aspernatur.* Plura adducit Joannes *Filesacus* in defensione Vulgatae. — Quidquid sit, quando Tridentini Patres formam illam verborum adhibuerunt, nihil ea novi habebant, utpote longo jam omnium Scholarum usu trita, et ab omnibus ubique eodem sensu accepta. Brevi ergo compendio fidem ita expresserunt, ut non maneret aequivocationi locus.

Ad II. Tametsi Sacramenta vim suam et efficaciam in se ipsis habeant, neque a suscipientis praeparatione depromant, nemo tamen Catholicorum est, qui nesciat, fidem, poenitentiam et alias virtutes in adultis requiri tanquam dispositionem ad gratiam Sacramenti excipiendam necessarias. Id quoque levissimum est, in nostra sententia vim omnem passionis Christi infringi, et homines a Deo ad res sensibiles avocari. Nam meritis Christi, ejusque passioni omnem gratiam acceptam referimus, et ideo accedimus ad Sacramenta, ut aquam hauriamus vivam ex fontibus Salvatoris. Cum autem Catholici docent, Sacramenta virtutem suam non habere ex se; sed Deum, sed Christum esse qui per illa operatur, profecto homines non a Deo avocant, sed ad Deum trahunt; quemadmodum, qui a Christo curabantur per tactum fimbriae, non acquiescebant in fimbria, sed agnoscebant et laudabant Christi virtutem.

Objic. IV. Explicari non potest, quomodo Sacramenta novae legis sint causa gratiae, et variae sunt in hac parte Theologorum sententiae; atqui ridiculum est, doctrinam aliquam adstruere, quae, qua ratione sit intelligenda, explicare nemo potest. Ergo etc.

Resp. nego min. Hoc omnibus pene Christianae doctrinae articulis commune est, quod rem sciamus, modum autem prorsus ignoremus. Neque id mirum videri debet, cum revelati dogmatis veritas non eruatur ex argumentis rei intrinsecis, sed ex criteriis, quae a testimonio et auctoritate petuntur. An non testimonio sensuum et experientia edocti scimus, solem causam esse luminis et caloris, quamvis, qua ratione id fiat, explicari non possit, et variae sint in hac parte philosophorum sententiae?

Nobis, siquid de Theologorum opinionibus dicendum est, multa videntur in verborum ambiguitate posita; et forsan facile conciliari possent, quae longissime distare putantur, si tanti esset in re tam fastidiosa longius versari. Optime *Melchior Canus a)*: « Quem in modum Sacramenta novae legis sint causa gratiae, id « tantum abest ut explicent (Scholastici), ut etiam opinionum « varietate confundant. » Recensitis deinde variis sententiis, unam prae caeteris assumit, quam hodie omnes fere defendunt, qui aliquam defendunt. Docet autem, Sacramenta causas esse gratiae morales, non naturales; quoniam effectum producunt, non in quantum re physica constant, sed quatenus res naturalis ex Christi instituto elevatur ad dignitatem Sacramenti, et fit signum practicum gratiae. Sicut humanitas Christi (ait) instrumentum fuit, quo Deus ad reconciliandum sibi genus humanum usus est, ita Sacramenta instrumenta sunt Christi ad hanc redemptionem et gratiam in singulis hominibus complendam. Sacramenta continent sanguinem Christi, seu pretium redemptionis, eaque de causa gratiam ipsam, et redemptionem continere recte dicuntur: quemadmodum crumena continere dicitur captivi redemptionem, quia pecuniam continet qua captivus redimitur. Cui haec clara non sunt, is quaeso cogitet, vim Sacramentorum occultam et supernaturalem esse, et ab iis, quae in rebus naturalibus conspicimus, longe diversam. Teneat certum, et, si vult, dimittat incertum. Parum interest, an modum sciat quo Sacramenta gratiam operantur; id agat potissimum, ut quanta sit eorum virtus proprio experimento addiscat.

§. II.

Quam gratiam in nobis operentur Sacramenta?

OBSERVANDA.

I. Constat, effectum Sacramentorum omnium novae legis esse gratiam sanctificantem. Haec hominem gratum Deo reddit et amicum, ac divinae quodammodo naturae consortem efficit: ideoque recte vocatur gratia gratum faciens. At haec ipsa sanctificans gratia vel dari potest, vel augeri. Quando homo ex injusto ju-

---

a) Relect. de Sacram. part. IV.

stus efficitur, tunc primum gratia illa ipsi infunditur, quae vitam dat animae; tunc primum particeps efficitur amicitiae Dei. Hac de causa *gratiam primam* consequi dicitur. Ubi autem vita jam infusa est homini, non potest quidem dari, sed augeri novo gratiae incremento. Hanc gratiam Theologi *secundam* appellant, quia gratia additur gratiae. Jam in memoriam revocandum est, quod supra indicavimus, duplicis generis esse Sacramenta, alia *mortuorum*, cujusmodi sunt Baptismus et Poenitentia, quae instituta sunt, ut iis, qui mortiferi peccati rei sunt, medeantur; et primam illam gratiam, qua delentur peccata, impertiant. Alia, quia augendae gratiae destinantur, *vivorum* Sacramenta appellari solent. Haec longiori discussione non indigent. Unde praetermissis, quae jam nota sunt, hoc unum brevi argumento probandum erit, quod Sacramenta vivorum etiam primam gratiam conferre possint, et illa mortuorum secundam.

II. Praeter gratiam illam sanctificantem, quae cum suo virtutum et donorum comitatu per Sacramenta infunditur, necesse est *gratiam aliquam sacramentalem* admittere, quae propria sit cuilibet Sacramento; ad quid enim diversa Sacramenta, nisi diversos quoque effectus producerent? At quisnam est ille proprius cujuslibet Sacramenti effectus? An gratiae actualis auxilia? Sed gratia sacramentalis etiam parvulis infunditur, qui gratiae actualis capaces non sunt. An novus habitus, aut, ut aliis videtur, novus ornatus gratiae sanctificanti additus? Sed an ille habitus, ille ornatus aliud quid est, aut esse potest, quam gratiae sanctificantis augmentum? Unde multo probabilior est ea opinio, quod gratia sacramentalis nihil addat gratiae sanctificanti, praeter concursum Dei actualem ad singularem cujusque Sacramenti effectum, seu jus quoddam morale ad obtinenda suo tempore auxilia Dei, ad consequendum cujusque Sacramenti finem necessaria.

PROPOSITIO I.

Quemadmodum Sacramenta mortuorum interdum gratiam secundam producunt; ita quandoque evenit, ut Sacramenta vivorum ex accidenti gratiam primam impertiant.

Prob. I. pars. Supponatur, eum qui ad Baptismi aut Poenitentiae Sacramentum accedit, jam assecutum esse gratiam justificationis per charitatem et contritionem perfectam:

quem fructum homo ille recipiet ex Sacramento? An nullum? Sed hoc manifeste contradicit *Trident.*, quod Sess. VII. cap. VII. Can. VI. statuit, Sacramenta obicem non ponentibus gratiam infallibiliter conferre. Ergo, cum certum sit conferri gratiam, prima autem, quae jam adest, conferri amplius non possit, necessario sequitur, conferri secundam.

Probat. II. pars. Fieri potest, ut qu's eo, quo par est, pietatis et religionis sensu ad Sacram. Eucharistiae accedat, cum peccato tamen mortali, cujus nec conscientiam nec affectum habet.

Quid, quaeso, efficiet hoc tantum Sacramentum? Non potest non vim suam exerere, ubi non ponitur obex; at gratiam secundam dare non potest, nisi prius conferat primam; quia augeri non potest quod non adest. Ergo etc.

Confirmari potest haec nostra assertio auctoritate S. Thomae, quae forsan levis videri potest nonnullis, at nobis semper gravis erit et ponderosa. Vid. Part III. q. LXXII. de Confirm. art. VII. — Item de Euchar. Sacram. q. LXXIX. art. III.

PROPOSITIO II.

Singula Sacramenta, praeter sanctificantem gratiam, peculiarem aliquam, quae sacramentalis dicitur, conferunt.

Probatur. Christus cum septem Sacramenta instituit, unumquodque ad finem peculiarem ordinavit; ergo necesse est ut quodlibet suos habeat peculiares effectus, seu gratiam sibi speciatim annexam, quam sacramentalem vocamus.

Prob I. ant. Nisi Sacramenta ad quosdam peculiares fines ex sua institutione referantur, nulla potest ratio assignari, cur septem Sacramenta instituta sint a Christo, quae, cum omnia eundem finem haberent, non aliter differrent inter se, nisi externo ritu. Certe sufficeret ut unum esset, quod gratiam daret, et aliud quo data augeretur. Sed non ita res se habet: Trident. Sess. VII. Can. IV. expresse definivit: *Siquis dixerit, Sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua... licet omnia singulis*

necessaria non sint, anathema sit. Haec constanter Ecclesiae doctrina fuit, quae in eo semper singularem divinae providentiae dispositionem agnovit, quod diversis hominum necessitatibus diversa quoque remedia praeparaverit. — Vid. quae ex Catechismo Rom. citavimus cap. II. huj. libri, responsione ad object. I. Eadem fere in Decreto Eugenii IV. ad Armenos leguntur.

Prob. II. consequent. Effectus Sacramenti est *medium* respectu finis, propter quem Sacramentum institutum est. Ergo si unumquodque finem suum peculiarem habet, necesse est, ut etiam effectum habeat peculiarem, seu ut praeter communem effectum, quem operatur, quodlibet propriam suam gratiam habeat sacramentalem. Huc illud *Tertulliani* pertinet supra citatum: *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur* etc. Et illud S. *Bernardi*, Serm. de Coena Dom.: *Divisiones gratiarum diversis traditae sunt Sacramentis.*

ARTICULUS II.

De secundo Sacramentorum effectu, qui character dicitur.

OBSERVANDA.

De characteris existentia cum Catholicis pugnant heterodoxi; de characteris natura multum olim digladiati sunt Theologi inter se. Nos a Scholarum concertationibus libenter abstinemus; imprimis, quando inter ea, quae magno animorum aestu dicta et disputata sunt, vix aliquid invenitur ex theologicis rationibus deductum, omnia autem fere ex medii aevi philosophia deprompta sunt. Verum si ea, quae ad characteris naturam pertinent, inutilia videri possunt, et a nostro instituto aliena; non ita de re ipsa, seu de characteris existentia judicandum est. Hic enim locus ad fidem Catholicam pertinet, cum sit Ecclesiae judicio definitus. Est autem character veluti insigne quoddam animae impressum eique perpetuo inhaerens, quo apti ad aliquid suscipiendum vel peragendum efficimur, et ab iis, qui tale Sacramentum non susceperunt, distinguimur. Ex eo, quod Sacramenta quaedam characterem imprimant, sponte sequitur, illa iterari non posse; manet enim semel susceptum Sacramentum per illud quod in anima re-

liquit indelebile signum. Hujus autem characteris tanta vis est, ut Sacramentum etiam cum obice susceptum semper ad effectum nitatur, eumque, quamprimum obex sublatus fuerit, efficiat.

PROPOSITIO I.

Tria sunt Sacramenta, Baptismus scilicet, Confirmatio et Ordo, quae characterem imprimunt, unde ea iterari non possunt.

Prob. I. Conclusionem nostram disertis verbis definivit Concilium Tridentinum Sess. VII. Can. IX.: *Siquis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.*

Idipsum in Decreto *Eugenii* IV. ad Armenos legitur; et longe ante haec tempora *Innocentius* III. C. *Majores a)* de duplici effectu Baptismi, gratia et charactere, ut de re trita et omnium consensu recepta loquitur. Haec quoque Graecorum fides est, quam utique non a Latinis didicerunt, sed a Patribus acceptam conservarunt. *Quod autem apud omnes unum invenitur*, ait *Tertullianus* de Praescriptione, *non est erratum, sed traditum.* Ergo perpetuo haec doctrina in Ecclesia viguit; et cum Protestantes neque tempus assignare possint, quo post Apostolos primum invaluerit, neque quo auctore novum dogma propagatum fuerit ostendere, merito ipsi violatae fidei damnantur.

Accedit et illud generale argumentum, quod Ecclesia Baptismi, Confirmationis et Ordinis Sacramenta, ubi ea semel valide administrata fuisse constabat, nunquam iterari permiserit: atqui hujus rei ratio alia dari non potest, quam illa constans et communis omnium Ecclesiarum fides, quod Sacramenta haec aliquid haberent tum a ritu exteriori, tum a gratia distinctum, perpetuum, indelebile: ritus enim externus transit, et gratia, ubi dispositio deest, non infunditur, aut etiam per sequentia peccata deletur. Ergo etc.

Prob. II. Difficile non est, quae diximus expressis Patrum testimoniis comprobare; imo non desunt Scripturae

---

a) Decretal. lib. III. tit. XLII. cap. III.

loca, quae possunt commode in hanc partem accipi, accedente imprimis Traditionis auctoritate. Porro ad Propositionis probationem parum refert, an textus de uno tantum Baptismi Sacramento loquantur, aut de aliis quoque mentionem ingerant, nam characterem in genere negant Protestantes; quem si admitterent, etiam Confirmationis et Ordinis Sacramentis non denegarent, si ea Sacramenta esse concederent.

Ex Scripturis haec passim citant Theologi: Ephes. I, 13.: *In quo* (Christo) *credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae.* Et cap. IV, 30.: *Nolite contristare Spiritum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* II Cor. I, 21.: *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*

Verum gravissimum pondus, ut diximus, in Ecclesiae Traditione est. 1.° De *Baptismi* charactere magnifice loquuntur SS. Patres. S. *Cyrillus Hieros.* in praefatione ad Catecheses, et iterum Catech. XVII. Baptisma vocat *signaculum sanctum et indelebile.* Item: *Spiritus sanctus obsignaturus animas vestras, et deligendi estis in militiam magno regi. Basilius* orat. XIII.: *Quomodo vendicabit te Angelus sibi, quomodo eripiet ex hostibus, si non agnoverit signaculum? Thesaurus non obsignatus facile diripitur a furibus, ovis non signata citra periculum insidiis appetitur. Chrysostom.* hom. V. in II ad Cor.: *Quemadmodum nota quaedam militibus, sic fidelibus Spiritus imponitur: quod fit, ut si ordinem deserueris, omnibus perspicuus fias. Judaei signaculi loco circumcisionem habebant, nos autem pignus Spiritus.* S. *Augustinus* crebrius in hoc argumento versatur, atque adversus Donatistas probat, eos, qui ab haereticis baptizati essent, non esse iterum baptizandos, propterea quod accepissent non haereticorum characterem, sed Christi. Ita lib. II. cont. Cresconium cap. XXX. Tractat. VI. in Joan. lib. VI. contra Donatistas cap. I. etc.

2.° Eadem est Patrum de *Confirmationis* Sacramento sententia; et quoniam S. Chrisma olim una cum Baptismate conferebatur, ideo in illa controversia, quae de non iterando Baptismate agebatur, communis erat utriusque Sacramenti

causa. Attamen de hoc Sacramento non raro expressis verbis loquuntur Veteres, illud appellant *Signaculum spiritale*, eique applicant, quae supra a nobis relata sunt ex Apostolo II ad Cor. I. Ita *Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus* etc.

3.° Quod *Ordinem* attinet, non potest esse dubio locus, post ea quae de Sacramento Baptismi dicta sunt. Habet enim Ordo ex natura sua aliquid stabile et permanens, et a Patribus constanter inter ea Sacramenta numeratus est, quae consecratione quadam conferuntur, atque in peccatoribus etiam et apostatis perseverant. Sic *August.* lib. II. cont. Parmen. cap. XIII. de Schismaticis ad Ecclesiam redeuntibus ait: *Non sunt rursus ordinati, sed sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio manet integra.* Et *Concilium Toletan.* VII. anni 653. Can. VII. *Sacrum Chrisma collatum, et altaris honor avelli nequeunt.*

PROPOSITIO II.

Si Sacramenta, quae iterari non possunt, fuerint cum obice suscepta, gratiam producunt sublato obice.

Probat. Juxta *Trident.* Sess. VI. cap. IV. hominis justificatio sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest: ergo, nisi Baptismi gratia suscitetur sublato obice, omnis qui semel cum obice Sacramentum hoc receperit, quidquid ageret, omni spe salutis maneret exclusus. Nam Sacramentum iterari non potest, neque etiam votum haberi potest illius, quod suscipere non licet. Par est aliorum Sacramentorum ratio, quae per characterem in anima perdurant, neque, ubi semel suscepta fuerint, iterari possunt. Necesse esset, eos qui illa semel cum obice receperunt, eorum quoque fructu in perpetuum carere, quod non videtur cum Dei bonitate conciliari posse. Meliora de Deo speranda esse Ecclesiae doctrina et praxis clare evincunt. Haec enim semper haereticos ad unitatem revertentes materno affectu complexa est, et eos, quamvis Baptisma non iteraret, ad Sacramentorum tamen communionem admisit. Vide S. *Augustinum*

lib. I. de Baptis. contra Donatistas cap. XII. — S. *Thomam* part. III. quaest. LXIX. art X etc.

Eaedem pene rationes pro *Matrimonio* et *Extrema Unctione* militant; quamvis enim haec Sacramenta characterem non imprimant, et ideo ex natura sua id non habeant quod iterari nunquam possint; sunt tamen, ut Theologi dicunt, initerabilia *secundum quid:* nam Matrimonium inter eosdem conjuges, et *Extrema Unctio* durante eodem morbo repeti non potest. Unde qui haec quoque sublato obice reviviscere diceret, is puto, non nimium de divina in homines bonitate praesumeret.

OBJECTA DILUUNTUR.

Dicunt I. Catholici nunquam explicare potuerunt, quae sit characteris natura, neque cur tria tantum Sacramenta sint, quae hunc effectum producant, neque unde illa characteris proprietas oriatur quod deleri non possit. Ergo etc.

Resp. Fatemur, Theologos in explicanda characteris natura parum fuisse felices, verum nullum exinde detrimentum patitur Catholicum dogma, quod in fidei firmitate solidatur. Quaenam haec esset, non dicam religio, sed philosophia, quae hoc sibi principium assumeret, negandam esse rei existentiam, ubicunque occulta est et incomprehensa natura? — Cur tria tantum Sacramenta sint, quae characterem imprimunt, id a priori probare minime necessarium est. Datur tamen ratio non spernenda, et quae, si ad probandum non sufficit, ad rem tamen illustrandam non parum valet. « Character tria habet officia, ait *Bellarmi-* « *nus a)*, aptum facere ad cultum divinum, configurare Christo, « et distinguere ab alio. » Patet ergo cur tria sint inter novae legis Sacramenta quibus character adscribitur; nam in Baptismo homo in familiam Christi cooptatur, et ab aliis, qui a Christo alieni sunt, distinguitur. Christum induit, et potestatem accipit participandi Sacramenta aliaque bona Ecclesiae Christi. In Confirmatione adscribitur ad militem Christi, et potentiam accipit ac robur Christum confitendi, et pugnandi contra daemones. In Sacramento Ordinis in numerum Praepositorum assumitur, et ad

a) De Sacram. lib. II. cap. XIX.

bona Domini sui administranda et aliis distribuenda destinatur. Haec ergo Sacramenta hominem speciali quadam ratione Deo consecrant, juxta illud Tertulliani: *Caro ungitur, ut anima consecretur;* et quodammodo statum mutant hominis. «In Baptismo, « ait Estius *a)*, datur character civitatis, seu familiae Christi; in « Confirmatione character militiae Christianae; in Ordine vero « character potestatis, seu ministerii Ecclesiastici.» Porro eam characteris naturam esse, quod deleri non possit, tam certum semper in Ecclesia fuit, quam certum illi est, characterem existere; neque alia ratio afferri potest, cur Sacramenta, quae characterem imprimunt, eadem etiam repeti non possint. Praeter hoc primum et praecipuum argumentum alia adhuc a Theologis adducuntur. Dicunt, characterem non habere contrariam qualitatem qua possit deleri; non enim est sicut habitus fidei aliarumque virtutum, qui per actus contrarios tolluntur. Dein, eum subjecto inhaerere incorruptibili, quia anima, cui imprimitur, non interit. Ac demum, eum participationem esse Sacerdotii Christi, quod in aeternum manet, ac quandam animae consecrationem, quae a Sacerdotio Christi dimanat, ac tamdiu durat, quamdiu durat res consecrata. Omnis enim cultus Christianae Religionis a Sacerdotio Christi dimanat, qui se primus in Sacrificium obtulit in cruce. Haec fusius apud S. *Thomam b)* aliosque Theologos.

Urgent 1.° In circulo currunt Catholici; nam dicunt, idcirco characterem imprimi per aliqua Sacramenta, quia haec iterari non possunt: et iterum ea iterari non posse ex charactere concludunt. Ergo etc.

Resp. nego ant. Nihil est in nostra concludendi ratione vitiosum. Iis, qui characterem admittunt, facile persuadebimus, non posse iterari illa Sacramenta, quae semel suscepta per impressum characterem in anima permanent, eique perpetuo inhaerent. Alia autem ratione agendum est, quando de ipsa characteris existentia disputatur. Nam cum adversarii concedant, Baptismum. v. g. nunquam iteratum fuisse in Ecclesia nec iterari posse; concludimus, nullam hujus effectus causam assignari posse, praeter illud perenne et indelebile signum, quod charac-

---

a) In IV. dist. 1. §. 20. *b)* Part. III. quaest. LXIII. art. V.

terem vocamus. Haec argumentatio, qua causa ex effectu probatur, omnium est fere usitatissima.

Urgent 2.° Necesse non est ad characterem confugere, ut probetur v. g. quod Baptismus iterari non possit: sufficit, quod Baptismus sit janua Sacramentorum, et quod ad delendum originale peccatum sit destinatus.

Resp. Levissimae sunt istae rationes. Nonne qui ingressus est per januam, idem exire potest? Et si redire velint apostatae et desertores, an non rursus aperienda est janua? Cur ergo non iteratur Baptisma? Nam si nullo modo in anima remanet, et nullum imprimit characterem, non videtur cur repeti non possit. Deinde, qui lethalis criminis conscius aut fidei expers Baptismum suscipit, huic peccatum originis non dimittitur, et tamen non rebaptizatur, dum resipiscit.

Dicunt II. Veteres Doctores, et imprimis S. Augustinus, per characterem illud non intelligunt, quod Concilium Tridentinum voluit hoc nomine definire; sed exterius Sacramentum indicant, aut novam aliquam denominationem tantum. Inde illud S. Augustini dictum: *Si Donatus in nomine Donati baptizaret, characterem Donati infigeret.* At certe Donati character in anima infixus nullus esse potest.

Resp. Verum est, quod ritus sacramentalis subinde character vocetur ab Augustino, et ita vocari aliqua ratione potest, quia est causa characteris animae impressi; seu, ut Theologi loquuntur, character imprimens, non impressus. Quod ita explicat *Bellarminus a)*: « Ut eadem imago est in sigillo, et in cera; sed imago sigilli est character imprimens, in cera est character impressus: ita Sacramentum externum, ac praecipue forma Sacramenti, est character imprimens, cum ad ejus collationem mox sequatur character in anima, et ex vi et impressione Sacramenti sequatur. Quod autem de charactere Donati S. Doctor loquitur, illud ex hypothesi tantum loquitur, ac si diceret: si Donatus in nomine suo posset Sacramenta conferre, characterem Donati imprimeret. »

Caeterum, quod SS. Patres per characterem longe aliud quid, quam externum symbolum, aut externam denominationem intel-

---

a) De Sacram. lib. II. cap. XXI.

lexerint, ex his capitibus apertum est: 1.° Dicunt, illum esse signaculum in anima, et quamdam animae consecrationem; esse aliquid spirituale, illumque opponunt circumcisioni, quae nota erat corpori impressa. 2.° Dicunt, illum manere, haerere, infigi, portari etc., quod non convenit symbolo externo; imo sigillum vocant indelebile. Haec tum ex illis clara sunt, quae in propositionis probationem adduximus, tum ex aliis Patrum locis, quae in majoribus Theologorum operibus collecta reperiuntur. Accedit et illud, quod, si symbolum externum a Patribus character vocaretur, omnia Sacramenta characterem imprimerent, omnia enim externa sunt gratiae symbola. Cur ergo nullus unquam Patrum per Eucharistiam dixit imprimi characterem? — Vid. *Bellarmin.* loco citato.

PARS SECUNDA.

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE.

Hactenus de Sacramentis generatim egimus, neque, ut credo, inutilis hic labor fuit; id enim hac praevia tractatione assecuti sumus, ut nunc, cum de singulis Sacramentis dicendum est, non omnino imparati accedamus ad hanc difficilem et late diffusam materiam. Vidimus, quae sit Sacramentorum natura, quibus illa partibus constent; causas eorum novimus, et divinam originem, et quantis abundent opibus. Nunc, quae in universum tradita fuerunt, ad singula Sacramenta applicari debent, ut quae de iis Ecclesia Catholica docet, probe intelligamus.

Hanc partem de Baptismo et Confirmatione inscribimus. Et merito quidem, nam haec duo Sacramenta non tantum ordine priora sunt, sed etiam magnam inter se affinitatem habent, et per plus quam decem saecula, nisi gravis id causa suaderet, nunquam fuerunt divisim celebrata. Scilicet Confirmatio, quamvis distinctum a Baptismo Sacramentum efficiebat, semper tamen aliquo modo ad Baptismum pertinere

censebatur, quoniam illius est, magnum regenerationis opus, in Baptismate inchoatum, novo gratiarum et virium incremento perficere.

Aperta est hujus partis divisio. Caput I. de Baptismate erit, II. de Confirmatione.

CAPUT PRIMUM.

DE BAPTISMO.

Lustrationum ac baptismatum usus antiquissimus est, et omnium populorum religionibus receptus *a)*. At merito gentilibus exprobrarunt antiqui Patres, quod hos quoque ritus, sicut et caeteros, qui ad Deorum cultum pertinebant, spurcitiis et vanis superstitionibus depravarent. Quandoquidem infelices illi et miseranda caecitate obruti homines, perjuria et universa vitia ejusmodi lotionibus purgari existimabant, et cum flagitiis omnibus inquinati ad precandum veniebant, *tamen se pie sacrificasse opinabantur, si autem laverint,* ut Lactantius ait *b)*, *tanquam libidines intra pectus inclusas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent.*

Habuit etiam populus Judaeorum lotiones et purificationes plurimas, a Deo ipso institutas, quarum hic erat praecipuus finis, ut interioris puritatis, qua sola Deo placere possumus, continue admoneretur; hanc enim illae significabant. Inde certe est, quod in veteris Testamenti libris lavationis vocabulum tam saepe pro peccatorum remissione usurpetur. *Amplius lava me,* Ps. L. et Isai. I, 16. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Contingit autem etiam in hac gente, ut homines verae pietatis obliti, et in exterioribus tantum haerentes, Religionem in superstitionem verterent, ac eo majorem munditiem se consequi crederent, quo crebrioribus uterentur baptismis. In Evangelio *c)* notantur superstitiosae ablutiones manuum

---

a) Huet. quaest. Alnet. lib. II. cap. XX. n. II. *b)* Instit. lib. V. cap. XIX. *c) Marc.* VII.

a majoribus traditae, item poculorum, urceorum, lectorum etc. Imo recentiores Judaei, quando proselytos consecrant, praeter circumcisionem etiam baptismum adhibent, cui multa attribuunt, quae videntur a Christianorum Baptismo mutuata *a)*.

Superest, ut antequam de Baptismo novae legis quaestio instituatur, prius quid de Joannis Baptismate sentiendum sit, breviter exponamus: nihil enim est, quod non turbaverint Novatores. Cum vim nullam Sacramentis inesse doceant, sed omnia in fide constituant et praedicatione, Joannis et Christi Baptisma nulla alia re differre dicunt quam quod diversis manibus dentur *b)*. Hunc errorem anathemate confixit *Tridentinum* Sess. VII. Can I. de Baptismo. *Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.* Et merito quidem; nam quemadmodum summum est inter Praecursorem et ipsum Dominum discrimen, ita et summa est utriusque Baptismi differentia; quod nemo apertius quam ipse Joannes confessus est *c)*: *Ego quidem aqua baptizo vos; venit autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.* Quasi dicat: Meum Baptisma vim nullam habet emundandi animam, sed merum est signum externum, quo homines initiantur ad poenitentiam: Christi autem Baptisma virtutem continet Spiritus sancti, qua sordes peccatorum diluuntur et vita spiritualis infunditur. Illustrissimum quoque est illud testimonium, Actor. XIX., ubi illos, qui Baptisma Joannis receperant, iterum a Paulo baptizatos legimus. Et haec quidem contra heterodoxos dicta sint. Caeterum inter Catholicos quaeritur, an Baptismus Joannis fuerit Sacramentum ejus fere generis cujus erant veteris Testamenti Sacramenta. At certum est, non fuisse. Significabat quidem futurum Baptisma Christi: sed, ut bene observat *Maldonatus d)*, non est satis figuram esse alicujus Sacramenti, ut sit Sacramentum. Nam isto quidem modo mare rubrum fuisset Sacra-

---

a) Huet. loco citato. *b) Calv.* lib. IV. inst. XIV. *c) Luc.* III, 16.
d) Disput. speciali de Bapt. Joannis.

mentum et diluvium, quia erant figurae Baptismi Christi. Vide quae supra part. I. de notione Sacram. in genere dicta sunt, observ. IV.

Baptismus, qui a Christo in nova lege institutus est, in Catechismo Concilii Trid. recte et apposite definitur: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Juxta illud Apostoli ad Ephesios V. cum de Ecclesia loquitur: *Mundans* eam *lavacro aquae in verbo.* Hujus autem Sacramenti denominationes, quibus in primaeva Ecclesia donari consuevit, earumque rationes paucis complexus est *Gregor. Nazianz.* orat. XL. in sanctum Baptisma. *Quemadmodum Christus hujus* (Baptismi) *dator multis et diversis nominibus appellatur, ita ipsum quoque donum varia nomina sortitur... Donum dicitur, quia iis, qui nihil prius contulerunt, datur: Gratia, quia etiam debentibus: Baptismus, quia peccatum in aqua sepelitur: Unctio, quia sacer et regius; hujusmodi enim ea erant, quae ungebantur: Illuminatio porro, quia splendor et claritas; Indumentum, quia ignominiae nostrae velamen est: Lavacrum, quia abluit: Sigillum, quia conservatio est ac dominationis significatio.* His summatim praemissis, totam de Baptismo tractationem tribus articulis complectemur. *Primus* de natura Baptismi aget, *secundus* de causis ejus, *tertius* de effectis.

ARTICULUS I.

De Baptismi natura.

§. I.

De materia Baptismi.

OBSERVANDA.

I. In Baptismo, ut in aliis Sacramentis, quae in usu rei sensibilis posita sunt, duplex est materia, una quae remota, altera quae proxima dicitur; de utraque, quantum satis est, agendum. Ac primum quidem id perspicuum est, materiam Baptismi remotam esse aquam. Neque aliquid est in Scripturis clarius expressum, et perpetua omnium Ecclesiarum Traditione magis fir-

matum. Pauci tantum fuerunt, iique obscuri haeretici, qui a communi Christianorum more recesserunt. *Manichaeos* inter alios errores etiam baptisma in aqua rejecisse, testis est Augustinus *a*). Id fortassis eos impulit, quod aquae elementum, a Deo nequam conditum, tanquam profanum et pollutum detestarentur. Iisdem principiis nitebantur *Seleuciani* et *Hermiani*, quos idem Augustinus ait *b*) baptisma in aqua non recepisse. Addunt quidam, eos in igne baptizasse propter verbum, quod dixit Joannes Baptista: *Ipse vos baptizabit in spiritu et igne.* Illud certum, morem in baptismo ignem seu ustionem usurpandi antiquissimum esse. Non defuerunt, qui pro aqua oleum adhiberent; alii aquam vino miscendam docuerunt *c*). Protestantes aquam quidem ad baptisma adhibent; an eam necessariam credant, dubitare licet, tum propter eorum sententiam de Sacramentorum virtute, tum propter eorum, qui inter eos choriphaei fuerunt, expressa testimonia. *Lutherus* in colloquiis symposiacis, cap. XVII., interrogatus, num deficiente aqua liceat baptizare in lacte, respondit: « Quid- « quid balnei loco esse potest, illud aptum esse ad baptizan- « dum. » — Et *Beza*, epist. II. ad Thomam Tilium: « Si desit « aqua, inquit, et tamen baptismus alicujus differri amplius cum « aedificatione non possit nec debeat, ergo certe quovis liquore « non minus rite quam aqua baptizarem. »

II. Materia proxima Baptismi in ablutione consistit, hoc enim vel ipsum Baptismi nomen indicat. Verum, cum triplex sit ablutionis genus, nimirum per *immersionem*, *infusionem* et *aspersionem*, quaeritur, quodnam adhibendum sit, ut valeat Sacramentum. Antiquitus ablutio immersione fieri solebat, et quidem ter in aquam mergebantur baptizandi; hicque ritus usque ad XIII. saeculum ab Ecclesia tum Graeca tum Latina constanter retentus fuit. Quin etiam recentiores Graeci baptizandos in aquam demergunt, eamque ante calefaciunt, ne noceat infantibus. Ecclesia Latina nunc infusione utitur; cum toti Ecclesiae semper persuasum fuerit, valere Baptismum, quocunque demum ablutionis genere perficiatur. Quemadmodum ad Sacramenti integritatem nihil refert, an unica, an trina ablutio fiat; quamvis trinae ablutionis

---

a) De haeresib. cap. XLVI. — *b*) Eod. lib. cap. LIX. *c*) *Martene* de ritib. Bapt. lib. I. art. IV.

ritus antiquissimus sit, et ex apostolica Traditione fluxisse credatur. Protestantes infusionis usum, quem ante factam separationem in Ecclesia Catholica invenerant, retinuerunt; neque periculum est, ne velint ad ritum immersionis redire. Id potius timendum, ne, quod nos de immersione dicimus, quod illa ad Sacramentum necessaria non sit, hoc ipsi de omni ablutionis genere intelligi velint.

PROPOSITIO I.

Materia Baptismi remota est aqua vera et naturalis.

Concil. Trident. Sess. VII. Can. II. de Baptismo.

Siquis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.

Prob. I. Novi Testamenti loca in hanc rem adeo sunt perspicua, ut expositione non egeant. Primum utique locum ipsa haec Christi verba tenent Joan. III: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Deinde constat, Apostolos nunquam baptizasse, nisi vera aqua. Sic cum Actor. VIII. Eunuchus dixisset ad Philippum: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* v. 38., addit sacer textus: *Et descenderunt uterque in aquam, Philippus et Eunuchus, et baptizavit eum.* Item Petrus Act. X. ait: *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi?* Omittimus figuras et vaticinia veteris Testamenti, quibus Patres passim crediderunt adumbratum et praenuntiatum fuisse Baptismum novae legis. Quid enim aliud nobis exhibet Spiritus ille in ipso mundi exordio aquis incubans? Quid diluvium, quo mundus fuit perpurgatus? Quid maris rubri transitus? Quid aqua de petra in deserto educta, aut Naami Syri ablutio? Quid aliud praenuntiant illae aquae, ad quas sitientes omnes invitat Isaias cap. LV. Et illud Ezechielis vaticinium cap. XXX.: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini.* Illud quoque Zachariae XIII.: *In illa die erit fons patens domui David in*

ablutionem peccatoris. Scimus equidem, ex his argumentis veteris legis non plane effici et cogi quod volumus: at rei explicandae inserviunt, et cum in Patribus frequenter occurrant, quae fuerit Veterum fides plane ostendunt.

Prob. II. Haec porro veterum Doctorum fides innumeris eorum testimoniis probari posset, sed res plana et obiva est. Omnium loco sint haec pauca: *Felix Sacramentum aquae nostrae,* inquit *Tertullianus* de Baptism., *qua abluti delictis pristinae caecitatis in vitam aeternam liberamur.* Et S. Augustinus Tract. XV. in Joan.: *Tolle aquam; non est Baptismus.* His consonat perpetua praxis et Traditio Ecclesiae, quae nunquam tanquam legitimum et validum agnovit Baptisma in alio liquore quam in aqua collatum. Vide *Tournel.* de Sacrament. Bapt. quaest. I. art. II.

PROPOSITIO II.

Immersio ad substantiam Sacramenti non pertinet, et valet Baptismus per infusionem collatus.

Probatur. Ratio baptizandi per immersionem aut per effusionem aquae, res est merae disciplinae, in qua fieri potest mutatio, quin in substantia Sacramenti quidquam immutetur. Hinc Ecclesia, quamvis per tredecim saecula immersione baptizaverit, baptisma tamen per infusionem collatum ratum semper habuit et validum; quod his fere capitibus efficitur.

I. Baptisma *Clinicis,* id est iis, qui in lectulo ob gravem morbum decumbebant, collatum, ratum et legitimum declararunt antiquissima Concilia, Romanum sub Cornelio Papa, Neocaesariense anni 314 etc.

II. Quandocunque Baptisma per immersionem administrari non potuit, sive propter magnam baptizandorum copiam; sive, quando aquae copia sufficiens non aderat; sive, ut *Walafridus Strabo,* saeculi IX. scriptor, observat *a),* cum provectiorum granditas corporum in minoribus vasis hominem tingi non patiebatur, perfusio aut aspersio usurpari

---

a) De rebus ecclesiasticis cap. XXVI.

consuevit. Multa hujus rei exempla antiqua historia exhibet. Cl. Cl. *Martene* lib. supra citat, Brenner, Geschichtliche Darstellung der Verrichtung der Taufe, S. 13. etc. Quin et Graeci non penitus immergunt infantes, ne aqua per os et nares subeat, sed aquam capiti simul affundunt.

III. Nolumus praesidium quaerere causae nostrae in Epistola S. *Cypriani* LXXVI. ad *Magnum*, quoniam ejus authentia multis valde suspecta est; manet autem, quae certe non exigua est, et S. *Augustini* auctoritas, qui Cypriani doctrinam, aut quam ipse putavit esse S. Cypriani, veluti sua aetate certissimam approbat et sequitur lib. VI. contra Donatistas cap. VII. Idem S. *Augustinus* Tract. LXXX. in Joannem ita habet: *Hoc verbum fidei* (invocatio trium Personarum) *tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mundet infantem.* Si sufficit tingere tantillum; ergo sufficit ablutio per effusionem aut aspersionem.

RECLAMANT ALIQUI.

Contra I. Propositionem. Illa verba Joan. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* .... non de aqua materiali, sed metaphorice de aqua spirituali, seu de effusione Spiritus intelligenda sunt. Et vero, quis ex illis verbis Matth.: *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* .... colliget, ignem esse Baptismi materiam? Sed, si ignis metaphorice sumitur, cur non et aqua?

Respond. Maximum inter utrumque discrimen est. Baptismus vi nominis idem est ac ablutio: sed palam est ablutionem per ignem non fieri. Caeterum utriusque loci tutior haberi non potest interpretatio, quam ex agendi ratione Christi et Apostolorum, et ex universae Ecclesiae perpetua Traditione. Hanc solemni decreto sancivit *Tridentinum*, cum anathema pronuntiavit in eum, qui verba illa: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit.* Ergo in igne metaphora est, in aqua non est.

Instant. Dici non potest, quare Christus aquam pro materia Baptismi assumpserit: neque an omnis aqua legitima sit Sacramenti materia. Ergo etc.

Resp. ad I. Prima ratio est Dei voluntas; non potest dari alia certior et validior. Attamen non desunt rationes quae congruentiae vocantur. Nam 1.° aqua in promptu est et omnibus obvia, et sine pretio comparatur, unde maxime convenit Sacramento, quod omnibus et singulis est ad salutem necessarium. 2.° Cum aqua sordibus corporis abstergendis sit aptissima, optimum internae ablutionis signum est, et effectum Baptismi pulchre exprimit. Aliam adhuc S. Hieron. affert *a)*: *Sicut aqua refrigerat ardorem corporis, ita Baptismus ardorem concupiscentiae.* Omitto alias a Veteribus relatas.

Resp. ad II. Aquam veram et naturalem esse oportere ex *Concilio Trid.* et ex communi Ecclesiae usu probatur. Sacramenti dignitas exigit quidem ut aqua munda sit et pura *b)*; ob eandem rationem aquam benedictam adhibere oportet ex praecepto Ecclesiae, et antiquissima Patrum consuetudine; verum ad Sacramenti substantiam id non requiritur. *Dicendum est,* inquit S. Thomas *c)*, *quod in qualibet aqua qualitercunque transmutata, dummodo non solvatur species aquae, potest fieri Baptismus.* Plura in libris ritualibus videri possunt.

Dicunt contra II. Propos. Necesse est, ut Baptismus mortem et sepulturam Christi exprimat, juxta illud Apostoli ad Rom. VI. *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Atqui nisi Baptismus per immersionem fiat, non potest mortis et sepulturae Christi imaginem referre. Ergo etc.

Respond. 1.° nego maj. Apostolus alludit ad modum baptizandi eo tempore usitatum; neque diffitemur, immersionem expressius significare, nos esse per Baptismum consepultos cum Christo: verum haec significatio ad substantiam Baptismi non pertinet. Sic Patres ex candidis baptizatorum vestibus concludunt, eos veterem hominem exuisse, et novum induisse. Numquid inde colliges, vestem candidam ad Baptismi substantiam aliquando pertinuisse? — 2. Nego min. Baptismus Christi mortem et resurrec-

---

a) Epist. LXXXIII. ad Oceanum. *b)* Carolus Borromaeus in instruct. Baptism. *c)* Part. III. quaest. LXVI. art. III.

tionem significat, non ritu externo, sed effectu: per illum enim peccato morimur, et quasi e sepulcro resurgimus ad novam vitam. Quemadmodum Apost. loco citato ait v. 11. *Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu.* Et iterum v. 13. *Exhibite vos Deo tanquam ex mortuis viventes.*

Instant. 1.° Constat antiquitus, eos qui gravi morbo decumbentes per effusionem baptizati fuerant, irregulares fuisse, et inhabiles ad sacros Ordines percipiendos. — 2.° Ritus per immersionem baptizandi originem ducit ab exemplo Christi et Traditione Apostolorum, quod Veteres omnes testantur. Ergo non videtur, qua ratione Ecclesia potuerit immutare morem tantis exemplis et institutis probatum.

Respond. ad I. nego conseq. Fatentur igitur adversarii, Baptisma non fuisse iteratum; quod in hac nostra controversia sufficit. Rationes autem, cur, qui ita baptizati fuerunt, ad Ordines non assumerentur, plures sunt, eaeque obviae. 1.° Quia non tam ex proposito fidei, quam ex necessitate seu metu mortis, Baptisma petiisse censebantur. Conc. Neocaes. cap. XII. 2.° Quia ad ministerium Ecclesiae parum idonei videbantur, qui non fuerant cum caeteris catechumenis in Christi doctrina instructi; utpote quos vitae periculum rudes, et divinorum Mysteriorum prope ignaros, baptizare coëgisset.

Resp. ad II. nego iterum conseq. Christum per immersionem baptizasse, et baptizatum fuisse, non negamus; eum quoque morem ab Apostolis servatum fuisse concedimus. Verum constat, Christi exemplum legem necessitatis non imponere, nisi accesserit praeceptum; nullum autem hac de re praeceptum extat. An non multa a Christo in conficiendis et dispensandis Sacramentis usurpata fuerunt, quae ad substantiam Sacramentorum non pertinent? Quis v. g. contendet, ad Eucharistiae Sacramentum necessarium esse, ut in azymo perficiatur; ut sero post coenam celebretur; ut sit cum lotione pedum conjunctum? etc. Quae a Christo ipso praecepta fuerunt, aut ab Apostolis Christi nomine instituta, haec fixa et immota manere necesse est. Alia autem, cum ad necessaria non pertineant, varias mutationes subire possunt, atque prudens administratio exigit, ut locorum et temporum indigentiis attemperentur. Jam plures afferuntur causae, quae Ecclesiam mo-

vere potuerunt, ut relicto antiquo usu, effusionis caeremoniam induceret. *Prima* fuit ministrorum inopia, qui ut plurimum inermes, aut aetate provecti, tam difficili operi pares non erant; maxime cum adulti baptizandi erant. *Secunda:* Cum parvuli majorem constituerint Baptizandorum numerum, curandum erat, ne periculum subiret tenellae aetatis infirmitas, si nudato corpore in aquam demergerentur; aut ne e manibus ministri in baptisterium delapsi aquis suffocarentur, quod nonnunquam contigit. *Tertia:* Voluit Ecclesia mulierum pudori consulere et ministrorum; praesertim cum Diaconissarum ministerium jam evanuisset. His argumentis non exiguum pondus accedet, si ad statum attendatur Occidentalis Ecclesiae, et imprimis illarum regionum, quae sunt versus Septentrionem positae. Nemo enim est qui non videat, quanta ex usu immersionis apud nos incommoda nascerentur, et quanti laboris res ista esset, et quantae difficultatis? Unde hic contigit, quod fere semper in ejusmodi mutationibus contingere solet, ut perfusionis ritus primum usu invaluerit, et necessitate quadam cogente per Ecclesias fuerit propagatus, antequam lege ecclesiastica sanciretur.

§. II.

De forma Baptismi.

OBSERVANDA.

I. Consueta apud Latinos baptizandi forma haec est: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen.* Ita a Christo ipso, Sacramentorum auctore, edocti sumus Matth. XXVIII. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Haec enim Christi Domini verba ipsam Baptismi formam continere, constans est Ecclesiae Catholicae traditio; atque ideo necessarium semper judicavit ad valorem Sacramenti, ut 1.° exprimeretur actio ministri, quod quidem fit cum dicitur: *Ego baptizo.* 2.° Persona, quae Sacramentum suscipit, quaeque per pronomen *te* designatur; 3.° Causa princeps, in cujus virtute seu nomine Baptismus datur, quapropter distincta Personarum nomina adduntur. Vid. Catech. C. T. part. II. cap. II. quaest. X.

Graecorum forma his verbis continetur: *Baptizatur servus, aut serva Dei in nomine Patris* etc. Sic eam refert Doctiss. *Martene a)* aliique Graecorum rituum peritissimi viri. Hanc formam Catholici omnes tanquam ratam validamque admittunt, cum nihil eorum desit, quae ad formae substantiam requiruntur. Nam et actio ministri exprimitur, et suscipientis persona, cum distincta mentione trium Personarum.

II. Quid Protestantes de Sacramentis eorumque forma sentiant, jam alio loco dictum est *b)*. Ecclesia eorum Baptismum validum habet, et semper habebit, quamdiu in praxi ea retinent, quae ad Sacramenti substantiam pertinere dignoscuntur. At res ista omni attentione et diligentissima disquisitione digna videtur hac nostra aetate, ubi notum est, in quanta opinionum mobilitate versentur omnes Novatorum sectae, et quam levia plerisque videantur sanctissima quaeque divinae Religionis instituta. Nam cum Mysteriis fidem nullam adhibeant, verbis autem Sacramentorum vim omnem virtutemque adimant; quis, quaeso, impedire illos poterit, ut non veteri et nimis jam antiquatae formae, novam, elegantiorem et tam luminosi saeculi genio accommodatiorem substituant? vel, ut ea, quae in una actione unita esse oportet, inter duos ministros ita dividant, ut dum unus aquam effundit, alter formam pronuntiet, aut forsan ex Evangelio verba institutionis praelegat; procul dubio ad excitandam infantis fidem! Unde nihil miror, cum video, passim nunc in Gallia saltem cum conditione baptizari, qui e Calviniana secta ad Ecclesiam Catholicam transeunt.

III. Sunt et aliae quaestiones inter Catholicos controversae. Praecipua, et quae maximos auctores in varias distraxit sententias, haec est: *An ratum sit Baptisma in nomine solius Christi datum?* Quidam existimarunt, Apostolos ita baptizasse; et nunc, siquis ita baptizet, verum esse Sacramentum. Ita *Beda*, *Hugo a S. Victore*, *Magister Sententiarum*, aliique ejusdem aetatis auctores. Neque praetermittendus est *Cajetanus*, singularium opinionum notissimus auceps. Alii, ut divus *Thomas*, *Bonaventura* etc. docuerunt, Apostolos quidem ita baptizasse aliquando; sed id fecisse dispensatione aliqua divina, ut in illis initiis Evangelii Chri-

---

a) Antiq. Eccl. Rit. lib. I. cap. XVI. *b)* De Sacram. in genere c. I. §. 2.

sti nomen redderetur illustrius. Utramque sententiam Theologorum pars maxima impugnat, atque multis gravibusque momentis evincit, neque valere, neque unquam valuisse baptisma in solo Christi nomine collatum. *Maldonatus* aliam affert quorumdam sententiam; valere Baptismum, si in nomine Trinitatis detur, etiam si non nominentur singulae Personae. Hanc opinionem, ait, non esse improbabilem, quamvis fateatur contrariam esse communiorem, et consuetudine magis probatam.

PROPOSITIO.

Ut Baptismus valeat, necesse est ut in forma Sacramenti 1.° *expressa fiat SS. Trinitatis invocatio;* 2.° *ut verba addantur, quae actionem ministri et personam suscipientis exprimunt.*

Probat. I. pars. Forma Baptismi in his Christi verbis continetur, Matth. XXVIII.: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Quamvis enim Christus expresse non dixerit, verba ista inter baptizandum esse pronuntianda; id tamen eum voluisse, atque hunc sensum esse verborum ejus, ex Traditione et auctoritate Patrum discimus. Ecclesia semper docuit, Baptisma in trium, quae distincte exprimendae sunt, Personarum nomine esse conferendum; alia autem hujus Traditionis ratio esse non potest, neque alia data fuit a Patribus, quam praeceptum Christi quod Matth. XXVIII. legitur. Ex innumeris fere testimoniis haec pauca adscribimus. *Tertullianus* de Bapt. cap. XIII.: *Lex tingendi*, inquit, *imposita est et forma praescripta: Ite, docete omnes nationes, tingentes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Et contra Praxeam cap. XXV., Christum ait mandasse discipulis... *ut tingerent in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum: non in unum, nam nec semel, sed ter ad singula nomina in Personas singulas tingimur. Optatus Milevit.* lib. V. Baptismum vocat *aquam sanctam, quae de trium nominum fontibus inundat.* S. *Augustinus* totus in eo est, ut ostendat Evangelicis verbis consecrari Baptismum; quaenam autem sint illa verba declarat lib. III. de Baptism. cap. XV. *Si*, inquit, *Evangelicis verbis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus*

sancti Marcion Baptisma consecrabat, integrum erat Sacramentum. Omitto *Justinum* in Apolog., *Basilium* de Spiritu sancto, *Ambrosium, Hieronymum* etc., quorum testimonia legi possunt apud majores Theologos.

Caeterum quae ab antiquis temporibus Ecclesiae Traditio et praxis fuerit, ex eo satis evincitur, quod cum de Baptismo haereticorum ageretur, ratum semper habuerit Baptismum, cum forma a Christo praescripta, id est cum invocatione trium Personarum collatum; illos autem rebaptizari jusserit, qui fuerant alia forma baptizati. Ita autem persuasum erat omnibus, irritum et cassum esse Baptismum, qui non fuerit verbis Evangelicis consecratus, ut S. *Augustinus* testetur *a)*, tempore suo facilius inveniri haereticos, qui omnino non baptizant, quam qui non illis verbis: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, baptizent. Cf. *Tournel.*, *Selvaggio* etc.

Eadem Evangelica verba, et his conjuncta Traditio, atque veterum Doctorum consensio probant, Baptisma non *in nominibus,* sed *in nomine* trium Personarum administrandum esse. Pluralis numerus naturae in tribus Personis distinctionem argueret, ac formae sensum prorsus adulteraret. *In nomine,* inquit S. *Augustinus b), non in nominibus; hi enim tres unum sunt, et hi tres unus est Deus.*

Prob. II. pars. Christus Matth. XXVIII. Apostolos alloquens expresse ait: *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Ex his Ecclesia divinitus edocta intellexit, etiam in forma Baptismi addenda esse haec aut aequivalentia verba: *Ego te baptizo;* ut tum actio ministri exprimeretur, tum illius qui baptizatur persona. Ecclesiae continuam praxin probant antiqua Ritualia, quorum eo major est auctoritas, quod eam, quam referunt Baptismi formam, non ut recens inductam, sed ut priscam tradant, et a Majoribus acceptam. Vid. *Martene* lib. I. cap. I.

Nec refert, quod antiqui Patres, cum de forma Baptismi agunt, id tantum exigere videantur, ut *in nomine Pa-*

---

a) De Baptism. lib. VI. cap. XXV. *b)* Lib. II. cont. Maximin. cap. XXII.

tris, et Filii, et Spiritus sancti conficeretur Sacramentum, nulla facta mentione horum verborum: *Ego te baptizo.* Ratio enim in aperto est: nempe de illis tantum verbis loquuntur Patres, quae haeretici adulterabant; de aliis nulla erat controversia. Nemo enim etiam inter haereticos repertus est, qui baptizando non haec aut similia verba adhiberet: *Ego te baptizo.* Porro, quando saeculo XII. quaestio haec a quibusdam agitari coepit, Alexander III. eam definivit his verbis *a)*: *Siquis puerum ter in aquam merserit, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; et non dixerit: Ego te baptizo, puer non est baptizatus.*

Cur autem verba illa — *Ego te baptizo* — necessaria sint, ut perficiatur Sacramentum, accurate et dilucide exponit S. *Thomas* part. III. quaest. LXVI. art. V., ubi inter alias rationes et hanc affert: *Cum ablutio hominis in aqua propter multa fieri possit, oportet quod determinetur in verbis formae, ad quid fiat; quod quidem non fit per hoc, quod dicitur: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; quia omnia in tali nomine facere debemus; unde si non exprimatur actus Baptismi, vel per modum nostrum, vel per modum Graecorum, non perficitur Sacramentum.*

ARGUMENTA ADVERSANTIUM.

Argum. I. Verba Christi: *In nomine Patris etc.* hunc possunt habere sensum: Baptizate eos in fide Trinitatis, vel potestate et auctoritate trium Personarum: quemadmodum cum dicitur: *In nomine meo daemonia ejicient*, nihil aliud intelligitur, quam auctoritate et potestate Christi ejici daemonia. Ergo etc.

Respond. Hoc argumentum ferit Protestantes, qui eandem ac nos Baptismo formam praescribunt, quamvis nullam praeter verbum Dei scriptum auctoritatem admittant. Nos sensum Scripturae ex verbo Dei tradito et unanimi Patrum consensu dijudicamus.

Argum. II. Quemadmodum Matth. XXVIII. dicitur, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti dandum esse Baptisma;

---

a) Extrav. de Bapt. C. *Siquis.*

ita in Actib. Apost. cap. II. VIII. X. et XIX. legitur, multos *in nomine Christi* fuisse baptizatos. Ergo si verba Evangelii formam Baptismi exprimunt cum expressa trium Personarum invocatione; aequo jure ex Actis Apostolicis evincitur, valere Baptisma cum hac forma: *Ego te baptizo in nomine Christi.*

Respond. nego consequent. Si prior forma servanda est, quam Christus in Evangelio praecepit, ut in probatione ostensum est; jam per se patet, non posse valere Baptisma in solo Christi nomine collatum. Neque hunc baptizandi modum unquam adhibuit, aut approbavit Ecclesia, et Patres communi consensu loca ex Actibus Apost. citata alio omnino sensu interpretantur. Alii baptizari in nomine Christi idem esse dicunt, ac baptizari in fide Christi, seu post fidei publicam professionem. Sic Eunuchus Actor. VIII. primum professus est, se credere *Filium Dei esse Jesum Christum*, deinde a Philippo baptizatus est. Observandum autem, ibi simpliciter dici: *Et baptizavit eum;* neque addi: *In nomine Christi*, quia Eunuchus ille jam suam in Christum fidem professus fuerat.

Alii volunt, baptizare in nomine Christi nihil aliud significare, quam baptizari Baptismo Christi, nomine et auctoritate Christi; ut nempe Baptismus Christi distinguatur a Baptismo Joannis. Hoc ex Actor. cap. XIX. non obscure colligitur, ubi, qui primum baptizati fuerant Joannis baptismate, postea baptizati dicuntur in nomine Domini Jesu. Porro certum est, illud *in nomine* saepius usurpari ab auctoribus sacris pro virtute, seu auctoritate. Sic Actor. III. Petrus claudum sanans ait: *In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula.* Demum plurimorum Patrum non improbabilis sententia est, nomen Jesu in Baptismi forma fuisse appellatum, non praetermisso nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; hoc fere modo: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii ejus Jesu Christi, et Spiritus sancti. Optime enim observant Patres, una Persona nominata, caeteras non excludi: quod fusius exponit S. *Augustinus* lib. II. cap. XVII. contra Maximum Arianum.

Inst. I. Plures adduci possunt veteres Patres, ut *Basilius a)*, *Hilarius b)*, *Ambrosius c)*, qui validum ratumque habuerunt Bap-

a) Lib. de Spiritu sancto cap. XII. — *b)* Lib. de Synodis cont. Arian. n. 85. — *c)* Lib. I. de Spiritu sancto cap. III.

tisma in solo Christi nomine collatum. His merito adjunguntur Pontifices duo, *Stephanus* et *Nicolaus I.* in Responso ad consulta Bulgarorum. Ergo etc.

Resp. Etiamsi admitteretur argumentum adversariorum, nihil tamen probaret paucorum Patrum sententia contra consentientem omnium Ecclesiarum et omnium saeculorum vocem. At multum abest, ut tantis possint nominibus gloriari. 1.° S. *Basilium* constat in contraria plane sententia fuisse, idque ex eo ipso, quem adversarii citant, loco apertum est. En ipsissima ejus verba. *Fides perficitur per Baptismum, Baptisma vero fundamento fidei nititur: et utraque res per has voces impletur. Sicut enim credimus in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; sic et baptizamur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

2.° S. Hilarius de Baptismo agit nomine et auctoritate Christi collato.

3.° S. Ambros. de suscipientis fide agit, non de forma Baptismi; nempe docet, Baptisma posse plenum sortiri effectum, tametsi qui baptizatur, interrogatus, ut moris erat, an credat in Patrem et Filium, et Spiritum sanctum, unam tantum Personam nominaret, modo fidem habeat in omnes: quemadmodum Sacramenti effectum non consequeretur, qui ore Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum appellaret, intus autem in corde unius aut alterius Personae minueret dignitatem. Hic sensus ex contextu et scopo S. Ambrosii eruitur. Caeterum, si difficilior hic locus est, recta interpretandi ratio exigit, ut quae auctoris sententia fuerit, ex aliis claris et manifestis testimoniis concludatur. Sic S. Ambros. lib. de Mysteriis cap. IV. ubi de forma Baptismi ex professo agit, disertis verbis ait: *Credit catechumenus in crucem Domini Jesu, qua et ipse signatur; sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiae munus haurire.*

4.° Illud quoque argumentum, quod ab auctoritate SS. Pontificum desumitur, nullum est. Nulla S. *Stephani* extat epistola, nullum decretum: quae autem S. *Cyprianus* in sua ad Jubajanum epistola de hoc Pontifice refert, valde suspecta sunt. Probandum esset, illam epistolam genuinum esse S. Cypriani foetum; et si genuina esset, quis non videns in tanto viro tantam animi commotionem, merito suspicaretur, eum prae nimio ardore

et criminandi libidine mentem S. Stephani non satis assecutum esse? Constat enim Romanos Pontifices, et inter caeteros S. Stephanum, nihil antiquius habuisse, quam ut concreditam sibi apostolicam Traditionem incorruptam servarent.

Nicolaus I., ut scite *Melchior Canus* observat *a)*, nihil eo loco, quod ad hanc quaestionem attineat, decrevit. Non enim illi proposita fuerat quaestio, an Baptismus in nomine Christi collatus esset validus; sed an baptizatus a Judaeo vel Pagano verum Baptismi Sacramentum suscepisset. Obiter autem, et in transcursu, cum huic quaestioni propositae responderet, de suo non interrogatus adjecit, Baptisma posse in nomine Christi conferri. Qua in re falli sine dubio potuit, et revera falsus fuit. Ita etiam *Bellarmin.*, *Tournel.*, *Natalis* etc.

Inst. II. Etiamsi forma Baptismi, qua Ecclesia utitur, ab ipso Christo praescripta dicatur, eaque nunc necessaria sit ad Sacramenti valorem, potuit tamen Christus Apostolos ea de re dispensare, ut cum Judaei in nomine tantum Christi baptizarentur, divina hujus nominis virtus et majestas magis celebraretur.

Resp. Nemo diffitetur, id Christum potuisse; verum an a Christo data fuerit haec dispensatio, quaeritur. At nullum ejus vestigium occurrit; neque de illa mentio habetur apud Veteres, qui nulla exceptione utuntur, cum trium Personarum invocationem omnino necessariam praedicant. Et vero, quis sibi persuadeat, Christum a primis statim Ecclesiae incunabulis in ea lege dispensasse, quam paulo ante discessum ex hac vita cum tanta auctoritate Discipulis commendaverat? Neque valet allata ratio; satis enim illustre reddi potuit nomen Christi, per ipsam Evangelii praedicationem, et miracula quae in nomine Christi patrabant Apostoli. Qua ratione autem Apostoli dicantur in nomine Jesu Christi baptizasse, jam supra ostendimus. His accedit illud Actor. XIX., ubi cum *Paulus* quosdam, qui Christiani esse et videri volebant, rogasset, an Spiritum sanctum accepissent, illi autem respondissent: *Neque si Spiritus sanctus est audivimus;* statim reposuit Apostolus: *In quo ergo baptizati estis?* Quae utique percunctatio satis innuit, fideles sic baptizari solitos, ut tres Personae Trinitatis exprimerentur.

---

a) Loc. Th. lib. VI. cap. VIII. Respons. ad sextum.

Argument. III. Si haec Christi verba «Docete omnes gentes, « baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,» ipsam Baptismi formam continerent, nulla in illis mutatio fieri posset, quin irritum redderetur Sacramentum, falsum consequens. Ergo etc.

Prob. min. 1.° Omnibus consentientibus valet Baptisma hac forma collatum: *Ego te baptizo in nomine Patris ingeniti, et Filii unigeniti, et Spiritus sancti ex utroque procedentis.* 2.° S. Justinus in Apolog. II. pro Christianis ita Baptismi formam refert: *In nomine rerum cunctarum Parentis, et Domini Dei, et Servatoris nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti in aqua lavantur.* In Constitutionibus Apostolicis lib. VII. cap. XXII. ita legitur: *In nomine Patris, qui misit; Christi, qui venit; et Spiritus sancti, qui testimonium perhibuit.* Ergo etc.

Resp. ad argum. dist. min. Nulla fieri posset mutatio in iis, quae ad formae substantiam pertinent, *conc.*, in iis quae accidentalia sunt, *nego.* Manet Sacramentum, si mutatio sit accidentalis tantum. Ut si loco *Ego baptizo*, diceretur: *Ego tingo, ego abluo;* aut si vox *Ego* omitteretur, cum ea jam sit in verbo *baptizo* inclusa. Id tamen sedulo observandum, nemini licere ab ea, quae ab Ecclesia praescripta est, forma recedere, etiam in accidentalibus, nisi id gravissimae causae exigant, quae tamen vix unquam occurrunt. Nunc ad probationem.

Ad I. Valet illa forma, quia verba Evangelica retinentur, et quae addita sunt, sensum verborum non mutant, sed magis confirmant. At non valeret Sacramentum, si praetermissis Patris, et Filii, et Spiritus sancti nominibus, diceretur: *In nomine ingeniti, et unigeniti, et ex utroque procedentis.*

Ad II. *Justini* verba non puram Baptismi formam prae se ferunt, sed potius eam explicant, et quadam paraphrasi illustrant. Ita in Constitutionibus Apost. post formam ex Evangelio recensitam, ea quae in objectione citantur, explicationis causa subnectuntur. Caeterum aliae adhuc dantur Baptismi formae, partim certo invalidae, partim dubiae, quae apud eos Theologos videri possunt, qui abundantius hac de re disserunt.

ARTICULUS II.

De causis Baptismi.

Obvia est hujus argumenti partitio, et ex priori hujus libri parte jam cognita. Causas Baptismi extrinsecas hic intelligimus, eaeque sunt, *Auctor*, *Minister* et *Subjectum* Sacramenti. Quoniam autem quae ad hanc quaestionem pertinent, jam magna ex parte sunt explicata, pauca tantum, quae Sacramento Baptismi propria sunt, hoc loco discutienda manent.

§. I.

De Auctore Baptismi.

OBSERVANDA.

I. Christum esse Sacramentorum causam effectricem jam confectum est. Is Sacramenta instituit, ab eo vim suam omnem hauriunt, in eum quoque ut in finem referuntur. Non est ergo hoc loco indagandum, an auctor Baptismi Christus sit: quando a Christo institutus fuerit Baptismus, quaeritur. Difficile est in hac quaestione sententiam dicere, cum nihil ex sacris litteris aut ex Apostolorum Traditione certo colligi possit, et variae sint tum Veterum, tum Recentiorum opiniones. In eo quidem omnes consentiunt, quod Baptisma vim obligandi non habuerit, nisi post resurrectionem Christi: at pauci sunt, qui institutionem Baptismi ad ea quoque tempora referant. Plerique Scholae Theologi sententiam sequuntur S. *Thomae a)*, quam etiam S. *Augustinus* aliique Patres tanquam veriorem et credibiliorem commendarunt; quod nempe Baptismi Sacramentum ante Christi mortem a Christo ipso fuerit institutum, et ab Apostolis ministratum.

II. Sumamus ergo, ante mortem Christi institutum esse Baptisma. At quo tempore facta est haec institutio? Hic iterum discrepant sententiae. Si Baptisma illud, quod ante passionem ab Apostolis ministratum dicitur Joan. III. v. 22. et IV. v. 1., verum novae legis Baptisma fuit, necesse est institutionem praecessisse. An forsan tunc locum habuit, quando Christus ad Ni-

---

a) Parte III. quaest. LXVI. art. II.

codemum dixit, Joan. III, 5.: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei?* Verum probabile non est, Sacramentum Baptismi tum institutum fuisse, cum privatim Christus unum hominem allocutus est. Et cum Christus ibi de effectu et necessitate Sacramenti loquatur, an non potius concludi potest, illud jam tum extitisse? Unde multis probabilius videtur, Baptismi institutionem in illud tempus referendum esse, quo Christus a Joanne fuit baptizatus. Tunc enim sanctificandi virtutem aquae imbiberunt, ut *Ambrosius* et alii Patres passim docent. Vid. *Tournel.* de Bapt. q. III. art. 1. Tunc et coelum apertum est, Spiritus sanctus in columbae specie descendit, ut Baptismi Sacramentum quid valeret, ostenderet; quod pulchre ita explicat *Catechismus Conc. Trident. a).* « Illud « maximo argumento esse potuit, quod tunc sanctissima Trinitas, « in cujus nomine Baptismus conficitur, numen suum praesens « declaravit. Vox enim Patris audita est, Filii Persona aderat, « et Spiritus sanctus in columbae specie descendit. Praeterea « *coeli aperti sunt*, quo nobis jam per Baptismum licet ascen- « dere. » Ita etiam S. *Augustinus* ait *b), apparuisse Patrem in voce, Filium in carne, Spiritum sanctum in columba.*

§. II.

De Ministro Baptismi.

OBSERVANDA.

Triplex quidem quaestionis hujus argumentum est; nam et de persona ministri, et de intentione, ac demum de ejus fide et probitate disputatur; verum cum pleraque jam alio loco fuerint agitata, brevius nunc hoc argumentum absolvi potest. Primum quod ad ministri intentionem attinet, nihil addendum est ad ea, quae Parte I. de Sacramentis in genere dicta sunt. Illa quoque gravissima et celebris controversia, de fide et sanctitate ministri, ita superiori parte exposita fuit et stabilita, ut nihil nobis hoc loco dicendum supersit ad tuendam Ecclesiae Catholicae doctrinam. *Concilium Trident.*, quod Sess. VII. de Sacramentis in ge-

---

a) De Sacram. Bapt. quaest. XVI. *b)* Tract. VI. in Joan.

nere definit: *Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, conficere et conferre Sacramentum:* eadem Sessione de Baptismo, Can. IV. ita statuit: *Siquis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.* Id ergo agemus, ut primo ad instructionem Candidatorum de Rebaptizantium errore quaedam historice subjiciamus, antequam materiam aggrediamur de persona ministri, in qua aliqua occurrunt paulo diligentius inquirenda.

Rebaptizantes saeculi III.

I. Primum, quid historia Ecclesiae de hac controversia referat, brevi compendio indicabimus. Saeculo tertio *Agrippinus*, Carthaginensis Episcopus, primus contra universalis Ecclesiae regulam, ut *Vincentius Lerinensis* ait *a)*, rebaptizandum esse censuit. At nulli hac de re motus exorti sunt ante *Cypriani* tempora; qui Agrippini, praedecessoris sui, vestigia premens, multos in erroris consortium traxit, ita ut Sedi Apostolicae necessarium visum sit, veterem Traditionem contra novellam opinionem auctoritatis suae pondere tueri.

Unde cum *Cyprianus* in aliquot Synodis (tres enim Carthagine anno circiter 256 habitae fuisse dicuntur) statuisset, baptizatos ab haereticis iterum baptizari oportere, *Stephanus*, Pontifex Romanus, his decretis intercessit, iisque universae Ecclesiae Traditionem opposuit; atque in epistola ad Africanos missa his verbis sanxit: *Nihil innovetur nisi quod traditum est; ut manus illi imponatur ad poenitentiam.* Acceptis Stephani Pontificis litteris et decreto, Cyprianus pristinam sententiam non deposuit, sed contra in epistola ad Pompejum, quae est inter Cyprianicas LXXIV., in Summum Pontificem ita acerbe invehitur; ut qui virum noverat, tam moderatum, tam studiosum Ecclesiasticae Traditionis, atque in Sedem Romanam tam verecundum, jam Cyprianum in Cypriano quaerat.

Dicitur, Africanis hac aetate novas vires accessisse ex Orientalium Ecclesiarum consociatione; Cyprianum, quem latere non

a) Commonit. cap. VI.

poterat quid Orientis Ecclesiae hac de re sentirent, litteras dedisse ad *Firmilianum*, Cappadociae Episcopum, virum scientiae et virtutis laude percelebrem; hunc respondisse famosa illa epistola, quae est inter Cyprianicas LXXV.; in qua quidquid a Cypriano in S. Stephanum dictum fuerat, acerbitate et inverecundia longe superat. Si huic epistolae et S. Dionysio Alexandrino fides est, ea opinio, quam Firmilianus tuetur, jam pridem in Oriente invaluerat, et in Conciliis apud *Iconium* et *Synada*, ex Galatia et Cilicia caeterisque proximis regionibus collectis sancita fuerat.

II. Praeter haec facta historica, quae video ab auctoribus passim assumi ut vera, aliqua sunt quae controversiis locum dederunt. Primum quidem nonnulli reperiuntur, qui S. *Stephanum* redarguunt, quasi haereticorum Baptismum admiserit quemcunque, etiam absque legitima forma administratum: sed quam perperam id faciant, ex Stephani ipsius sanctione colligitur, ubi consuetudinis robur iis opponit, qui inducere volebant novitatem. At consuetudo ab initio nascentis Ecclesiae haec erat, ut nullus et irritus haberetur Baptismus, qui forma a Christo instituta collatus non esset; neque alia de causa Concilium *Nicaenum* Paulinianistas jussit rebaptizari. Porro in illa S. Stephani cum Cypriano et Orientalibus cotroversia de fide duntaxat ministri agebatur, non de forma Sacramenti. Nusquam Firmilianus aut Cyprianus id Stephano dant crimini, quod Baptisma approbaret, absque invocatione SS. Trinitatis datum; sed quod Sacramenti valorem ex invocatione repeteret, nulla habita ratione pravitatis et infidelitatis ministri. Id perspicue in illa ipsa epistola exprimitur, quam Firmilianus dicitur ad Cyprianum direxisse. *Illud quoque absurdum*, inquit, *quod non putant quaerendum esse, quis sit qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus est, gratiam consequi potest invocata Trinitate nominum Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Quod ergo Stephanum dicunt ad Africanos scripsisse: *Siquis a quacunque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur;* id de haeresibus illis intelligendum est, quae formam Baptismi non destruunt. Verum omne dubium dissolvit vel solum S. *Augustini* testimonium, quem nemo dicet ratum habuisse quodcunque Baptisma etiam absque legitima forma collatum. Is autem in libris de Bapt. contra Donatistas expresse ait, Stephani decreto sartam tectamque serva-

tam esse consuetudinem ex Apostolica Traditione manantem, quae etiam plenario totius orbis Concilio confirmata est.

Quaeritur item: An Stephanus excommunicationis sententiam in Cyprianum aliosque Rebaptizantes pronuntiaverit? Dissentiunt auctores, neque nostrum est, hanc litem dirimere. Cf. *Bellarm. a)*, *Natalem Alex. b)*, *Tournel. c)* etc. Neque in eo consentientes invenimus rerum ecclesiasticarum tractatores, an Cyprianus ante mortem recesserit a sua sententia. *Fortasse factum est, sed nescimus....* ait *Augustinus* lib. II. de Baptis. contra Donat. cap. IV. Apertius de hac re scribit Ep. XCIII. §. 38 *Cyprianus sensisse aliter de Baptismo, quam forma et consuetudo habebat Ecclesiae, non in Canonicis, sed in suis et Concilii litteris invenitur: correxisse autem istam sententiam non invenitur; non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit, et fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, et tanto veluti patrocinio carere noluerunt. Quanquam non desint, qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant; sed sub ejus nomine a praesumptoribus atque mendacibus fuisse confictum.* Legendus est integer S. *Augustini* locus.

III. At hoc ipsum, quod S. *Augustinus* hic indicat, nunc ultimo loco nobis est attingendum. Cui tandem fundamento innixa est tota illa tam artificiose composita Rebaptizantium historia? Quaenam Conciliorum acta, quae Romanorum Pontificum litterae, quae veterum auctorum testimonia referuntur? Nihil nobis Roma servavit de S. *Stephani* decretoria epistola, nihil de actis illius Concilii Romani contra Rebaptizantium errorem habiti. Nihil Oriens de *Firmiliani* epistola, aut datis *Cypriani* ad *Firmilianum* litteris, nihil de Concilii *Geoniensis* et *Synodiensis* gestis reliquit. At dicunt, adsunt litterae *Cypriani* in hac causa conscriptae. Verum si *Cypriani* sunt illae litterae, cur nullus ante finem saeculi IV. auctor reperitur, qui illas, aut Carthaginensia Concilia, quorum ibi mentio habetur, commemorat? An *Optatus Mileritanus*, qui contra Donatistas scripsit, potuisset hanc Cypriani controversiam silentio praeterire? At si Ca-

---

a) Lib. I. de Conc. cap. X. *b)* Dissert. XII. in saecul. III. *c)* De Sacram. in genere quaest. VII. art. II.

tholici siluissent, an Donatistae, inter quos multi erant sagacissimi et vaferrimi viri, hoc argumentum neglexissent, quo tantam errori suo auctoritatem conciliarent? Merito ergo in suspicionem adducuntur epistolae illae; neque improbabile est, eas paulo ante S. *Augustini* tempora in lucem emissas fuisse a Donatistis, qui tum desperatae suae causae novum perfugium quaerebant. Quid autem Augustinus et Catholici complures de his epistolis, et Conciliis Cypriani anabaptisticis senserint, tum ex citato testimonio, tum ex aliis S. Patris locis apertum est.

Specialem mentionem hic meretur famosa illa epistola, quae inter Cyprianicas LXXV. est, et S. *Firmiliano* adscribitur, de qua haec habet Cl. *du Mesnil*, e S. J., in egregio opere de doctrina et disciplina Ecclesiae lib. VII. «Si tamen epistola, quae « sub Firmiliani nomine habetur, est genuina, hanc ignoravit « Augustinus, primus edidit Morellus Calvinista, nec stylum, « nec graecam dictionem redolet; acerbior, et plena contumeliis, « aliena videtur a mansuetudine Christiana, ac proinde minus « conveniens Firmiliano sancto Episcopo.» Quae per transennam tantum attigit vir doctissimus, ea in aperta luce posita sunt, ut et invictis, ut nobis videtur, argumentis demonstrata, a doctissimo *P. Molkenbuhr*, Dissertat. de S. Firmiliani, Caesariensis in Cappad. Episcopi, epistola ad S. Cyprianum. — Cf. ejusdem *Dissert. criticam* de anabaptisticis Cypriani epistolis, et Synodis saeculo III. in gratiam Rebaptizantium habitis. Nobis pauca indicasse sufficiat; longiores enim ejusmodi disquisitiones operis brevitas non patitur.

Donatistae.

Donatistarum schisma anno 310 initium habuisse creditur. Defuncto *Mensurio*, Carthaginensi Episcopo, *Caecilianus* communi suffragio in defuncti locum suffectus est. At mox factiosi homines, et Caeciliano infensi, ab ejus communione recesserunt, ac Lucillae, potentissimae foeminae opibus suffulti, accersitis Numidiae Episcopis, *Majorinum*, Lucillae domesticum, Episcopum crearunt. Majorinus ordinatus est a *Donato*, e casis nigris in Numidia Episcopo, a quo Donatistae nomen accepisse dicuntur; quamvis improbabile non sit, nomen sectae ab alio *Donato* derivandum esse, qui Majorino successit, et *Magni* nomine a suis

insignitus fuit. Hoc exordium fuit luctuosi schismatis, quod ultra centum annos Ecclesiam multis dirisque malis afflixit.

Ut secessionis culpam a se amoverent Donatistae, Caeciliani consecrationem nullam et irritam fuisse contendebant, utpote a *Felice*, Aptungitano Episcopo, factam, quem sacrorum librorum traditorem fuisse criminabantur. Exinde error ille, et capitale Donatistarum dogma: irrita esse Sacramenta sive extra Ecclesiam ab haereticis, sive intra Ecclesiam ab improbis collata. Praeterea docebant, Ecclesiam ex solis bonis constitutam esse; eam Ecclesiam, quae toto terrarum orbe diffusa est, defecisse, eo quod cum Caeciliano communicaret; in sola Donatistarum parte remansisse veram Ecclesiam. Incredibilis fuit hujus sectae pervicacia, et ad omne scelus praeceps furor, qui nec ecclesiasticis decretis, nec imperialibus legibus cohiberi potuit. Partes Catholicorum prae caeteris strenue sustinuit *Optatus*, Milevae in Africa Episcopus, in libris adversus Parmenianum Donatistam. Hunc secutus est *Augustinus*, qui longo, sed glorioso ac felici certamine contra Donatistas dimicavit: nam tempore celebris illius collationis, quae anno 411 Carthagine habita fuit, ita fractae sunt Donatistarum vires, ut eorum pars longe maxima sensim ad Ecclesiae Catholicae communionem redierit. — Cf. quae de Sacrament. in genere de hac controv. dicta sunt.

De persona Ministri.

Nunc ad illud redeundum, quod primum se objicit, quando de Baptismi ministro quaestio instituitur, nempe: *Quis minister sit et esse possit hujus Sacramenti?* Sacramentum Baptismi hoc peculiare habet, quod, licet ministri constituti sint, qui illud ex officio dispensent, omnis tamen homo, quicunque ille sit, etiam laicus et haereticus illud administrare valeat. Peccant quidem laici, qui nulla urgente necessitate id agunt; attamen, si legitima materia et forma utuntur, verum conficiunt Sacramentum. Ex officio Baptismum administrant *Episcopi*, quorum summa est in Ecclesia auctoritas; dehinc *Presbyteri*, qui licet inferiores sint Episcopis, et ab eorum pendeant auctoritate, tamen cum baptizant, ex officio agunt, et tanquam ministri ordinarii. *Diaconis* quoque primis Ecclesiae saeculis, ut praedicandi, sic et baptizandi potestatem concessam fuisse in Actis Apost. legimus (Act.

VIII, 13 et 18.) idque postmodum non raro factum est, ut Diaconi solemni ritu baptizarent, non propria sed delegata sibi potestate.

Quemadmodum olim haeretici fuerunt, qui foeminis potestatem fecerunt sacra ministeria usurpandi, et celebrandi Baptisma: ita quidam antiqui Patres videntur irritum et nullum omnino habuisse Baptismum a foeminis etiam in necessitate collatum. Porro, qui Rebaptizantium errore detinebantur, praeterquam, quod Baptismum ab haereticis datum iterabant, etiam irritum habuerunt quodcunque Baptisma a laico non baptizato administratum. Imo contendunt nonnulli, alios quosdam veterum Doctorum, qui longe erant a Rebaptizantium errore, de ejusmodi Baptismatate, an valeret, dubitasse.

Calvinus putat, neminem posse baptizare, nisi cujus sit proprium officium, quamvis magna urgeat necessitas. Ex discipulis plurimi a magistri sententia abierunt. Junioribus Protestantibus haec procul dubio risu digna videntur; ac miseret eos praedecessorum suorum, qui de Baptismi valore, tanquam is esset aliquid, cum tanta contentione disputarunt.

PROPOSITIO.

Baptismi ministri proprii et ordinarii sunt Episcopi et Presbyteri; extraordinarii, Diaconi: ubi autem necessitas urget, nullus homo est qui Baptismi minister esse non possit.

Prob. I. pars. Verba quibus Christus Matthaei XXVIII. Apostolos alloquitur — *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* etc. 1.° *ad Episcopos* spectant, qui pleno jure Apostolis succedunt; 2.° *ad Presbyteros*, qui, quamvis inferiores sint Episcopis, in multis tamen potestatem participant Apostolis a Christo collatam. Nemo quippe negat ad Presbyteros quoque pertinere illud Christi: *Hoc facite in meam commemorationem* ... et illud ... *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ad eos quoque defluxisse potestatem inungendi aegros, aut Extremam Unctionem administrandi. Ex his recte concluditur, etiam Presbyteros in illo Christi praecepto contineri: *Euntes docete ... baptizantes eos* etc.

Sed videndum, quae fuerit antiquitus Ecclesiae consuetudo et praxis; haec enim Scripturae optima interpretatrix est. Jam vero praxis Ecclesiae docet, 1.° Veteres Baptismi solemnem administrationem inter praecipua Episcopi munia habuisse; neque unquam defuisse hoc officio sanctissimos quosque antiquitatis Episcopos. *Dandi Baptismi*, ait *Tertullianus a), jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus.* Et de S. *Ambrosio* haec refert *Paulinus:* « *Erat in rebus divinis implendis fortissimus, in tantum, ut quod solitus erat cira baptizandos solus implere, quinque postea Episcopi vix implerent.* » Adeo consuetudo isthaec vigebat, ut si Episcopus a sua Ecclesia abesset, Baptismi administratio usque ad ejus reditum differretur. Plura hujus rei exempla vide apud *Selvaggium b).* Idem auctor argumentum ex eo etiam desumit, quod olim in qualibet civitate unum duntaxat baptisterium, illudque prope Cathedralem Ecclesiam extiterit; quod utique non obtinuisset, nisi olim Episcopus baptizasset.

Eadem Ecclesiae praxis docet, 2.° etiam Presbyteris potestatem fuisse baptizandi. Id constat ex *Canone Apostol.* 4., quos certum est, ex veteribus Conciliis excerptos fuisse. *Siquis Episcopus vel Presbyter non trinam mersionem unius Mysterii celebret . . . deponatur.* — Sic etiam auctor *Constitutionum Apostolicarum* lib. III. cap. XI. habet: *Permittimus baptizare solos Episcopos et Presbyteros, ministrantibus Diaconis.* Ita *Innocent.* I. Epistola ad Decentium, *Augustin.* Serm. 333. etc. Hanc Ecclesiae veteris doctrinam et constantem Traditionem secutus *Eugenius* IV. in Decreto ad Armenos declarat: *Minister hujus Sacramenti* (Baptismi) *est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

Notandum tamen, quod Presbyterorum potestas, quamvis ordinaria, plena non sit, sed Episcopo subordinata. In genere vetant Canones ne quid Presbyteri agant citra Episcopi conscientiam. Hinc mirum non est, aliquos Veterum, cum de baptizandis adultis solemni ritu agitur, id quoque vetare Presbyteris, ne sine Episcopi auctoritate aut jussione

---

a) De Bapt. cap. XVII. *b)* Lib III. cap. II. §. 1.

baptizent; ut S. *Ignatius Martyr a), Tertullianus b), Hieronymus c)* loquuntur.

Probat. II. pars. Quod Diaconis ab exordio Ecclesiae baptizandi potestas commissa fuerit, plura demonstrant. 1.° De *Philippo Diacono* legimus Actor. VIII., quod multos Samariae baptizaverit viros ac mulieres; idem eodem cap. v. 38. Eunuchum Candacis Reginae baptizavit. 2.° *Gelasius* Papa, qui in Epist. ad Episcop. per Lucan. vetat ne Diaconi absque Episcopo vel Presbytero baptizent, statim haec adnectit: *Nisi praedictis fortassis ordinibus, seu officiis longius constitutis, extrema necessitas compellat.* 3.° Non pauci inter eruditos, et inter caeteros *Thomassinus d)* adnotarunt, baptizandi ministerium in Sabbatho sancto propter catechumenorum multitudinem etiam Diaconis commissum fuisse. 4.° In Pontificali Romano Episcopus Diaconos, dum ordinantur, ita alloquitur: *Cogitate magnopere, ad quantum gradum Ecclesiae ascenditis; Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, et praedicare.* Patet ergo Diaconos saltem extraordinarios esse Baptismi ministros.

Prob. III. pars. Hanc esse Concil. Trid. doctrinam, ex eo apertum est, quod Sess. VII. Can. IV. Baptismum etiam ab haereticis collatum, dummodo legitima forma uterentur, validum declaret. Atque in genere Patres omnes et Concilia, cum errorem Rebaptizantium proscribunt, et Baptisma haereticorum ratum habent, necessario Baptismum approbant a laicis datum. Idipsum *Eugenius* IV. in Decreto ad Armenos statuit. *In causa necessitatis*, inquit, *non solum Sacerdos et Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat quod facit Ecclesia.* Quid vetus Ecclesia senserit, testis est antiquissimus *Tertullianus*, qui lib. de Baptismo cap. XVII., postquam de Episcopo, Presbytero et Diacono locutus fuerat, addit: *Alioquin etiam laicis jus est .... Proinde et Baptismus aeque Dei census, ab omnibus exerceri potest.* Nec possumus

---

a) Epist. ad Smyrn. n. VIII. *b)* De Bapt. XVII. *c)* Adv. Lucifer. *d)* De Eccles. discipl. part. I. lib. II. cap. XXIX.

hic praeterire locum S. *Augustini* lib. II. contra Epist. Parmen., in quo hoc argumentum dilucide exponitur. *Etsi laicus aliquis pereunti dederit* (Baptismum) *necessitate compulsus, nescio an pie quisque dixerit esse repetendum. Nulla enim, cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est. Sed etsi nulla necessitate usurpetur, et a quolibet cuilibet detur: quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum.*

OPPONUNT.

Argument. I. Communis est Veterum sententia, baptizandi potestatem Presbyteros non habere, nisi annuente et jubente Episcopo; et Tertullian. loco supra citato Presbyteros eodem loco ponit ac Diaconos, cum ait: *Dandi Baptismum jus habet — Episcopus; deinde Presbyteri et Diaconi; non tamen sine Episcopi auctoritate.*

Ergo Presbyteri extraordinarii tantum Baptismi ministri sunt, quemadmodum et Diaconi.

Resp. nego consequent. Magnum est inter Presbyteros et Diaconos discrimen. Diaconus ad ministrandum ordinatur; et Presbyteri vi Ordinis habent, ut praesint, dicente illis Episcopo: *Presbyterum oportet praeesse;* ergo etiam vi Ordinis ordinariam habent administrandi Baptismi potestatem. Veteris autem Ecclesiae disciplina cum hac Presbyterorum ordinaria potestate facillime conciliatur. Antiquitus, ubi nullae adhuc parochiales Ecclesiae institutae erant ab Ecclesia Episcopali distinctae, nonnisi Episcopo jubente Presbyteri baptizabant; quia soli Episcopi illic Christiano populo praeerant. At ubi auctus fuit Christianorum numerus, et in Parochias divisus, etiam in Parochialibus Ecclesiis baptisteria erecta sunt, et qui illis Ecclesiis praerant Presbyteri, hoc ipso, sicut regendi plebem, ita et baptizandi ordinaria potestate gaudebant. Tertullianus loco citato id solum indicat, tum Presbyteros, tum Diaconos, esse sub Episcopi auctoritate: quantum autem ipsi potestate differant, non inquirit.

Argument. II. 1.° Veteres passim foeminis potestatem baptizandi denegant, atque vitio vertunt nonnullis haereticis, quod impudenter hujusmodi jus illis tribuerint. 2.° Illi, qui laicis potestatem faciunt baptizandi, plerumque tamen eos excipiunt, qui ipsi non fuerunt per Baptisma regenerati. Sic *Tertull.* citato loco,

ubi ait: *Alioquin et laicis jus est baptizandi*, addit: *Quod enim ex aequo accipitur, ex aequo dari potest.* Et S. *August.* nihil ausus est in hac quaestione affirmare. *Gregorius* III. epistola ultima ad Bonifacium, jubet iterum baptizari eos, qui fuerant a Paganis baptizati.

Resp. ad I. Veteres illi de ministerio publico agunt, atque id merito exprobrant quibusdam haereticis, quod potestatem, quam habent in Ecclesia Catholica soli Episcopi et Presbyteri, concederent etiam mulieribus. Ita etiam Apostolus prohibet mulierem docere in Ecclesia; quod utique non impedit, quominus possit, ubi necessitas postulat, privatim docere, aut quominus vera esse possit doctrina, quam profert, ubi jus non habet docendi. Caeterum non abs re erit hic adnotare, Veteres, cum de jure loquuntur administrandi Baptisma, aut quando Baptisma a mulieribus, vel in genere a laicis collatum irritum esse dicunt et invalidum, de Baptismo loqui extra casum necessitatis dato, et irritum vocare quod illicitum est, et contra ecclesiasticam regulam factum.

Resp. ad II. 1.° *Tertulliani* locus satis obscurus est. Sunt, qui haec verba: *Quod ex aequo accipitur, ex aequo dari potest*, ita interpretantur: Sicut Baptismus ex aequo, id est, indiscriminatim ab omnibus accipitur; ita ab omnibus, cum necessitas id postulat, indiscriminatim dari potest. Hunc sensum confirmant quae statim sequuntur: *Proinde et Baptismus aeque Dei census, ab omnibus exerceri potest.*

2.° *Augustinus* revera dubius haesit, quia tutum non esse judicavit, in ea progredi ulla temeritate sententiae, quae nondum fuerant Ecclesiae judicio definita. Attamen legenti apparet, S. Doctorem in eam propendere sententiam, quod valeat Baptismus etiam ab infideli collatus. Nobis dubitandi ratio nulla est, cum idipsum post Augustini tempora Ecclesia clare edixerit.

3.° Canon Gregorii, *Qui a Paganis*, regulam praescribit in praxi observandam relate ad eos, qui a Paganis fuerant baptizati. Ideo eos iterum baptizandos esse praecipit, quia constare non poterat, an legitima forma essent baptizati.

Quaeritur an, si plures simul Baptisma conferant, validum sit Sacramentum.

Resp. Non una est haec hypothesis, sed multiplex. Possunt simul baptizare sub hac forma: *Nos te baptizamus* etc. ita ut velint effectum Sacramenti dividere, et unusquisque partem sibi vendicet; et tunc nullum est Sacramentum; quia, ut S. *Thomas* observat *a*), unus est Dominus, unum Baptisma, neque potest Sacramentum in partes secari. — Si autem plures baptizent, ita ut unusquisque totum Baptisma conferre intendat, et singuli formam pronuntient in singulari: *Ego te baptizo* etc. tunc nulli dubium est, quin valeat Baptismus. — Iterum fieri posset, ut, cum duo adsunt ministri, unus aquam funderet, alter verba proferret; atque in hoc casu nullum omnino esset Baptisma.

§. III.

De subjecto Baptismi.

OBSERVANDA.

I. Hoc argumentum ad tria capita revocari potest. Quaeritur primum, qui possint; dein, qui debeant baptizari, ac tertio, quomodo debeant esse dispositi qui baptizantnr. Haec capita iterum in partes dividuntur, quae Theologis disserendi materiam suppeditant amplam et multiplicem. Nos, ut brevitati studeamus, ea quae tanti momenti non sunt, raptim et velut in transitu attingemus: quae autem graviora sunt, et prae caeteris ad dogmaticam Theologiae partem pertinent, adjectis propositionibus stabiliemus.

II. Primum est: Qui sint capaces Sacramenti Baptismi? Quaeritur ergo 1.° *An infantes, dum adhuc sunt in utero matris, baptizari possint?* Procul dubio baptizari non possunt, quamdiu ita sunt in utero conclusi, ut aqua perfundi nullo modo possint. At si aliqua sui parte editus est infans, urgente necessitate baptizari potest ac debet. Caeterum qua ratione id fieri possit ac debeat, ex libris ritualibus discendum est. Quaeritur

---

a) Part. III. quaest. LXVII. art. 6.

2.° *An baptizari possint amentes, aut qui gravi morbo correpti, ac subito sensibus destituti, Baptismum petere non possunt?* Respondetur, quod sicut nemo a salute excluditur, ita etiam nemo excludatur a Baptismate. Si amentes sint ejusmodi, ut nunquam sani fuerint, parvulorum more habendi sunt. Si sani aliquando fuerunt, respiciendum est ad extremam eorum voluntatem, quam habebant dum sani essent. Idem de aegrotis illis dicendum est, qui cum Baptismum nondum acceperint, in extremo vitae periculo versantur, rationis aut sensuum usu destituti. Si, antequam in hunc statum pervenerint, alieni fuerunt a Christiana Religione, baptizari omnino non possunt: secus si fuerunt inter catechumenos adscripti, aut saltem, antequam morbo opprimerentur, voluntatem manifestaverint opportuno tempore Baptisma suscipiendi. *Prosit eis*, ait S. *August. a*), *quod eorum in fide Christiana jam nota voluntas est.* Quin et hoc addit eodem loco: *Etiam si ejus voluntas incerta est, multo satius esse nolenti dare, quam volenti negare; ubi velit, an nolit, sic non apparet, ut tamen probabilius sit, eum, si posset, velle se potius dicturum.*

3.° Theologi hoc loco communiter aliam adhuc quaestionem movent satis singularem, *de Baptismo mortuorum.* Ubi tamen non tam quaeritur, an mortui baptizari possint, quam illud, an possit aliquis babtizari pro mortuis. Utrumque aeque absonum est. Quid ergo, si aliquis superstitiosa opinione inductus, pro altero, sive vivus ille sit, sive mortuus, Baptismum susciperet? An ipse, aut ille, pro quo baptizatur, aliquid consequeretur? Plane nihil. Falsum enim esset ejusmodi Baptisma, et nullum. Sed quid ad illud S. *Pauli* dicendum I Cor. XV, 39.: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* Quaecunque sit illius loci interpretatio, nam variae a Patribus et interpretibus afferuntur, nemo tamen unquam somniavit, eam S. *Pauli* mentem fuisse, quod liceret Baptismi Sacramentum pro mortuo recipere. Vide Selvaggio lib. III. cap. II. §. V.

His nunc breviter expositis, unum hoc manet in propositionibus contra Anabaptistarum errorem stabiliendum: *Quod infantes, qui rationis usum nondum adepti sunt, baptizari queant.*

---

a) De adulterinis conjug. cap. XXVI.

III. Secundum caput est, de necessitate Baptismi, seu: *Qui sint illi, qui debeant suscipere Baptismum?* Antequam illud, quod in hac re praecipuum est, aggrediamur, paucis expediendae sunt duae quaestiones sibi intime connexae. Prima est: *An infideles cogi possint ad Baptismum?* Altera: *An liberi Judaeorum et infidelium baptizari possint invitis parentibus?* Utrumque credimus absque injustitia fieri non posse. 1.° Illorum sententia, qui putant Principes Christianos jure posse armis invadere infideles, et ad Evangelium cogere, ipsi Evangelio repugnat, ubi Apostoli mittuntur sine pera et baculo praedicare Evangelium omni creaturae, et infidelium corda miraculis et praedicatione subdere veritati. Hoc Patres passim docuerunt, hoc ipsa fidei natura exigit, quae non potest invito obtrudi, sed ex gratia et persuasione nascitur. Secunda quaestio non multum a prima differt. Equidem si de veritate Sacramenti agitur, non est dubium, illud valere, quando etiam invitis parentibus parvulis datur, qui rationis compotes non sunt; nam propriam voluntatem non habent; parentum autem voluntas nihil pertinet ad essentiam Sacramenti: at, de jure quaeritur, an liceat id facere. S. Thomae sententia est *a)*, illud non licere. *Id enim*, inquit, *Ecclesiae Dei consuetudo in omnibus sequenda, nunquam probavit.*

De hac ergo necessitate, quae in vi externa et coactione consistit, sermo esse non potest, quando de Baptismi necessitate agitur; sed quaeritur, an ita necessarius sit Baptismus omnibus hominibus, tum parvulis, tum adultis, ut salvari nemo possit, nisi per gratiam Baptismi Deo renascatur. Hanc Baptismi necessitatem semper agnovit Ecclesia. Haec nobis est defendenda contra veteres et recentiores haereticos. Ad veteres haereticos pertinent *Manichaei*, qui Baptismum in aqua nihil cuiquam salutis afferre docuerunt *b)*; tum *Pelagiani*, qui nullum originis peccatum agnoverunt. Hi quidem Baptismi necessitatem penitus inficiari ausi non sunt, territi, ut S. *August.* ait *c)*, sententia Domini dicentis: *Nisi quis renatus fuerit* etc.; at nova quadam et mirabili praesumptione parvulos non baptizatos alienos quidem fecerunt a regno coelorum, sed propter innocentiae meritum

---

a) Secundae 2. quaest. X. art. XII. *b)* Aug. haeres. XI. VI. *c)* Idem lib. de peccatorum meritis et remiss. cap. XX.

salutem eis tribuerunt et vitam aeternam. Saeculi XVI. Reformatores, cum totam salutis nostrae oeconomiam impiis dogmatibus everterent, etiam Sacramentis naturam suam et efficaciam sustulerunt. Mirum itaque non est, quod de Baptismi necessitate perverse senserint. *Zwinglius* Baptisma merum esse externum symbolum asserit *a*), nullius ad salutem praesidii. *Bucerus b*) hujus Sacramenti necessitatem negat, hoc nixus fundamento: « Quia pueri praedestinati etiam sine Baptismo salvantur; non « praedestinati etiam cum Baptismo damnantur. » *Calvinus* Baptismum parvulis qui ex fidelibus nati sunt, non putat esse necessarium, quia remissum est illis peccatum originale antequam nascantur. Hinc expresse ait *c)*, « non arceri a regno coelorum « infantes, quos e praesenti vita migrare contingit antequam « aqua mergi datum fuerit. » De *Socinianis* non est cur plura dicamus, nam praeterquam quod peccatum originale non admittant, notum quoque est, Baptisma *illis nihil esse quam merum ritum externum*, omni interiore gratia destitutum.

IV. Nunc et illud paucis exponendum est, quod tertio loco supra indicavimus; quae nempe conditiones requirantur in suscipiente Baptismum. Notandum autem, hic non agi de integritate Baptismi; nam quae fides, quae intentio aut voluntas in suscipiente sit necessaria ut valeat Sacramentum, jam exposuimus, cum de Sacramentis in universum ageremus. *Quid credat*, ait S. Augustinus *d)*, *et quali fide imbutus sit ille qui accipit Sacramentum, interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quaestionem nihil interest.*

Sed neque de infantibus quaestio moveri potest, qui nulla ratione possunt se ad hoc Sacramentum disponere. Status quaestionis est, an quaedam dispositio requiratur in adultis, ut Sacramentum una cum suo effectu praecipuo, gratia nimirum sanctificante, percipiant. De hac materia agit *Concilium Trident.* Sess. VI. cap. V. VI. VII. et VIII., ubi accurate, aeque ac dilucide tum necessitatem, tum modum praeparationis ad justificationem proponit: nam quod de justificatione per Sacramentum Baptismi obtinenda ibi potissimum sermo sit, cuilibet legenti pa-

---

a) Lib. de vera et falsa Relig. cap. de Bapt. *b)* In cap. III. Matth. *c)* Instit. lib. IV. c. XV. n. 22. *d)* Lib. III. cont. Don. cap. XIV.

tet. De justificatione jam fusius alio loco disputatum est *a*); quare et haec quaestio longiori disquisitione non eget.

PROPOSITIO I.

Baptismum etiam infantibus conferri potest, qui rationis compotes non sunt.

Concil. Trident. Sess. VII. de Baptismo ita statuit: *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut praestare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari sola fide Ecclesiae; anathema sit.* Vid. etiam Sess. V. num. III. et IV.

Argumenta ex Scripturis.

Primum desumitur a lege circumcisionis, quae figura fuit Baptismi: nam si circumcisio parvulis prodesse poterat, cur non etiam Baptismus, qui est circumcisio Christi non manufacta, ut Apostolus ad Coloss. scribit cap. II.? *Secundum* ita efficitur: Sacramentum Baptismatis omnibus hominibus ad consequendam salutem necessarium est necessitate medii, ut sequente Propositione probabimus: generalis quippe est haec Christi sententia Joan. III.: *Nisi quis renatus fuerit* etc. Unde consequens est, infantes, si a Baptismo excluduntur, simul excludi a regno coelorum. Quis autem credat Christum voluisse a regno suo excludere parvulos, quos tantopere diligebat, de quibus ipse dixit Matth. XIX.: *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere venire ad me; talium est enim regnum coelorum.*

Tertium Catechism. Romanus deducit ex his Apostoli verbis ad Rom.: *Si unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiae, donationis et justitiae accipientes, in vita regnabunt per Jesum Christum.* Cum ergo per Adae peccatum pueri ex origine noxam contraxerint, multo magis per Christum Dominum possunt gratiam

---

a) Lib. V. de Grat. part. I. cap. I. §. I.

et justitiam consequi, ut regnent in vita: quod quidem fieri sine Baptismo nullo modo potest.

Argumenta ex Traditione et praxi Ecclesiae.

Scripturae testimonia novum pondus, ac vim probandi majorem acquirunt, quando cum ecclesiastica Traditione et communi interpretatione Ecclesiae connectuntur. Nihil est hac Ecclesiae Traditione apertius. Sic *Irenaeus* lib. II. advers. haereses, cap. 22. expresse ait: *Dominus omnes venit per semetipsum salvare; omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, et parvulos, et pueros, et juvenes, et seniores.* Ita *Justinus,* aut quisquis est auctor, quaest. VI. docet, parvulos baptizatos salvari, alios non item. *Origenes* lib. V. in cap. VI. ad Roman. *Ecclesia,* inquit, *ab Apostolis Traditionem accepit, etiam parvulis dare Baptismum.* In eandem sententiam *Cyprianus* epist. LIX. ad Fidum scripsit, non suo tantum, sed integri Concilii nomine, quod anno 353 Carthagine ex LXIV. Episcopis congregatum fuerat. *A Baptismo atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit?*

Omittimus Ambrosii, Hieronymi, Joannis Chrysost. etc. clarissima testimonia. Unum audiamus *Augustinum,* qui lib. X. de Genes. ad litt. cap. XXIII. ait: *Consuetudo matris Ecclesiae in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset Traditio.*

Hoc argumentum ex constanti Ecclesiae Traditione desumptum tam firmum visum est *Melanchtoni,* ut in *Locis,* tit. de Baptismo, illud in prima acie posuerit, ut ait *Bellarm. a).* Sed, addit doctiss. Card., merito ridetur ab Anabaptistis. Nam si in hac re valere debet Traditio, et antiquae Ecclesiae testimonium; cur non etiam valeat in aliis articulis? — Nostrum est igitur hoc argumentum, non adversariorum.

---

a) De Sacram. Baptism. cap. VIII.

CONTRARIA DILUUNTUR.

Objiciunt I. Mandatum Domini est, ut prius doceantur qui baptizandi sunt. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos* ... atqui parvuli doceri non possunt; ergo non sunt baptizandi.

Resp. dist. maj. Quando ille qui baptizari debet incapax est percipiendae doctrinae, *nego*. Quando doceri potest qui baptizatur, *iterum disting*. Tunc illud requiritur, ut Sacramentum licite administretur, *conc.;* ut validum sit Sacramentum, *nego*. — Christus Matth. XXVIII. ordinem praescripsit Apostolis, quem servare debebant in conversione gentilium. Hunc quoque Ecclesia observat diligentissime, cum adulti ad fidem veniunt. Igitur peccarent, qui nulla cogente necessitate adultos, absque praevia instructione, ad Baptisma admitterent, contra Domini praeceptum; validum tamen esset Sacramentum, si omnia necessaria adessent. Porro quod Christi verba ad infantes non pertineant, ex Apostolica Traditione accepit, et constanter credidit Ecclesia.

Instant. Ab omnibus concessum est, in suscipiente intentionem requiri et fidem, ita ut, cum haec deficiunt, non liceat administrare Baptismum. Ergo etc.

Resp. Dispositiones utique in adultis requiruntur; idque partim jam ostensum est, partim sequenti Propositione probabitur. Verum haec ad eos non pertinent qui rationis capaces non sunt; illi enim, cum baptizantur, in fide parentum, aut potius Ecclesiae baptizantur. Ita enim intentionis defectus parentum aut aliorum voluntate et intentione suppletur. Et quidem justum videtur, ut illi, qui peccatum originis nulla propria voluntate contraxerunt, ii ab hac labe mundari possint salutari lavacro, quamvis illud propria voluntate expetere non possint. Quae autem de fide Ecclesiae dicta sunt, ea possunt hac similitudine illustrari: Rationi valde conveniens est, ut quemadmodum infans in utero matris non habebat alium cibum neque alium potum, quam cibum et potum ipsius matris: ita dum gestatur quodam modo in utero Ecclesiae, id est, dum adolescit, non alia fide sustentetur, et Sacramenta recipiat, quam fide totius Ecclesiae. Ita S. Thom. p. III. q. LXVIII. Ubi et haec verba citat S. Augustini *a*): *Mater Eccle-*

---

a) Lib. I. de peccatorum meritis et remiss. cap. 25.

sia os maternum parvulis praebet, ut sacris Mysteriis imbuantur: quia ipsi non possunt corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem.

Inst. II. Qui baptizatur, in se rem maxime arduam suscipit, nam data fide se obligat ad observationem legis Evangelicae: ergo satius esset Baptismum non conferre infantibus, qui sicut rationis ita et propriae voluntatis usum non habent; aut saltem, ut *Erasmo* visum est, infantes postquam adoleverint, interrogari deberent, an ratas habeant promissiones per eorum sponsores factas; et si recusaverint eas confirmare, proprio essent arbitrio relinquendi, neque poenis ecclesiasticis cogendi ad vitam Christianam.

Resp. neg. conseq. Cum homo in Baptismo Deo obstringitur, ei se devovet, qui supremum habet in omnes creatas voluntates dominium. Ei dat fidem, cui se totum debet. Neque resilire licet ab ejusmodi foedere, quod in re necessaria fundatur. Baptismi enim praeceptum tale est, ut homo, nisi velit aeternae salutis jacturam facere, obtemperare teneatur. Quis autem arduum illud dicet, si infantes, cum adoleverint, compellantur ad observationem vitae Christianae? Leve est hoc onus quod imponitur, et pacti foederis conditiones omnes in hominis tantum bonum vergunt. Porro *Erasmi* sententia, quam ille potuit absque haeresis nota proponere, postmodum in *Conc. Trid.* damnata est Sess. VII. de Baptism. Can. XIV.

Objiciunt II. *Tertullianus* in libro de Bapt. juxta finem, item *Nazianzenus* Oratione in sacr. lavacrum, aperte dicunt, pueros ante usum rationis non esse baptizandos. Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Tum Tertull., tum Gregor. Naz. parvulos baptizari posse confessi sunt, imo et baptizandos esse quocunque tempore, si quod periculum urgeat. Unde longe erant illi ab Anabaptistarum errore. In eo autem quod Baptisma, ubi necessitas non adest, differendum esse arbitrati sunt, a communi Patrum sententia recesserunt; imo morem baptizandi parvulos tunc fuisse per totam Ecclesiam stabilitum, hoc ipso probant, quod suam sententiam communi consuetudini opposuerint.

Inst. *Tertulliani* sententia gravissimis nititur momentis, atque hoc imprimis, quod melius sit, ut qui ad Sacramentum admittuntur, sciant et intelligant quid recipiant: ergo, quamvis

verum sit Baptisma quod infantes recipiunt, probari tamen non potest haec Ecclesiae consuetudo, quod omnibus sine discrimine parvulis conferatur, etiam ubi commode expectari posset maturior aetas.

Resp. Nemo absque insigni temeritate improbare potest consuetudinem Ecclesiae tam diuturnam, tam generalem, communi SS. Patrum consensu et expressis Conciliorum decretis confirmatam. Leviuscula sunt, quae contra opponi possunt, et solo tantae auctoritatis pondere eliduntur. Id porro optime ab Ecclesia institutum fuisse, rationes suadent multo graviores. I^am S. Thomas loc. cit. affert his verbis: « *Fuit conveniens pueros baptizari, ut a pueritia nutriti in his quae sunt Christianae vitae, firmius in ea perseverent.* » II^a Est, quia nimis difficile est judicare, an absque periculo differri possit Baptisma, cum constet non raro inopinatis casibus rapi infantes. Tantum autem est hoc periculum, ut minime compensari possit per fructum, qui expectatur ex dilatione Baptismi. Praesertim cum eo fructu non fraudentur infantes; quandoquidem grandiores facti informantur Ecclesiae fide et doctrina, ut norint quid in Baptismo promiserint per sponsores suos. III^a Si adulta aetas expectaretur ad Baptismum, timendum esset, ne plurimi liberiori vitae assueti, necessarium hoc salutis medium omnino negligerent, aut in ultimam aetatem cum summo aeternae salutis discrimine differrent.

PROPOSITIO II.

Baptismus omnibus, tam parvulis quam adultis, ad salutem necessarius est.

Concilium Trid. Sess. VII. Can. V. *Siquis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.* Et Sess. V. Can. IV. *Siquis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti . . . et nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam . . . anathema sit.*

Argumentum ex Scripturis.

1.° Ubicunque Christus de Baptismo loquitur, neminem excipit. Generale est praeceptum quod Matth. XXVIII.,

Marc. XVI. Discipulis datur: *Docete omnes gentes, baptizantes eos. Praedicate Evangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.*

2.° Prae caeteris decretorius est percelebris ille locus Joan. III.: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum coelorum.* Haec verba, ut *Augustinus* demonstrat., lib. I. de peccatorum meritis et remiss. cap. XXX., probant, non vi praecepti tantum necessarium esse Baptismum, sed necessitate medii, aut finis. Quod etiam ex *Tridentini* decreto perspicuum est; nam loco citato Sessionis quintae, ex his ipsis Christi verbis probat Concilium, etiam parvulos baptizandos esse, *ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.*

3.° Multa alia sunt ex Actibus Apost. et Epistolis loca, quae hanc Baptismi necessitatem testantur; ille imprimis I Petri III, 21., ubi Apostolus Petrus Baptisma cum arca Noë comparans, docet, homines per Baptismum salvos fieri, sicut salvi facti sunt ab aquis diluvii, qui in arca includebantur.

Argumentum ex Traditione.

1.° Magna iterum occurrit testimoniorum copia, ex quibus haec pauca seligimus. *Justinus* Apolog. II. de Baptismo loquens ait: *Deinde* (qui baptizandi sunt) *eo adducuntur a nobis, ubi aqua est; atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur. Christus enim ipse dixit: Nisi regenerati fueritis, non intrabitis in regnum coelorum. Irenaeum et Cyprianum* supra citavimus. *Tertulliani* clara sunt verba lib. de Bapt. cap. XIII.: *Lex tingendi imposita est, et forma praescripta. Hinc lege collata definitio illa: Nisi quis renatus fuerit* etc. *obstrinxit fidem ad Baptismi necessitatem.* Ita etiam *Origenes* Hom. VIII. in Levitic. et Hom. XIV. in Luc., *Nazianzenus* Orat. in S. Lavacrum, *Basilius* Orat. XIII. de exhortat. Bapt. — *Ambrosius, Hieronymus* contra Pelagianos. Imprimis S. *Augustinus* cujus hoc unum citamus ex ejus Epistola 166., alias 28. ad *Hieronymum. Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto et contra*

Apostolicam praedicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo omnino vivificari non posse.

2.º Idem constat ex perpetua et constanti Ecclesiae praxi baptizandi parvulos; nulla enim hujus rei ratio alia dari potest, quam quod Ecclesia semper crediderit, etiam infantes non posse absque Baptismo partem habere cum Christo in regno Dei. Hanc autem doctrinam a Christo se accepisse semper testata est Ecclesia, omnesque eos ut haereticos proscripsit, qui necessitatem Baptismi impugnaverunt. Ita damnati sunt *Manichaei, Pelagiani,* et qui deinceps veteres errores recoxerunt.

Unde et illa Ecclesiae constans sollicitudo, *ne,* ut *Siricius* Papa ait *a), negato fonte salutari exiens quisque de saeculo et regnum perdat et vitam.* Hinc licet stata fuerint Baptismi tempora, semper tamen provisum fuit ab Ecclesia, ut urgente necessitate sive parvulis, sive adultis, quocunque tempore subveniatur; imo non alia de causa laicis quibuscumque, etiam mulieribus permissum, ut in mortis periculo Baptisma administrarent.

ARGUMENTA CONTRARIA.

Argum. I. Etsi concedamus Baptismum etiam parvulis necessarium esse ad salutem, id tamen de illis tantum intelligi potest, qui a parentibus infidelibus nati sunt. At fidelium filii etiam sine Baptismo sancti sunt; idque vi foederis Dei cum Abrahamo facti Genes. XVII. Nos enim per Christum successimus in Abrahae posteritatem. Eam quoque Apostoli mentem fuisse patet ex celebri loco I Cor. VII., ubi expresse ait, ex sanctis sanctos nasci; imo sanctos esse filios, ubi alter tantum conjux Christianus est.

Resp. Vana est et nulli prorsus fundamento innixa distinctio illa ab haereticis excogitata inter filios fidelium et infidelium. Nusquam illius meminerunt Patres; et quaecunque ab Ecclesia circa *Paedobaptismum* statuta fuerunt, ad filios fidelium pertinent.

---

a) Epist. ad Himerium.

Quis enim infidelibus haec praeciperet? Mirum est, quantam vim collocet Calvinus in illo foedere Abrahami Genes. XVII.; ut prorsus ridiculum sit, in quaestione hac, quae tota ad foedus gratiae spectat, relictis clarissimis N. T. locis, argumentum in libro Genesis quaeri, detortis ad arbitrium Scripturae verbis. Esto etiam, spirituales fuisse promissiones illas, quae Abrahae factae sunt, atque hoc sensu ad nos quoque pertinere: quid consequitur? Illud, quod Apostolus docet ad Galat. III., omnes qui Christi sunt semen esse Abrahae, secundum promissionem haeredes. Christi autem sunt, qui ejus membra per Baptisma efficiuntur. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis,* v. 27.

Sed objiciunt illud Apostoli I Cor. VII.: *Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Locus ille multum quidem torquet commentatores: at, quamvis diversissimae sint eorum interpretationes, in eo tamen omnes conveniunt, quod Apostolus de impropria tantum sanctitate loquatur, idque ex praecedentibus perspicuum est: nam paulo ante dicitur, *sanctificari virum infidelem per mulierem fidelem etc.* Quis autem hoc ita intelligat, quod vir infidelis sanctus sit proprie, eo quod fidelem habeat uxorem? Probabile est, Apostolum dubio occurrere quorumdam, an, quando inter conjuges pars una fidelis est, altera in infidelitate permanente, maneat matrimonium, ita ut pars fidelis etiam coram Deo et Ecclesia legitimo utatur conjugio. Ait autem sanctum esse seu legitimum ejusmodi connubium, neque spurios esse qui ex eo nascuntur filios, sed sanctos, id est, legitimos.

Argum. II. Si Baptismus etiam infantibus necessarius est ad salutem; ergo pereunt omnes, qui sine Baptismo decedunt; quod certe conciliari non potest cum infinita Dei bonitate, quae omnes homines vult salvos fieri. Praeterea non desunt inter Catholicos Theologos, qui verba Christi: *Nisi quis renatus fuerit etc.* ad solos adultos restringunt; alii putant, preces parentum ita supplere Baptismum in parvulis, sicut Baptismus flaminis Sacramentum supplet in adultis. Alii demum in sola Dei misericordia fiduciam collocandam esse dicunt; neque enim Deus, qui amat animas, infelices esse patietur eos, qui sine sua culpa absque Baptismo moriuntur.

Resp. In ejusmodi quaestionibus nihil est temere et ex privatis opinionibus decidendum. Scriptura absolute dicit: *Nisi quis renatus fuerit etc....* neque ab hac regula excipere quemquam licet, nisi quem Scriptura ipsa alibi excepit, aut Ecclesia communi consensu. Sed nec Scriptura, nec Ecclesia infantes excipit ab illa regula. Sic et illud, quod vota parentum Baptismum in infantibus suppleant, nullum nec in Scriptura nec in Traditione fundamentum habet. Tam facilis est, tamque obvius hujus Sacramenti usus, ut vix intelligi possit ejusmodi votum sine Sacramento. Nam si parentes baptizari exoptant parvulum, et periculum instet, baptizent, aut baptizari curent a quocunque adstante. Caeterum, quid sperare liceat et praesumere de Dei misericordia, necesse non est curiosius perscrutari. Vide quae jam alio loco dicta sunt *a)*, cum de peccato originali ageretur in omnes homines transfuso.

QUAESTIO.

An Baptismus aquae nulla ratione suppleri possit in adultis?

Resp. Pervulgata est tripartita Baptismi divisio in Baptismum *fluminis*, *flaminis* et *sanguinis*. Primus est in aqua; atque is solus est proprie dictus Baptismus, et verum Sacramentum. Reliqui duo hoc nomine censentur, qua vices supplent veri Baptismi, quando is haberi non potest. Baptismus *flaminis* sic vocatur ab afflatu Spiritus sancti. Est autem idem ac votum et desiderium Baptismi cum perfecta contritione et charitate conjunctum. Baptismus *sanguinis* est, quando aliquis proprio sanguine baptizatur, vitam profundendo pro Christi nomine.

Triplicem hunc Baptismum peccatis eluendis aptum esse remedium, non Theologi modo de Schola, sed et antiqui Patres passim docuerunt. Rationem hanc affert S. Thomas *b)*: Virtus omnis Baptismi ex Passione Christi est, et Spiritu sancto; haec autem utraque causa non ita est ad unum adstricta, ut non etiam possit vim suam exercere extra Baptismum aquae: Passio quidem per mortem pro Christi nomine toleratam; Spiritus autem per charitatem, quam diffundit in cordibus nostris.

---

a) Lib. III. cap. II. *b)* Part. III. quaest. LXVI. art. XI.

Primo quidem de Baptismo *sanguinis* non est dubitandi locus. Generalis est haec Christi sententia: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Matth. X, 39. Unde et mors pro Christo tolerata Baptismi nomine donatur. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, aut Baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Marc. X, 38. Haec quoque constans fuit Ecclesiae Traditio, quae eos ut veros Christi Martyres semper habuit, qui etiam non suscepto Baptismo martyrium pro fide obierunt. Quin et infantulos, qui pro Christo occisi sunt, ut Sanctos veneratur, et solemne eorum festum colit. Ex quo concludunt Theologi, martyrium virtutem Baptismi aquae perfecte supplere *ex opere operato;* atque, ut S. *Bernardus* observat *a)*, sicut parvulis Baptismus sine propriae voluntatis usu sufficit ad salutem, ita susceptum pro Christo martyrium illis proficere ad sanctitatem.

Quando de Baptismo *flaminis* quaestio instituitur, magis discrepant sententiae. Primum disputatum est in genere, an votum sufficiat, ubi Baptismus haberi non potest. Deinde quale debeat esse hujusmodi votum. Paucissimi fuerunt inter Veteres, qui Baptismum putarunt nulla re alia quam martyrio compensari posse. Alii plures Baptismum *flaminis* admittunt, ejusque vim plurimum commendant. Ita *Augustinus* cum multis in locis, tum lib. IV. contra Donatist. cap. XXI. Ita *Ambrosius* oratione de obitu Valentiniani Imperatoris, qui catechumenus, antequam baptizaretur, mortuus fuerat. *Quem eram regeneraturus*, ait, *amisi; ille autem gratiam, quam speraverat, non amisit.* Et paulo post: *Quodsi Martyres suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas.* His plane concordat *Bernard.* Epist. LXXVII. *Innocentius III.* eamdem doctrinam sancivit duplici decreto; utrumque in corpore juris reperitur, primum lib. III. Decret. Tit. XLII. cap. IV., secundum eod. lib. Tit. XLIII. cap. II. Accedit *Tridentin.*, quod hanc doctrinam sua auctoritate roboravit pluribus in locis, ut Sess. VII. cap. IV. Sess. VI. cap. IV. expresse ait: *Post Evangelium promulgatum nunquam fieri translationem a statu veteris Adae ad statum gratiae, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto.* Quod secundum attinet, quale scilicet illud

---

a) Sermon. de Innocent.

votum esse debeat, communior et verior sententia est, eos, qui praeceptum Baptismi ignorant, salvari posse per votum implicitum, quod semper includitur in contritione perfecta.

PROPOSITIO III.

In adultis, ut fructum percipiant Baptismi, requiritur fides in Christum, et propositum servandi mandata, cum amore inchoato: in iis autem, qui jam mortaliter peccaverunt, necessaria est insuper poenitentia, seu dolor de peccatis.

Probat. I. pars. Praeter ea Scripturae loca, quae absque omni exceptione affirmant, neminem posse sine fide placere Deo, alia sunt, quae speciatim ad Baptismi Sacramentum pertinent, ut *Marci* ult.: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Actor. VIII, 36. et 37., cum Eunuchus ad Philippum dixisset: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* respondit Philippus: *Si credis ex toto corde, licet.*

II. pars. Qui baptizatur, Christum induit, et adscribitur in foedus gratiae, cujus haec prima conditio est, ut Christi jugum in se suscipiat, et abrenuntiet iis, quae inimica sunt Christiano nomini. Quod autem amor Dei necessarius sit, ex eo clarum est, quod Scriptura generatim pronuntiet, neminem posse ad justitiam pervenire sine amore Dei. *Qui non diligit, manet in morte.* I Joan. III. *Si quis non amat Dominum Jesum, anathema sit.* I Cor. ultimo. *Si charitatem non habuero, nihil sum.* Ibid. cap. XIII. — Hic porro amor saltem inchoatus vix in adulto abesse potest, qui fide excitatus Baptismum petit, et sincero affectu ad observationem legis Evangelicae promissorum vinculis se obstringit.

III. pars. Tertia conditio, cujus SS. Patres permagnam habuerunt rationem, est poenitentia. Quis enim sibi persuadeat, adultos, qui praeter originalem labem, propriis etiam peccatis inquinati ad Baptisma accedunt, sine interiore poenitentia salutari lavacro mundari? Nemo potest novam vitam inchoare, nisi eum veteris poeniteat. Quamobrem, cum ipso Pentecostes die multi compuncti corde Apostolos

rogarent, quid sibi faciendum esset, ait Petrus ad illos: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Actor. II, 38. — Et Act. III, 19.: *Poenitemini et convertimini, ut deleantur peccata vestra.*

SCHOLION.

In eo maxima semper Ecclesiae sollicitudo posita erat, ut qui adulta jam aetate Baptismum petebant, nonnisi probati ac bene dispositi ad hoc Sacramentum accederent. Hinc primo omnes, qui vitae genus agebant, quod a Christianis moribus nimium dissidebat, nisi a pristina vitae ratione abstinerent, a Baptismo arcebantur. Ad hos pertinebant, inter caeteros, *lenones*, *meretrices*, *idolorum artifices*, *scenici*, *augures*, *gladiatores*, *caupones*, *incantatores etc. Constit. Apost.* lib. VIII. cap. XXXII. Sed ii etiam, quibus aditus ad hoc Sacramentum patuit, tamen nonnisi post certum temporis spatium admittebantur; hac enim dilatione Ecclesia utendum esse censuit, tum ut sinceram eorum voluntatem exploraret, tum ut vitae rationem moresque propius perspiceret, tum etiam ut in fide et doctrina Christi instituerentur, dicente Domino: *Docete omnes gentes, baptizantes eos etc,*

Simile aliquid etiam a Paganis observatum legimus. *Clemens Alexand.* narrat lib. V. *Stromat.* non solum Aegyptios, sed omnes Graecos Philosophos consuevisse, eos quos ad suam sectam vellent admittere, prius instituere viva voce in secretioribus sectae mysteriis. Quicunque autem nondum initiati fuerant, a mysteriorum participatione arcebantur. Hinc solemne illud: *Procul hinc, procul ite profani!*

In Ecclesia Catholica illi, qui ad Baptisma disponebantur, *Catechumeni* dicti sunt, quia veluti tyrones in primis Christianae Religionis elementis instituebantur, a voce κατήχειν, instituere. Hujus autem tyrocinii non idem ubique tempus erat, non iidem ubique gradus. Primis Ecclesiae initiis Baptismus non raro petentibus et poenitentibus sine mora conferebatur, ut Actor. II. et III. legitur. Ita Eunuchus, ita Cornelius cum tota familia, ita plures alii baptizati leguntur. Id enim postulabat infantilis Ecclesiae status, et credentium fervor. Verum subsequentibus temporibus, ne Ecclesia vitiosis membris repleretur, quae instante

persecutione iterum deficerent, credentium fides longiori experimento probanda erat. At nunquam majori cautione opus fuit, quam cum res Christianorum quam maxime florere coeperunt Imperatorum gratia et auctoritate. Tunc imprimis probandi erant spiritus, an ex Deo essent; ne multi temporalia magis quam aeterna in Christiana Religione quaererent. Ex Constitutionibus Apostolicis aliisque veteris Ecclesiae monumentis constat, tempus probationis duorum aut trium annorum spatio comprehensum fuisse; et si *Hieronymus a), Cyrillus Hierosolym. b)* illud videntur ad quadraginta dies restringere, intelligendi sunt de ultima et rigidiore probatione, qua *competentes* ad proximum Baptisma disponebantur.

Jam gradus catechumenorum communiter tres distinguuntur *Audientes, Orantes*, et *Competentes;* quamvis alii sint, qui duos tantum assignant, nimirum *Imperfectiores* et *Perfectiores;* sed perspicuum est, *perfectiores* eosdem esse ac *competentes;* reliquos omnes, *audientes* sive *orantes*, communi vocabulo *imperfectiores* vocari. Igitur *audientium* nomine veniebant ii, qui fidem Christianam edocebantur, quapropter in Ecclesiam admittebantur ad sermonem et sacras Scripturas audiendas. Finito sermone exibant Diacono proclamante: *Ne quis audientium, ne quis infidelium. Orantes*, qui et *genuflectentes* et *prostrati* dicebantur, ii erant, qui post sermonem in Ecclesia remanentes, manuum impositionem, cum propriis quibusdam precationibus in genua provoluti recipiebant. Haec Liturgiae pars speciatim *Catechumenorum precatio* dicebatur. Sequuntur *competentes*, et ad suscipiendum Baptisma succincti, qui etiam *Electi* vocabantur, quod ab Episcopo instituto examine eligerentur, ut Baptisma proximis diebus festis reciperent. Hoc imprimis tempore, quod proxime Baptismi administrationem antecedebat, nihil omisit Ecclesia, ut eos, qui inter competentes adscripti erant, ad suscipienda cum pietate sacra mysteria variis ritibus et caeremoniis praepararet. De his pauca subjicimus.

I. Appropinquante Paschatis festo, eorum qui baptizandi erant nomina in catalogum *electorum* inscribebantur.

---

a) Epist. ad Pamach. *b)* Cateches. I. n. 5.

II. *Scrutinia* fiebant, et quidem septem, ut vita et mores competentium probarentur. Omnium principale erat tertium, quod fiebat feria IV. post Dominicam IV. Quadragesimae.

III. Viginti ante Baptisma diebus *exorcisabantur*. Haec caeremonia, quae saeculo nostro parum arridet, antiquissima est, et veterum Patrum, tum Graecorum, tum Latinorum testimoniis comprobata. Inter alios *Cyrillus Hierosol. a)* catechumenum sic alloquitur: *Exorcismos studiose suscipe, sive enim insufflleris, sive exorciseris, existima eam rem tibi esse saluti. Absque exorcismis anima purgari non poterit: divina enim sunt, ex diversisque Scripturis collecti. Et Nazianz.. b): Ne exorcismi medicinam respuas, nec ob illius longitudinem animo concidas.* Hujus ritus passim meminit S. *Augustinus*, atque ex eo peccatum originale demonstrat adversus Pelagianos. *Accusat Ecclesiam toto orbe diffusam*, ait de Pelagio loquens *c)*, *in qua ubique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab iis princeps mundi ejiciatur foras.* Ex *Tertulliano d)*, et auctore *Const. Apost.* aliisque antiquis auctoribus patet, jam tunc, quando exorcismi fiebant, catechumenos *renuntiasse* diabolo, pompis et angelis ejus. Haec renuntiatio iterum Baptisma comitabatur.

IV. Durante exorcismorum tempore, catechumeni variis detinebantur exercitationibus. 1.° Jubebantur abstinere. 2.° Edocebantur fidei symbolum, in ultimo ante Baptismum examine recitandum. 3.° Orationem Dominicam, quae a solis baptizatis adhiberi poterat, proxime ante Baptismum ediscebant. 4.° Liniebantur aures et nares saliva, dicendo *Ephetha*, quod est, *adaperire;* imo et oculos luto linitos fuisse videtur, ad exemplum Salvatoris. 5.° Sal gustandum dabatur catechumeno; nisi velis, hunc ritum, una cum signo crucis, ab initio statim catechumenatus fuisse adhibitum; nam *Augustinus* ad hoc allusisse videtur, cum de se puero ait *e)*: *Signabar in signo crucis ejus, et condiebar ejus sale.* Aut dicendum, salem benedictum pluries datum fuisse. Ita enim in Concilio Carthag. III. can. V. statuitur: *Placuit, ut per solemnissimos Paschales dies Sacramen-*

---

a) Praefat. ad Catech. N. V. *b)* Orat. XI. de Bapt. *c)* Lib. II. de nuptiis et concup. cap. XVIII. *d)* De corona milit. cap. III. *e)* Lib. I. Conf. cap. XII.

tum catechumenis non detur, nisi solitum sal. Vide *Bellarm.* de Bapt. cap. XXV. *Selvaggio* lib. I. Parte II. cap. XVII.

ARTICULUS III.

De effectis Baptismi.

OBSERVANDA.

I. Duae sunt quaestiones hac de re, ait *Bellarm. a)*, una de veris effectibus, quos agnoscunt Catholici; altera de falsis effectibus, quos adversarii Baptismo tribuunt. Porro effectus, qui falso ab adversariis Baptismo tribuuntur, hos numerat citatus auctor. *Primus* est, quod homo baptizatus non possit damnari, nisi nolit credere. *Secundus*, quod Baptisma liberet ab obedientia divinae legis. *Tertius*, quod liberet ab humanarum legum observatione. *Quartus*, quod sola memoria Baptismi justificet a peccatis quae fiunt post Baptisma. Omnes hi Novatorum errores damnantur a *Concilio Tridentino* Sess. VII. totidem Canonibus; id est VI. VII. VIII. IX. et X. Cum autem haec omnia partim ad alia loca pertineant, partim obsoleta jam sint et extra controversiam posita, merito ab iis tractandis abstinemus.

II. Effectus Baptismi apud Catholicos tres sunt. *Primus* est, quod culpam deleat omnium peccatorum, tum originalis, tum eorum, quae propria sunt baptizando. *Secundus* est gratia sanctificans, virtutum et donorum Spiritus sancti comitatu instructa. *Tertius* est character, seu indelebile signum, quod sic animae baptizati inuritur, ut nulla amplius praevaricatione exuri possit. De hoc Baptismi effectu satis dictum est superiore parte. Ibi quoque confecimus, Sacramenta vi sua, seu ex *opere operato*, gratiam producere, quod utique nulli magis quam Baptismo convenit; unde et argumenta pleraque, quae eo loco adducuntur, ad Baptismi Sacramentum pertinent. Denique, quae olim Protestantium hac de re doctrina fuerit, et quid nostri recentiores sentiant, ibidem in Observationibus, quantum necessarium fuit, indicavimus. Igitur quae adhuc juxta Ecclesiae doctrinam stabilienda supersunt, unica Propositione comprehendemus.

---

a) De Bapt. lib. I. cap. XII.

PROPOSITIO.

Baptismus tollit vere omne peccatum, tum originale, tum actuale, omnemque poenam peccato debitam: atque insuper animae gratiam sanctificantem infundit cum virtutibus et donis spiritualibus.

PROBAT. I. PARS. *Tollit omne peccatum.* Vide *Trid.* Sess. V. Can. V. Rationem ibi affert Concilium ex Apostolo depromptam: *Quia nihil damnationis est iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem.* Ita enim Apost. scribit ad Roman. VIII, 1.: *Nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu. . . .* et ibid. cap. VI, 4.: *Consepulti sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Idem Apostolus ad Cor. scribens (I Cor. VI.), postquam peccata enumeravit, quae a regno coelorum excludunt, ita demum concludit: *Et haec quidem fuistis; sed abluti estis, sanctificati estis.* Petrus quoque Actor. II, 38. ait: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Huc et illud pertinet, Luc. III, 16.: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.* In quae verba ait S. *Leo* M. Epist. IV.: *Eo quod duplici potestate Spiritus vitam reddat, et peccata consumat.* Plura ex Patribus adducere necesse non est.

PROBAT. II. PARS. *Tollit omnem poenam peccato debitam.* Haec pars colligitur ex omnibus illis Scripturae locis, in quibus homo dicitur per Baptismum *renasci, regenerari,* ubi baptizati similes dicuntur *infantibus modo genitis* etc. Quae Ecclesiae doctrina quovis tempore fuerit, ex hoc solo apertum est, quod nulla unquam baptizatis opera laboriosa et satisfactoria imposuerit. Id quoque disertis verbis docet *Eugenius* IV. in Decreto ad Armenos, et *Concilium Trident.* Sess. V. Can. V. declarat, *renatos per Baptisma ita esse puros et immaculatos, ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur.*

PROBAT. III. PARS. *Infundit gratiam sanctificantem cum donis Spiritus sancti.* Christus ipse docet, per Bap-

tisma nos renasci ad novam vitam. Joan. VII.: *Nisi quis renatus fuerit* etc. Tum novae hujus nativitatis rationem exponens addit: *Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.* Apost. I Cor. VI.: *Ablati estis, sanctificati estis, sed et justificati estis.* Ad Tit. III, 5.: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde.* En gratiae sanctificantis effusionem clare expressam!

« His autem (verba sunt Catech. Roman.) additur no-« bilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam « cum gratia divina infunduntur. Quare, cum Apostolus « ad Titum ait: *Salvos nos fecit per lavacrum regenera-« tionis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in « nos abunde per Jesum Christum, Salvatorem nostrum,* « *D. Augustinus* verba illa: *abunde effudit,* explanans: Ni-« mirum, inquit, ad remissionem peccatorum et copiam « virtutum. »

SS. Patres saepe et libentissime depraedicant hanc Baptismi excellentissimam fecunditatem. Inter alios unum audiamus *Chrysostomum* Homil. ad Neophytos. *Ecce,* inquit, *libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo ante captivi; et cives Ecclesiae sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; et justitiae in sorte versantur, qui fuerunt in occasione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed et sancti; non tantum sancti, sed et justi; non solum justi, sed et filii; non solum filii, sed et haeredes; non solum haeredes, sed et fratres Christi; nec tantum fratres Christi, sed et cohaeredes; non solum cohaeredes, sed et membra; non tantum membra, sed et templum, sed et organa Spiritus. Vides quot sint Baptismatis largitates? Sed multis quidem videtur, coelestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere; nos autem honores computavimus decem.*

COROLLARIUM.

Ergo Baptismus non est merus ritus exterior, quo ad Christianam Religionem accedentes profitentur se Christo nomen dare: aut quo Ecclesia, aliarum societatum adinstar, aliquem inter membra sua adscribit.

DUBIA REMOVENTUR.

Dubium I. Si Baptismus peccatum omne omnemque peccati poenam dilueret, ergo hominem in perfectum illum vitae gradum restitueret, in quo Adam ante peccatum collocatus fuerat: atqui contrarium omnino apparet: manet enim concupiscentia, quam Apostolus peccatum vocat, Rom. VII.; manent vitae hujus calamitates, et mors corporalis, quae peccati *poenalitates* dici solent. Ergo etc.

Resp. ad I. Difficultatem dissolvit Tridentinum Sess. V. cap. V. Postquam anathema pronuntiavit contra eos, qui assererent, in Baptismo *non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet*, subdit de concupiscentia: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, haec sancta Synodus fatetur et sentit; quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet: quinimo, qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, S. Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Siquis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Ad II. Renovatio, quae fit per Baptismum, ad spiritum, non ad carnem spectat. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum; spiritus autem vivit per justificationem.* Rom. VIII. Mors, fames, sitis, et alia hujus generis in futura tantummodo vita destruentur, cum mortale hoc induerit immortalitatem. In hac autem vita non tolluntur; tum quia aequum est ut membra suo capiti conformentur, Christus autem et mortem, et alia hujus vitae incommoda pertulit: tum, ut per tolerantiam malorum hujus temporis uberiorem gloriae fructum consequeremur: tum denique, quia ipsa Religionis Christianae natura hoc exigit, quam quilibet libere amplecti debet, non bonorum temporalium studio, sed spe melioris vitae. Si autem per Baptisma omnibus vitae aerumnis soluti essemus et liberi, quis non initiari Baptismo vellet, ut his commodis frueretur? Cf. *Catechis. Conc. Trid.*

Dubium II. Si poena omnis peccatis debita per Baptismum condonatur, ad quid ergo illa poenitentiae opera, per quae Ecclesia olim catechumenos ad hoc Sacramentum praeparabat? Cur

adeo confessio exigebatur peccatorum? ut testatur Tertullian. lib. de Baptis. cap. XX.: *Ingressuros Baptismum orationibus crebris, jejuniis, et geniculationibus, et pervigiliis orare oportet, et cum confessione omnium retro delictorum, ut exponant etiam Baptismum Joannis. Tingebantur, inquit, confitentes peccata sua.*

Resp. Nusquam legitur Ecclesiam baptizatis satisfactionem imposuisse. Quae ante Baptismum fiebant, tanquam praeparatio praemittebantur, ad Sacramentum cum fructu suscipiendum. Confessio, si qua fiebat, non erat sacramentalis; an specialis fuerit omnium delictorum enumeratio, merito dubitatur. De illa catechumenatus disciplina generatim observat *Catechis. Rom. a).* « *Neque enim illud institutum ad satisfactionem pertinebat; sed qui Baptisma percepissent ea ratione admonebantur, ut Sacramenti dignitatem venerantes jejuniis, orationibus aliquamdiu sine intermissione operam darent.* » Scilicet ex illis poenitentiae operibus verus de peccatis dolor, ac deinceps propositum oriebantur. Nam sicut poenitentiae fructus ex animi dolore nascuntur, sic externa opera sensum interiorem excitant et nutriunt.

Dubium III. Vere nescitur, quid gratia sanctificans prosit infantulis, et quas illa virtutes infundat iis, qui nullius virtutis sunt capaces?

Resp. ad I. Vere nescitur, quid Baptismus prodesse posset infantibus sine gratia, nam illa sententia, quae antiquis quibusdam Theologis tribuitur, *quod parvulis culpa quidem remittatur, sed non conferatur gratia*, prorsus absona est. Ergo daretur aliquid inter statum peccati et statum gratiae medium? *Concilium Trid.* Sess. V. cap. V. generatim de Baptizatis ait, nulla facta inter adultos et parvulos distinctione: *Veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur.* Et bene S. Thomas *b)* observat: *Pueri sicut et adulti in Baptismo efficiuntur membra Christi: unde necesse est, quod a capite recipiant influxum gratiae et virtutis.*

Ad II. Iterum respondet S. Thomas loco cit., ubi de iis loquens qui parvulis virtutes infundi non posse contendebant, ait:

---

a) De Bapt. quaest. XXVIII. *b)* Part. III. quaest. LXIX. art. VI.

Causa erroris fuit, quia nescierunt distinguere inter habitum et actum: et sic videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt eos post Baptismum nullatenus virtutem habere. Sed ista impotentia operandi non accedit pueris ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali: sicut etiam dormientes, quamvis habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter somnum. Nihil est huic responsioni addendum.

SCHOLION.

Restat nunc, ut de Baptismi ritibus et caeremoniis pauca dicamus. Ad hoc Ecclesia ab ipso nascentis Religionis Christianae exordio summo studio incubuit, ut sancta sancte tractarentur, et fideles solemnibus caeremoniis edocerentur, quae sit Mysteriorum dignitas et divina virtus, et quanta oporteat pietate ad divina munera capessenda accedere. Verum de Sacramentorum ritibus Parte I. jam quaedam dicta sunt generatim. Nunc de illis agitur qui in Baptismo usurpantur. Hos singillatim et explicatius exponere operae pretium esset; nam sancti illi sunt, et significatione graves, et summa antiquitate venerandi. Verum et hic brevitate uti necesse est.

Solemnes Baptismi caeremoniae in tres velut partes commode tribuuntur: in eas, quae praecedunt, quae comitantur et denique quae Baptismum subsequuntur.

I. Caeremoniae praecedentes Baptismum.

1.° Primus et solemnis ritus est *fontis baptismalis benedictio*, quae Paschatis et Pentecostes pervigiliis perficitur: nam olim Baptismus solemniter his diebus administrari solebat. De aquae benedictione *Tertullianus* loquitur lib. de Baptis., et *Basilius*, lib. de Spir. S. cap. XXVII., eam ponit inter Apostolicas traditiones.

2.° Adhibentur *Susceptores*, qui initiandos offerunt Ecclesiae. *Justinus* quaest. LVI. eos vocat *Offerentes*, *Tertull.* de Bapt. *Sponsores*, *Augustinus* fere semper *Susceptores:* vocantur etiam *Patrini*, quia patres spirituales efficiuntur eorum, quos de sacro fonte suscipiunt.

3.° Nomen imponitur alicujus *Sancti*, ut ostendatur, baptizatos in Sanctorum communionem adscribi. Vult insuper Ecclesia, ut inter Sanctos *patronum* habeant, cujus potenti ope muniantur, cujus exemplis vehementius ad virtutem excitentur.

Sequuntur deinde quae supra jam indicavimus. Nam quae olim circa catechumenos fiebant, ac praesertim eo tempore quo *competentes* sese ad proxime suscipiendum Baptisma disponebant; ea nunc velut in compendio exhibet nostra solemnis Baptismi administratio. Huc pertinent: *impositio manuum; signa crucis* fronti, oculis, humeris, auribus impressae; *exorcismi* et *exsufflationes; linitio*, qua aures et nares saliva tanguntur; *sal* consecratum, quod degustandum datur initiando. Et haec quidem ad limen Ecclesiae peraguntur, et ad primam partem caeremoniarum referri possunt.

II. Caeremoniae concomitantes Baptismi olim fuerunt:

1.° *Abrenuntiatio*, graece ἀπόταξις, quam his verbis refert S. *Hieronym* in Matth. XXV. *Renuntio tibi, diabole, et pompae tuae, et vitiis tuis, et mundo tuo qui in maligno positus est.* Hanc ab Apostolorum Traditione derivatam dicunt *Tertull.* et *Basilius.* Haec porro abrenuntiatio a catechumenis stantibus, et versis ad occidentem, emittebatur; quia, ut *Cyrillus Hieros.* ait *a)*, solis occasus locus est tenebrarum; diabolus autem princeps tenebrarum vocatur. In quibusdam locis huic caeremoniae addebatur manuum collisio, insufflatio, exspuitio versus Occidentem.

2.° Facta renunciatione catechumeni ad Orientem versi, Christo, qui lux mundi est et sol justitiae, adscribi se profitebantur, his verbis: *Adscribor tibi, Christe.* Haec *Sponsio* graece σύνταξις vocabatur.

3.° Nova iterum atque solemnis edebatur *fidei professio* junctis manibus, oculisque in coelum sublatis. Fiebat autem per symboli recitationem, ita ut baptizandus per singulos symboli articulos interrogatus, iis se assentire testaretur. August. lib. VIII. Confess. cap. II. *Idem* de fide et op. cap. IX.

4.° *Oleo sacro inungebantur*, sicut athletae stadium ingressuri, ut habet *Chrysost.* Hom. VI. in Coloss. Haec prima unctio ante

---

a) Cateches. I.

ablutionem fiebat. Ita Constitut. Ap. lib. VII. cap. XXII. *Unges autem prius oleo sancto, deinde baptizabis aqua.* Apud Occidentales baptizandus inungebatur in pectore et inter scapulas, prout in *Sacramentariis Gelasii* et *Gregorii Magni* praescribitur. Apud Orientales totum corpus a vertice usque ad talos ungebatur: quod tamen, quando mulieres baptizabantur, a Diaconissis fiebat, ministro frontem tantum inungente.

5.° Cum illa fidei professione, de qua n° 3. diximus, confundi non debet alia SS. *Trinitatis professio*, quae erat cum ipso Baptismo conjuncta. Haec ultima confessio ad Baptismi formulam pertinebat, et singulas SS. Trinitatis Personas spectabat. Rem clare exprimit S. *Ambrosius* lib. II. de Sacram. cap. VI. *Interrogatus es: Credis in Deum, Patrem omnipotentem? Dixisti: Credo et mersisti. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum nostrum, et crucem ejus? Dixisti: Credo, et mersisti. Tertio interrogatus es: Credis in Spiritum sanctum? Dixisti: Credo, tertio mersisti.* Eadem habet *Sacram. Gelasii.* Hos ritus fere omnes in nostra adhuc Baptismi administratione usurpari manifestum est. Nam, cum perventum fuerit ad fontes, 1.° recitatur Symbolum et Oratio Dominica; 2.° fit abrenuntiatio; 3.° ungitur baptizandus; 4.° nova editur fidei professio.

III. Caeremoniae subsequentes Baptismum.

1.° Baptizatus *ungitur Chrismate* in ipso vertice, ut intelligat se *Christianum* esse, nomenque habere a *Christo*, quod idem est, ac *Unctus.* Haec Chrismatis unctio in Baptismate praescripta diversa est ab ea quam Episcopus adhibet in Confirmatione: quod ita explicat *Innocentius* I. Epist. ad Decent.: *Presbyteris, qui seu extra Episcopum, seu praesente Episcopo baptizant, Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.*

2.° Baptizatus *veste candida induitur*, qua innocentiae restitutio, et futurae resurrectionis gloria indicantur. Nullus fere est Veterum, qui hunc morem non meminerit. Olim hujusmodi vestes per octo dies gestabantur a neophytis: unde et dies, qua deponebantur, vocatur *Dominica in albis depositis.*

3.° *Datur cereus accensus* in manibus initiati; quo admonetur hujus praecepti Dominici: *Luceat lux vestra coram hominibus.* Hunc ritum ita describit *Nazianz.* Orat. XL. de Bapt.: *Statio haec, qua confestim a Baptismo ante magnum altare stabis, futurae vitae gloriam praesignat. Psalmorum cantus, cum quo accipieris, illius hymnodiae praeludium est. Lampades, quas accendes, illorum luminum figuram gerunt, cum quibus splendidis fidei lampadibus Christo sponsu obviam prodibimus.*

4.° Olim consuetudo obtinuit, ut baptizatis osculum daret Sacerdos cum his verbis: *Pax tibi.* Hoc enim consuetum erat Christianis, ut pacem sibi largirentur porrecto osculo, ut ex *Tertull.* et aliis colligimus. De hoc ritu agit S. *Cyprianus*, Epist. LXIV. Nam cum *Fidus* quidam Episcopus ideo infantes ante diem octavum non esse baptizandos affirmabat, quod recens natos adhuc rubentes atque immundos quisque horreat osculari; respondet Cyprianus: *Omnia munda mundis, nec aliquis nostrorum id debet horrere, quod Deus dignatus est facere.* Sunt tamen qui hunc ritum putant statim post exorcismos adhibitum fuisse.

5.° Id quoque antiquitus in Occidentali praesertim Ecclesia institutum erat, ut recens baptizatis porrigeretur *lac* et *mel*, ad significandam infantiam in Christo, tum etiam suavitatem vitae Christianae: quapropter primo sacro, quod audiebant qui nuper baptizati fuerant, recitabatur illud Epistolae I. S. Petri cap. II. *Quasi modo geniti infantes rationabile, sine dolo, lac concupiscite.* De hac Caeremonia loquitur *Tertullianus* cont. Marc. lib. I. cap. XIV. et S. *Hieronymus* dialogo adversus Lucifer. ita habet: *Multa quae per Traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptae legis usurpaverunt: veluti in lavacro ter caput mergitare; deinde egressos lactis et mellis praegustare concordiam ad infantiae significationem.*

Ecclesiae consuetudo ad nostra usque tempora haec retinuit, ut 1.° baptizatus Chrismate ungatur in vertice; 2.° ut veste alba, vel albo sudariolo donetur; 3.° ut cereum accensum in manus accipiat; 4.° demum ut ministrans baptizatum cum his verbis dimittat: *Vade in pace, Dominus sit semper tecum.* Cf. P. *Martene*, de antiq. Eccles. ritibus, *Selvaggio*, *Bellarmin.*, *Maldon.*, *Catechis. Rom.* Brenner ꝛc.

CAPUT SECUNDUM.

DE CONFIRMATIONE.

Proximum Baptismo Sacramentum est Confirmatio, per quam vita spiritualis, quam in Baptismo accepimus, augetur et perficitur. Cum baptizamur, familiae Christi adscribimur, nobisque tanquam filiis coelestis regni haereditas destinatur. At ne frustra in spem tantae haereditatis geniti videamur, si inter tot vitae hujus labores et salutis pericula animus viresque deficerent; voluit optimus Salvator novo eoque saluberrimo Sacramento nostris indigentiis providere. In hoc Sacramento armatura fidei munimur, qua induti stare possumus contra insidias diaboli: in hoc iis, qui Christo nomen dederunt, sacrae militiae character imprimitur, et lumen infunditur menti et robur pectori, ut novis in dies aucti vitae spiritualis incrementis, crescant in virum perfectum, in aetatem plenitudinis Christi.

Hoc Sacramentum antiqui Patres multis variisque nominibus designare solent; ejus autem virtutem et excellentiam miris modis extollunt et praedicant. Praecipua eorum testimonia in hujus tractatus decursu videbimus. Sunt autem hujus Sacramenti nomina a Patribus identidem usurpata: *Manuum impositio* a); *Chrisma Salutis* b); *Sacramentum Chrismatis* c); *Signaculum vitae aeternae* d); *Sigillum regium spiritualis unguenti* e); *Perfectio* f) quoque vocatur tum a Graecis, tum a Latinis; denique S. *Ambrosius* Maldonato primus videtur *Confirmationis* vocabulum adhibuisse g); quoniam is praecipuus hujus Sacramenti effectus est, quod cor nostrum contra omnes carnis, mundi et diaboli impetus roboret et confirmet. Plura hujus Sacramenti nomina his versibus conclusit *Prudentius* in Psychomachia:

> Inscripta oelo fronti signacula, per quae
> Unguentum regale datum est, et Chrisma perenne.

---

a) *August.* de Bapt. cont. Donat. lib. II. cap. XVI. Item Tract. VI. in Ep. Joan. n. 10 etc. b) *Leo* Serm. IV. de Nativit. c) *August.* lib. III. cont. litt. Petiliani cap. CIV. d) *S. Leo* loco cit. e) *Theodoret.* lib. IV. in Cantica. f) C. Eliberit. can. XXXVIII. g) Lib. de initiandis cap. VII. S. August. S. Leo etc.

Quae huic Sacramento propria sunt, nunc quam poterimus brevissime exequemur. Agemus autem 1.° de existentia et natura hujus Sacramenti; 2.° de causis ejus extrinsecis; 3.° de ejus effectu.

ARTICULUS I.

De existentia et natura Confirmationis.

§. 1.

De Confirmationis existentia.

OBSERVANDA.

I. Haeretici Novatores omnes Confirmationem ex numero Sacramentorum expungunt. Nam etsi quidam eorum Theologi in conventu Lipsiensi anno 1548 septem Sacramenta, et nominatim Confirmationem receperint, in hac tamen confessione non perstiterunt. Inter caeteros *Calvinus a)* multa contra hoc Sacramentum inverecunde et scurriliter effudit. Quoniam tamen illud inficiari non potuit, Confirmationem datam fuisse ab Apostolis, et deinde in Ecclesia per omnes aetatum series usurpatam; usum ejus omnino commentitium excogitavit. Nempe asserit, ideo Apostolos impositionem manuum adhibuisse, quia visibiliter iis, quibus manus imponebantur, dabatur Spiritus sanctus. «Ubi «autem, inquit, gratia illa conferri desiit, quorsum pertinet «manuum impositio?» Quod autem eumdem ritum post Apostolos videamus a Patribus ubique usurpatum, illud ad suum arbitrium ita flectit et torquet ibid. n.° 4.: «Qui Baptismo ini«tiati erant infantes, quia fidei confessione apud Ecclesiam «tunc defuncti non erant, sub finem pueritiae, aut ineunte «adolescentia repraesentabantur iterum a parentibus, ab Epi«scopo examinabantur secundum formulam Catechismi, quam «tum habebant certam et communem. Quo autem haec ratio, «quae alioquin gravis sanctaque merito esse debebat, plus re«verentiae haberet et dignitatis, caeremonia quoque adhibebatur «manus impositionis. Ita puer ille, fide sua approbata cum

---

a) Inst. lib. IV. cap. CXIX.

« solemni benedictione dimittebatur. » Hunc morem n. 13. retinendum esse declarat, eumque vocat Catechesin, qua pueri, aut adolescentiae proximi, fidei suae rationem coram Ecclesia exponunt.

II. Post Calvinum nemo est, qui majori doctrinae apparatu adversus Confirmationis Sacramentum pugnaverit, quam *Joannes Dallaeus*. In hoc autem a Calvini sententia discedit, quod Confirmationem non aliud quiddam esse pertendat, quam ritum Baptismi, eumque ritum dicat non ex Christi, sed ex Ecclesiae institutione fluxisse. Alios haereticos, qui in hac controversia Novatoribus nostris praeivissent, nullos invenimus. Nam Novatianum in hoc errore fuisse nullo certo argumento constat. Posteriores haeretici, *Waldenses*, *Albigenses*, *Wiclefitae*, *Husitae*, circa naturam et administrationem Confirmationis a Catholica fide aberrarunt; at Sacramentum non negarunt.

PROPOSITIO.

Confirmatio verum est ac proprie dictum novae legis Sacramentum a Baptismo distinctum.

Concil. Trident. Sess. VII. Can. I. de Sacram. in genere, inter septem Sacramenta N. L. secundo loco recenset Confirmationem. Ead. Sess. de Confirm. ita statuit Can. I.: *Siquis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse quam Catechesin quamdam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit.*

Argumentum ex Scripturis.

Ex Scripturis apertum est, hanc Apostolorum consuetudinem fuisse, ut Baptismo initiatis per manus impositionem sanctum darent Spiritum. Duo tantum Scripturae loca apponimus, quia ea prae caeteris efficacius probant, quod volumus. Actor. VIII, v. 14. et sequentibus legitur: *Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spi-*

ritum sanctum; nondum enim in quemquem illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.

Iterum cap. XIX. narratur, *Paulum*, cum Ephesum venisset, quosdam ibi invenisse discipulos, qui in Joannis Baptismate tantum erant baptizati, quique, cum ab Apostolo fuissent edocti, Christi Baptisma susceperunt. *His auditis*, ait sacer textus, *baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis et prophetabant.*

En signum sensibile et practicum gratiae! En verum novae legis Sacramentum! Adsunt res et verba; impositio manuum et oratio. Adsunt ministri, nempe Apostoli et eorum successores. Adest effectus Sacramenti: gratia sanctificans, seu Spiritus sanctus. *Imponebant manus super eos, et accipiebant Spiritum sanctum .... Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.* Superest, quae non minus ad Sacramentum requiritur, Christi institutio. Hanc si verba non exprimunt, certe continent; neque enim Apostoli, nisi jussi a Christo, ejusmodi ritum usurpassent, et Ecclesiis, quas fundarunt, reliquissent. Aut quis mortalium potuisset sua auctoritate efficere ut per impositionem manuum daretur Spiritus sanctus?

Quid ergo absurdius, quam spreto Dei verbo, in hac manuum impositione meram aliquam Baptismi caeremoniam comminisci? Scriptura eodem modo quo docet, per lavacrum regenerationis dimitti peccata, videlicet vi Sacramenti; docet etiam, per impositionem manuum datum fuisse Spiritum sanctum. At si impositio haec caeremonia tantum fuisset ad Baptismi administrationem pertinens, profecto Apostoli missi non fuissent Samariam, ut manus illis imponerent, qui jam baptizati erant. Nam nulla ratio dari potest, cur is, qui baptizaverat, non etiam imposuisset manus. Vel an mera caeremonia majus quid est Baptismo? Ita Actor. XIX., a quo Ephesii illi baptizati fuerint, non dicitur: quod autem *Paulus* illis manus imposuisset, dili-

genter exprimitur; ut nempe intelligeremus, Sacramentum hoc digniorem ministrum requirere, quod profecto verum non est, si ritus tantum fuit cum Baptismo conjunctus.

Argumentum ex Ecclesiae perpetua Traditione.

Praecipuum in hac re argumentum non tam ex testimoniis Patrum singillatim collectis exsurgit, quam ex omnium per orbem Ecclesiarum consensione et perpetua praxi, cujus origo alia assignari non potest praeter Apostolorum Traditionem. Conferantur, quae superius de Sacramentis in genere dicta sunt.

Sed neque testimoniorum copia deesset, si vellent his armis pugnare adversarii. Et quidem Patres adduci possent ex primis Ecclesiae saeculis, et plurimorum Conciliorum decreta; quae collecta reperiuntur apud *Natal. Alex.* Diss. X. in saecul. II., ubi et ea refutantur, quae contra hoc Sacramentum et Patrum sententias Dallaeus commentus est. Liquet autem ex his testimoniis et usu universalis Ecclesiae, Confirmationem esse signum sensibile et practicum gratiae sanctificantis. Liquet, eam non raro separatim a Baptismo datam fuisse; eam simpliciter Sacramentum appellari; ad Christum ut auctorem referri; proprium illi, et a Baptismo distinctum effectum attribui; ministrum quoque assignari a ministro Baptismi diversum. Quod manifeste ostendit, id semper et ubique ab Ecclesia creditum fuisse, quod Concil. Trident. contra Novatores decrevit, Confirmationem non esse otiosam baptizatorum caeremoniam, sed verum et proprium Sacramentum.

Pauca tantum Patrum testimonia subjicimus. Insignis est *Tertulliani* locus de resurr. carnis cap. VIII., quem jam alias protulimus: *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima sancto Spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* Non una tantum vice de hoc Sacramento loquitur *Tertullian.* Omittimus *Cyprianum* Carthaginensem Episc. et *Cornelium* R. Pontificem; et *Cyrillum* Jerosolym. et *Chrysostomum* et

Ambrosium etc. *Hieronymum* tantum liceat paulisper audire, et *Augustinum*. *Hieronymus*, Dialogo adversus Luciferianos, inquit, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus a Presbytero et Diacono baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus sancti manus impositurus excurrat.* Ex *Augustino* hoc unum citamus ex lib. II. contra litteras Petiliani cap. CIV.: *In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut Baptismus.*

Novatorum effugia.

Dicunt. I. Per Spiritum sanctum, quem Apostoli impositione manuum conferebant, intelligi tantum debent charismata gratis data, ut donum linguarum, miraculorum etc. Ergo impositio illa Sacramentum vocari nullo modo potest, tum quia dona illa jam diu desierunt; tum quia ille effectus externus erat et visibilis, Sacramentum autem signum est invisibilis gratiae.

Resp. nego ant. Duplex fuit tempore Apostolorum impositionis manuum effectus; unus est gratia sanctificans, quae baptizatos et roborat et munit: hic effectus Sacramento essentialis est, et in Ecclesia perpetuus. At illa charismata Spiritus gratis data, quae etiam peccatoribus concedi possunt, quia ad aliorum utilitatem conceduntur, effectus erant extraordinarius, et ad tempus tantum concessus, *ad commendationem rudis fidei*, ut Augustinus ait *a)*, *et primordia Ecclesiae dilatanda*. Unde si olim Spiritus sanctus etiam foras exundavit per signa visibilia, hoc erat supra Sacramenti naturam, atque primis nascentis Ecclesiae temporibus accommodatum: postquam autem adolevit, et firmis jam radicibus staret Ecclesia, desiit quod externum erat et temporarium: mansit autem interna et invisibilis operatio, in qua proprie situs est Sacramenti effectus. Vide ergo, quam levis et ludicra sit illa adversariorum argumentatio, Confirmationem non esse Sacramentum, quia jam per illam non datur visibiliter Spiritus sanctus; nam potius sequitur, nunc magis esse Sacramentum, cum haec sit natura Sacramenti, ut sit signum externum

a) Lib. III. cont. Donat. cap. XVI.

rei sacrae invisibilis. Praeclare Augustinus *a)*: *Signa erant tempori opportuna: oportebat enim significari in omnibus linguis Spiritum sanctum, quia Evangelium per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum. Significatum est illud, et transiit. Nunquid modo, quibus imponitur manus ut accipiant Spiritum sanctum, hoc expectatur ut linguis loquantur?*

Porro illud Calvini miserabile commentum, quod Confirmatio olim nihil aliud fuerit quam Catechesis, qua illi, qui Baptismo initiati erant infantes, ineunte adolescentia fidei suae rationem coram Ecclesia exponerent, ex iis, quae hactenus dicta fuerunt, facile diluitur; atque hoc solo argumento totum corruit, quod haec praecise veteris Ecclesiae consuetudo fuerit, ut Confirmationis Sacramentum etiam parvulis conjunctim cum Baptismo traderetur. Neque ab hac regula discesserunt Patres, nisi necessitas cogeret, ut cum Presbyteri aut Diaconi baptizabant nullo praesente Episcopo.

Dicunt II. Catholici, dum dicunt Spiritum sanctum dari, hominemque perfici per Confirmationem, injuriam faciunt Baptismo, quasi Baptismus Spiritum sanctum non daret, aut baptizatus perfectus Christianus non esset. Deinde, si renati remedio indigent, quo crescere possint et augeri viribus, an sanctius quidquam et efficacius cogitari potest quam Eucharistiae Sacramentum, quod vires spirituales nobis suppeditat, et milites Christianos alit ad pugnam? Ergo non videtur, quis Confirmationi locus maneat.

Resp. ad I. nego ant. Nos non ideo dicimus hominem perfici per Confirmationem, quod ante non fuerit perfectus Christianus per Baptismum; sed quod plus roboris accipiat et gratiae. Per Baptismum datur Spiritus sanctus, et gratia sanctificans, qua renascimur in Christo Jesu, et Spiritum adoptionis filiorum recipimus: Confirmatio autem gratiam infundit, qua fortes evadimus, et roboramur ad pugnam; sive haec gratia specie diversa sit, sive gradu tantum et perfectione quadam ab illa Baptismi distet. Quaedam adhuc dicentur, cum de effectu hujus Sacramenti agendum erit. Tum quoque ad illud respondebitur, quod Eucharistia sufficiat Christiano ad robur et augumentum gratiae.

---

a) Tract. VI. in Epist. Joan.

Dicunt III. Patres primae aetatis Confirmationis non meminerunt; ergo mera est caeremonia post Apostolorum tempora ab Ecclesia instituta.

Resp. nego conseq. Paucissima sunt, quae ex primo et secundo saeculo supersunt Patrum monumenta; plura temporum injuria perierunt. Caeterum, qui prima hac aetate vixerunt Patres in eo maxime laborarunt, ut fidem Christianam contra Ethnicos propugnarent; de religionis autem Mysteriis obscurius locuti sunt, ut jam alio loco observatum est. Leve igitur et infirmum est hoc Dallaei argumentum; cum ii fere omnes, qui de Confirmatione silent, ne Baptismum quidem commemorent; ut *Clemens Rom.*, *Athenagoras*, *Tatianus* ac *Theophilus*. *Irenaei* autem quaedam testimonia citantur, quae non obscure Confirmationis Sacramentum indigitant. Jam qui subsecuti sunt Patres omnes pene aperte de hoc Sacramento loquuntur: et ita loquuntur, ut clarum sit, id eos invenisse continua Traditione ab Apostolis deductum, et per omnes Ecclesias constanter usurpatum.

Dicunt IV. Illud non potest inter Sacramenta computari, cujus nec materia nec forma certa et determinata assignari potest: atqui Confirmationis nec materia nec forma certa est, et adhuc hodie in diversas sententias distrahuntur Theologi. Ergo etc.

Resp. Theologi Catholici omnes in eo concordant, quod Confirmatio N. L. Sacramentum sit, materia et forma constans. Neque pro arbitrio materiam aut formam arripiunt; sed ad Scripturae et Traditionis regulam omnia determinant: hinc inter manuum impositionem tantum, et unctionem, et de verbis cum his ritibus connexis quaestio movetur; cum autem utraque sententia in verbo Dei fundamentum habeat, Ecclesia utrumque ritum retinuit: ita, ut in praxin illa controversia non influat. Quotiescunque enim Confirmatio juxta Ecclesiae Catholicae ritum data fuerit, certum est, eam esse Sacramentum. Sed de his nunc paulo fusius agendum.

§. II.

De natura Sacramenti Confirmationis.

OBSERVANDA.

I. Omnes Catholici, ut Baptismum et Eucharistiam, ita et Confirmationem inter Sacramenta novae legis reponunt. Qui con-

tra sentiunt, alieni sunt ab orthodoxa fide. Verum asserta dogmatis veritate, in diversas sententias abeunt Theologi, quando de materia et forma hujus Sacramenti quaestio instituitur. Disceptatur autem potissimum circa materiam, qua inventa, facilius est formam determinare, quae materiam quodam modo sequitur. Cum enim viderent Theologi, in quibusdam Scripturae locis de sola impositione manuum mentionem fieri; multos vero sequentium aetatum auctores potiorem Sacramenti partem, si non integrum Sacramentum, in Chrismatis unctione collocare; non parum in enodandis his et explicandis difficultatibus laborarunt, variasque inierunt vias, ut adversariorum argumentis occurrerent, et discrepantia testimonia conciliarent. Inde illae quaestiones ortae sunt: An Chrisma solum sit essentialis Confirmationis materia? An sola manuum impositio? An utraque ad essentiam Sacramenti aeque pertineat? Item, quae manuum impositio hic intelligi debeat? An ea, quae unctionem antecedit, et quam facit Episcopus, cum extensa manu orationem fundit? An ea, per quam ipsa unctio perficitur?

II. Pro sola manuum impositione, et quidem illa quae unctionem praecedit, pugnant *Sirmondus*, insignis e Societ. Jesu Theolog.; *Habertus*, Vabrensis Episcopus; *Sambovius*, Doctor Sorbonicus, etc. *Estius* econtra et ex recentioribus plurimi solam unctionem necessariam esse contendunt. Sunt plurimi qui utrumque conjungunt, et materiam essentialem tum in impositione manuum, tum in unctione Chrismatis constituunt: quod iterum non omnes eodem modo explicant. Alii per impositionem manuum illam intelligunt, quae fit ab initio extensis manibus: alii secundam sufficere contendunt, quae est cum unctione conjuncta. Haec doctiss. *Bellarmini* sententia fuit: hanc illustr. de *Marca*, *Natal. Alex.* aliique non pauci tuentur. Qua ratione autem quisque sua sententia ad complanandas difficultates utatur, melius adhuc ex mox dicendis patebit.

III. Uti materia Sacramenti, sic forma duplex distingui potest, essentialis nimirum et integralis. Non levis controversia est, quaenam sit necessaria forma Confirmationis; an oratio quae manuum impositionem comitatur, an ea verborum forma, quae cum ipsa unctione conjuncta est? Orationem in Confirmatione semper adhibuit Ecclesia tum Graeca tum Latina. Qui in hac ora-

tione formam Sacramenti constituunt, illo imprimis nituntur Scripturae loco Actor. VIII.: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum..... Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Si, inquiunt, S. Thomas ex illis Jacobi Apostoli verbis: *Orent super eum, ... et oratio fidei salvabit infirmum*, recte colligit, formam Extremae Unctionis esse deprecatoriam: aequo jure formam Confirmationis in oratione positam esse, ex Actib. Apost. ostenditur. In ipsa unctione Latini hac forma utuntur: *Signo te signo crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Apud Graecos prima de verbis unctioni annexis mentio occurrit in Concil. Cp. I. ubi haec formula praescribitur, qua hodiedum adhuc Graeci utuntur: *Signaculum doni Spiritus sancti.* Plura circa materiam et formam hujus Sacramenti legi possunt apud insigniores Theologos *Bellarm.*, *Tournel.* ejusq. continuatorem, item apud *Selvaggio*, et doctiss. D. Brenner, geſchichtliche Darſtellung ꝛc.

PROPOSITIO I.

Sacram unctionem ad materiam Confirmationis essentialem pertinere, extra dubium est.

Probat. A primis nascentis fidei temporibus Ecclesia utraque, Orientalis et Occidentalis, Chrismatis unctionem in Confirmationis administratione adhibuit. Atqui ... *quod universa tenet Ecclesia*, ait *Augustinus* [a], *nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.* Ergo etc.

Major Propositio innumeris tum Graecorum, tum Latinorum testimoniis probari potest. Unctionem memorant antiquissimi Patres: eam praescribunt omnes rituales libri. Vide, quae ab initio hujus capitis indicata sunt Patrum testimonia, ubi Sacramentum Confirmationis vocatur *Chrisma salutis, Sacramentum Chrismatis, Signaculum vitae aeternae, Sigillum spiritualis unguenti, Unguentum regale* etc. Sic *Tertullianus* de Bapt. cap. VII. ait: *Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione. In nobis carnaliter currit*

a) Lib. de Bapt. cap. XXIV.

unctio, sed spiritualiter proficit. Sic *Cyrillus Jerosolym.* Catech. III.: *Vobis, postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est Chrisma, quod imaginem gerit illius quo unctus est Christus: hoc autem est Spiritus sanctus. Innocentius* I., epist. ad Decentium, expresse unctionem, quae fit in vertice, et ad ritus Baptismi pertinet, ab ea distinguit, quae in fronte datur ab Episcopo *a)*.

Hanc constantem Ecclesiae doctrinam confirmat decretum Eugenii IV. de unione Armenorum, ubi de Sacramento Confirmationis loquens ait: *Cujus materia est Chrisma confectum ex oleo et balsamo, per Episcopum benedictum.* Item *Concil. Trid.* Sess. VII. Can. II. ubi anathema dicit in eos, qui dicunt, *injurios esse Spiritui sancto, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt.*

PROPOSITIO II.

Probabile est, impositionem manuum ad necessariam Confirmationis materiam pertinere.

Probatur I. Nota sunt Scripturae sacrae testimonia priore §. relata ex Actor. VIII. et XIV., quae vetustissimi Patres de Sacramento Confirmationis sunt interpretati. In illis autem locis propria hujus Sacramenti gratia impositioni manuum tribuitur.

Probat. II. Haec quoque veteris Ecclesiae praxis, haec Patrum tum Graecorum, tum Latinorum doctrina fuit; qui, sicut Confirmationem Chrismatis Sacramentum vocant, ita eam unum quid esse dicunt cum manuum impositione. Plura Patrum testimonia jam supra citavimus; quibus addimus haec pauca. *Tertull.* de Bapt. cap. VIII.: *Dehinc manus imponitur per benedictionem, advocans et invitans Spiritum sanctum.* In eamdem sententiam citari possent *Hieronymus, Augustinus, Isidorus Hispalensis, Gregorius Magnus* in suo Sacramentario, *Ordo Romanus* etc. Neque apud Graecos hic ritus inusitatus fuit, idque Theologi multis eorum testimoniis comprobant. Vide *Tournel., Selvaggium* etc. Inter alios S. *Chrysostomus* Homil. XVIII. in Actus

a) Vide supra de Sacram. Bapt.

Apostol. de manuum impositione loquens Actorum VIII. ait: *Hoc erat in Apostolis singulare: unde τοὺς κορυφαίους, Episcopos, et non alios videmus hoc facere.*

Patet ergo, non adeo certam esse illorum sententiam, qui docent, Apostolos initio quidem per solam impositionem manuum dedisse Spiritum sanctum; at postea ab ipsis Chrismatis unctionem ita in locum impositionis manuum fuisse subrogatam, ut haec cessaret esse Confirmationis materia essentialis.

PROPOSITIO III.

Ad formam Confirmationis certe pertinent verba, quae Chrismatis unctionem comitantur. An etiam oratio manuum impositioni adjuncta ad necessariam Sacramenti formam pertineat, adeo certum non est.

Probat. I. pars ex Decreto Eugenii IV. ad Armenos, ubi docet Confirmationis hanc esse formam: *Signo te signo crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Ab hac quoad substantiam non differt Ordo Romanus, in quo haec forma praescribitur: *Confirmo te, in nomine Patris* etc. Quae in aliis antiquioribus Sacramentariis reperiuntur unctioni adjuncta, in verbis quidem discrepant, sed formae essentiam retinent.

Probat. II. pars. Inter diversas et pugnantes eruditorum sententias difficile est aliquid in hac parte definire. Multi contendunt, solam formam, quae cum unctione conjuncta est, essentialem esse, ac valere Sacramentum, etiam praetermissa oratione: alii vel in sola hac oratione formam constituunt, aut eam certe partem esse dicunt non integrantem, sed necessariam Sacramenti. Innituntur autem tum verbis Scripturae Actor. VIII., tum multis antiquorum testimoniis, quae nulla facta mentione verborum, quae unctionem comitantur, de sola oratione, vel, ut eam vocant, invocatione Spiritus sancti loquuntur. Sed ex recentioribus etiam Sacramentariis et ritualibus libris, qui unctioni aliquam verborum formam adjiciunt, nullus est, qui non simul deprecationis, seu invocationis formulam praescribat.

Respondetur obloquentibus a dextris et a sinistris.

Objiciunt contra I. propositionem. In Scripturis nullum occurrit unctionis vestigium; sed unius manus impositionis fit mentio. Ergo vel sola impositio est materia essentialis; vel dicendum, Scripturae loca ad Sacramentum Confirmationis non pertinere.

Resp. I. Non desunt Scripturae testimonia, quae unctionis mentionem faciunt: et quamvis ea contra haereticos, qui cavillandi occasionem undequaque arripiunt, urgeri non possint: multum tamen valere debent ad convincendos Catholicos, imprimis cum Traditione et Patrum auctoritate conjuncta. II ad Cor. I. v. 21. legitur: *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Hunc locum de Confirmatione interpretantur *Ambros. a)*, *Chrysostom.* et *Theodoretus* in hunc locum. Habes autem in citato textu, et nomen Sacramenti *(qui confirmat nos)*; et materiam *(qui unxit nos)*; et modum ungendi per signum crucis *(et signavit nos)*; et effectum Sacramenti principalem *(dedit pignus Spiritus in cordibus nostris)*. His addunt Theologi verba *Joannis* Epist. I. cap. II. v. 27.: *Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis...* quae de Confirmationis Sacramento exponunt S. *Cyrillus Jerosolym. b)* et S. *Augustinus* in hunc locum.

Resp. II. nego conseq. Multiplex est Theologorum responsio. Primum quidem ferenda non est illorum sententia, qui olim docuerunt, Apostolos sine visibili Sacramento aliquando dedisse Spiritum sanctum, illamque manuum impositionem, de qua Actor. VIII. et XIX. mentio est, verum Confirmationis Sacramentum non fuisse. Alii melius respondent, Christum, cum hoc Sacramentum instituit, in Apostolorum et Ecclesiae potestate reliquisse, pro materia, prout res postulare videretur, adhibere vel solam manuum impositionem, vel unctionem, vel utramque simul. Ita inter alios *Estius*, et Concil. Mogunt. anno 1549 cap. XVIII. Haec sententia, quae aequo jure potest ad formam Sacramenti extendi, valde commoda est, et componendis dissidiis aptissima.

Sunt tamen multo plures, qui contendunt unctionem necessariam esse, et semper fuisse Confirmationis materiam, neque

a) Lib. de his qui initiantur cap. VII. *b)* Catech. mystagog. III.

valere argumentum ex Scripturae silentio deductum. Constat enim, in Scripturis res saepe breviter et compendio designari, et ex una parte reliquas intelligi debere. Id etiam Patribus familiare est; et quemadmodum illi, qui chrismationem tantum commemorant, non propterea manuum impositionem ut minus necessariam existimant: ita nec vicissim, si manuum impositionis tantum meminerint, chrismationem ab hoc Sacramento excludunt. Fundamentum assertionis nostrae in verbo Dei tradito positum est. Christum unctionem praecepisse constat ex eo, quod Apostoli eam usurpaverint: Apostolos eam usurpasse ex eo certum est, quod Ecclesiae Apostolicae eam a primis saeculis habuerint. *Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit* ... ut loquitur *Tertullianus* de praescript.

Instant. *Concil. Arausic.* I. anni 441, Can. II. non obscure indicat, unctionem necessariam non esse in Sacramento Confirmationis, neque faciendam, nisi forsan omissa fuisset baptismalis chrismatio. *Quia inter nos*, inquit, *placuit semel chrismari. De eo autem, qui in Baptismate, quacunque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet Chrismatis ipsius non nisi una benedictio est: non ut praejudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio.*

Resp. De hujus Canonis sensu gravis olim concertatio fuit inter Theologos, imprimis *Sirmondum* et *Petrum Aurelium*. Primus, qui unctionis necessitatem in Confirmatione impugnavit, ultimum Canonis comma legit cum negatione adjecta: *Ut non necessaria habeatur repetita chrismatio.* Alter omissa negatione legendum putat: *Ut necessaria habeatur* etc. *Aurelii* sententiae favet *Gratianus* de Consecr. Dist. IV. Can. *nullus*, et vulgatae pene omnes editiones. Quis porro argumentum elicere poterit ex Canone, cujus et sensus obscurus est, et lectio incerta? *Sirmondi* sententia, quam longius exponere superfluum ducimus, multis innititur falsis. Quorum id praecipuum, quod unam tantum chrismationem, eamque frontis a Patribus Arausicanis agnitam fuisse contendat; hanc autem dicat ad Confirmationem nullatenus pertinuisse, sed meram fuisse Baptismi caeremoniam. Hoc Sirmondi commentum repugnat temporum illorum disciplinae, et

Decreto *Innocentii* I. quod supra citatum est *a)*. An forsan Decretum illud, 26 annis ante Arausicanam Synodum emissum, Gallicanos Praesules fugiebat?

Objiciunt contra II. proposition. *Eugenius* IV. in Decreto ad Armenos solum Chrisma, tanquam Confirmationis materiam assignat: imo post laudatum locum ex Actibus Apost. cap. VIII. sic pergit: *Loco autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio.* Et *Innocent.* III. cap.: *Cum venissent*, Decretal. lib. I. tit. XV. ita ait: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur Confirmatio.* Ergo manus impositio ad materiam Confirmationis nihil pertinet, vel nunc penitus est exoleta, atque in illius locum sacra unctio successit.

Respondet *Bellarminus b)*: «Non omnia quae habentur in «decretis aut Conciliis ad fidem pertinere; sed solum ea, quae de«finiuntur: hoc autem de quo agimus non definitur, sed tantum «obiter dicitur ad rem explicandam.» Deinde non aliud docent hi Pontifices, quam idipsum quod ab omnibus conceditur, illud nempe Sacramentum, quod olim manus impositio dicebatur, nunc Confirmationem appellari. Cum autem *Eugenii* Decretum unctionem pro materia Confirmationis assignat, non excludit manus impositionem; quemadmodum, cum materiam Ordinis in instrumentorum porrectione constituit, nemo exinde inferre potest, hanc solam esse Sacramenti Ordinis materiam, cum plures Theologi eam ne inter essentialia quidem numerent.

Instant. Certum est, Graecos validum semper habuisse, et etiamnum habere Sacramentum Confirmationis; nunquam enim Latini litem illis moverunt circa caput istud: atqui a Graecis manus impositio nunquam fuit usurpata; neque de ea mentio habetur in libris eorum ritualibus, ut *Goarius* testatur *c)*. Ergo etc.

Resp. 1.° Falsum est, veteres Graecos manuum impositionem non habuisse; contrarium patet ex *Chrysostomo*, *Theodoreto*, *Gennadio* etc. Adhuc saeculo XIII. *Michaël Palaeologus* et Episcopi Orientales in Epist. ad Gregor. X., relata in Concilio Lugdunensi II. anni 1274 ita profitentur: *Aliud est Sacramentum*

---

a) De caerem. Bapt. *b)* De Sacram. Confirm. lib. IX. *c)* In notis ad Euchol. Graec.

Confirmationis, quod per impositionem manuum Episcopi conferunt, chrismando renatos.

2.° Quantum ad Graecos posteriores, reponunt quidam, Sacramentum apud illos legitime perfici per solam unctionem, cum adjuncta forma; pro data nempe Ecclesiae facultate, vel utramque partem, vel alterutram pro temporis opportunitate usurpandi, ut supra observatum est.

3.° Quamvis hodie in Graecorum ritualibus libris nulla occurrat manuum impositio separata et distincta, continent tamen orationem, quae unctioni praemittitur, hanc autem manuum impositio antiquo more comitatur. Nullam enim sacramentalem orationem, nisi manibus elevatis et extensis apud Graecos fundi jam adnotarunt viri eruditi, ac praesertim *Renaudotius*. In Constitut. Apost. lib. VIII. cap. XXXVII. oratio quaedam mane super populum ab Episcopo recitata dicitur: *Impositio manus matutina.* Huc et illud S. Augustini referri potest *a): Quid est manus impositio, nisi oratio super hominem?*

4.° Demum, etsi concedamus, apud Graecos recentiores nullam adhiberi manus impositionem, tempore vel natura distinctam ab unctione: saltem in ipsamet unctione, quae manu fit, quaedam includitur manus impositio, quae a multis, una cum unctione, pro essentiali Sacramenti materia habetur. Scimus equidem hanc sententiam non omnibus arridere, et Sirmondum prae caeteris pronuntiasse, nihil hac opinione ridiculum magis et absurdum fingi posse: at pace tanti viri dixerim, non omnibus rem ita videri. Vide *Bellarm.* de Confirm. cap. IV. *Natal. Alex.* saecul. II. Diss. X. etc. Ita habet *Natalis* loco cit.: «Quamvis prioribus saeculis Chrisma et manus impositio actione duplici adhiberentur; ad octavum tamen chrismatio et manus impositio contractae sunt. Unde scriptores ecclesiastici medii aevi non dicunt unctionem et manus impositionem in Confirmatione exhiberi, sed unctionem manus impositione, et manus impositionem unctione. Sic *Beda* in Ps. XXIX.: *Illa unctio quae per manus impositionem ab Episcopo fit, et vulgo Confirmatio dicitur. Rabanus Maur.* lib. I. de institut. Cleric. cap. XXVIII.: *Episcopus baptizatum per manus impositionem cum ipso Chrismate consignat.*

---

a) Lib. III. de Bapt. cap. XVI.

« ... *Ivo Carnot.* de convenient. V. et N. T.: *Per manus impo-*
« *sitionem sacro Chrismate confirmantur* etc.»

Interim illorum sententia, qui primam manuum impositionem vel solam, vel certe una cum unctione Chrismatis, ut necessariam materiam Sacramenti assignant, non potest omnino negligi, aut tanquam omni probabilitate destituta repudiari; et male utique ageret Episcopus, qui ad unctionem Chrismatis eos admitteret, qui primae manus impositioni non adfuerunt. « In Sacramentis « quippe administrandis et percipiendis, ait doctiss. *Tournel. a)*, « nihil plane eorum quae observat et mandat Ecclesia omitti de- « bet; maxime quando, nulla praelucente Ecclesiae definitione, « dubia est et controversa inter Theologos Sacramenti alicujus « materia vel forma.»

Objiciunt contra III. proposit. Mira est, cum de Confirmationis forma agitur, inter Catholicos opinionum confusio; et cum alii orationem, quae Chrismatis unctionem praecedit, formae rationem habere negent; alii autem verba, quae unctionem comitantur, ad Sacramenti essentiam non pertinere affirment, vix intelligitur quae huic Sacramento forma maneat.

Resp. Falsa est haec argumentandi ratio. Nemo enim est qui non aliquam formam Sacramento assignet. Qui materiam Confirmationis essentialem in ipsa chrismatione constituunt, solam legitimam et necessariam formam hanc esse putant: *Signo te signo crucis* etc. Qui autem manuum impositionem materiae loco habent, ii orationem, quae tum funditur, vim formae habere contendunt. Porro qui duplicem materiam admittunt, utrumque dicunt ad integram Sacramenti formam requiri, et invocationem unctioni praeviam, et verba unctionem comitantia; quamvis illa oratio, qua ante chrismationem Spiritus sanctus invocatur, tunc adhuc posset ad formam et essentiam Sacramenti pertinere, si materia in sola unctione constitueretur, aut certe in illa impositione manus quae cum unctione conjuncta est.

Inst. Orationis, aut formae deprecatoriae, Veteres omnes meminerunt, eaque in Scripturis clare expressa est: at formae, quam hodie Latini cum unctione conjungunt, nullum extat in

---

a) De Confirm. q. I. art. III.

tota antiquitate vestigium. Ergo illa sola ut essentialis habenda est; haec autem pars tantum integralis erit Sacramenti.

Resp. Non diffitemur, formae deprecatoriae, aut orationis, tum in Scripturis, tum in SS. Patribus expressam haberi mentionem. Id quoque certum est, eam constanter fuisse ad haec usque tempora non a Latinis solum, sed etiam a Graecis usurpatam, qui in verbis invocationis multo magis cum Latinis conveniunt, quam in forma unctionis. Verum probandum esset, Graecos et Latinos illam S. Spiritus invocationem tanquam partem Sacramenti necessariam adhibuisse, et non ut orationem aliquam praeviam, quales plurimae in Sacramentorum administratione adhibentur: probandum esset Confirmationis formam ita fuisse a Christo in specie determinatam, ut non liberum Ecclesiae relictum fuerit eam, prout res postulare videretur, immutare: probandum esset hanc Latinorum formam: *Signo te signo crucis* etc., non posse pro oratione haberi; siquidem, ut ait *Bellarminus a)*, « formae Sacramentorum passim a Patribus di- « cuntur preces mysticae, licet interdum proferantur per ver- « bum indicantis: nam semper a Deo expectatur et petitur « principalis operatio in Sacramentis. »

Illud quod secundo loco affertur argumentum, majoris videtur esse difficultatis; atque in eo vim magnam collocant ii, qui nobis in hac parte adversantur. « Per septem priora saecula, ait « *Selvaggio b)*, ne vola quidem aut vestigium certae cujusdam « formulae, quae apud Occidentales unctionem comitaretur, pror- « sus apparet. » Sed respondent alii, semper ea forma datum fuisse Sacramentum, quae nunc ab Ecclesia usurpatur. « Quod « semper fuerit in usu (forma haec), ait *Maldonat. c)*, argu- « mento est, quod origo nusquam reperiatur. Certe Ambrosius, « lib. de iis qui mysteriis initiantur, cap. VII. ad formam allu- « sit, sicut saepe alias solet, quum dixit: *Consignavit te Deus « pater, confirmavit te Christus.* » Rationes autem, cur Patres formam expresse non posuerint, has affert *Bellarm. d)*: tum quia Sacramentorum formae Christianis notae erant, tum propter legem silentii de non evulgandis fidei mysteriis. Sic in aliqui-

---

a) De Confirm. cap. X. *b)* Antiq. lib. III. cap. VI. §. V. *c)* De Conf. quaest. II. *d)* Loco cit.

bus codicibus forma Baptismi desideratur: et in multis manuscriptis ritualibus, ubi ritus Confirmationis describitur, nulla fit mentio impositionis manuum. Vide *Martene* de antiquis Ecclesiae ritibus *a)*. Quinto adhuc saeculo *Innocent.* I. Epist. ad Decentium de Confirmatione loquens, ait: *Verba dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.*

Inst. 1.° Formulae unctionis quae in antiquis ritualibus reperiuntur, valde inter se discrepant. 2.° Graeci inter ungendum his tantum verbis utuntur: *Signaculum doni Spiritus sancti*, ubi nulla est invocatio sanctiss. Trinitatis, neque Confirmationis ipsius, aut subjecti in quo recipitur, ulla fit mentio. Ergo etc.

Resp. ad I. Etsi in Ecclesiis olim aliqua varietas fuerit in vocibus, modo maneat eadem sententia, semper conficitur Sacramentum.

Resp. ad II. Forma Graecorum antiquissima est, et satis exprimit, quae ad Sacramenti formam sunt necessaria; actionem scilicet confirmandi, et Sacramenti efficientiam. Neque illud officit, quod sensus videatur suspensus: verbum enim per ipsam actionem suppletur, ut siquis inopi stipem porrigens dicat: *En nummum.* Neque ideo rejici forma illa potest, quod tres Personae non nominentur: id enim nulla lex divina jubet, et ex Baptismate argumentum duci non potest, quia ratio discriminis satis aperta est. Per Baptismum primum Christiani efficimur, unde expresse profitenda est haec fides, quae Religionis Christianae fundamentum est; verum in Confirmatione, praesertim cum haec antiquitus statim post susceptum Baptisma daretur, eandem professionem repetere necessarium visum non est. Nota autem, apud Graecos adhuc hac aetate Confirmationem cum Baptismo conjungi.

QUAESTIONES.

I. An balsamum necessarium sit ad Confirmationis materiam?

Resp. Constat Chrisma Confirmationis esse aliquid ex oleo et balsamo mixtum. *Conficitur ex oleo*, ait *Eugenius* in Decreto,

---

a) Lib. I. cap. II. art. III.

quod nitorem conscientiae, et ex balsamo, quod odorem bonae famae significat. Verum probabile non est, admixtionem balsami ita necessariam esse, ut citra eam mixturam nullum esset Sacramentum. Nam et Patres et Concilia persaepe olei tantum meminerunt, non balsami; quin et antiqui auctores Chrismatis nomine saepe oleum simplex, non mixturam aliquam designant; ut *Optat.* lib. VI., et *Innocentius* I. qui etiam oleum infirmorum Chrisma appellat. Accedit etiam, balsamum variis modis adulterari, nec constare nobis posse an illud sit genuinum; materia porro Sacramenti aperta et omnibus nota esse debet. Hinc et illa triginta quinque aromata, quae a Graecis cum oleo miscentur, divini juris non sunt, sed ecclesiastici tantum.

II. An necessaria sit benedictio Chrismatis per Episcopum facta.

Resp. Chrisma benedici aut consecrari oportere, universae Ecclesiae constans est et perpetua Traditio. *Perungimur benedicta unctione*, ait *Tertullianus* de Bapt. et *Basilius* de Spiritu sancto cap. XXXVII.: *Benedicimus et aquam Baptismatis, et oleum unctionis.* Si autem quaeritur, an benedictio haec sit de necessitate Sacramenti, an praecepti duntaxat ecclesiastici habeat rationem, posteriorem amplectimur sententiam: nam divinae institutionis nullum satis firmum argumentum nec ex Scripturis, nec ex Traditione proferri potest. Ex his quoque perspicuum est, quod Ecclesia Presbyteris Chrismatis consecrandi potestatem facere posset: quod autem id factum non sit, constans utriusque Ecclesiae praxis demonstrat. Graeci ita hanc benedictionem Episcopis adjudicant, ut, teste *Renaudotio*, Alexandriae uni Patriarchae ea reservetur: et Cp. Patriarcha, Metropolitanis eorumque Suffraganeis stipatus, solemni pompa Chrismatis benedictionem celebret.

III. Qua parte corporis facienda sit unctio confirmatoria?

Resp. Non idem in Latina atque in Ecclesia Graeca servatur ritus. Graeci non frontem modo ungunt, sed et oculos, nares, os, pectus etc. Latini frontem tantummodo inungunt, antiquissima et constanti disciplina. Vide quae supra citata sunt ex *Innocentii* I. epist. ad Decentium.

IV. An necesse sit ut frons per modum crucis inungatur?

Resp. Signum crucis adhibent tum Orientales, tum Occidentales, atque hujus ritus post Apostolorum tempora origo assignari non potest: unde quidam putant, eum ad essentiam Sacramenti pertinere. Accedit et illud, quod haec verba formae sacramentalis — *Signo te signo crucis* — falsa essent et illusoria, nisi simul crucis figura fronti imprimeretur. Valeret utique hoc argumentum, si probari posset, haec verba — *Signo te signo crucis* — partem esse formae confirmatoriae essentialem. Quidquid sit, necessarius est ritus ille saltem necessitate praecepti ecclesiastici; ac praeterea antiquissimus, atque ad declarandum Confirmationis effectum maxime accomodatus. *Quia in fronte erubescitur*, ait *Augustinus* Psal. 141., *ille qui dixit: Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram patre meo, qui in coelis est, ipsam crucis ignominiam quodammodo, et quam pagani derident, in loco pudoris nostri constituit.* Et *Eugenius* IV. ad Armenos: *Ideo in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et praecipue crucem ejus, qui Judaeis est scandalum, gentibus autem stultitia secundum Apostolum; propter quod signo crucis signatur.* Vid. *Bellarm.*, *Tournel.*, *Catechis. Rom.*, *Natalem Alex.*, item *Selvaggio* loco jam citato, ubi etiam de caeremoniis agitur, quae in Chrismatis benedictione usurpantur.

ARTICULUS II.

De causis Confirmationis extrinsecris.

OBSERVANDA.

I. Notum est, causas Sacramentorum exteriores tres assignari: *Auctorem, Subjectum* et *Ministrum.* De causa Confirmationis effectrice primaria, seu de auctore, nihil necesse est hoc loco disserere, cum parte prima probatum fuerit, Christum Sacramenta omnia novae legis immediate et per se ipsum instituisse. Si tempus quaeritur, quo Confirmatio instituta fuerit a Christo, libenter concedimus id plane incertum esse. Nihil ex Traditione et Veterum scriptis colligi potest.

II. Circa subjectum Sacramenti quaeri potest: 1.° Quis capax sit excipiendae Confirmationis? 2.° Quae dispositiones huic Sacramento, ut par est, suscipiendo sint necessariae? 3.° Quaenam sit hujus Sacramenti necessitas? Pauca de his et veluti in transitu dicemus; nam quae ad fidei dominium spectant, ea clara sunt et obvia: reliqua ad disciplinam Ecclesiae pertinent et curam pastoralis officii. Primum quidem constat, nonnisi baptizatum idoneum hujus Sacramenti subjectum esse; cum utique nasci ante oporteat, quam augeri et roborari. Baptizatos autem nulla etiam infantilis aetas a Confirmatione excludit. Hodie adhuc apud Graecos mos est, ut infantes statim post Baptisma sacra unctione perficiantur; neque alia erat Ecclesiae latinae consuetudo per duodecim saecula. Quando in minoribus urbibus, ut S. *Hieronym.* narrat *a)*, Baptisma a Presbyteris aut Diaconis conferebatur, Episcopus post Pascha ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrebat. Ex quo id saltem sequitur, quod Sacramentum hoc etiam hodie posset infantibus administrari; et Episcopus, qui morituris infantibus illud conferret, adeo non esset reprehendendus, ut laudem potius hinc magnam mereretur. *Etiam morituris*, ait S. Thomas *b)*, *hoc Sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant, secundum illud ad Ephes. IV., donec occurramus in virum perfectum.*

Quando in Occidentali Ecclesia mos Confirmationem simul cum Baptismate conferendi abolevit, variis tamen Synodorum statutis consultum est, ne longius, quam par est, a Baptismo distraheretur. An septimus, an duodecimus annus aetatis sit expectandus, id ab uniuscujusque Ecclesiae consuetudine pendet. Nobis, si licet quae sentimus adjicere, valde illorum sententia probatur, qui annum duodecimum praescribunt, quo tempore pueri ad primam communionem recipiuntur. Catechismus Rom. in hanc sententiam propendet. Nam si merito tempus discretionis expectatur, quo pueri fidem libera mente profiteri, et rite se ad capienda coelestia dona praeparare possint, minus congrua videtur septennaria aetas, in qua peccandi facultas plerumque supponi potest, at raro ea discretio et ingenii maturitas, quae ad recipiendum digne Poenitentiae Sacramentum requiritur: unde

---

a) Dial. adv. Lucif. cap. IV. *b)* Part. III. q. LXXII. art. VIII.

saepe anxius haeret animarum Pastor ex una parte, ne puer cum inquinata conscientia accedens Spiritui sancto contumeliam faciat; ex altera, ne dispositiones desint ad absolutionem requisitae. His ut obviam eatur, et simul inconsultis, quibus Pastores plerumque vexantur, parentum postulationibus; in multis dioecesibus statutum est, ut nullus, nisi peracta prima communione, ad Confirmationis Sacramentum admitteretur.

III. Eos qui adulta jam aetate confirmandi sunt, si hujus Sacramenti gratiam et dona consequi cupiant, « non solum fidem « et pietatem afferre, sed graviora etiam peccata, quae admise- « runt, dolere oportet. Qua in re elaborandum est, ut peccata « etiam prius confiteantur, et Pastorum cohortatione ad jejunia « et alia pietatis opera suscipienda incitentur.» Ita *Catechis. Rom.* Confirmatio in numero illorum Sacramentorum est, quae *vivorum* nominantur: quomodo autem gratiae augmentum aut ejus plenitudinem consequi potest, qui primam gratiam, qua vita animae infunditur, non habet? An non potius gravi sese obstringit scelere, et Sacramento magnam infert injuriam, qui impurus accedit? Idem Catechism. valde laudat et commendat antiquam Ecclesiae consuetudinem, quae usque ad duodecimum saeculum duravit, ut nonnisi jejuni hoc Sacramentum susciperent.

IV. De necessitate quoque hujus Sacramenti disputatum est inter Theologos. An necessarium sit saltem ex praecepto? An gravis culpae reum se faciat, qui illud negligit? En verba *Catechism. Rom.* « Illud imprimis docendum est, hoc Sacramentum « ejusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse « non possit: quamquam vero necessarium non est, a nemine « tamen praetermitti debet; sed potius maxime cavendum, ne « in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam « large impertiuntur, aliqua negligentia committatur: quod enim « omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab « omnibus etiam summo studio expetendum est. . . . » Adeoque absque haesitatione statui potest, hoc Sacramentum, quamvis necessarium non sit necessitate medii, ut vocant, tamen necessarium esse ex praecepto tum divino, tum ecclesiastico; ac gravis negligentiae reum se faceret, qui dum illius copia adest, illud suscipere contemneret. Atque, cum Christus Sacramentum Confirmationis ad eum finem instituerit, ut praemunirentur fideles

contra tentationes adversus fidem; sequitur, magis urgere hujus Sacramenti percipiendi mandatum, cum amittendae aut negandae fidei pericula instant. Tunc quippe, si non adest Episcopus, qui hoc Sacramentum dispenset, illud in voto saltem suscipere oportet.

V. Nunc illud expositione indiget paulo uberiore, quis hujus Sacramenti minister sit. Parum hic curare debemus Novatorum convitia et pueriles cavillationes. Nam non tantum discrimen omne tollunt inter Episcopos et Presbyteros, sed etiam inter plebem et ministros; et Sacramentum ipsum Confirmationis irridenti. Hinc, quando Calvinus consuetudinem Ecclesiae, qua Episcopi tantum hoc Sacramentum administrant, suo more sugillans ait *a)*: «Digni sunt cornuti infulatique asini tali praerogativa,» haec ex improbi cordis thesauro profert scurrilis homo. Nobis, quae Catholicae Ecclesiae doctrina sit, inquirendum, et difficultates quaedam, quae in hac re occurrunt, enodandae. Primum consentiens omnium opinio est, solum Episcopum ministrum esse ordinarium hujus Sacramenti. Deinde quaeritur, utrum simplex Presbyter possit ex delegatione, et tanquam minister extraordinarius, hoc Sacramentum valide conferre. Hac de re contentio est inter Theologos. Id quidem negant aliqui, alii autem multo plures affirmant. Ita S. *Thomas*, *Bellarm.*, *Maldonat.*, *Tournel.* etc., et haec sententia jam videtur esse communior.

PROPOSITIO.

Solus Episcopus ordinarius Confirmationis minister est: at valde probabile est, simplicem Presbyterum, extra ordinem et ex delegatione, hoc Sacramentum administrare posse.

Probat. I. pars. Haec pars assertionis a Concilio Trident. ut fidei dogma sancita est, Sess. VII. Can. III. de Confirm.: *Siquis dixerit, sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Pontificem, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

Hanc doctrinam hausit Synodus ex perpetua Ecclesiae consuetudine, ab Apostolorum usque temporibus ducta.

---

a) In Antidoto Conc. Trident.

Hanc continent loca illa, quae ex Actis Apostolorum protulimus, tum et veterum Patrum, Conciliorum et Summorum Pontificum testimonia. Sic *Innocentius* I. epist. ad Decentium ait: *Haec Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum.* Sic et *Chrysostomus* in cap. VIII. Actuum Apostol.: *Hoc erat Apostolis singulare; unde et praecipuos et non alios videmus hoc facere.* Mitto *Hieronymum* Dialogo adversus Luciferianos, loco jam citato; et Concilii *Eliberitani* decreta Can. XXXVIII. et LXXVII., ubi jubet Concilium, baptizatos a Laicis aut Diaconis ad *Episcopum* duci, *ut per impositionem manuum et benedictionem eos perficiat.*

Probat. II. pars. Praecipuum hujus partis argumentum desumitur ex praxi Ecclesiae Graecae. Nam Graecorum Presbyteri solent consignare unctione confirmatoria; nec tamen Latini, cum de unione restituenda quaestio fuit, unquam illis objecerunt, quod nullum haberent Confirmationis Sacramentum. Vide *Goarium*, in notis ad Eucholog.

Habentur etiam Latinorum expressa testimonia. 1.° *Gregorius Magnus*, cum Sardiniae Episcopis primum vetasset (Epist. IX.), ne in fronte deinceps consignent; postmodum, cum accepisset, multos fuisse ex hac prohibitione offensos, id concessit, Epist. XXVI. rescribens: *Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiae nostrae fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos ungere debeant, concedimus.* Hoc argumentum nulla videtur tergiversatione posse eludi. Nam vera non est interpretatio eorum, qui legendum putant *baptizandos* loco *baptizatos.* Ut quid enim Summus Pontifex tanquam novum et inusitatum concessisset Presbyteris, ut eos, qui baptizandi erant, in fronte signarent? An forsan illud novum erat, ut Presbyteri signum crucis darent catechumenis? Deinde id concessit eo loco, quod prohibuerat Epist. IX.; ibi autem prohibuit, *ne Presbyteri baptizatos infantes signare sacro Chrismate in frontibus praesumant.* Ergo, ne confirmarent.

2.° Eo ipso tempore, quo pax cum Graecis inita fuerat in Concilio Florentino, *Eugenius* IV. Decretum edidit ad Armenos, quod a Patribus Latinis, qui tum adhuc Florentiae congregati erant, probatum fuit. In eo Decreto Summus Pontifex, postquam dixerat, solum Episcopum ordinarium Confirmationis ministrum esse, statim addit: *Legitur tamen, aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.*

3.° Canon ipse *Concilii Trident.* de Confirmat. cum decernit solum Episcopum ordinarium ministrum esse, an non satis clare indicat, posse extraordinaria potestate idem fieri a Presbytero?

4.° Confirmatur demum haec sententia ex variis diplomatibus Romanorum Pontificum, qui Presbyteris confirmandi licentiam dederunt. Illud de Missionariis apud Brasilianos testatur P. *Fonseca* S. J. Idem pluribus Franciscanis concessum fuisse *Wadingus* in Annalibus Fratrum Min. refert. Vid. *Arcudium* lib. II. de Confirmatione.

CONTRARIA DILUUNTUR.

Opponunt contra I. propositionis partem. 1.° *Ananias*, qui nec Presbyter, nec Episcopus erat, Act. IX. manus imposuit Paulo, ut impleretur Spiritu sancto. 2.° S. *Hieronymus* Ep. ad Evagrium ait: *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus quod Presbyter non faciat?* 3.° Apud Graecos Presbyteri propria et ordinaria potestate Sacramentum Confirmationis dispensant. Ergo etc.

Resp. ad I. Nescio unde id habeant adversarii, quod Ananias nec Presbyter fuerit, neque Episcopus. Sed quidquid sit, illa manus impositio non fuit confirmatoria, cum Baptismum praecesserit; sed ideo facta fuit ut Paulus visum reciperet. Neque illud obest quod dicitur: *Ut videas, et implearis Spiritu sancto.* Nam Ananias his verbis simul finem proximum et remotum sui adventus exponit. Finis proximus erat curatio a caecitate, remotus autem perfecta justificatio et infusio Spiritus sancti, quam paulo post consecutus est Paulus per Baptismum. Ita *Bellarm.*

Resp. ad II. Sensus S. Hieronymi est, nihil esse etiam episcopalis ordinis, quod Presbyter non possit ex delegatione facere, excepta ordinatione: aut illa verba usitato et recepto loquendi modo ita intelligenda sunt, quod pene omnium Sacramentorum administratio sit Episcopis et Presbyteris communis. Confirmationem ut Episcopis propriam excipit in Dial. adversus Luciferianos.

Resp. ad III. Concedimus, quod in Ecclesia Graeca adhuc hodiedum ea consuetudo obtineat, ut simplices Sacerdotes statim post Baptismum confirment. Neque legimus, Ecclesiam in Concilio Florentino nullum et irritum declarasse istud Sacramentum; ex quo illud tantum inferre licet, ut *Goarius* observat, Graecos Presbyteros ex potestate delegata et extraordinaria Confirmationem administrare, accedente tacito saltem Ecclesiae Romanae consensu. Illis autem, qui cum Photio aliisque schismaticis, Presbyteris ordinariam confirmandi potestatem attribuerunt, semper se opposuerunt Rom. Pontifices. Vid. *Tournel.* de ministro Confirm.

Instat Dallaeus. A Christi instituto alienum est ut soli Episcopi Confirmationem administrent, cum caetera Sacramenta necessitate et dignitate potiora, ut Baptisma et Eucharistia, a quolibet Presbytero confici possint. Deinde Episcopi plerumque magnis Dioecesibus praesunt, ac gentes integrae sine ullis Episcopis agunt; quo fit ut ingens hominum multitudo necessario omni eo careat spirituali praesidio, quod huic Sacramento tribuitur. Unde apertum est, Confirmationis ritum apud Catholicos potius Episcoporum honori atque dignitati, quam plebis saluti atque usui fuisse inventum.

Resp. Non satis est calumniari et sanctissima Religionis instituta maledictis impetere. Ostendendum esset, quo primum tempore inventa sit Confirmatio ad Episcoporum ostentationem et honorem; cum sancti Patres et antiquissima Concilia illius rei notissimae meminerint: his autem Apostoli ipsi facem praetulerint. Quod additur, reliqua Sacramenta a Presbyteris administrari, hoc primum falsum est, non enim Presbyteri ordinationem conferunt: deinde in rebus hujusmodi omnia a Christi voluntate pendent, quam ex Scripturis et constanti Traditione colligit Ecclesia. Qui aliter ageret, omnia in summam confusionem addu-

ceret; pari enim jure concludere liceret, etiam laicos confirmare posse, quemadmodum possunt baptizare: imo simplices Sacerdotes, qui ordinarii Baptismi ministri sunt, etiam posse ordinare Presbyteros etc.; quo quid absurdius?

Neque illa valet consequentiae praescriptio: in provinciis quibusdam desunt Episcopi, aut diffusiores sunt Dioeceses, quam ut omnibus hoc Sacramentum administrare possit solus Episcopus. Persuasum nobis est, multa posse Episcopum quem zelus animarum exstimulat; atque merito haec Episcoporum curae ac vigilantiae permittimus. Notandum praeterea, hoc Sacramentum non esse absolutae necessitatis, neque urgere praeceptum illud suscipiendi, cum deest occasio. Tum enim illius percipiendi votum plane sufficit.

Opponunt contra II. prop. partem. Episcopus auctoritatem confirmandi non potest habere, nisi vi Ordinationis; ergo non potest ea committi Presbyteris; nam quae Ordinationis propria sunt, non committuntur.

Probat. ant. Si ad Ordinem non pertineret illa auctoritas, ergo esset jurisdictionis opus: verum ex hoc absurda plurima sequerentur. Sequeretur nempe, auctoritatem confirmandi etiam aliis quam Presbyteris committi posse, quemadmodum committi potest auctoritas excommunicandi: sequeretur, Episcopo nondum consecrato confirmare ex officio fas esse, ubi a summo Pontifice ejus electio confirmata fuit etc.

Respondent Theol. Confirmationis administrationem ad potestatem Ordinis omnino pertinere; sic tamen ut Episcopus sit minister ordinarius ex jure divino, Presbyter vero extraordinarius ex speciali mandato. Unde nec sola jurisdictio sufficit, nec solus Presbyteri character. Id est: potestas confirmandi a Summo Pontifice alicui committi potest qui non est Episcopus, at non pro libitu; sed requiritur, ut, qui delegatur, sacerdotali charactere sit insignitus. Atque hoc ex perpetua Ecclesiae Traditione colligitur, quae optima est divini juris interpres. Sic potestas remittendi peccata a jurisdictione pendet; hujus autem jurisdictionis capax non est, qui Ordinem non habet sacerdotalem. Unde forsan et illud dici potest: Presbyteros potestatem aliquam confirmandi baptizatos vi Ordinis habere, sed imperfectam et radica-

lem tantum; aut eos per Ordinationem capaces effici, ut possint ab Ecclesia ad hoc munus deputari.

ARTICULUS III.

De effectis Confirmationis.

Duplex, ut Baptismi, sic Confirmationis effectus est: unus primarius, nempe gratia sanctificans, et huic Sacramento propria; alter secundarius, character nimirum, et velut nota Christianae militiae.

§. I.

De primo Confirmationis effectu, qui est gratia.

OBSERVANDA.

I. In Confirmatione infunditur gratia sanctificans, non ea quae vitam tribuit per peccatum amissam; sed quae datam auget et perficit, et ideo secunda gratia dicitur. Praeter hunc effectum, qui Sacramentis vivorum communis est, singula Sacramenta propriam aliquam et peculiarem gratiam conferunt, ut prima Parte ostensum est. Propria autem Confirmationis gratia est, quod homini virtutem infundat, et robur ad fidem fortiter profitendam, et dura quaeque pro Christi nomine perferenda. Quod Apostolorum exemplo ostenditur, quibus Christus in coelum ascensurus dixit Lucae XXIV.: *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Haec gratia a Scriptoribus ecclesiasticis ideo vocatur gratia *perfectionis* et *consummationis*, ad discrimen gratiae baptismalis, quae spiritualis infantiae est. Juxta illud I Petri II.: *Quasi modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Ex ipso nomine* (Confirmationis) *apparet*, ait *S. Thomas a), hoc Sacramentum dari, ad confirmandum quod prius invenerit.* Eadem ratione vocatur gratia roborans et confortans. Ita S. *Cyrillus Jerosolym.*, Catech. III. mystag.: *Post sacrum Baptisma et Chrisma mysticum, induti armis Spiritus sancti, adversus oppositam vobis potestatem praeliamini dicentes: Omnia possum in eo, qui me confortat,*

---

a) Part. III. quaest. LXXII. art. 7.

Christo. Hujus sancti Chrismatis dono accepto merito appellamini Christiani, veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione (acceptam).

II. Neque illud obest, quod a quibusdam objicitur, panem Eucharisticum id omne efficere quod Confirmationi tribuitur; nam vires et robur praebet, atque miro quodam modo vitam gratiae auget et perficit. Haec minime inficiamur: at non eodem plane modo utrumque Sacramentum robur et augmentum, imo et perfectionem tribuit. Eucharistia id efficit ut alimentum, et adversus morbos interiores nos munit: Confirmatio ut quid intrinsecum adversus exteriores hostes nos firmat, ac plenitudinem aetatis Christi nobis confert. Utrumque ad perfectum Christianum requiritur; quemadmodum ut corpus viribus et robore vigeat, non satis est ut cibis etiam optimis nutriatur, nisi firma simul valetudine gaudeat. Rem optime explicat S. Thomas, de Eucharistiae Sacramento agens *a)*. *Restat*, inquit, *ut cum ipsum Sacramentum realiter sumitur, quod gratia augeatur, et vita spiritualis perficiatur; aliter tamen quam per Sacramentum Confirmationis, in quo augetur et perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi. Per hoc autem Sacramentum augetur gratia, et perficitur spiritualis vita, ad hoc, quod homo in seipso perfectus existat, per conjunctionem ad Deum.*

De donis et fructibus Spiritus sancti abunde et egregie disserit *Natal. Alexand.* Tract. de Confirm. cap. III. art. II. et III.

§. II.

Secundus Confirmationis effectus, qui est character.

OBSERVANDA.

I. Fidei dogma est, Confirmationem characterem imprimere; idque a nobis parte prima hujus libri probatum est. Cum autem character signum quoddam sit animae impressum, quod deleri non potest, sequitur, quod hoc Sacramentum non magis iterari possit quam Baptismus ipse. Haec veteris Ecclesiae et omnium temporum Traditio fuit; neque necesse est in hoc argumento longius morari; unum adjicimus eumque notissimum locum ex Ep.

---

a) Part. III. q. LXXIX. art. I.

ad Hebr. cap. VI., quem antiqui Patres passim de Confirmatione interpretati sunt. Verba Apost. sunt: *Ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, Baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum et judicii aeterni. Impossibile enim est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste, et participes facti sunt Spiritus sancti ... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam.* Veteres, ut *Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus* etc. hanc vocem *impossibile* stricta et propria significatione accipiunt, et Apostoli textum ita interpretantur, quod homo, qui per Baptismum illuminatus et manuum impositione consignatus, iterum prolapsus fuerit in peccatum, non possit iterum Baptismo et ea, quae Baptismum praecedit, poenitentia renovari, aut denuo manuum impositione accepta particeps fieri Spiritus sancti. Haec nimirum Hebraeis inculcare necesse fuit, qui cum in Judaismo crebris Baptismatibus uterentur, facti Christiani putabant, pari modo se posse peccata iterato Baptismo abluere, et amissum Spiritum sanctum nova manuum impositione recuperare. Si haec non plene probant sensum Apostoli, probant tamen sententiam Patrum.

II. Sed alia nunc oritur non levis quaestio de iis, qui ab haeresi aut schismate ad Ecclesiam redibant, quos quidem cum manuum impositione, et interdum chrismatione adjuncta, Ecclesia recipiebat. Exinde ita videtur inferri posse: Si illa manuum impositio aut chrismatio unum quid fuit cum Confirmatione, clarum est, Episcopos in ea fuisse opinione, quod Sacramentum hoc possit iterari: ignorare enim non poterant, plerosque, qui baptizati fuerant extra Ecclesiam, etiam fuisse confirmatos, cum ea tunc consuetudo esset, ut statim post Baptismum daretur Confirmatio. Respondemus 1.° illud nullo modo sequi quod dicitur. Nemo Catholicorum unquam docuit, hoc Sacramentum iterari posse, id est, Confirmationem, quae vera Confirmatio esset, pluries posse administrari. Si qui Episcopi eos, qui ex haereticorum castris veniebant, confirmandos esse judicarunt, id ex alio errore profluxit; putarunt nempe haereticorum Sacramentum nullum esse, profanum, et contaminatum esse eorum Chrisma;

neque discernebant, ut ait S. *Augustinus a)*, *visibile sanctum Sacramentum*, *quod esse et in malis potest*, *ab invisibili unctione charitatis*, *quae propria bonorum est.*

2.° Quod illa manuum impositio, de qua supra dictum est, unum quid fuerit cum Sacramento Confirmationis probari non potest, neque id concedunt plerique Theologi. Primum quidem illud extra omnem dubitationem positum est, apostatas, qui antea legitimo ritu in Ecclesia confirmati fuerant, cum redibant, ita susceptos fuisse, ut manuum impositio aut chrismatio ad poenitentiam adhiberetur, non ad Confirmationem. Quod ad illos attinet, qui Confirmationem extra Ecclesiam acceperant, major difficultas est. *Maldonatus b)* et *Morinus c)* sentiunt, eos ad Ecclesiam revertentes Sacramento Confirmationis fuisse munitos, quia prior Confirmatio irrita censebatur et nulla. Verum falsam esse hanc doctissimorum virorum sententiam ab aliis Theologis abunde probatum est. Nam, tametsi particulares quaedam Ecclesiae potuerint in hoc errore aliquamdiu haerere, communis tamen Ecclesiae doctrina semper fuit, quod Confirmatio in haeresi suscepta non minus valeret quam Baptisma ipsum. Ille autem ritus, quo haeretici conversi recipiebantur, mera erat caeremonia, qua Ecclesia conversos recipiebat ad poenitentiam. Cf. *Tournel.*, *Wiest* op. maj. histor. de Confirm. *Natalis*, *Gerbertus*, tom. IV. cap. VIII. etc.

PARS TERTIA.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

De praecipuo nunc legis novae Sacramento agendum est, quo nihil est in Religione Christiana sanctius, nihil excellentius. In hoc menarrabili Mysterio divitias omnes sui erga nos amoris effudit Salvator optimus; quoniam non fontem tantum gratiarum hic nobis aperuit, sicut in caeteris Sacra-

---

a) Lib. II. cont. litt. Petil. cap. CIX. *b*) De Confirm. quaest. II. *c*) Lib. IX. de poenit. cap. VI.

mentis, sed se ipsum nobis inserit intimius, ac propria nos carne pascit et confortat. Hic lignum vitae est in medio Paradisi plantatum, cujus fructus immortalitatem praestat edentibus: hic manna de coelo descendens, quod omnem in se continet saporis suavitatem: hic ipsa nobiscum se commiscet incarnata Sapientia, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum: hic Pastor bonus oves suas pascit proprio cruore: hic nobiscum manet Jesus noster omnibus diebus, ut et cibus sit peregrinantibus, et futurorum bonorum pignus certissimum.

Superfluum esset humana ratione metiri velle tanti amoris Sacramentum. Num definiet paupercula ratio, quid possit omnipotentia efficere, quid possit suadere bonorum infinita dilectio! Divinum prorsus hoc opus est, ac plus hic proficit simplex fides, et purus a labe animus, quam curiosa et plena temeritatis investigatio. Sed neque hoc satis est, nosse donum Dei; tota felicitas in possesssione est. Beatus, qui coelestis cibi dulcedinem degustat, et consors factus divinae naturae, vehementius in Dei amorem exardescit; ut totus in eo sit, quem totum in se recipit. Hoc est enim, quod amantissimus Salvator dixit, de hoc Sacramento loquens (Joan. VI.): *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.* Et iterum: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.*

Dubii aliquantulum haesimus, quam tractandi rationem in tam magno et difficili argumento sequeremur. Id enim imprimis curandum erat, ut omnia recto ordine collocarentur, ne ex rerum confusione veritas ipsa pateretur detrimentum. Primum quidem satius visum est, omnia quae ad sacram Eucharistiam pertinent, hoc libro comprehendere, neque *Sacrificium* a *Sacramento* distrahere. Quis enim separare audeat, quae non tantum sibi cohaerent intimo nexu, sed quae unum quid sunt et idem? Unum est enim divinum Sacramentum, quod a fidelibus adoratur et sumitur, et in altari offertur a Sacerdotibus.

Deinde et illud cogitanti statim occurrit, omnia quae vel de Sacramento vel de Sacrificio fides Ecclesiae docet, a Catholico praesentiae realis dogmate pendere, et ex hoc

veluti ex sua radice exsurgere: ideoque necesse esse, ut ante omnia praesentiae realis doctrina, sicut eam Catholica Ecclesia semper tenuit, ex genuinis Revelationis principiis eruatur, et contra adversariorum calumnias vindicetur. Hac parte orthodoxae fidei, quae nos a Novatoribus maxime dividit, semel constituta, reliqua, quae Sacramentum et Sacrificium speciatim concernunt, recto ordine sequentur, et firmissimo huic fundamento innixa, secura stabunt et inconcussa.

Ita tria exsurgunt hujus argumenti capita. *Primum* aget de mysterio praesentiae realis: *secundum* de Eucharistia quatenus est Sacramentum: *tertium* de Eucharistia quatenus est etiam Sacrificium.

CAPUT PRIMUM.

DE MYSTERIO PRAESENTIAE REALIS.

Quae de magno hoc praesentiae realis mysterio dicenda sunt, commode possunt in quatuor partes distribui. Prima ipsum realis praesentiae dogma adstruit; tres autem, quae sequuntur, modum determinant, quo corpus et sanguis in Eucharistia continentur. Cum de modo loquimur, non intelligimus rationem explicandi hoc inscrutabile mysterium et Theologorum diversas ac saepe inutiles quaestiones; sed eam praesentiae rationem, quae nobis ex fide Catholica cognita est. Igitur quatuor articulis totum hoc argumentum complectemur, eundem prorsus ordinem sequentes, quem *Concilium Trident.* Sess. XIII. in suis de hoc mysterio Decretis secutum est Can. I. II. III. et IV.

Ostendemus, 1.° quod corpus et sanguis Christi vere et realiter in Eucharistia contineantur;

2.° Quod tota panis et vini substantia mutetur in corpus et sanguinem Christi;

3.° Quod Christus totus praesens sit sub utraque specie et sub singulis cujuslibet speciei partibus;

4.° Quod Christus praesens sit modo permanenti.

Antequam has quaestiones aggrediamur, praemittenda sunt quaedam de haereticorum, qui hoc mysterium impugnarunt, sententiis.

SS. Eucharistiae impugnatores usque ad saeculi XVI. initia.

I. Nullus primorum saeculorum haereticus reperitur, qui fidem realis praesentiae directe impugnasset. Equidem S. *Ignatius* ad Smyrnenses scribens quosdam commemorat, de quibus ait: *Eucharistias et oblationes non admittunt, eo quod non confiteantur, Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi.* Verum optime observat *Bellarminus a)*, ideo eos circa hoc Sacramentum errasse, quia de Incarnatione perverse sentiebant; nam Christum corpus tantum phantasticum habuisse, non verum et reale, commenti sunt. «Quare, pergit idem auctor, nullus Veterum, qui de haeresibus scripserit, hunc errorem in Catalogo posuit; neque ullus Veterum contra illum disputat.» Imo rem propius indaganti facile patebit, a primis saeculis Patres, ad revincendos haereticorum errores, a Christi in Eucharistia praesentia, tanquam a re utrinque concessa, argumenta sumpsisse. Cf. *Gerbert.* tom. XII. de praesent. Ch. in Euch. cap. III.

II. Quis igitur non miretur Protestantium quorumdam ignorantiam aut malam fidem, qui hac communi veteris Ecclesiae consensione posthabita, dogma praesentiae realis saeculo IX. in Ecclesiam invectum fuisse somniarunt? Auctorem assignant quemdam *Paschasium Ratbertum*, Corbeiensem Monachum, qui anno circiter 831 librum edidit de corpore et sanguine Domini. Nihil certe fingi potest absurdius, quam librum, a simplici Monacho conscriptum et paucis hominibus notum, subito totius orbis fidem in re tanti momenti immutasse, quin tam insolitae mutationis ullum appareat indicium. Sed et Paschasio ea mens non fuit, ut antiquam fidem immutaret, sed ut veram et ubique confessam Ecclesiae doctrinam exponeret. «Nefarium scelus est, ait, «orare cum omnibus, et non credere quod ipsa veritas testatur «et ubique omnes universaliter verum esse fatentur.»

---

a) De Sacram. Eucharist. lib. I. cap. VI.

Opponunt adversarii plures eosque gravissimos saeculi IX. Scriptores, *Amalarium*, *Rabanum Maurum*, *Ratramnum* aut *Bertramnum*, et *Joannem Scotum*, qui et *Erigena* seu *Hibernus* dicitur. Hi omnes, ajunt, Paschasii librum de reali Christi praesentia acriter insectati sunt: quo perspicuum fit, novam tum fuisse eam fidem et a Paschasio recens in Ecclesiam invectam. Sed non est, cur tantopere glorientur Novatores. Certum enim est, neque *Rabanum*, neque *Amalarium*, neque *Bertramnum* unquam in fide realis praesentiae nutasse, ut ex ipsis illorum auctorum testimoniis ad oculum demonstrarunt ex nostris multi et eruditissimi viri. Unum hic excipimus *Scotum Erigenam*, virum levioris ingenii, et in rebus theologicis parum instructum, quem facile concedimus adversariis. Ejus liber non extat amplius, at scimus eum, simul ac in lucem prodiit, in pluribus Conciliis fuisse damnatum. Sit ergo, quod nono Ecclesiae saeculo primus occurrat realis praesentiae oppugnator, qui fidem nullibi invenit, et nullam ex nomine suo sectam reliquit. Caeteris quos supra indicavimus piis et orthodoxis viris nulla cum Paschasio circa Christi praesentiam controversia erat; et si in ejus libro quaedam digna reprehensione judicarunt, quod in dubio relinquimus, non erat de ipso dogmate quaestio, sed de ratione illud explicandi. Scilicet, ut scite doctiss. *Gerbertus* observat *a)*, errant adversarii, cum fidem, quae dogma proponit, a Theologia, quae explicat, non satis distinguunt. Primis saeculis fides, in Ecclesiis conclusa, tuta latebat sub arcani disciplina, solisque initiatis tradebatur simpliciter et absque contentione. At saeculo nono, cum Scholae monasticae jam florerent, veluti in campum deducta est, atque inde coeperunt in varias quaestiones distrahi ingenia, et cum in re ipsa convenirent, multum de modo et ratione etiam occultissimarum rerum disputare. Cf. D. *Boileau*, Doctoris Sorb., notas et Praefat. in lib. Bertramni de Corp. et Sang. J. C. Item *Perpétuité de la Foi* etc. lib. VIII. ch. XII., et imprimis doctissimi et religiosiss. viri *Mabillonii* Praefat. in saec. IV. Ordinis S. Bened.

III. Saeculo undecimo *Berengarius*, patria Turonensis et Ecclesiae Andegavensis Archidiaconus, impios errores sparsit contra

---

a) Tom. cit. cap. VIII. et IX.

divinum Altaris Sacramentum, pluresque impietatis suae veneno infecit; unde vulgo Sacramentariorum velut parens habetur. Statim ac in lucem prodiit nova haeresis, multos reperit fortissimosque oppugnatores. Praecipui sunt *Adelmanus*, Berengarii olim sub Fulberto condiscipulus, postmodum Episcopus Brixiensis; *Lanfrancus*, primum Coenobii Beccensis Prior, deinde Cantuariensis Archiepiscopus; *Hugo*, Episcopus Lingonensis; *Durandus*, Tearnensis Abbas; *Guitmundus*, ex Monacho Aversanus Archiep. Notandum est, omnes qui contra novellam doctrinam scripserunt, illud imprimis sectariis objecisse, quod adversus totius orbis et universae Ecclesiae fidem sentire auderent.

Eodem tempore plures Synodi contra haereticos habitae sunt, quae eandem Ecclesiae fidem perpetuam, et omnium gentium consensione firmatam, novae haeresi opposuerunt. Praecipuas indicabimus. Duae sub *Leone IX.* anno 1050 coactae sunt, una *Romae*, altera *Vercellis*. Anno 1055 sub *Victore II.* alia habita est *Turonibus* in Gallia, cui *Hildebrandus*, qui postea *Gregorius VII.* fuit, Apostolicae Sedis Legatus praefuit. Anno 1059 *Nicolaus II.* iterum Romae Synodum coëgit CXIII. Episcoporum. Hanc secutae sunt Rothomagensis anno 1063 et *Pictaviens.* anno 1075. Plerisque Conciliis Berengarius interfuit, pluries haeresin suam data professione ejuravit; sed semper ad vomitum reversus est. Demum, cum post solemnes et repetitas abjurationes non desisteret scriptis et verbis haeresin suam profiteri, iterum Romam vocatus est, ubi duo contra eum Concilia habita sunt a *Gregorio VII.* In secundo, quod anno 1079 celebratum est, denuo sub juramento abdicavit haeresin, fidemque Catholicam professus est. Verum ne tum quidem in fide constans permansit, et valde probabile est, eum anno adhuc 1083 in pristino errore haesisse. Vicit tamen gratia, ac diu reluctantem sibi animum subdidit; communis enim sententia est, eum sincere conversum et poenitentem ultimos vitae annos peregisse, et anno 1088 in fide et communione Ecclesiae diem suum obiisse.

Frustra laboravit Mabillonius ut probaret, Berengarium transsubstantiationem tantum negasse, non realem praesentiam. Id forsan a subtilioribus quibusdam ejus discipulis factum est, qui, ut in aliis sectis contingit, parte haeresis abjecta, aliam retinuerunt. At Berengario tum Scriptores coaevi, qui eum ex professo

impugnarunt, tum Concilia, in quibus error ejus damnatus est, diserte hoc objiciunt, quod doceret, Eucharistiam non esse verum et substantiale corpus Christi, sed ejus tantum figuram et imaginem. Neque id movere nos debet, quod quaedam ejus dicta videantur ad realis praesentiae doctrinam satis accommodata. Hoc enim haereticis quovis tempore solemne fuit, ut captiosis verborum tenticulis animas deciperent, sensumque perversum sermonis ambiguitate velarent. Notum est autem, tortuosum et callidissimum Berengarii ingenium fuisse et ad omnem simulationem exercitatum.

IV. Duodecimo saeculo plures exorti sunt haeretici, qui praeter alios errores, Berengarii quoque labe erant infecti, ut *Petrus de Bruis*, a quo *Petrobrusiani* dicti sunt, et *Henricus*, a quo dicti *Henriciani*. Hi quidem Christum in ultima cum Discipulis coena panem in corpus suum convertisse fatebantur; sed negabant Sacramentum ab eo fuisse institutum, aut eam potestatem ad Apostolos eorumque successores transiisse. Omitto *Albigenses* et *Tolosanos*, sic dictos, quod in iis regionibus haereses suas disseminassent, qui, ut in aliis plurimis, ita in hoc Catholicae fidei dogmate vehementer errarunt.

PROTESTANTIUM ERRORES.

Lutherus.

Saeculum XVI. nova Ecclesiae mala genuit; tum enim factiosi homines et novarum rerum avidi, in sanctissima quaeque Religionis dogmata irruentes, ipsum augustissimum Altaris Sacramentum multis modis impugnare et evertere aggressi sunt. Horum errores, et pugnantes sententias, et fallendi artes, eleganter praeter caeteros descripsit illustriss. Meldensium Episcopus, quem potissimum in hac brevi expositione secuti sumus *a)*. *Lutherus* omnium qui hac aetate proruperunt primus fuit, et caeterorum antesignanus. Multa quidem is contra sacram Eucharistiam falsa et impia docuit, attamen eo adduci nunquam potuit, quo postea praeceps error Sacramentarios impulit, ut veram Christi in Altaris Sacramento praesentiam negaret. Ita enim verba Christi: *Hoc est*

a) Histoire de Variations.

corpus meum, animum ejus penetraverant, ut nihil inveniret quo vim eorum et naturalem sensum posset eludere. Haec doctrina postea *Augustanae Confessioni* inserta fuit *a*), et paulo post uberius exposita in hujus Confessionis *Apologia b*), quae apud Protestantes eodem est loco ac ipsa confessio. Haec Apologia, quae a Melanchthone concinnata fuit, realem et substantialem praesentiam ita adstruit, ut ostendat eam esse antiquam et communem, non Romanae modo, sed et Orientalis Ecclesiae doctrinam.

II. Lutherus, cum realem praesentiam adstruxit, ingenue fassus est, Epist. ad Argentinenses, se rei veritate victum hoc egisse, et contra animi propensionem, cum nihil vehementius percuperet, quam Papistis, ut loquitur, nocere. Verum ita cohibere non potuit odium, quo in Romanam Ecclesiam ferebatur, ut non de suo etiam aliquid adderet, et veterem Ecclesiae fidem, si non penitus aufferret, adulteraret saltem. Hinc docuit, panem in Eucharistia superstitem manere; corpus Christi in pane quodam modo contineri, ut vinum in dolio, aut ita in pane esse, ut ignis est in ferro candenti. Mirum, quod idem ille vir, qui realem praesentiam totis viribus propugnavit, ne a verborum Christi naturali sensu discederet; nunc haec ipsa verba miseris sophismatibus a genuina et naturali significatione detorserit, ne Catholicorum transsubstantiationem profiteri cogeretur. Sed quis a novitatum fabricatoribus id exigat ut sibi constent? Ubi semel a vero recesserunt, malunt in absurdissima currere, quam referre pedem. Sic *Osiandro* et quibusdam ejus discipulis in mentem venit, panem sic fieri corpus Christi, et vinum ejus sanguinem, ut Verbum divinum homo factum est; ita ut vera esset in Eucharistia *impanatio*, uti in utero Virginis vera fuit *incarnatio*. Hoc opinionis monstrum pene ab omnibus et a Luthero ipso fuit repudiatum, quamquam ex ejus doctrina hoc ipsum tanquam consectarium fluat; neque aliter explicari possit, qua ratione panis, si in Eucharistia remanet, corpus Christi vocari possit, dicente Domino: *Hoc est corpus meum.*

III. Hinc merito credimus, Osiandri sententiam ideo tantum displicuisse Luthero, quia alterius erat, non quia absurda: nihil enim homini illi placuit, quod suum non esset. Id certum,

---

a) Art. X. *b*) In Articulum X. Confess.

Lutherum, quid melius responderet, non habuisse. Inde frequens ejus circa hoc dogma fluctuatio. Ut illud taceam quod in antiquissimis Augustanae Confessionis et Apologiae editionibus Art. de Coena iis verbis conceptus fuerit, quae cum mutatione substantiae optime concordant *a*); ex ipsis Lutheri scriptis palam est, quam parum consenserit ipse sibi. Primum liberum cuilibet permittit judicium, deinde contra regem Angliae scribens transsubstantiationem aperte impugnat, eamque impiam pronuntiat et blasphemam; scribit quoque ad Waldenses, ita se jam velle credere, ut Papistis molestiam inferat. Haec anno 1523 acta sunt: nihilominus anno 1545 quibusdam Italiae Ecclesiis concessit, ut in hac fide transsubstantiationis permanerent. In Confessione fidei majore, quam anno 1528 evulgavit, id parvi interesse ait, panem in Eucharistia agnoscere, an ab ea removere: addit tamen, illud sibi probabilius videri in ea esse *panem carneum*, et *vinum sanguineum*, qui modus loquendi prorsus absonus vel impanationem Osiandri significat, vel aliquam commixtionem novam, quam, qualis illa sit, fingere sibi nemo potest. Hinc Melanchthon aegre admodum tulit tantam insaniam, quamvis imperioso Dictatori contradicere non auderet.

IV. Quam parum Lutherus absurdissimas opiniones refugerit, hoc ipso tempore novo exemplo probavit, cum monstrosum *ubiquitatis* dogma in lucem protulit. Scilicet, ut Sacramentariorum argumentis occurreret, qui negabant, corpus posse simul in pluribus locis existere; ipse docuit, sicut divinitatem, ita et humanitatem Christi ubique esse diffusam, eo quod cum divinitate esset hypostatice unita *b*). Hanc sententiam post Lutherum *Brentius*, *Westphalus*, aliique ex ejus discipulis acriter propugnarunt: at restitit Melanchthon, eamque ultra modum insulsam esse duplici capite probavit: tum quia in Christo naturarum differentiam tolleret, et humana cum divinis confunderet; tum quia Eucharistiae mysterium hoc ipso destrueret; nam si Christi corpus in Eucharistia ideo est, quia ubique est; sequitur illud non aliter esse in Sacramento, quam in quocunque pane, aut ligno et lapide.

---

a) Vid. Histoire de Variat. lib. III. Discussion amicale, lettre VII.
b) Vid. tom. III. hujus operis, de idiomatum communicat.

V. Alius Lutheranorum error est, corpus et sanguinem extra usum non adesse. Hoc Lutherus ab initio non docuit. Certum illi erat, quod et Ecclesia Catholica semper tenuit, statim praesens esse corpus Christi prolatis verbis, et perstare quamdiu integrae manerent species. Verum anno 1536, cum Wittembergae de pace inter Reformatorum sectas ageretur, et *Bucerus* cum suis quoad realem praesentiam ad Lutheri doctrinam accederet, hic paulum sedato animo illud quoque Bucero concessit, *corpus et sanguinem diu non permanere*. Facile est in hac ancipiti professione tortuosum Buceri ingenium agnoscere. Quaeri utique poterat: An ergo extra usum jam aliqua esset panis et corporis Christi conjunctio, et quando illa fieret, et quamdiu permaneret? An, si diutius servetur Hostia, corpus Christi discederet, ac iterum reverteretur, cum Hostia sumitur? Sed haec parum curant fraudis subdoli fabricatores, ad hoc unum intenti, ut fidei confessiones struant ambiguas et flexiloquas, quae omnibus convenirent etiam diversa sentientibus.

VI. Accidit nunc, quod bene praesenserat Bucerus, ut Lutherani, labefactato semel praesentiae permanentis dogmate, passim in eam sententiam concederent, quae Christum in usu tantum praesentem esse asserit; praesertim cum Melanchthon totum se ad tuendam hanc doctrinam convertisset. Id autem Melanchthon in Sacramentariorium gratiam egisse creditur, ut sacrificium Missae, et adorationem corporis Christi, quae Lutherus ad haec usque tempora retinuerat, destrueret. Intellexit enim, neque sacrificium negari posse, neque adorationem prohiberi, si corpus Christi praesens sit in altari. Verum ne in hoc quidem substitit vir ille dubii semper animi et in omnem partem mobilis; nam eam etiam, quam in verbis adhuc retinere videbatur, momentaneam praesentiam novo opinionis figmento ita explicavit, ut magis destrueret. Docuit autem, corpus Christi praesens esse in usu tantum legitimo, neque illud esse cum pane conjunctum, sed cum ipso homine, cujus gratia institutum est Sacramentum: ex quo sequitur, etiam cum sumitur Sacramentum, corpus neque sub pane esse, neque in pane, sed illud ad panis praesentiam hominem accipere, quemadmodum in Baptismo ad aquae praesentiam Spiritus sancti gratia infunditur.

SACRAMENTARII.

Carlostadius. — Zwinglius.

I. Quemadmodum Ecclesia Catholica in ea quam ab Apostolis accepit fide constans semper et immota permansit; ita haereticorum hoc proprium et insitum malum est, ut mox divisi in sectas, mutuis sese odiis insequerentur. Sed hoc ipso Ecclesiae, a qua exierunt, census suos deferunt, et cum se mutuo erroris convincunt, non sibi, sed Ecclesiae vincunt. Vix Lutherus caput extulerat, cum *Carlostadius*, quo hucusque in reformationis opere adjutore usus fuerat, vir rudi et aggresti ingenio, Wittembergae libellos aliquot edidit contra realem Christi in Eucharistia praesentiam. Excanduit Lutherus, egitque ut Carlostadius urbe pelleretur; eo quod nulla accepta missione (!) nova moliri, et Scripturae verba alio quam Lutherus sensu intelligere auderet!! Eodem hoc tempore *Zwinglius* apud Tigurinos in Helvetia grassari coepit, sociumque sibi adscivit *Oecolampadium*, qui id fuit Zwinglio, quod Melanchthon Luthero. Novae factionis duces in eo imprimis a Luthero dissentiebant, quod praeter transsubstantiationem etiam realem Christi praesentiam negarent. Igitur verba Christi figurate intelligenda esse clamabant, ita ut sensus sit: *Hoc significat corpus meum.* Ex quo illud sponte fluebat, nullum in Eucharistia miraculo locum esse; quod Zwinglius tam alte discipulorum suorum animis indiderat, ut nunquam communionem inire cum Luthero voluerint, vel hac sola ratione, quod Lutherus in explicanda Sacramenti doctrina ad omnipotentiam confugeret, cum in re, ut dicebat, quae nihil habet mirabile, necesse non sit omnipotentiam intervenire.

II. Lutherus fidem praesentiae realis adversus novos haereticos Scripturae et Traditionis auctoritate acerrime defendit; ac mire gloriabatur, melius se, quam omnes Papistas, litteralem sensum propugnasse. Verum nihil effecit, cum ipse certam credendi regulam non haberet. Riserunt sensus figurati assertores hominis jactantiam. Lutherum in littera haerere ajebant, se verborum non apices, sed spiritum tenere; neque ad litteram sumi posse Christi verba, nisi admissa etiam substantiae mutatione. At Lutherus non cessavit eos violatae fidei damnare, illudque gravissime tulit, quod Zwinglius scripsisset, se jam anno

1516, cum nondum innotuisset Lutheri nomen, novum Evangelium praedicasse apud Helvetios; ita sibi nomen primi Reformatoris adimi conqueritur in Epist. ad Argent., in qua et illud habet, de Sacramentariis loquens: « Nihil res ista habet medium; vel ego, vel illi sunt satanae ministri. » (1)

Calvinus.

I. Per quindecim jam annos circa Christi in Eucharistia praesentiam disputatum fuerat inter heterodoxos; quando *Calvinus* in arenam descendit. Hic tum sensum realem Lutheri, tum figuratum Zwinglii repudiavit; quippe illi constitutum erat, non sentire cum aliis, sed aliis, quid sentire debeant, imperare. Unde difficile dictu est, in quos sinus et flexus contorserit subtile et astutum ingenium, ut novus videretur et aliquid adstrueret, quod medium quodam modo esset inter Lutheranorum et Tigurinorum doctrinam. At irritus labor fuit; nam cum multa contraria et pugnantia diceret et sensum ambiguitate verborum involveret, caliginem pro luce dedit, et Bucerum, cujus fidei confessiones callide et artificiose constructas reprehenderat, ipse tortuosis flexibus non imitatus tantum est, sed etiam superavit.

II. Inde est, quod in Calvini scriptis *a)* multa occurrant, quae videntur aperte realem praesentiam adstruere. Ait, nobis sub signis vere corpus et sanguinem distribui; non virtutem tantum nos recipere, sed ipsam substantiam Dominicae carnis. Illa Christi verba: *Caro non prodest quidquam*, quae Calviniani nobis solent objicere, ipse cum Augustino et Catholicis sic interpretatur, quod caro adsit quidem in Sacramento, sed nihil prosit ad salutem indigne sumentibus. Sensit etiam non volens his verbis: *Hoc est corpus meum*, divinam virtutem subesse, non minus quam illis: *Fiat lux;* neque hunc animi sensum penitus exuere potuit. Verum ne falli nos sinamus a versipelli haeretico. Idem Calvinus cum Bucero docet, nos per solam fidem conjungi cum Christo; verba institutionis per metonymiam exponenda esse, in qua signum pro re ponitur; corpus et sanguinem Christi aeque a nobis distare, quam coelum a terra. Quando ergo ait, verum

a) Vid. Instit. libl IV. cap. XVII. Tract. de Coena Dom. Dilucida exposit. Confessio fidei. Catechism. etc.

corpus adesse et veram corporis substantiam, non virtutem tantum, id ita intelligit, quod Eucharistia figura sit veri corporis, non alieni aut phantastici; quod non virtus tantum corporis, sed corpus ipsum praesens nobis exhibeatur per fidem, cum coenae Dominicae participamus. Caeterum nemo miretur, si non omnia conciliari possunt, quae ab haeretico simulatore scripta sunt. Saepe inani verborum pompa nihil dicit, sed id solum intendere videtur, ut fucum aliis faciat, forsitan et sibi. Hanc desultoriam animi levitatem in confessionibus publicis quam maxime prodidit, ubi etiam tempori et personis, siquis alius, servire visus est.

III. Magistrum imitati sunt discipuli. Eadem fluctuatio, eadem verborum involucra. Quando e re sua videbatur, ut mitius cum Lutheranis agerent, aut etiam Catholicorum odium declinarent; confessiones fidei emittebant, quae cum sensu figurato ne vix quidem conciliari poterant: at, quando pacem quaerebant cum Helvetiis, aliae iterum praesto erant confessiones a prioribus diversae. Donec tandem, cum jam omnis simulandi ratio abesset, ad Zwinglianorum doctrinam plene et aperte accesserint. Nec mirum; nam Calvinus, ut vidimus, cum mediam aliquam viam a se inventam gloriaretur, revera nihil invenit praeter fallaces umbras et inanes vocum structuras; neque fieri potuit ut ejus discipuli diu in hoc medio, quasi in vacuo aliquo, suspensi haererent.

Anglicani.

Anglicanae Ecclesiae doctrina nihil hac in re a Calviniana differt. Quando sub *Eduardo* VI. schisma in apertam haeresin degeneravit, nova fidei professio, nova Liturgia auctoritate regia prodiit, in quibus Sacramentariorum errores nude et absque ambagibus continebantur. Novae mutationes factae sunt sub Elisabethae regimine. Melius tunc ad alliciendos fallendosque animos visum est, si ea quae praesentiam Christi in Eucharistia spectant, iis exprimerentur verbis, quae quilibet posset in suam sententiam interpretari, aut nihil saltem adderetur quod offendere posset realis praesentiae assertores. Ita *Burnetus*, scriptor Anglicanus, ingenue fatetur, non videns quantum haec sectae suae noceant. Quae enim haec Christi Ecclesia est, quae ita ludit in rebus maximi momenti? Quae, cum publicam fidei confessionem emittit,

vocum fallaci textura hoc tantum quaerit, ut nihil decidat *a)*? Neminem haec fallere possunt, nisi volentem. Nihil quidem circa realem praesentiam decretum fuit; reperiuntur etiam Anglicani Doctores, qui veram corporis et sanguinis praesentiam adstruere videntur: verum cum constet, hanc Ecclesiam totam esse veneno Calviniano infectam, quae ejus communis et quasi propria circa Eucharistiam sententia sit, facile est dijudicare. Vide *Discuss. amicale*, lettre VII. Habetur egregii hujus operis germanica traductio, edita Viennae 1822.

Recentiores Protestantes.

I. Non abs re erit de Protestantium modernorum doctrina quaedam subjicere. Calvini sententia, quidquid ille egerit ut contrarium persuaderet, ab illa Zwinglii in re ipsa non differebat; nihil enim medium est inter sensum realem et figuratum; et si Eucharistia Christi corpus realiter non continet, illud significat tantum. Unde fieri aliter non potuit, quam ut Calvini sectatores, proprio pondere acti, in Zwinglianismum delaberentur. Illud magis mirandum, quod Lutheri discipuli pene omnes hodie ab illa praesentiae realis doctrina discesserint, quam Lutherus voluit absque omni verborum fuco nude et aperte praedicari, et quam ipse ad finem vitae usque acerrime defendit: ita ut omnia anathemata et dirae execrationes, quas ille contra Sacramentarios vibravit, in eos nunc recidant, qui se discipulos ejus esse gloriantur. Verum parum hoc curant discoli filii, qui id unum a patribus didicerunt, nullam sibi credendi regulam praefigere, praeter innovandi libidinem et superbi ingenii figmenta. In hac arte non credendi ita profecerunt Protestantium sectae, ut omnes nunc in Socinianismi luto haereant, nec aliud quidquam videant in divino Sacramento, quam nudum signum, omni supernaturali virtute vacuum, cujus is unus fructus esse potest, ut nobis optimi Magistri amorem et eximiam in toleranda morte patientiam in memoriam reducat, nosque hac recordatione ad imitationem et melioris vitae propositum excitet. Necesse non est testimonia quaerere in re tam nota. Vid. doctiss. *Wiest*, op. maj. tom. VI. §. 144. Theodul's Gastm. ꝛc.

---

a) Vide etiam novissimas pactiones inter Protestantium Ecclesias initas.

II. Liceat tamen silentio non praeterire illud, quod nuperrime Moguntiae editum est *a*), pacis et concordiae instrumentum inter Lutheranorum et Calvinianorum Ecclesias. §. II. tanquam principium praemittitur, doctrinam de coena Domini solum essentiale divisionis punctum esse inter utramque Ecclesiam. Sed ecce! jam haeret animus, illudque quam primum occurrit sincero lectori: Quomodo ergo uniri possunt, qui in puncto essentiali dissentiunt? Ergone unum sunt, manente hoc dissensu? Aut, si pars una ad alterum accedit, an non necesse est, ut ea, quae alteri consociatur, essentiale aliquid deperdat? Sed videamus porro. Patet ergo ex illo §. II., hanc de Eucharistia quaestionem praecipuam et pene unicam fuisse, quae alicujus momenti visa sit pacis conciliatoribus. Quis igitur non expestasset apertam et nudam eorum, quae in hac materia credenda sint, professionem? Nihil certe facilius fuisset, quam brevi compendio edicere: *Omnes credimus corpus Christi vere et realiter manducari*; aut illud contrarium: *Certum habemus, ore non percipi Christum, sed fide tantum.* Pro ejusmodi professione fida et definita, sequitur explicatio captiosa, anceps, astuta, quae multis ambagibus multa dicere videtur, et re ipsa nihil dicit; ita ut tota videatur ex Buceri aut Calvini calamo fluxisse. Mox nova se offert occasio clare fidem suam profitendi. Interrogatione 2ª quaeritur, quomodo ergo intelligenda sint haec Christi Servatoris verba: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus?* Nullis hic circuitionibus opus est; dicatur categorice, an litteralem sensum admittere oporteat, an figuratum. Sed lege! vide effugia, vide latibula! Respondent, haec clara fieri per verba Apostoli I Cor. XI.! An non eadem hic redit quaestio, quis ergo genuinus verborum Apostoli sensus sit? Aut, an clariora sunt Apostoli verba, quam haec a Christo in solemni Sacramenti administratione prolata: *Hoc est corpus meum?* Haec cum mente revolvo, nescio, an plus indignatione movear in callidos simulatores, an commiseratione in populum, qui misere luditur in re gravissima. (2)

---

a) 28 Novemb. anno 1822.

ARTICULUS I.

De reali et substantiali corporis et sanguinis Christi praesentia in Eucharistia.

PROPOSITIO.

In sanctissima Eucharistia corpus et sanguis Christi vere, realiter ac substantialiter continetur.

CONCIL. TRIDENT. Sess. XIII. Can. I.

Siquis negaverit, in sanctissimae Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit, tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.

In Decreto Concilii dicitur, 1.° Christum adesse *vere*, contra omnes Sacramentarios, qui Christum in signo tantum et figura adesse existimant: dicitur 2.° *realiter* propter eosdem haereticos, qui ut incautos fallerent, non raro verum Christi corpus adesse confessi sunt, sed ita, ut fide veluti praesens exhiberetur, non in re ipsa adesset. 3.° Concilium addit *substantialiter*, quia Calvinus, quamvis subin catholice loqui videretur, hoc tamen constanter docuit, corpus Christi quoad substantiam esse tantum in coelis, ejus autem nescio quam virtutem et vigorem exinde ad nos manare.

Argumenta, quae nobis ad probationem Catholici dogmatis praecipua videntur, in tria genera distingui possunt. Ad *primum* pertinent Scripturae testimonia: ad *secundum*, testimonia sanctorum Patrum: *tertium* illud argumentum evolvet, quo nullum est ad evertendas omnes haereses magis comparatum, praescriptionem nempe et unanimem omnium Ecclesiarum fidem.

ARGUMENTA EX SCRIPTURIS.

ARGUMENT. I. *Ex verbis promissionis.* Joan. VI.

Illustre et luculentum argumentum Veteres pene omne depromunt ex sermone illo mirabili, quem Christus Joan. VI.

cum Capharnaitis habuit, in quo cum magna asseveratione promisit, daturum se corpus suum in cibum, et sanguinem in potum.

Verba promissionis haec sunt v. 52. et seq.: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judaei, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* etc.

Haec verba de vera Christi carne et de vero ejus sanguine intelligi debent, et de vera manducatione, non de spirituali tantum per fidem. Ergo etc.

Probat. ant. 1.° Christus eo loco novi aliquid promisit, quod daturus esset in futurum: atqui spiritualis manducatio per fidem nec nova erat, neque pro futuro tantum, multi enim jam tum in eum crediderant. 2.° Tum Judaei, tum Discipuli verba Christi: *Panis, quem ego dabo, caro mea est,* de vera ejus carne intellexerunt. *Quomodo potest hic nobis carnem dare ad manducandum?* Cur ergo Christus, si de spirituali tantum manducatione ipsi sermo erat, mentem suam non ita est interpretatus, ut nullus superesset offensioni locus? Verum adeo emollire verba sua noluit, ut ea magis ac magis confirmarit: *Amen, amen, dico vobis* etc. 3.° Nisi hic verborum sensus esset, sequeretur divum Joannem, qui reliqua Christi mysteria tam diligenter prosequitur, hoc unum amoris divini mysterium silentio praeteriisse, nusquam enim alibi Eucharistiae meminit. 4.° Si Christus hoc loco de Eucharistia non loquitur, dicendum est, eum nusquam hujus Sacramenti fructum et effectum explicasse, cum tamen Baptismi effectus tam saepe in Evangelio commendetur: dicendum quoque est, nullibi de percipiendo hoc Sacramento traditum fuisse praeceptum, quod enim ait Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem,* illud proprie praeceptum non est, sed regula, quae docet quo modo et quo fine illud faciendum sit. 5.° Illud solemne fuit et usitatum Christo Domino, ut majora mysteria ante

insinuaret quam ea traderet, uti de morte sua, resurrectione, ascensione, adventu Spiritus sancti factum ab eo et praedictum legimus; unde Apostoli, cum Christus in ultima coena hoc Sacramentum instituit et dixit eis: *Hoc est corpus meum*, nec rei novitate turbati sunt, nec de re tam insolita dubitarunt, cum antea a Christo jam instructi fuissent. 6.º Manifestum est, verba promissionis, quae a nobis citata sunt, magnam habere similitudinem cum illis, quae Joan. III. leguntur de Bapt. Sicut ibi dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc., ita Joan. VI. habetur: *Nisi manducaveritis* etc. Sic et promissionis verba cum institutione Eucharistiae quam maxime concordant. In institutione Christus ait: *Manducate . . . hoc est corpus meum. Bibite . . . hic est sanguis meus.* Joan. VI. dicitur: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem* etc., et quemadmodum Christus Joan. VI. dixerat: *Panis, quem ego dabo, caro mea est:* ita in coena haec verba adhibuit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* 7.º Demum haec omnium Patrum una et constans sententia fuit, Christum Dominum hoc loco de vera et reali sui corporis praesentia locutum fuisse: atque his Christi verbis usi sunt adversus Arianos, Nestorianos et alios haereticos. Et si Ecclesia per sexcentos et amplius annos eam consuetudinem habuit, ut etiam infantibus Eucharistiam tribueret, non alio argumento ad id adducta fuit, quam hac Christi sententia: *Nisi manducaveritis* etc.

Argument. II. *Ex verbis institutionis.*

Quod Christus ante promiserat, se corpus suum et sanguinem daturum esse in cibum et potum, hoc in extrema cum Discipulis coena implevit. Verba institutionis referuntur Matth. XXVI., Marc. XIV., Lucae XXII. et I ad Cor. XI. Cuilibet autem legenti apparet, Christum verbis usum esse tam apertis et perspicuis, ut nullum dubitationi aut infidelitati locum reliquerit. Verba consecrationis panis ab omnibus ista referuntur: *Hoc est corpus meum.* S. Lucas addit: *quod pro vobis datur.* Apostolus autem: *quod pro vobis frangitur.*

Verba consecrationis calicis apud Matth. et Marc. haec sunt: *Hic est sanguis meus novi testamenti.* Apud Lucam: *Hic est calix novum testamentum in meo sanguine.* Apud Apostolum: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Planum est, quod ex his verbis efficitur argumentum: Haec verba realem Christi in Eucharistia praesentiam efficaciter probant, si in sensu proprio intelligi debent, et figuram omnino non patiuntur: atqui in sensu proprio intelligi necessario debent. Ergo etc.

Major ex ipsa adversariorum confessione certa est.

Prob. itaque minor. Communis interpretationis regula est, verba Scripturae in sensu proprio et nativo accipienda esse, nisi aliud necessaria quaedam ratio exigat, imprimis quando verba ipsa tam sunt clara, ut sensus figuratus sit omnino ab usitato loquendi modo alienus, neque animo unquam se offerat, nisi praejudiciis jam occupato. Atqui sensum figuratum in Eucharistiae institutione non tantum ratio nulla suadet; sed contra verba Christi proprie, et de vero corpore ac vero sanguine esse intelligenda omnis generis argumenta evincunt.

1.° Illud exigit Christi ipsius persona. Si Christus per haec verba: *Hoc est corpus meum,* signum tantum corporis sui instituere voluisset, in errorem ineluctabilem traxisset Apostolos; nam qui hominem gravem et prudentem audiunt, hi, nisi prius alium sensum verbis subesse praemoniti fuerint, verba accipiunt eo modo, quo homines cordati et sapientes vulgo loquuntur. Quis autem vir sapiens, qui serio loquitur, et ea mente ut intelligatur, ita sensus suos exprimeret, sicuti adversarii Christum fecisse contendunt? Qui fieri potuit, ut veritas ipsa et sapientia, sub verbis tam apertis, et in quibus nullum alicujus figurae indicium occurrit, sensum tam abstrusum, et a sermonis humani ratione tam alienum reconderet?

2.° Observandum est, quod Christus illos tunc allocutus fuerit, qui ejus Apostoli erant et amici, quibus datum erat nosse mysteria regni Dei; et quidem eo tempore, quo morti proximus sermonem ad eos habuit amoris et tenerrimae sollicitudinis plenum. Certe si quod vitae momentum

est, in quo homines solent aperte loqui amicis suis, et intima mentis arcana detegere; tum certe ita loquuntur, quando ex hac mortali vita excedendum est.

3.° Firmissimum argumentum ex eo deducitur, quod Theologi vocant *materiam* institutionis. Scilicet Christus instituens Eucharistiam 1.° *Novum condidit testamentum.* Quemadmodum Moses, Exod. XXIV., quando vetus testamentum sancitum est, sanguinem vituli et hirci sparsit in populum, haec verba proferens: *Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus;* ita Christus eamdem formam adhibuit in coena, et non alibi: *Hic est sanguis meus novi testamenti.* Jam vero testamentum nullum verbis figuratis, sed planis et apertis perficitur. 2.° Christus novum percussit foedus, novum dogma tradidit Ecclesiae, novum instituit Sacramentum. Verum haec omnia non obscuris verbis et metaphoricis, sed propriis et perspicuis exprimi oportuit. 3.° Accedit summa Evangelistarum consensio in enarranda hujus Sacramenti institutione. Nam cum Evangelistae in aliis minoribus causis sibi vicissim opitulentur, et siquid ab uno fuerit obscurius dictum, illud ab alio exponatur; omnes tamen in hac re mire consentiunt, atque tum tres Evangelistae, tum Paulus Apostolus, rem ipsam iisdem plane verbis enarrant, quamvis diversis scripserint et locis et temporibus.

Argument. III. *Ex verbis Apostoli.*

Duo sunt praecipui loci apud Apostolum, in quibus de usu et fructu Eucharistiae ita loquitur, ut perspicuum sit, eum de vero Christi corpore loqui, non de ejus figura. Cap. X. ad Cor. ait. v. 16.: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Ex contextu et scopo Apostoli patet, quod per haec verba *communicatio et participatio,* quae Apostol. per eandem vocem κοινωνία exprimit, intelligenda sit realis inter corpus Christi et corpora nostra conjunctio; non autem societas quaedam, et confoederatio tantum. Illud probant sequentia: *Quoniam unus panis, et unum corpus multi*

sumus, qui de uno pane, et uno calice participamus ... et ea, quae Apostolus praemittit v. 15.: *Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate, quod dico.* Haec enim ita dixit, quasi volens loqui de summo mysterio.

Alter Apostoli locus cap. XI. ejusdem Epist. legitur. Eam partem loci hujus, quae verba institutionis refert, jam supra citavimus. Postquam Apostolus commemoravit, panem et vinum a Domino consecratum fuisse, et datum Apostolis, subjungit: *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat: qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit; non dijudicans corpus Domini.* Luce clarius est, Apostolum hic de reali et substantiali praesentia corporis Christi loqui. — Conf. Catech. Rom. de Euchar. quaest. XXII.

ARGUMENTA AB AUCTORITATE SS. PATRUM PETITA.

Etsi Protestantes veteres Patres contemnere soleant, quando eos sentiunt sibi adversari, in hac tamen quaestione aliquid eis tribuere videntur. Certe laborant, quantum possunt, ut eos ad se pertrahant, et Catholicos a Veterum doctrina recessisse credulis saltem et ignaris hominibus persuadeant. *Calvinus* in ultima admonitione ad Westphalum ita scribit: «Constat, vetustos omnes Scriptores, qui totis quinque saeculis post Apostolos vixerunt, uno ore nobis patrocinari.» Haec tam aperte falsa sunt, ut etiam in Calvino vix credibilis videatur tanta impudentia. Qui Patrum testimonia quae realem praesentiam adstruunt enumerare vellet et expendere, opus susciperet immensi laboris, et integra volumina impleret. Sunt autem haec testimonia non omnia ejusdem generis, ita ut facile possent in certa capita distribui. 1.° Alia Scripturae sensum interpretantur, et verba promissionis et institutionis docent de vero corpore et sanguine Christi esse intelligenda. 2.° Alia hoc ipsum dogma tam clare edicunt, ut nonnisi de vero ac proprio corpore intelligi possint. 3.° Sunt iterum, quae expresse figuram excludunt. 4.° Demum quam plurima occurrunt, in quibus

Patres de S. Eucharistia ea adstruunt, quae necessario exigunt realem praesentiam.

Nobis, ne propositae brevitatis limites egrediamur, duae tantum erunt testimoniorum classes. *Prima* quaedam exhibebit ex tribus capitibus supra indicatis selecta. *Secunda* ea, quae ad quartum caput pertinent, summatim complectetur. Ex prioribus tantum saeculis testes citabimus, quoniam ad haec potissimum appellant adversarii. Porro non desunt ex nostris magni nominis Theologi, tum superioris, tum et nostrae aetatis, qui hac de re docte et copiose tractarunt. Inter caeteros nominamus Eminentiss. Cardinales *Perronium* et *Bellarm.*, deinde *Tournelium*, auctores praeclari operis, *Perpétuité de la foi* etc., opus majus D. *Wiest* t. III. §. 345., *Discussion amicale*, lettre X. etc.

I. Testimoniorum classis.

Saecul. I. et II. S. *Ignatius*, qui S. Joannis discipulus fuit, in Epist. ad Smyrnaeos de quibusdam temporis sui haereticis ait: *Eucharistias et oblationes non admittunt, eo quod non confiteantur, Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est.* S. *Justinus*, Philosophus et Martyr, in Apol. II. ad imperatorem Antoninum ita de sacra Eucharistia loquitur: *Non ut communem panem, neque communem potum haec sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus, Servator noster, et carnem et sanguinem salutis nostrae causa habuit; sic etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiae actae sunt, alimoniam, unde sanguis et caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem et sanguinem esse edocti sumus.* S. *Irenaeus*, S. Polycarpi discipulus, disputans contra haereticos, qui resurrectionem carnis negabant, lib. IV. advers. haeres. cap. XVIII. haec habet: *Quomodo dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quae a sanguine Domini et corpore alitur?* Et lib. V. cap. II. *Quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quae est vita aeterna, quae sanguine et corpore nutritur?*

Saecul. III. *Tertullianus*, qui ineunte saeculo tertio floruit, plura habet ad hoc argumentum pertinentia. Sic lib. IV. contra Marcionem cap. XL. ait: *Acceptum panem et distributum Discipulis, corpus suum fecit, hoc est corpus meum dicendo.* Et lib. de resurrectione carnis: *Caro corpore et sanguine Christi pascitur, ut anima de Deo saginetur.... Origenis* quoque plura sunt testimonia. Duo haec sufficiant: primum ex homil. V. in Diversa, ubi de puero Centurionis tractat. *Quando vitae pane*, inquit, *et poculo frueris, manducas et bibis corpus et sanguinem Domini; tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur: et tu ergo humilians teipsum, imitare hunc Centurionem, et dicito: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. Ubi enim indigne ingreditur, ibi ad judicium ingreditur accipienti.* Secundum ex Hom. VII. in lib. Numer. desumptum est. *Tunc in aenigmate est manna cibus; nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus, sicut ipse dicit, quia caro mea vere est cibus.* Tertius testis hujus saeculi est S. *Cyprianus*, qui multis in locis de reali praesentia loquitur. Serm. V. de lapsis, eos reprehendit, qui post negatum Christum ad Sacramentum Eucharistiae nondum poenitentia perfuncti accedebant. *Corpus Domini invadunt*, inquit, *vis infertur corpori ejus et sanguini, et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negarunt.*

Saecul. IV. et V. Infinitus esset, qui omnia vellet horum et sequentium saeculorum Patres recensere, aut singula cujusque testimonia colligere. Insignia extant loca ex Saec. IV. *Concilii Nicaeni* I., *Athanasii, Hilarii, Cyrilli, Ambrosii, Basilii, Optati*, utriusque *Gregorii, Ephrem, Epiphanii*, etc. Ex saec. V. *Gaudentii, Hieronymi, Augustini, Cyrilli Alexandrin.* et *Concil. Ephes., Theodoreti, Leonis* M. etc. Quae legi possunt apud *Bellarminum.* Pauca tantum hic posita sint exempli loco. Sic *Cyrillus* Jerosol., cujus laus est in II. Synodo generali, tam diserte et proprie de hac re locutus est, ut nihil possit apertius dici. Catechesi IV. mystagogica ait: *Cum Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane: Hoc est corpus meum, quis deinceps*

audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante ac dicente: Hic est sanguis meus, quis inquam dubitet, et dicat, non esse illius sanguinem? Et ibidem: *Sic Christophori erimus, hoc est, Christum ferentes, cum ejus corpus et sanguinem im membra nostra receperimus.*

S. *Ambrosius* lib. de initiandis, cap. IX. *Hoc*, inquit, *quod conficimus corpus, ex Virgine est.... Vera utique caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta.* S. *Chrysostomus* Hom. LXXXIII. in Matth. *Multae matres post partum aliis mulieribus infantes dederunt, quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit.* Constat ergo, vetustissimos Patres realem Christi praesentiam clare, frequenter, et constanter docuisse; neque illud quisquam, nisi obstinatae mentis sit, inficiari potest.

II. Testimoniorum classis.

Et hoc argumentorum genus varium est et multiplex, ita ut ejus partes praecipuas indicare tantum possimus, adjectis paucis testimoniis.

I. Veteres omnes existimarunt, in Eucharistia summum esse miraculum. Hinc maxima quaeque miracula congerunt ex Scriptura, ut probent, illud quoque fieri a Deo posse, ut corpus Christi vere sub specie panis contineatur. Sic *Justinus* in Apologia antea citata exemplum affert Incarnationis Verbi. Et S. *Hilarius* de Trinit. lib. VIII. n° XIII. ait: *Vere Verbum caro factum est, et nos vere Verbum carnem cibo dominico sumimus.* Ita et *Ambros., Chrysost.* etc. Alio exemplo utitur *Cyrillus Jeros.* Catech. IV.: *Aquam aliquando mutavit in vinum in Cana Galilaeae sola voluntate, et non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem suum transmutaverit?* S. *Ambrosius* cap. XI. de iis, qui mysteriis initiantur: *Quantis igitur utemur exemplis*, ait, *ut probemus, non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis quam naturae: quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moses, projecit eam, et facta est serpens.* Deinde enumeratis multis V. T. miraculis concludit: *Quodsi tantum valuit humana benedictio,*

ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur?

II. Notum est, nullum ex Veteribus reperiri, qui verba Christi: *Hoc est corpus meum,* vel in Homiliis, vel in Scripturae commentariis, vel in Catechesibus in sensu figurato interpretatus fuerit, aut fideles admonuerit, ne ista verba in sensu litterali et omnibus obvio intelligerent. Contrarium prorsus in eorum operibus reperimus. De S. Eucharistia passim loquuntur tanquam de mysterio, quod sensus omnes, rationemque hominum excedit. Ideo frequenter monent, sensibus fidem adhibendam non esse, neque humana ratione metienda, quae divina auctoritate firmantur; Deo credendum, apud quem non est impossibile omne verbum: quod utique non fecissent, si in ea fuissent sententia, quod panis sola significatione et figura corpus Christi esset. Ne in colligendis testimoniis nimium occupemur, unum audiamus S. *Chrysostomum,* Homil. LXXXIII. in Matth.: *Credamus ubique Deo, nec repugnemus, etiamsi sensui et cogitationi nostrae absurdum esse videatur, quod dicit... Nam verbis ejus defraudari non possumus; sensus vero noster deceptu facillimus est: illa falsa esse non possunt; hic saepius atque saepius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate.* Cf. praeter auct. jam cit. *Maldonat.* de Euchar. part. II. quaest. II. Tertii gen. arg. — *Gerbertum* tom. XII. cap. VI. et VII.

III. Aliud, illudque certissimum argumentum ex veneratione depromitur, quam antiqui Patres Eucharistiae tribuebant; quae tanta est, ut majorem ei non tribuerent Sacramentarii, si crederent corpus Christi adesse. Et certe Calvinus Lutherum acriter reprehendit, quod, cum asserat corpus Christi in Eucharistia dari, eam tamen adorari prohibeat. Sed Patres id non tantum non prohibent, sed etiam docent et exigunt. Vid. *Chrysost.* Hom. LXI. ad popul. Antioch. — *Theodoret.* Dial. II. *Cyrill. Jerosolym.* Cat. V. *Ambros.* lib. III. de Spir. S. *August.* cap. CXX. etc. Quae autem a Patribus Eucharistiae tribuitur adoratio, ea ipsa est, quae cultus Latriae vocatur; idque tum ex Patrum scopo et contextu manifestum est, tum ex *Concilio Nicaeno* II.

generali VII., quod Sess. VI. declarat, Eucharistiam propterea semper fuisse adoratam a Christianis vere et proprie, quia non figura esset corporis, sed ipsum corpus Christi.

IV. Patres passim docent in tota veteri Ecclesia tantum venerationis tributum Eucharistiae, ut gravis culpae rei putarentur, qui eam negligenter tractarent. Sic *Origenes* Hom. XIII. in Exod.: *Nostis*, inquit, *qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo, cum suscipitis corpus Christi, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, siquid inde per negligentiam decidat.* Dicunt item, Christum unum nobiscum fieri, non tantum per dilectionem et fidem, sed corporaliter: nos fieri cum Christo *concorporales:* Christum se ipsum in ultima coena propriis gestasse manibus: nos, cum Eucharistiam manibus tenemus, ipsum Christum manibus contrectare: Eucharistiam corporibus nostris immortalitatem imprimere, haecque corpore et sanguine Christi alta, veluti fermentari ad resurrectionem futuram. Haec aliaque ejus generis Patrum dicta certo argumento sunt, Veteres existimasse, Christum vere et substantialiter praesentem esse in Eucharistia. Vid. *Tertull.* de corona militis cap. XIII. — Item de resurrect. carnis cap. VIII. — *Cyrill. Jerosolym.* Catech. IV. et V. — *Irenaeum* lib. IV. cont. haeret. cap. XVIII. et XXXIV. — *Gregor. Nyss.* Orat. catechetica magna cap. XXXVIII. — *August.* in Ps. XXXIII. *Chrysost.* pluribus in locis etc.

ARGUMENTUM PRAESCRIPTIONIS.

Hactenus in via discussionis versati sumus. Hujus argumenti magna utique est utilitas, si ii, qui convincendi sunt, aequos se praebent veritatis indagatores, talesque sint, qui animum possint ad longiorem et difficiliorem controversiam intendere. Verum plerisque ad instituendum examen aut otium, aut doctrina, aut ingenii acumen deest; alii non veritatem, sed effugia et erroris sui latibula quaerunt, et cum Scripturae loca et Patrum testimonia singillatim in contentionem vocantur, mirum est, quot exceptionibus et cavillationibus illi sciant res etiam claras et obvias pervertere et

implicare. Aguntenim, quod causarum malarum patronos agere noscimus: qui, cum rationibus vincere non possunt, infelici prorsus et iniqua arte moras nectere sciunt, et lites ex litibus trahere, ut ita ab uno ad aliud transcurrendo saltem permisceant quaestionem, et eos, qui examen instituunt, novis semper difficultatibus fatigent.

Nunc aliud argumenti genus proponimus, quo nullum est refellendis erroribus magis idoneum. Nam facillimum est et compendiosum, atque ita invictum, ut repugnare nemo possit, nisi nervos omnes adversus veritatis evidentiam intendat. Hoc argumentum *praescriptionis* vocatur, et in hanc pene formam includitur: Quando saeculo XVI. Sacramentarii impios et nefandos circa Eucharistiam errores spargere coeperunt, is erat universae Ecclesiae sensus, corpus et sanguinem Christi Domini vere et realiter in Eucharistiae Sacramento contineri. Ergo haec fides eadem semper fuit, neque alium praeter Christum habere potuit auctorem.

Probat. I. antecedens iisdem fere rationibus, quas supra retulimus, cum de septenario Sacramentorum numero ageretur *a*). Notum est, quae universae Occidentalis Ecclesiae doctrina fuerit, quando initium sumpsit nova reformatio. Illud quoque certum est, nullam fuisse Christiani nominis Ecclesiam in toto terrarum orbe, quae cum Ecclesia Romana in hoc dogmate non consenserit. Graecorum schismaticorum fides ex antiquissimis eorum Liturgiis et Euchologiis manifesta est, idque disertis verbis confitetur Apologia Augustanae Confess. in art. X. « Comperimus, ajunt, non « tantum Romanam Ecclesiam affirmare corporalem prae« sentiam Christi, sed idem et nunc sentire et olim sensisse « Graecam Ecclesiam, ut testatur canon Missae apud Grae« cos. » In hac fide constanter permanserunt Graeci omnes, quamvis a Novatoribus multis artibus tentati fuerint et pellecti. Imo hac occasione nova dederunt fidei suae praeclara argumenta. Sic *Jeremias*, Patriarcha Cp., anno 1570 haec rescripsit novis haereticis: *Multa de vobis referuntur, quae a nobis nullo pacto probari possunt. Ecclesiae igi-*

a) Part. I. cap. II.

tur sanctae illud judicium est, in sacra coena, post consecrationem et benedictionem, panem in illud ipsum corpus Jesu Christi, et vinum in illum sanguinem virtute Spiritus sancti transire et immutari. Haec fidei professio confirmata fuit in Synodo Graecorum Jerosolymit. anno 1668, et altera Bethlehemitica 1672.

Eandem cum Graecis fidem profitentur Russi seu *Moscovitae.* Haec Ecclesiae Graecae propago est; et quamvis hodie propriam Synodum habeat, cujus auctoritate res Ecclesiasticae reguntur, ritus tamen et doctrinam Graecorum constanter retinet, neque a fide, quam ab illis didicit, avelli se unquam passa est. Certa quoque est Ecclesiarum omnium Orientalium cum Ecclesia Catholica de Sacramento Altaris consensio. Et quoniam longum esset ire per singulas sectas, quarum aliquae a quinto jam saeculo a communi matre scissae sunt, adversarios ad illos remittimus, qui in hoc genere demonstrationis felicius versati sunt, imprimis ad egregium opus *Perpétuité de la foi Catholique sur l'Eucharistie,* quod novis testimoniis auxit, et a Novatorum cavillationibus vindicavit clariss. *Renaudot.*

Prob. II. consequentia. Invicta est, quae ex praemissis eruitur consequentia. Nunquam totius orbis Christiani, et omnium aetatum ac regionum consensus potuisset in unam praesentiae realis fidem conspirare, nisi ab initio dogma illud fuisset omnibus Ecclesiis traditum. Aut dicant adversarii, qua ratione fieri potuerit, ut tota Ecclesia post Apostolorum tempora in novum dogma concesserit, ab antiqua fide aeque quam a sensibus et communi judicandi ratione remotum? Quis sibi persuadeat, tantam subito conversionem factam in re tanti momenti, atque ad praxin et usum quotidianum pertinente; quin aliqua tam insolitae mutationis in Ecclesiarum monumentis mentio occurat, quin ulla Synodus novitatem proscripserit, ulli Episcopi adversus eam se armarint? Sed reponunt, saeculo nono innovationem factam esse, eamque ex Paschasii libro de corpore et sanguine Domini fluxisse. Quam insulsum sit ejusmodi commentum, jam supra monstratum fuit. Quis enim id in animum suum inducat, illorum temporum Episcopos, Presbyteros, Monachos omnes inaudi-

tam hactenus doctrinam ultro amplexos, citra ullam disceptationem et contentionem? Et, quod magis mirere, id ipsum evenisse in omnibus sectis Orientalium, tot retro saeculis a Romana Ecclesia divulsis, neque ullam extare hujus innovationis memoriam? Quid? Ineunte saeculo undecimo nemo mutationem ejusmodi suspicatus est. Nam cum *Berengarius* contra realem praesentiam docere coepit, omnes ejus doctrinam exhorruerunt, et qui contra eam stylum verterunt, omnes testati sunt, neminem ante ipsum in hunc furorem insaniisse. Magna iterum eo tempore inter Graecos et Latinos contentio exarserat: at quamvis sibi multa mutuo exprobrarent, atque etiam de azymo et fermentato in Eucharistia magna esset dissensio; tamen circa realem corporis et sanguinis Christi praesentiam nullum alicujus dissidii vestigium reperitur. Constat ergo, dogma realis praesentiae cum Ecclesia Catholica initium sumpsisse, neque fieri unquam potuisse, ut propagata jam et stabilita per Apostolos Christi doctrina, contra antiquam fidem irreperet, ac totam Ecclesiam pervagaret. Accedit, quod consensus tam constans et unanimis in ea tantum doctrina haberi possit, quae vere divina est, et ex uno fonte ad omnes dimanat. At nunquam tanta cogitari potest in errorem consensio, quia error multiplex est, et ab humanis affectionibus pendens. Hinc optime *Tertullianus* ait de praescriptione cap. XXVIII.: *Ecquid enim verisimile est, ut tot et tantae Ecclesiae in unam fidem erraverint! Nullus inter multos eventus unus exitus est; variasse debuerat error doctrinae Ecclesiarum. Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.*

OBJECTIONES HAERETICORUM REFELLUNTUR.

Objic. I. *contra argument. ex verbis promissionis deductum.* Caput VI. Joannis ad Sacramentum Eucharistiae non pertinet, sed de cibo spirituali agit, seu de spirituali manducatione, quae fit per fidem in Christum, ut ex multis locis patet. Sic v. 35. dicitur: *Ego sum panis vitae; qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam* ... quod aliter, quam de fide intelligi non potest.

Resp. Non unum est hujus capitis argumentum, idque obvium est omnibus, qui illud paulo attentius perlegunt. Agitur autem 1.° de cibo materiali, seu de illustri miraculo, quo Christus quinque hominum millia quinque panibus satiavit. 2.° v. 26. transitus fit ad rerum spiritualium studium: a cibi materialis et corruptibilis appetitione, ad cibum spiritalem et incorruptum, atque imprimis fides commendatur in Christum incarnatum: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Hoc argumentum continuatur usque ad v. 52. Hac ratione Christus animos praeparare voluit ad ea, quae postea sequuntur de manducatione sui corporis sacramentali. Ut nempe prius fidem haberent in rem ipsam Sacramenti, seu in Verbum incarnatum, et ita aptiores fierent ad tam sublime mysterium intelligendum. Prius enim est fide credere, deinde ore sumere; et praeclare S. *Leo a): frustra de corpore et sanguine in Eucharistia satagimus, si contra illa de propria Christi persona disputamus; hoc enim ore sumitur, quod fide creditur.*

Inst. I. Christus de illa manducatione loquitur, quae dat vitam aeternam, et sine qua nemo potest habere vitam aeternam. Atqui utrumque de manducatione tantum spirituali dici potest, non de sacramentali: nam multi corpus Christi manducant et moriuntur; multi etiam non manducant et vivunt, ut parvuli, qui ad hoc Sacramentum non admittuntur.

Resp. nego min. Utrumque de Eucharistiae Sacramento optime dicitur. Primo, si qui sunt, qui corpus Domini in judicium sibi manducant, illud provenit ex indispositione suscipientis, non ex ipso Sacramento, quod ex se semper est efficax. Unde cum Christus ait v. 59.: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum...* illud, sicut aliae promissiones omnes, sub aliqua conditione, vel intellecta, vel expressa, accipi debet. Sic Lucae XI. dicitur: *Omnis, qui petit, accipit,..* id est, qui bene petit. Et Joëlis II.: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit...* id est, qui invocaverit, sicut oportet. Et si Christus ipse pronuntiat: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, quis non conditionem subesse videt?

---

a) Serm. IV. de jejun. septim. mensis.

2.° Verba Christi: *Nisi manducaveritis* etc., ex quibus adversarii argumentantur, necessitatem quidem imponunt manducandi carnem Filii hominis, sed iis tantum, qui possunt manducare; semper enim praecepta affirmativa sic intelliguntur. Nihil ergo cogit, verba illa de manducatione per fidem intelligere; neque hac ratione tolleretur difficultas. Nam si sermo est de manducatione, quae per fidem fit, et sine ea nemo potest vitam aeternam habere, quomodo habent vitam aeternam infantes, qui moriuntur antequam per fidem manducaverint carnem Christi?

Inst. II. In postrema parte capitis VI. Christus satis aperte declarat, se de manducatione carnis figurata et metaphorica per fidem locutum esse. Ergo etc.

Prob. ant. Cum Christus vidisset, ea quae de carnis suae manducatione dixerat, male fuisse a Judaeis intellecta, falsam eorum opinionem corrigens addit: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* id est, quando videritis corpus hoc sursum elevari in coelum, tunc tandem intelligetis, non posse illud a vobis manducari carnaliter; adeoque spiritualiter sumenda esse, quae de manducatione carnis meae ad vos locutus sum. Ergo etc.

Resp. Nego eum esse sensum verborum Christi, quem adversarii illis affingunt. Si Christus voluisset de spirituali manducatione intelligi, facillimum illi fuisset unico verbo omnem dubitationem a Judaeorum cordibus aufferre: illud autem Christus non egit, sed, quae dixerat, magis adhuc inculcavit, uti in probatione dictum est. Nunc ad objectum ex cap. VI. locum quaedam respondenda sunt. Illius loci: *Hoc vos scandalizat* etc. duplex tantum interpretatio dari potest, quae cum verborum contextu cohaereat. Prima, quam plures Veterum secuti sunt, ait, Christum adducto in medium majori et splendido miraculo, Ascensionis nempe, probare voluisse, se posse etiam id facere, de quo Judaei dubitabant, videlicet dare carnem suam ad manducandum. Altera sententia est, verba Christi non docentis esse, sed reprehendentis; ita ut primum augeat difficultatem, deinde solvat. Ait enim: si hoc vos nunc scandalizat, quod carnem meam me daturum dixerim, cum tamen me praesentem cernitis; quid ergo facturi estis, cum in coelum abiero? Quomodo credetis carnem meam

a vobis manducari, cum eam videbitis in coelum illatam? Hoc ipsum est, quod hodie offendit haereticos.

Inst. III. Quod Christus de spirituali manducatione corporis sui intelligi voluerit, apertum est ex his ejus verbis, quibus Judaeos obmurmurantes repressit: *Spiritus est, qui vivificat etc.* Ergo etc.

Resp. nego ant. Ex illis Christi verbis id tantum sequitur, quod corporis et sanguinis mysterium neque credi, neque percipi possit cum fructu, nisi ab iis, quos Spiritus vivificat. Nam cum Judaei existimarent, Christum daturum esse carnem suam in frusta concisam et more aliorum ciborum manducandam, hunc pravum eorum intellectum correxit, eosque docuit, se corpus suum traditurum, vere quidem, sed non carnali modo manducandum: neque omnes, qui carnem ejus acceperint, vitam habituros, sed qui digne, id est, cum fide et dilectione acceperint. Quod *Augustinus* pulchre explicat Tract. XLVII. in Joan.: *Quid est ergo: Caro non prodest quidquam? Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur; non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est: Caro non prodest quidquam, quomodo dictum est: Scientia inflat. Sola sine charitate. Ideo adjunxit: Charitas vero aedificat. Adde scientiae charitatem, et utilis erit scientia. Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, et prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis.*

Potest etiam per haec verba: *Caro non prodest quidquam*, humanum ingenium, aut carnalis sensus intelligi, qui mysteria divina non assequitur, nisi spiritus excitet fidem et intelligentiam. Quod hic sensus sit hujus loci, valde nobis probabile videtur. Quomodo enim Christus de sua carne dixisset, eam nihil prodesse? Nam et nata et crucifixa multum profuit. Constat etiam carnem, quando in Scripturis spiritui opponitur, non pro natura carnis, sed pro infirmitate et carnali intelligentia sumi, quae ex corruptione humanae naturae nascitur: ut multis Scripturae locis probari potest. Sic Joan. III.: *Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum ex spiritu, spiritus etc.* Cf. *Maldonat.* de Euchar. quaest. II. et in Commentario.

Inst. IV. Complures ex sanctis Patribus totum caput VI. Joannis spirituali quodam modo sunt interpretati, vel de verbo Dei quo alimur, vel de doctrina Christi, aut ejus adventu. Imo S. *Augustin.* manducationem realem expressis verbis excludit Tract. XXV. in Joan., ubi in haec Christi verba: *Operamini escam, quae non perit*, ait: *Quid paras dentes et ventrem? Crede, et manducasti.*

Resp. Notum est, Scripturas a Patribus, et litterali, et spiritali sensu exponi: sed nusquam illi litteralem hujus capitis sensum rejiciunt, imo adstruunt potius innumeris in locis. Id etiam ultro confitemur, Christum, cum de manducatione sacramentali corporis sui loquitur, spiritualem manducationem non excludere, sed exigere magis. Porro a versu 26. usque ad 51. tantummodo de cibo spiritali et fide in Christum sermo habetur; huc et illa verba versus 27. pertinent: *Operamini cibum, qui non perit.* Eaque S. *Augustinus* optime est interpretatus. *Quaeritis me*, ait Christus v. 26., *quia manducastis ex panibus, et saturati estis.* Sed *operamini cibum* meliorem, qui dentibus non teritur, neque in ventrem abit, sed cibum quo mentes reficiuntur, et *qui permanet in vitam aeternam.*

Objiciunt II. *contra argument. ex verbis institutionis.* Quando Christus usus est his verbis: *Hoc est corpus meum*, signum tantum corporis praebere voluit Apostolis. Nihil enim frequentius in Scripturis occurrit, quam ejusmodi propositiones, in quibus signo ipsi ratio et nomen rei significatae tribuitur. Pauca exempli loco afferamus. Genes. XVII. Circumcisio pactum vocatur, cum signum tantum foederis fuerit. Ibid. cap. XLI. Josephus ad Pharaonem ait: *Septem boves pulchrae, septem ubertatis anni sunt* ... id est, significant. Daniel II. Propheta somnium explicans Nabuchodonosoris ait: *Tu es caput aureum.* Apost. I ad Cor. X.: *Petra erat Christus.* Sed et Christus ipse de se loquens ait: *Ego sum ostium. Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est.* Joan. X. et XV. Demum, quod ad hanc rem praecipuum est, Exod. XIII. legitur: *Agnus est Phase Domini.* Hic quippe signo nomen rei significatae tribuitur citra omnem praeviam admonitionem, et in ipsa ritus sacri institutione. Ergo etc.

Resp. I. Nunquam figuratus sensus, qualem Calviniani inducunt, verbis Christi aptari poterit; is enim a communi hominum sensu prorsus abhorret. Nomen rei significatae nunquam signis ipsis tribuitur, nisi nota haec sint, et jam in signum rei constituta, aut sensus ex verborum contextu aut circumstantiis appareat. At nihil ejusmodi in Christi verbis reperitur. Panis ex natura signum corporis Christi non est, cum huic significando ex naturae suae conditione destinatus non fuerit, neque illud significare potuit ex communi usu, cujusmodi nullus tunc fuerat; neque denum ex institutione Christi; cum enim ibi jam dicatur corpus Christi, debuissent Apostoli antea institui, et de hac significatione admoneri. At nihil ejusmodi occurrit. Quorsum ergo verba in alienum et figuratum sensum contorquent adversarii, cum proprium et naturalem habeant intellectum, qui ultro se omnibus offert, adeo ut ab omnibus per orbem Ecclesiis in sensu nativo et proprio semper fuerint accepta? Aut dicant, quibus tandem verbis Christus uti debuisset, si voluisset proprium nobis corpus et sanguinem praebere? An alia adhibere potuisset magis propria et perspicua? Atque illud certe mirum videri debet, quod viri isti, qui ubique clamant, tam apertas esse Scripturas, ut nihil eorum quae ad Christi doctrinam pertinent absconditum sit et obscurum, verba tamen institutionis tam pauca, tam simplicia, tam obvia, in tot diversas expositiones torqueant, ut a nonnullis ducentae numerentur discrepantes sententiae.

Resp. II. Quae ex Scripturis proferuntur exempla, nihil probant. 1.° Cum Deus circumcisionem instituit, non ait, eam foedus esse, sed conditionem foederis, et signum illius perpetuum: v. 11. *Circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos.* 2.° Nunquam Joseph Patriarcha Pharaoni dixisset, septem vaccas pulchras esse septem ubertatis annos, nisi somnii narratio praecessisset. Quid, si Josephus alium quemcunque, cui hoc Pharaonis somnium ignotum fuisset, ita subito esset allocutus: *Septem boves pulchrae septem ubertatis anni sunt?* Nemo ita loqui posset, nisi forte jocandi gratia. — Idem ad haec Danielis verba respondendum: *Tu es caput aureum.* Quae Nabuchodonosori dici ab homine sano non potuissent, nisi somnium indicatum prius fuisset. 3.° Quando Apostolus de veteri lege loquens ait: *Petra erat Christus* .... jam praeparati erant legentium animi, ut

petram deserti figuram Christi esse intelligerent: id enim in iis, quae praecedunt, verbis diserte indicatur. *Bibebant autem de spirituali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus.* 4.° Quae ex parabolis desumpta sunt exempla, uti cum dicit Christus: *Ego sum ostium.... Ego sum vitis....* nihil ad hoc praesens argumentum pertinent. Quis enim non statim videt metaphoricas esse illas expressiones, et per eas aliquam Christi virtutem et proprietatem designari? Caeterum non advertunt adversarii, hanc propositionem: *Hoc est corpus meum*, non esse similem huic directae propositioni: *Ego sum vitis. Ego sum ostium.* Has, ut valeret comparatio, invertere oporteret, et dicere monstrando ostium aut vitem: *Hoc est Christus.* Quod genus enuntiationis penitus esset ridiculum. 5.° Nihil etiam ad nostram quaestionem attinet celebris ille Exod. XII. locus, in quo Zwinglius vim praecipuam sententiae suae posuit. Narrat enim se, cum noctu de verbis Christi disputare sibi videretur, spectrum vidisse, quod nesciebat atrum esset, an album; illudque sic eum compellasse: Cur, ignare, non respondes illud Exodi: *Agnus est Phase Domini?* Haec narratio nihil probat praeter Zwinglii, et spectri illius, a quo edoctus fuerat, inscitiam. Illud enim, quod agnus Phase aut transitus Domini dicitur, merus est hebraismus, ubi victimae nomen subintelligitur: quemadmodum hostia pro peccato, etiam peccatum dici solet. Caeterum v. 27. expressis verbis dicitur: *Victima transitus Domini est.*

Instant I. Evangelistae, cum Eucharistiae institutionem describunt, uno et eodem verborum contextu narrant, Christum accepisse panem, benedixisse, fregisse, et dedisse Discipulis. Ergo Discipuli panem manducarunt; id enim manducarunt, quod acceperunt, illud autem acceperunt, quod Christus benedixit, fregit, et dedit. Ergo etc.

Respond. dist. conseq. Apostoli illud, quod Christus benedixit etc. acceperunt, sed mutatum, et in corpus Christi per ipsa ejus verba conversum, *conc.* Illud acceperunt non mutatum, *nego.* Haec est propositionum ejusmodi, quae practicae dicuntur, proprietas, ut illud, quod dicunt, operentur. Sic cum Deus dixit: *Fiat lux*, facta est lux. Sic si quis librum mihi porrigens ait: Hic liber nunc tuus est, hoc ipso meus efficitur liber; neque fallax

esset propositio aut obscura, si diceret: Hic *meus* liber nunc tuus est. Caeterum inusitata non est illa loquendi ratio, ut multa verba ad rem eandem referantur, et tamen res non perseveret eadem, sed mutetur, prout postulat vis verborum. Ita, ut unico exemplo rem illustremus, Luc. IX. Christus dicitur accepisse septem panes, benedixisse, fregisse, dedisse Discipulis, Discipulos turbis, turbas fuisse saturatas; ubi omnia verba ad septem panes referuntur: tamen quando dederunt, et turbae saturatae sunt, panes illi jam non erant septem panes, sed mutati in multo plures.

Instant II. In hac propositione: *Hoc est corpus meum*, pronomen *hoc* non potest nisi panem demonstrare: atqui panis non potest reipsa corpus Christi esse; ergo necesse est ut ejus figura tantum sit.

Resp. nego maj. Nos econtra contendimus pronomen *hoc* nulla ratione panem demonstrare. Vel enim adjective pronomen illud accipitur, vel substantive. Si adjective, debet concordare cum substantivo; ideoque non potest demonstrare panem, quia nomen panis graece et latine masculini generis est. Ergo reliquum est, ut substantivum sit σῶμα, id est corpus, quod neutrum est. Similiter in altera specie, vinum graece est masculini generis, et sanguis neutrius; Dominus autem non dixit οὗτος, *hic*, sed τοῦτο, *hoc*. Latine e contrario vinum est neutrius, et sanguis masculini; et tamen omnes legunt: *Hic est sanguis*, non *hoc*, vinum scilicet, est sanguis. Si pronomen *hoc* substantive accipitur, ita ut illud τοῦτο, *hoc*, subjectum sit totius propositionis, tunc sensus erit: Hoc quod vobis trado, aut haec res est corpus meum. Sed hoc iterum panem demonstrare non potest, ac si Christus diceret: Hic panis est corpus meum: inepta enim haec locutio esset; non enim potest dici *hoc* de re aliqua quae cernitur et aperte cognoscitur, nisi res illa generis neutrius sit. Nemo fratrem suum demonstrans diceret: Hoc est frater meus. Cf. majores Theologi. — Card. du *Perron*, *Maldon.*, *Tournel.*, qui diffuse de hac materia disputarunt. Imprimis doctiss. Card. *Bellarmin.* cujus est responsio haec, quam attulimus.

Addit autem et hoc argumentum, quod non exigui roboris est. — Si pronomen *hoc* demonstraret panem; ergo in consecratione vini, vox *hic*, aut graece *hoc* etiam demonstraret vinum. Sed aperte repugnat S. Lucas, ubi cap. XXII. sic legitur:

Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματι μοῦ τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. *Hic calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur.* Ubi *qui effunditur*, non conjungitur cum his verbis: *In sanguine meo*, sed cum illis: *Hic calix*, ut ex Graeco textu manifestum est. Ergo calix dicitur effundi: cum autem vas ipsum effundi non possit, ergo illud, quod erat intus. At certe non vinum, quod non est pro nobis effusum; sed verus sanguis. Patet ergo haec verba: *Hic calix*, non significare calicem vini, sed calicem sanguinis.

Illud quoque in hac re notandum est, discrimen esse inter speculativam propositionem, et practicam. Speculativa objectum non facit, sed supponit, et ideo unum tantum habet objectum, in quo nulla concipitur facta mutatio. Practica subjectum ut mutationi obnoxium spectat, quod alio modo se habet sub initium, alio sub finem propositionis: ac reipsa duplex est in eis subjectum, seu duplex terminus, unus a quo, alter ad quem fit mutatio.

Scholion. Adversarii, quando de Scripturae verbis agitur a genuino sensu detorquendis, infiniti sunt in congerendis tricis et sophismatibus, quibus imperitis fucum faciunt. At fides nostra non ad abstrusas dialecticae tricas exigenda est, sed ad Scripturae et Traditionis normam, et ad communem hominum intellectum. Optime Cardin. *Perronius*, cum de haereticorum jejunis et sophisticis cavillationibus loquitur, quibus clara haec Christi verba: *Hoc est corpus meum*, obscurant, ait *a)*, vanitatem ejusmodi subtilitatum facile deprehendi, si ad alia exempla transferantur. Si Moses v. g. convertendo aquas in sanguinem, aut virgam in serpentem dixisset: *Hic est sanguis; Hic est serpens;* si Christus aquam in vinum mutans dixisset: *Hoc est vinum;* an non similiter quaeri posset, quid pronomen *hic* vel *hoc* demonstret? Sed quidquid argutiarum congeratur, clara erit propositio, si ex communi et simplici hominum sensu judicetur.

Dicent forsan, etiam inter Catholicos magnam esse de hujus pronominis intellectu dissensionem. Respondemus, ejusmodi controversias in omnibus rebus, etiam apertissimis, occurrere, quando mens inquieta, sensu obvio non contenta, metaphysicos anfractus

---

a) Lib. II. de Euchar. cap. XXVII.

et tenues subtilitates persequitur. Nihil evidentius est, quam nos cogitare, velle etc. cum ideas ipsas consulimus, quas hae voces statim cuilibet imprimunt: sed ubi curiosius in rem ipsam inquirimus, mirum est in quantas nos inducimur difficultates. Caeterum bene observandum est, Catholicorum opiniones dogmatis substantiam non attingere, omnesque Novatorum errori pariter esse infensas: omnes pene ad grammaticales aliquas tricas reducuntur. Sic plures voluerunt, pronomen *hoc* neque corpus Christi demonstrare, neque panem, sed vage et indefinite illud, quod Christus manibus tenebat: alii eo pronomine corpus Christi designari putant; alii panem ipsum exprimi volunt, sed non in sensu Novatorum, nam hanc significationem dicunt transitoriam tantum esse, quia illud, quod ab initio propositionis panis est, corpus Christi efficitur. Haec utique facile in unam et integram coalescunt sententiam; imprimis si ad illud attenditur, quod supra de natura propositionis practicae diximus.

Objiciunt III. *Contra argument. ex PP. et praescriptione.* Rarissima sunt veterum Patrum testimonia, neque satis aperta et definita, ut ex illis argumentum erui possit Catholici dogmatis. Ergo etc.

Respond. 1.° Ex probatione apertum est, non ita rara esse Veterum testimonia, ut adversarii volunt, sed sicut auctoritate, sic et numero ponderosissima. 2.° Si ex illis temporibus, quae proxima fuerunt Apostolis, tanta non adest testium copia, quantam postea reperimus, ratio aperta est. Pauca admodum illorum temporum scripta supersunt, neque de hoc mysterio mota erat controversia. Pro ipsa Religionis Christianae summa tunc decertandum erat; neque a mysteriorum fide quisquam aberat, qui Christi doctrinam tanquam coeleste ac divinum munus ex animo amplectebatur. 3.° Notum est, Veteres mysteria nostra ex praecepto Christi et Traditione Apostolica summo studio occultasse non paganis tantum, sed et catechumenis; nusquam autem major illis cura fuit, quam ubi de Eucharistia verba faciebant. Inde usitatae illorum formulae: *Norunt omnes.* Inde illud Origenis *a*), cum de Eucharistia loquitur: *σῶμα ἁγιόν τι, corpus quoddam sanctum.* Sic et Augustinus epist. 120. ad Honoratum,

---

a) Lib. VIII. contra Celsum.

qui adhuc catechumenus erat, de mysterio quidem gratiae, de quo magna tum cum Pelagianis controversia erat, aperte disputat; sed obscurius de Eucharistia disserit, quam N. T. sacrificium vocat: *Ubi*, inquit, *et quando, et quomodo offeratur, cum fueris baptizatus invenies.* Hoc ipsum autem, quod hac de re subobscure saepius, et quasi aenigmatice locuti fuerint, multo magis Catholicam doctrinam confirmat; et Patres, suam sententiam paganis, iisque, qui initiati nondum fuerunt, occultando, eam nobis quam maxime prodiderunt; nam si ea doctrina imbuti fuissent, quam Sacramentarii tuentur, panem scilicet Eucharisticum signum tantum esse et figuram corporis Christi; profecto non videtur, cur tantam adhibuissent diligentiam, ne profanis Sacramentum hoc innotesceret. Quae enim paganis fuisset cavillandi ratio in re tam obvia, quae nihil haberet sensibus contrarium, aut ab humana judicandi ratione alienum? An non potius, ut omnem calumniandi occasionem praecluderent, diserte et dilucide edicere debuissent, se verum Christi corpus in Eucharistia non manducare, neque sanguinem bibere; sed panem tantum et vinum sumere in sui, a quo instituti fuerunt, Magistri memoriam? Sed longe haec erant a mente Patrum. Nihil ab iis unquam prolatum est, quod dogmati realis praesentiae esset contrarium; haec enim eorum et totius Ecclesiae fides erat. Sed vetabat arcani disciplina, ne, quando catechumeni et nondum initiati aderant, apertius dogma exponerent. Tunc quibusdam loquendi formulis utebantur, quae fidelibus mysterium satis aperte significabant, caeteris occultabant.

Instant I. Patres, cum de sacra Eucharistia loquuntur, iis nominibus eam designant, quae cum reali praesentia conciliari non possunt. Dicunt enim corpus Christi in Eucharistia repraesentari, in ea manducari spiritualiter; Eucharistiam panem vocant, item figuram, typum, imaginem, Sacramentum corporis Christi. Ergo etc.

Resp. nego ant. Nihil a Patribus de Eucharistiae mysterio dictum est unquam, quod cum reali praesentia non optime cohaereat. Et quae contra afferuntur argumenta vanae sunt heterodoxorum cavillationes.

1.° Verbum *repraesentare* apud Veteres saepe idem est ac solvere, aut rem aliquam praesentem exhibere. Ita hanc vo-

cem sumunt *Tertullian.*, *Ambrosius*, *Hieronymus* etc. Vid. *Maldonat. a*).

2.° Patres de spirituali manducatione eodem sensu loquuntur, quo Christus ipse Joan. VI. dixerat: *Spiritus est, qui vivificat* etc. Primum enim carnalem illum sensum excludunt, quem Judaei animo conceperant. Deinde docent, corporalem manducationem non prodesse, sed multo magis nocere indigne sumentibus. Ita ergo manducandum esse corpus Christi, ut Christus in nobis maneat, et nos in Christo, quae comedendi ratio bonis tantum propria est.

3.° Heterodoxi magno labore ex Patribus testimonia solent corradere, quibus Eucharistiam panem appellant, aut figurae, signi, imaginis etc., nominibus designant: sed haec a Theologis nostris toties depulsa sunt, ut mirum sit, eadem semper cum tanta fidentia repeti posse. Longum certe esset et infinitum ire per singula; hinc pauca tantum a nobis observanda sunt, quibus tota disputationis moles corruit. Duo sunt, quae se in Eucharistia menti nostrae offerunt: nempe corpus Christi, quae est pars hujus Sacramenti praecipua, et species panis, quae oculis cernitur. Nihil autem inter homines usitatius est, quam ut rebus vocabula imponantur, quae rem ex parte tantum designant. Inde Patres signi, figurae, imaginis, imo et panis voces saepe adhibuerunt, et nos quotidie adhibemus; et, cum aliunde certum sit, corpus Christi cum specie sensibili esse conjunctum, simul ac signum exprimimus, etiam ideae Sacramenti et corporis Christi subeunt animum. Unde multum opinione sua fallitur, qui ex solis his vocibus signi, figurae etc., quae fuerit Veterum sententia colligit; non enim ex iis vocabulis sanctorum Patrum circa Eucharistiam fidem, sed potius ex eorum fide cognita perspectum habemus vocabulorum sensum. Aliter enim Calvinista his vocibus utitur, aliter Catholicus. Dantur utique figurae, quae veritatem ipsam non continent, ut de veteris Testamenti figuris liquet; sed datur etiam figura, quae veritatem continet. Hinc quando certis argumentis constat, Patres, qui ejusmodi voces figurae aut typi adhibent, omnino persuasos esse corpus Christi in Eucharistia substantialiter contineri, tunc certe obscurum esse non

---

a) De Eucharist. quaest. II. secunda conject. et duodecim.

potest, eam ab illis figuram intelligi, quae rem ipsam includat. Christus ergo panem corporis sui figuram fecit, ut *Tertullianus* loquitur *a*), quia voluit corpus suum, sub hoc quasi involucro latere. Ita et typi et imaginis vocabulum Patres usurpant, item Sacramenti, mysterii; quia Eucharistia ex duabus rebus componitur, ex terrena et coelesti; una oculis cernitur, altera fide intelligitur; una typus tantum est, aut imago illius corporis, quod aliena specie tegitur. « *Sub diversis speciebus, signis tantum et non rebus, latent res eximiae.* »

Ne longior fiat haec discussio, pauca haec adjicimus: Eos praecise Patres frequentius voces signi, typi, figurae etc. usurpare, quorum sententia circa realem praesentiam tam certa est et manifesta, ut omne prorsus dubium excludat. Sane *Cyrillus Jerosol.*, *Ambrosius*, *Chrysostom.*, *Cyrillus Alexand.* etc. dilucide sententiam suam de praesentia corporis et sanguinis Christi aperuerunt, ut ne Scholastici quidem Theologi accuratius loqui possint. At *Cyrillus Jerosol.* vocem antitypi adhibet *b*), *Cyrill. Alex.* typi vocabulum aliquoties usurpat, *Chrysost.* Eucharistiam Symbolum vocat *c*), *Ambros. d*) Sacramentum, seu rei sacrae signum. Patet ergo, voces illas in mente Patrum nihil habere, quod cum vera et reali praesentia pugnet. Vid. auctores supra citatos.

Neque illud praetermittendum est, antiquos Patres confidentius usos fuisse ejusmodi vocabulis, quae mysterii ipsius natura, et fidelium usus invexerat; cum nondum Sacramentarii exorti essent, qui ea postmodum contra Ecclesiae doctrinam detorquebant. Adde, quae de arcani disciplina priore responsione diximus.

Instant II. Si dogma realis praesentiae a primis saeculis fuisset in Ecclesia pervulgatum, id procul dubio scivissent gentiles et Christianis objecissent: at altum est apud illos de hoc mysterio silentium. Ergo etc.

Resp. I. nego maj. Argumentum ex paganorum silentio deductum nullius est ponderis: jam enim a nobis probatum est *e*), Christianae Religionis Sacramenta, et prae caeteris illud Eucha-

---

a) Lib. III. cont. Marc. cap. XIX. *b*) Catech. V. *c*) Homil. LXXXIII. in Matth. *d)* De init. cap. IX. et X. *e)* Vid. supra obj. III. Item Demonst. Cath.

ristiae, non fuisse primis saeculis temere propalata. Hoc *Tertullianus* in Apol. non dissimulat: *Unde*, inquit, *extraneis notitia? Cum etiam piae initiationes arceant profanos, et arbitris careant?*

Resp. II. nego min. Quaecunque fuerit Christianorum in occultando Eucharistiae mysterio sollicitudo, id tamen impedire non potuerunt, ut non aliqua, quamvis obscura et confusa illius cognitio ad gentiles pervenerit. Inde pervagata apud illos adversus Christianos calumnia, infantem ab iis occisum, farina obductum manducari. Quid autem egerunt Christiani ut hoc a se flagitium repellerent? Constanter professi sunt, etiam acerrimis cruciatibus tentati: tantum scelus Christianis per summam calumniam impingi; nihil in eorum ritibus reperiri, quod non esset pietate et sanctitate plenum; attamen mysterium non prodiderunt; quod utique intelligi non posset, si de Eucharistia non aliter ac Calvinistae sensissent; in promptu enim fuisset responsio: Christianos verum panem manducare, qui signum esset Christi pro nobis mortui; eam manducationem non aliud quidquam esse praeter mortis ejus commemorationem aut meditationem. Ruit ergo Calvinianorum argumentum, aut certe eos magis premit quam Catholicos. Nam si Eucharistia penitus incognita fuit Ethnicis, de ea utique loqui non potuerunt: si autem imperfectam aliquam ejus notitiam habuerunt, et persuasum illis fuit, in coena Eucharistica carnem humanam edi instar alterius cibi: tunc manifestum est, Christianos praesentiam realem agnovisse.

Objiciunt IV. Fides Eucharistiae, qualis nunc a Catholicis praedicatur, intellectu difficilior est, quam ut a multitudine capi possit: ergo non potuit ita proponi ab Apostolis, qui rem tam incredibilem praedicando nuspiam reperissent fidem.

Resp. nego conseq. Eucharistia id habet cum aliis Religionis Catholicae mysteriis commune, quod humana ratione capi non possit; et eam sibi utique consentientem non habeat, cum nuda est, et a fide destituta. Verum haec ipsa ratio, si sana est, optime novit, se non posse ultra constitutos a fide terminos excurrere, et Deum multo plura posse facere, quam illa possit intelligere. Caeterum de fide mysteriorum in ipso limine harum institutionum egimus. Id autem hoc loco observandum putamus, hanc Protestantium concludendi rationem recta via ad naturalis-

mum ducere, neque mirum esse, si in hoc luto nunc haereant plerique eorum Doctores. Lutherani, cum ex ratione pugnarunt contra transsubstantiationem Catholicorum, Calvinianis arma subministrarunt contra realem praesentiam. Sed mox Sociniani et Naturalistae iisdem armis usi sunt, ut omnem mysteriorum fidem everterent. Plebs Christiana fidem revelatis veritatibus libenter adhibet, hac ratione contenta, quod Deo nihil sit impossibile, neque de modo, quo res fieri possit, anxie quaerit, Dei et Ecclesiae auctoritate munita. Rem ita esse, magno id est argumento, quod totus Christianus orbis usque ad Reformatorum tempora, eodem prorsus modo Eucharistiae Sacramentum intellexerit, quo Catholici, et nulla reperiatur Christianorum societas, quae ante Zwinglium Sacramentariorum doctrinam tenuerit.

Inst. I. Fides, si vere a Deo est, non potest impossibilia proponere: atqui fides realis praesentiae plura continet quae ratio prorsus judicat impossibilia. Ergo etc.

Prob. min. Illud certe contradictionem implicat, ideoque impossibile judicari debet, quod corpus in loco sit, et tamen locum non occupet; quod totum adsit, cum omnibus suis partibus, et tamen absque dimensione et extensione adsit: atqui hoc admittere necesse est in sententia realis praesentiae. Ergo etc.

Resp. ad primum argum. Duo sunt in hac materia probe examinanda: nempe an fides vere a Deo sit; et an aliquid proponat instrinsece impossibile. Primum dijudicari potest ex criteriis Revelationis, quae certa sunt, et omnium captui accommodata: secundum vix unquam cum aliqua certitudine determinari potest; quia rerum etiam naturalium species quidem intuemur, intimam autem naturam non cognoscimus. Unde ita potius verti debet argumentum: Fides, si vere a Deo est, non potest impossibilia proponere: atqui fides realis praesentiae vere a Deo est; ergo nihil proponit impossibile. Scilicet sana ratio dictat, ut incertum ex certo probetur, non autem, quod clarum est, ex occulto dijudicetur.

Resp. ad probationem argumenti. Nego majorem. Heterodoxi de corporum natura philosophantur juxta consuetum naturae ordinem, et eas affectiones corporum, quae illis naturaliter insunt. At fides mysteriorum ad philosophicas rationes exigi non potest; non enim hic quaeritur, quid naturaliter fieri possit, sed

quid Deus possit efficere ut creaturarum dominus; nos autem scimus, non esse impossibile apud Deum omne verbum. Hic ergo Calvinianis respondere possumus, quae in simili causa Augustinus respondit Philosophis ethnicis *a*): *Sicut non fuit impossibile Deo, quas voluit naturas instituere; ita ei non impossibile, in quidquid voluerit, quas instituit, mutare naturas.* Nihil ergo evincunt adversarii, nisi probent, ad essentiam corporum pertinere ut locum occupent, illas quoque corporis dotes, quas extensionem, impenetrabilitatem et divisibilitatem nominamus, esse unum quid et idem cum essentia, et quidem extensionem externam et visibilem, ex qua fluit actualis impenetratio. Verum id evincere nunquam potuerunt. Id potius a nostris Theologis multis argumentis probatur, ejusmodi proprietates naturaliter quidem corporibus inesse, ad essentiam autem non pertinere. Et certe corpus concipi potest absque dimensionibus, et quin simul concipiatur occupare locum. Quod autem ad essentiam rei non pertinet, Deus potest ab ea avellere: ergo Deus potest corpus physicum avellere a dimensione, et impedire ne occupet locum. Porro quod Deus illas proprietates avellere possit a corporibus, quae illis ex naturali earum conditione insunt, etiam Calviniani negare non possunt, nisi velint Deo potestatem denegare patrandi miracula. Si autem Deus efficere potest, ut v. g. grave non ponderet, ut lucidum non luceat, ut calidum non calefaciat etc., quidni et illud efficere poterit, ut corpus in loco sit, quin locum occupet? An non Scripturae ipsae testantur, Christum ingressum esse ad Discipulos per fores clausas? Sed pugnat hoc aperte cum actuali extensione et impenetratione corporis.

Inst. II. Admisso dogmate realis praesentiae, illud quoque necesse est admittere, quod Christi corpus simul praesens esse possit in pluribus locis: atqui nihil est quod magis sanae rationi repugnet: sequeretur enim idem corpus simul unum esse et multiplex, seu unum, et non unum, divisum a se et indivisum, quo nihil potest cogitari absurdius.

Resp. Nego illud contradictionem involvere, quod corpus in pluribus locis simul esse dicatur. Nam, ut optime observat Maldonatus *b*), si in eo esset contradictio, nulla res posset esse si-

---

a) Lib. XXI. de Civit. Dei cap. VIII. *b*) De Euch. part. II. 2. hypoth.

mul in pluribus locis: sed anima hominis tota est in singulis corporis partibus, et Deus ipse plane indivisus, totus tamen in coelo est, et totus in terra: et si alium conderet mundum, ab eo qui creatus est longissime distantem, in eo tamen totus extaret. Frustra hic objiciunt Calviniani, exempla a nobis desumi ex spirituali natura: nihil enim ad hanc quaestionem pertinet, an spiritualis sit, vel corporalis natura, quae multis locis simul inesse dicitur. Utrobique enim res a se ipsa dividitur, et causa, quae impedire videtur, quominus corpus unum sit in diversis locis simul, non est magnitudo rei, sed unitas essentiae.

Ergo vanum est adversariorum argumentum, ab impossibili deductum. Libenter concedimus, Christi corpus simul in pluribus locis esse non posse naturaliter; sed asserimus, id fieri posse divinitus, et per miraculum: ita ut, si non sit in iis locis circumscriptive vel per dimensionem suam et quantitatem, uti quidam Theologi asserunt, possit tamen in illis esse per suam substantiam et indistantiam. Hac ratione enim res potest esse in loco, quin occupet illum, quemadmodum Deus est in coelo, non quia vel occupat coelum, vel ab illo circumscribitur, sed quia est praesens. Si haec cogitatione assequi non possumus, ratio in mentis nostrae imbecillitate quaerenda est. Nos de corporum praesentia ex sensuum impressionibus solemus judicare: sensus autem de iis tantum judicant quae apparent; quid intus lateat, quae intima rerum natura sit, omnino ignorant. Optime S. Augustin. *a)* de Philosophis ait, qui corporum resurrectionem negabant: *Cum hoc dicunt, quid aliud dicunt, nisi quod sensu corporis homines et experientia collegerunt? Nullam enim carnem nisi mortalem sciunt, et haec est eorum tota ratio, ut quod ipsi experti non sunt, nequaquam esse posse arbitrentur.*

Inst. III. 1.° Veteres, ut *August.*, *Chrysost.* etc., dicunt carnem Christi loco circumscribi; Christi corpus ita in coelum fuisse sublatum, ut jam in terra non sit etc. 2.° Si corpus Christi praesens est in Eucharistia, contradictoria praedicari possunt de eodem corpore; idem enim corpus simul moveretur et non moveretur, manducaretur et non manducaretur etc. 3.° Multa quoque se-

---

a) Lib. XXI. de Civ. Dei cap. VIII.

quuntur Deo prorsus indigna; ut: Deum in pyxide includi, corrumpi, conculcari etc. Ergo etc.

Resp. ad I. Quis non videt, Veteres ita subinde loqui, cum de praesentia Christi in Eucharistia mentio non fiebat: tunc enim de praesentia corporum loquebantur, ut naturaliter se habent et sensus nostros afficiunt. Realis Christi in Eucharistia praesentia est extra naturae ordinem, neque ultro se offert animo, nisi cum actu de hoc Sacramento cogitamus. Patres ergo, cum de corporum natura philosophantur, de omnipotentia Dei non dubitant, cui omnis natura subjecta est, et Religionis mysteria ex verbo Dei unice stabiliunt, de eo parum solliciti, an illa cum philosophiae placitis consentiant. En! quid inter caeteros S. *Chrysostomus* de corpore Christi habet Hom. II. ad populum Antiochen., ubi Christum cum Elia comparans ait: *Elias vestem discipulo, filius autem Dei ascendens in coelum suam nobis carnem reliquit; sed Elias quidem exutus, Christus autem ascendens et suam carnem nobis reliquit, et eam ferens ascendit.*

Resp. ad II. Quae de Christi corpore praedicantur, primo intuitu videntur contradictoria, sed non sunt; non enim praedicantur de eodem sub eodem respectu, quia idem Christi corpus in variis locis reproductum non habet eundem praesentiae modum. An non de una eademque anima contradictoria dici possunt, relate ad partes corporis diversas? Sic potest moveri in capite, et non moveri in brachio etc. Consuetudo sensuum est, ut jam diximus, quae impedit, quominus mens concipiat, rem unam existere in pluribus locis. Audiamus iterum S. *August.*, qui Arianos simili ratione argumentantes ita retundit *a*): *Nesciunt quid loquuntur; et de his rebus, quas per oculos carneos videre consueverunt, vanas imagines ad disputationes suas transferunt.*

Resp. ad III. Praeclare de hac re et luculenter disserit doctiss. Maldonatus *b*); ex quo haec pauca decerpimus. Proprium hoc est ethnicorum et haereticorum argumentandi genus, ut tanquam indigna Deo repellant, quae fides Catholica contra humana eorum commenta docet; atque ita cachinnis et praetextu honoris Dei disrumpant Religionem. Sed convenit illis responsum, quod Christus olim Sadducaeis dedit similia garrientibus: *Erratis*

---

a) L. de Agone Christ. cap. XVI. *b)* Loc. cit. II. genus arg.

nescientes Scripturas, et virtutem Dei a). Corpus Christi in Eucharistia vere sumitur, sed non atteritur; distribuitur, sed non frangitur; comeditur, sed in secessum non abit; non corroditur, non corrumpitur etc. Quamquam realiter adsit in Eucharistia, non est tamen in ea more et conditione corporum, sed potius more spirituum. Mutationes, quaecunque illae sint, species tantum attingunt, corpus attingere nulla ratione possunt. Si illud indignum videtur Calvinianis, Deum sub panis specie latere, in pyxide includi, per os nostrum ingredi; respondeant ipsi incredulis, qui similia objiciunt ad irridendum Incarnationis mysterium; indignum nempe esse Deo in Virginis utero includi, sub infantilibus membris contineri, cruci clavis affigi etc. Nisi forsan malint, retento Christianorum nomine, eorum se partibus adjungere, qui quidquid in Religione sacrosanctum est, impio ore conspuunt.

Cf. praeter Theologos jam citatos continuatorem Tournelii tom. VIII. edit. Paris.

Scholion. Si ulterius quaerunt heterodoxi, cui usui sit corporalis Christi manducatio; cum vita animae in fide et charitate sita sit, et tantum quisque fructum corporis Christi et passionis illius percipiat, quanta fides illius est, et charitas in Christum; respondemus, eadem ratione contra Verbi incarnationem, contra resurrectionem corporum, aliaque Religionis mysteria pugnasse veteres haereticos. An non potuisset Deus sine incarnatione Filii nos liberare? An si Deus homo factus est, non potuit nos una sanguinis gutta redimere? An si veram carnem non assumpsisset, sed solam ejus similitudinem, non potuisset aeque generi humano prodesse, cum spiritus sit, qui vivificat, caro autem non prosit quidquam? Haec et multa alia quaerere possunt superbi et curiosi rerum divinarum scrutatores; sed contingit illis, quod Scriptura dicit *b)*: *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.* Demus adversariis, nullam probari posse absolutam necessitatem hujus tam admirabilis praesentiae, an non eo magis patet immensa divinae charitatis in nos profusio? Voluit quippe Christus quam maxime nos sibi, non fide tantum, sed etiam corpore copulare: voluit non animas tantum vegetare

a) Matth. XXII. v. 29. *b)* Proverb. cap. XXV, 27.

gratia, sed et carnem carne sua nutrire: voluit ut caro ejus incorruptibilis pignus futurae resurrectionis, et semen quoddam immortalitatis fieret corporibus nostris: voluit nobis memoriale relinquere suorum mirabilium, et sacrificium in Ecclesia sua instituere eo excellentius, quo magis umbram veritas, et lex nova veterem praecellit. Demum nihil voluit omittere amantissimus Salvator, quo possit et suum nobis testari amorem, et vehementius animos nostros ad fiduciam, pietatem et charitatem accendere. Hinc etiam abunde constat quotidiano experimento, quantae utilitates, quanta bona ex hoc divino mysterio in fideles Christianos redundent. Cf. *Bellarmin.*, *Maldonatum* etc.

ARTICULUS II.

De Transsubstantiatione.

OBSERVANDA.

I. Expedita nunc gravissima controversia de reali Dominici corporis praesentia, altera sequitur, quae a priori divelli omnino non potest. Quaeritur nempe, quo pacto corpus et sanguis Christi adesse incipiant in Eucharistia: an substantia panis et vini permaneat; aut an vera fiat et integra ipsius substantiae conversio, ita ut tota panis substantia divina virtute in totam substantiam corporis Christi, et tota vini substantia in totam substantiam sanguinis convertatur. Haec ultima sententia sola et antiquissima est, et verissima; hanc tenet et semper tenuit Ecclesia Catholica, quae admirabilem hanc conversionem convenienter et proprie *Transsubstantiationem* appellat, quemadmodum sacra Trid. Synodus docet Sess. XIII. cap. IX.

II. Quid Lutherus de hoc transsubstantiationis dogmate docuerit, supra adnotavimus; ubi etiam de portentoso *impanationis* systemate quaedam dicta sunt. Haec Osiandri sententia, qua hypostatica panis cum Christo conjunctio adstruitur, paucos tantum sectatores habuit: caeteri Lutherani omnes (de iis loquor, qui adhuc Lutherani sunt) *consubstantiationem* admittunt, id est, docent panis substantiam manere cum substantia corporis Christi, sed non conjungi in unitatem personae. Sacramentarii Catholicum dogma acriter insectantur, tanquam sceleratam haeresin, et rem prorsus impossibilem: verum cum his nobis controversia non est;

ut quid enim de modo disputabimus, quo Christus praesens est, cum iis, qui ipsam ejus praesentiam negant? Hoc tantum in praesenti causa observandum est, Sacramentarios in eo nobiscum una voce conspirare, quod transsubstantiatio ita sit cum reali praesentia conjuncta, ut haec intelligi non possit, nisi admissa substantiae mutatione. Hinc constanter asserebant, per verba Christi: *Hoc est corpus meum*, mutationem aliquam fieri, vel moralem, ut ipsis videbatur, vel realem et substantialem, ut Catholici docent; et *Beza* sensum, ut a Catholicis exponitur, minus alienum esse existimat a verbis institutionis, quam uti a Lutheranis accipitur.

III. Praeter heterodoxorum errores, qui cum fide orthodoxa pugnant, aliae quoque quaestiones a Scholae Doctoribus fuerunt agitatae, quae cum levioris momenti sint, leviter etiam attingi debent. Hoc potissimum ab illis controverti solet, qua ratione fiat illa substantialis mutatio, quam Ecclesia transsubstantiationem vocat. Pugnant, ut alias saepius, *Scoti* et *Thomae* Discipuli; illi *productivam* asserunt conversionem, hi *adductivam*, ut vocant. Prima est, quando conversio fit per annihilationem unius, et productionem vel creationem alterius substantiae: sed palam est, ejusmodi conversionem non esse mutationem unius substantiae in aliam; sed unius in locum alterius substitutionem; neque illud in Eucharistia locum habere potest, in qua corpus Christi non tunc primum producitur, sed tantum praesens fit sub speciebus panis; est enim illud ipsum corpus, quod Christus in terris habuit, et quod sursum elevatum est in coelum. Adde quod illud, quod ab Ecclesia transsubstantiatio vocatur, una tantum actio sit, qua desinit panis substantia, et succedit corpus Christi; in sententia Scoti autem duplex actio requiratur, una, quae panem in nihilum redigit, et alia, quae Christi corpus producit. His aliisque argumentis adducti Theologi plerique S. *Thomae* sententiam amplexi sunt, eam admittentes conversionem, quae *adductiva* dicitur ideo, quia non facit, ut corpus Christi tunc simpliciter esse incipiat, sed ut incipiat esse sub speciebus panis; non quod ipsum corpus assumptum e coelo descendat, sed quod panis et vinum in corpus et sanguinem transmutentur. Sed forsan nimium jam in hac quaestione versati sumus. Melius est Patrum sequi vestigia, qui fidem divina auctoritate stabilitam firmiter tenuerunt,

de illis argutiis et difficultatibus, quae ex humana philosophia emergebant, parum solliciti. — Scite admodum ad hanc rem loquitur Scholasticorum parens Magister sententiarum *a)*: *Siquis modum, quo id fieri possit, quaerit, breviter respondeo: Mysterium fidei credi salubriter potest; investigari salubriter non potest.*

PROPOSITIO.

Christus in Eucharistia praesens est per transsubstantiationem.

CONCIL. TRIDENT. Sess. XIII. Can. II.

Siquis dixerit, in sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis et vini, una cum corpore et sanguine D. N. Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat; anathema sit.

PROBAT. I. *Ex verbis Christi.*

Hujus doctrinae, quam Ecclesia solemni decreto sancivit, firmum et stabile fundamentum habemus in Christi Domini verbis: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Christi verba figurate intelligi non possunt, uti art. I. probatum est; sed veram et realem Christi praesentiam significant. Hoc posito, ita concludimus: Christi corpus praesens est, vel per *impanationem,* vel per *consubstantiationem,* vel per *transsubstantiationem:* primum et secundum verba institutionis non admittunt. Ergo tertium.

PROBAT. MIN. I. Impanationis systema tam absurdum est, ut a Lutheranis etiam fuerit explosum. Vid. sup. pag. 297. Et vero si impanatio fieret in Eucharistia, verborum Christi hic esset sensus: Hic panis per unionem hypostaticam est corpus meum. At falsus esset sensus iste; nam unio hypostatica rei naturam non mutat; et panis tam parum Christi corpus fieret, quam natura Christi humana per unionem hypostaticam mutata est in divinam.

a) Lib. IV. Dist. XI.

II. In sententia illorum, qui consubstantiationem admittunt, hic esset sensus verborum Christi: *Hic* vel *in hoc pane est corpus meum.* Sed et hic sensus contortus est et falsus. Verba Christi, nisi violenter torqueantur, nihil aliud significant, quam quod illud, quod Christus manibus gerebat, id est panis, finita propositione fuerit corpus Christi; quod necessario mutationem substantiae importat; fieri enim non potest, ut una res non mutetur, et tamen fiat alia. Porro pronomen *hoc* per *hic* nullo modo explicari potest, quando res, quae videtur, ad aliam continendam non sit destinata, neque praevia admonitione praeparati fuerint audientium animi. Sed panis neque ex natura sua, neque ex hominum institutione, ad hoc destinatur ut corpus Christi contineat. Unde nihil efficiunt exempla ab adversariis allata. Sic ex quotidiani sermonis usu solemus dicere dolio vini indicato: *Hoc est vinum;* quia dolium ex natura sua comparatum est ut vinum contineat; quis autem non rideret hominem, qui aurum in pane includens, panemque porrigens, diceret: *Hoc est aurum?*

Tam clara est et obvia haec nostra argumentandi ratio, ut omnes illi Novatores, qui realem Christi praesentiam non admittunt, hoc nobiscum statuant generale principium: Verba Christi mutationem significare panis et vini: hanc, nisi figurata sit et metaphorica, certe esse realem et substantialem; ergo cum figurata non sit, ex articulo I. sequitur eam esse veram et substantialem.

Probat. II. *Ex testimoniis Patrum.*

Veterum Patrum testimonia multa sunt et gravissima. Quaedam jam laudata sunt, cum de fide praesentiae realis tractaremus. Dicunt autem Patres, cum de hoc mysterio loquuntur, panem corpus Christi effici: non manere substantiam panis, quamvis accidentia maneant: panem mutari, transmutari in corpus Christi. *Panis iste*, ait *Cyprian. a), quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia Verbi factus est caro. Cyrillus*

---

a) Serm. de coena Dom.

Jerosolym. in Catech. mystag. *Hoc*, inquit, *sciens pro certissimo habe, hunc panem, qui nobis videtur, non esse panem, quamvis gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi.* Quid clarius his *Gregorii Nyss.* verbis *a): Panis statim per Verbum transmutatur, sicut dictum est a Verbo: Hoc est corpus meum.* Idem S. *Ambrosius* lib. de initiandis docet, multisque ex V. T. exemplis confirmat. Vide supra pag. 313. *Qui potuit ex nihilo facere, quod non est,* ait capit. XI., *non potuit ea, quae sunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus est, novas rebus dare, quam mutare naturas.* S. *Chrysost.* Homil. LXXXIII. in Matth.: *Nos ministrorum ordinem tenemus; qui vero haec sanctificat et transmutat, ipse est.*

PROBAT. III. *Argumento praescriptionis.*

Hic redit totum illud argumentum, quo superius usi sumus. Neminem latere potest, sicut realis praesentiae, ita et transsubstantiationis fidem ante Novatorum defectionem per omnes tum Orientis, tum Occidentis Ecclesias fuisse diffusam, quod certo argumento est, eam idem habuisse cum Religione Christiana initium. Quis enim, nisi a mente destitutus, sibi persuadeat, hanc fidem pluribus demum post Apostolos saeculis orbem Christianum invasisse, ita ut Ecclesiae omnes, nemine repugnante, subito de transsubstantiationis dogmate inter se convenirent? Sed debuit esse novitatis initium. Quo ergo auctore incepit? Quo loco nata est nova haec et Veteribus incognita fides? An Graecorum foetus est? Et hunc errorem Romanae fidei contrarium aequo animo tulissent Latini! Et non tulissent modo, sed in eum concessissent omnes, et ita concessissent, ut neminem factae mutationis vel levis invasisset suspicio! At forsan a Latinis error exiit? Quis credat, tam faciles se in hac re praebuisse Graecos illos, qui circa ritus mere ecclesiasticos tantas Latinis moverunt lites? Ergo illae Graecorum Ecclesiae, quae eo tempore, quo mutatio facta dicitur, jam magnis odiis in Romanam Ecclesiam exarserant, suam antiquam et Apostolicam fidem sponte novae Latinorum doctrinae accommo-

a) Orat. Catech. cap. XXXVII.

dassent? Et Photianae Ecclesiae exemplum illico secuti essent, omnes quae per Orientem disseminatae sunt haereticorum sectae, non minus Photianis quam Romanae Ecclesiae infensae? Et, quod magis stupendum, haec mutatio facta fuisset per genus aliquod transsubstantiationis, nullo tamen interveniente numine? Nam doctrinae substantia mutata fuisset, nemine id suspicante, nemine reclamante; et ita in omnes Liturgias illatum fuisset novum dogma, ut tamen constanter persuasum fuisset omnibus Ecclesiis, se in nullo a Patrum suorum doctrina deflexisse. Qui plura in hanc rem desiderat, adeat jam laudatum opus: *Perpétuité de la foi etc. Discussion amicale* lettre IX. Item Lettres du Père *Scheffmacher* tom. II. Lettre II. Optandum esset, ut hujus egregii operis nova ederetur traductio germanica, magis saeculo nostro accommodata.

OPPOSITIONES.

Opponunt I. Catholicorum transsubstantiatio nova est, et Veteribus plane incognita. Ergo etc.

Resp. dist. ant. Nomen illud transsubstantiationis novum est, neque a Veteribus usurpatum, *conc.* Nova est res ipsa, quae hoc nomine exprimitur, *nego.* Stultum est, cum de re constet, litigare de nomine; constat autem transsubstantiationis fidem omnium aetatum et Christianorum fuisse, quamvis notum non esset vocabulum. Omnes Liturgiae, etiam vetustissimae, tum Orientalis, tum Occidentalis Ecclesiae idipsum a Deo postulant, ut Spiritum suum mittat, qui ex pane corpus, ex vino Christi sanguinem efficiat; id autem, quid aliud est, quam ipsa transsubstantiatio, quam fideles omnes divinae attribuunt virtuti? Post plura demum saecula, quando haeretici contra Eucharistiae mysterium surrexerunt, Ecclesia, ut eorum argutiis occurreret, necessarium judicavit, ea adhibere vocabula in suis definitionibus, quae nullo modo poterant in falsum sensum detorqueri. Sic *Concilium Lateranense* IV., anno 1215 ab Innocentio III. coactum, cap. *Firmiter* definivit, corpus et sanguinem J. C. in Sacramento Altaris sub speciebus panis et vini veraciter contineri *transsubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem potestate divina.* Jam ante hoc Concilium ii, qui contra Berengarium disputarunt, eundem sensum reddiderant

per *substantialem transmutationem*, et *Tournelius a)* probat, vocem *transsubstantiari* a plurimis XII. saeculi auctoribus fuisse usurpatam.

Porro, si *Concilium Nicaenum*, in quo 318 Episcopi aderant, ut Arianorum cavillationibus aditum intercluderet, in Symbolo ponere potuit vocabulum ὁμοούσιος, *consubstantialis*, quod ante in Ecclesia non fuit usitatum; cur Lateranensis Synodus, ex 1285 Praelatis coacta, non potuisset nomen *transsubstantiationis* probare, quod auctores vetustissimi multo ante tempore appellarunt aliis vocabulis idem pene significantibus, ut: *mutationis*, *conversionis*, *translationis*, *transelementationis etc.* Hoc vocabulum adeo Graecos non offendit, ut illud ultro sint amplexi, et vocem Graecam μετουσιώσεως in publicis fidei professionibus adhibendam censuerint, antiquam fidem novo vocabulo profitentes. Valet ergo et hic illud *Vincentii* in Commonit.: *Ecclesia plerumque, propter intelligentiae lucem, non novum fidei sensum novae appellationis proprietate signat.*

Opponunt II. Sensuum testimonium constans et unanime certum est veritatis argumentum: atqui in Eucharistia, etiam post consecrationem, sensus omnes constanter nihil aliud referunt quam panem et vinum. Ergo etc.

Resp. dist. majorem. Nisi certo nobis constet, non esse fidendum sensibus, *conc.* Ubi hoc nobis aperte fuit divina auctoritate revelatum, *nego.* Sensus rerum externarum impressiones recipiunt, neque falluntur, cum de his qualitatibus sensibilibus judicant. Quando igitur in Eucharistia speciem panis et vini, figuram, ac caeteras qualitates sensibiles percipiunt, certo testantur, has qualitates adesse. Verum de natura ipsa et substantia rerum sensus testari nihil possunt; de his judicat ratio, quae ex sensuum relatione ad objectum concludit. Verum equidem est, hoc judicium, si legitimum sit sensuum testimonium, in lege naturae fundari, cujus Deus ipse auctor est; ita ut Deus ipse nos deciperet, si non posset ejusmodi testimonio fides adhiberi: sed haec ad ordinem rerum naturalem pertinent, non ad ea quae vires omnes naturae excedunt, et ubi Deus ipse tam aperte monet, magnum adesse divini amoris miraculum, non sensibus sed fide perci-

---

a) De Eucharist. quaest. III. art. I.

piendum. *Si sensus deficit, ad firmandum cor sincerum, sola fides sufficit.*

Opponunt III. 1.° Fieri non potest ut accidentia sint sine subjecto. 2.° Illud adhuc magis absurdum est, accidentia, quamvis sua spoliata sint substantia, omnes tamen hujus substantiae proprietates retinere, ut sunt nutritio, etc. Ergo etc.

Resp. nego antec. Ad I. certum est, panem et vinum in Eucharistia non remanere; certum quoque est, etiam facta mutatione sensus ita affici, ac si panis et vinum adessent; quomodo haec fiant, explicare non possumus. Ajunt nonnulli, qui Scoti sententiam sequuntur, Deum in sensibus nostris et anima easdem impressiones per se ipsum operari, quas panis excitabat ante consecrationem. Sed contra est, quod haec sententia non satis Ecclesiae decretis respondeat, quae diserte dicunt, vini et sanguinis species remanere. Communius igitur Theologi cum S. Thoma sentiunt, accidentia panis et vini in Eucharistia existere sine subjecto, ideoque ea vocant absoluta. *Quoniam ea accidentia Christi corpori et sanguini inhaerere non possunt,* ait Catech. Rom. *a), relinquitur ut supra omnem naturae ordinem ipsa se, nulla alia re nisa sustentent.* Sed ajunt, ad accidentium essentiam pertinere, ut substantiae inhaereant. Hoc ipsum est quod probandum esset adversariis. Nam prius est accidens esse, quam substantiae inesse; prius est quantitatem existere, quam quod corpori dimensiones praebeat. Sicut enim de essentia substantiae non est ut per se subsistat, cum natura humana Christi non subsistat per se: sic non erit quoque de accidentis natura, quod actu inhaereat, sed quod possit inhaerere (3).

Ad II. Huic objectioni jam fecimus satis, cum diximus, accidentia ita vicem gerere substantiae, ut eodem prorsus modo agant, et corporum actiones ita excipiant, ac si panis adesset substantia. Cum enim Deus in mysterio Altaris nullum sensibile miraculum operari velit, sed totus latere ad fidei nostrae experimentum, necesse est, ut peracta consecratione symbola Eucharistica eosdem effectus producant quam ante consecrationem. Adde, quod panis in Eucharistia non annihiletur: nam ubi res in nihilum abit, nihil omnino superest; in Eucharistia autem manent acci-

---

a) De Eucharist. quaest. XXXVII.

dentia, substantia autem panis transit in aliud, nempe in verum Christi corpus. Hinc quando per alterationem specierum adsunt dispositiones ad aliam formam introducendam, Deus novam substituit materiam. Vid. *Bellarm.* de Euch. lib. III. cap. XXIV.

ARTICULUS III.

An Christus totus praesens sit sub utraque specie, et sub singulis cujuslibet speciei partibus.

OBSERVANDA.

Hanc Catholici dogmatis partem ita explicat *Trident.* Sess. XIII. cap. III.: *Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis surrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem: quapropter verissimum est, tantundem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri; totus enim et integer Christus sub panis specie, et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, et sub ejus partibus existit.*

Haec verba satis clara sunt, neque commentario indigent. Praeterea notandum est, non agi hic de usu calicis; de quo postea occurret disserendi occasio.

PROPOSITIO.

Christus totus praesens est sub utraque specie, et sub singulis cujuslibet speciei partibus.

Concil. Trident. Sess. XIII. Can. III.

Siquis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.

Probat. I. I ad Cor. XI. ait Apostolus: *Quicunque manducaverit panem hunc*, vel *biberit calicem indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Ubi particula *vel* indicat Christum integrum accipi sub utraque specie. Quod autem Christus totus sub singulis cujusque speciei partibus contineatur, ex Evangelistis facile colligitur. *Neque enim credendum est*, ait Catech. Rom. *a)*, *singula panis frusta propria verborum forma a Domino consecrata esse; sed eadem simul omnem panem, qui ad sacra mysteria conficienda, atque Apostolis distribuenda satis futurus esset; id quod de calice factum esse apparet; cum ipse dixit: accipite et dividite inter vos.*

II. Accedit Ecclesiae auctoritas. Verba Tridentini supra retulimus. His consonat Decretum *Eugenii* IV. ad Armenos; et veteris Ecclesiae praxis, quae illud in usu habuit, ut post consecrationem eandem hostiam frangeret in plures partes, easque fidelibus distribuit juxta Evangelium.

III. Idem ratio necessario concludit ex fidei principiis. Nam Christus divisus non est; Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur. Ergo sicut propter unionem hypostaticam humanitas non potest a divinitate separari; ita post resurrectionem corpus non potest esse sine anima et sanguine. Ergo etiam sub qualibet parte totus est Christus, quia in partes dividi non potest corpus vivum et immortale, et ubicunque est, totum est.

OPPONITUR.

I. Ex institutione Eucharistiae clarum est, corpus Christi sub specie panis contineri, sicut et sanguis continetur sub vini specie. Ergo non potest esse totus Christus sub utraque specie. II. Si fracto Sacramento Christus totus est sub quavis parte; sequitur corpus Christi in illis particulis praesens fieri per fractionem, non per consecrationem. Falsum conseq. Ergo etc.

Resp. ad I. nego conseq. *Sciendum est*, ait S. *Thomas b)*, *quod aliquid est in hoc Sacramento dupliciter; uno modo quasi*

---

a) Part. II. cap. IV. quaest. XXX. *b)* Part. III. quaest. LXXVI. art. I.

ex vi Sacramenti, alio modo ex naturali concomitantia: ex vi Sacramenti est sub speciebus id, in quod directe convertitur substantia panis, vini. Ex naturali autem concomitantia est illud, quod realiter est conjunctum ei, in quod praedicta conversio terminatur. Panis directe et vi verborum convertitur in corpus, reliqua per concomitantiam necessario adsunt, ubi Christi corpus adest verum et vivum.

Resp. ad II. nego majorem. Christus non est in Eucharistia modo naturali, sed sacramentali: non circumscriptive, sed definitive modo spirituum, et quomodo anima est in corpore. Ergo etiam antequam *hostia* divisa sit in partes, Christus totus est in qualibet parte, quemadmodum anima tota est in toto corpore. Corpus Christi praesens est per modum substantiae, ut S. *Thomas* observat *a)*, non per modum dimensionis; ad rationem autem substantiae pertinet, ut sit tota sub qualibet parte dimensionum sub quibus continetur. Cum igitur corpus Christi succedat in locum substantiae panis, debet esse, ubi erat substantia panis: ergo sicut substantia panis erat ante consecrationem in singulis partibus panis; sic corpus Christi post consecrationem debet esse in omnibus hostiae partibus.

ARTICULUS IV.

An Christus in Eucharistia praesens sit modo permanenti?

OBSERVANDA.

I. Cum Sacramentariis nobis de hac re controversia non est: eccur enim de praesentia permanente disputaremus cum illis, qui Christum etiam in usu praesentem esse negant? Jam, cum notum sit Lutheranos hodie passim cum Calvinianis sentire, vix non inutilis videri posset haec quaestio, nisi probanda essent et ab haereticorum calumniis vindicanda Ecclesiae Catholicae dogmata. In historica synopsi N.° V. et VI. ostendimus, *Lutherum* ab initio factae scissionis a Catholico dogmate in hac etiam parte non recessisse; nam corpus in Eucharistia vere contineri, et extra usum permanere professus est, uti ex libro, quem ad Wal-

a) Loc. cit. art. III.

denses scripsit, perspicuum est. Anno demum 1536 *Bucerus*, quo Lutheranos cum Zwinglianis facilius conciliaret, hanc excogitavit opinionem, ut Christi corpus in ipsa sumptione adesse diceret, non item extra usum aut sumptionem. Hinc *Bucerus* primus hujus sententiae auctor dicitur, quam Lutherus et omnes deinde Lutherani secuti sunt, ea potissimum ratione, quod viderent per eam destrui adorationem Eucharistiae, et alia nonnulla, quae in usu erant apud Catholicos. Notandum tamen, *Chemnitium* aliosque ex Lutheri discipulis, ut Patrum testimonia facilius eluderent, nonnihil hanc sententiam temperasse. Docent enim, corpus Christi praesens esse in tota coenae actione, nimirum cum benedicitur, frangitur, distribuitur, manducatur, imo cum statim ad aegrotos defertur, manere Sacramentum; non item, cum in pyxide asservatur.

II. Ecclesiae Catholicae doctrinam nusquam melius quam a *Concilio Trident.* discimus. Sancta Synodus ita habet Sess. XIII. cap. III.: *Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie, una cum ipsius anima et divinitate existere.* Ex hoc dogmate sponte fluunt quaedam consectaria, quae Concilium eadem Sessione explicat cap. V. et VI. Videlicet cultus adorationis, quem Ecclesia sacrae Eucharistiae semper exhibuit; consuetudo eam asservandi, item ad infirmos deferendi aut solemni pompa in processionibus circumgestandi etc.

PROPOSITIO.

Christus in Eucharistia praesens est modo permanente.

CONCIL. TRIDENT. Sess. XIII. Can. IV.

Siquis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae Sacramento non esse corpus et sanguinem Domini N. J. C.; sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post; et in hostiis, seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini; anathema sit.

PROB. I. Argumento ex ipsa institutione Eucharistiae desumpto, quo etiam Tridentina Synodus utitur, cum cap. III. Sess. XIII. ait: *Reliqua Sacramenta tunc primum sanc-*

tificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est: nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse quod praebebat. Et vero cum Christus tam expresse dixerit: *Hoc est corpus meum,* antequam Apostoli manducarent, et: *Hic est sanguis meus,* antequam biberent: quis affirmare audebit nec corpus nec sanguinem tunc adfuisse? Novum huic argumento pondus accedit ex eo, quod Christus adeo Apostolos ad manducandum et bibendum hac ratione invitet, quia illūd, quod manu tenebat, non jam panis et vinum, sed corpus ejus esset et sanguis; nam ideo particulam *enim* usurpat: *Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus.* Adde, quod verba Christi I ad Cor. XI. ita referantur: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Ergo sanguis erat in calice, antequam esset in ore sumentium.

Prob. II. *Auctoritate Patrum et veteris Ecclesiae praxi.* In hac re testimoniis et exemplis plena est antiquitas, eaque quam plurimi recentiores Theologi contra Novatores collegerunt. Ex innumeris autem veterum auctorum locis haec manifesta sunt, quae sequuntur. 1.° Mos fuit a Graecis jam antiquitus usitatus, quem etiam Latina Ecclesia in die Parasceves observat, ut per totam Quadragesimam, si Sabbatha et Dominicos dies exceperis, Sacerdos non consecraret hostiam, sed jam praesanctificata aut consecrata uteretur. 2.° Fideles non raro sacram Eucharistiam in suis domibus servarunt, ut ea privatim vescerentur. Cujus rei prae caeteris testis est *Tertullian. a),* qui hortans uxorem, ne post ejus mortem maritum duceret infidelem, inter alia hoc affert: *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes.* S. *Basilius* hujus praxis originem repetit ex persecutionibus *b).* 3.° Constat, Christianos olim cum navigarent, aut longius proficiscerentur, Domini corpus detulisse tanquam firmum in itinere praesidium, ut ex S. *Ambrosio* patet *c).* 4.° A prima Ecclesiae aetate consuetudo viguit, ut Eucha-

---

a) Lib. II. ad uxorem cap. V. *b)* Epist. 289. *c)* Orat. de obitu fratris.

ristia per Diaconos perferretur ad absentes, et Episcopi eam ad aliarum civitatum Episcopos mitterent in mutuae communionis testificationem. *Justin.* Apol. II. — *Irenaeus* Epist. ad Victorem, teste Eusebio *a)*. 5.° Communio nullo non tempore aegrotis in extremo vitae positis ministrata fuit, eaque Eucharistiae participatio propterea *ἐφόδιον*, sive *viaticum*, dicebatur. Huc inter alia illud pertinet, quod *Dionysius Alexandr.* apud Eusebium *b)* de Serapione quodam sene refert, qui cum morti proximus esset, rogavit puerum ut aliquem ex Presbyteris accerseret; ait autem, Presbyterum, qui prae aegritudine incedere non poterat, *puero Eucharistiae exiguam partem dedisse, praecipiendo ut eam madefactam in os senis infunderet.* — Narrat quoque *Paulinus* in vita S. Ambrosii, Honoratum Presbyterum, Dei voce admonitum, ad Sanctum Praesulem jam ultimos spiritus agentem Domini corpus attulisse. Ex his aliisque multis perspicuum est, Eucharistiam olim tum in sacris, tum etiam in privatis aedibus fuisse conservatam; et quidem, quod hic veluti in transitu observamus, in una panis specie. Stat ergo Catholici dogmatis veritas, omnium saeculorum consensione firmata.

Hanc veteris Ecclesiae Traditionem Calvinus ipse inficiari ausus non est. « Qui sic faciunt, ait *c)*, habent veteris Ec- « clesiae exemplum, fateor: verum in re tanta, et in qua « non sine magno periculo erratur, nihil tutius est, quam « veritatem sequi. » En Novatorum etiam in concedendo impudentiam! Nihil certe tutius, quam veritatem sequi. Verum, an ea ex Calvino potius quam ex Ecclesiae usu et perpetua Traditione petenda erit? An spretis vetustissimis Patribus, et Ecclesiarum, quae ab ipsis Apostolis institutae sunt, doctrina, post quindecim saecula Calvinum audiemus, notissimum mendaciorum fabricatorum? Insanum utique esset ita agere, *in re tanta, et in qua non sine magno periculo erratur.*

---

a) Lib. V. histor. cap. XXV. *b)* Lib. IV. cap. XLIV. *c)* Lib. IV. Institut. cap. XVII. pag. 37.

CONSECTARIUM.

Christus in SS. Eucharistia cultu latriae etiam extra usum est adorandus; pie etiam et religiose ab Ecclesia institutum est, ut SS. Eucharistia publice fidelium adorationi exponeretur, aut per vicos et plateas solemni pompa circumferretur.

Utrumque definivit Concilium Trid. Sess. XIII. Can. VI.: *Siquis dixerit, in sancto Eucharistiae Sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriae etiam externo adorandum; atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem et universalem Ecclesiae ritum et consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras; anathema sit.*

Prob. prima pars. 1. Argumento, quod Trid. Synodus exponit Sess. cit. cap. V.: *Illum eundem Deum praesentem adesse credimus, quem Pater introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei; quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur.* Facilis est haec consecutio: Christus in Eucharistia praesens est, non in usu tantum, sed modo permanente et statim facta consecratione; Christus Deus est vivus et verus: vero Deo debetur adoratio latriae; ergo Christus in Eucharistia etiam extra usum est adorandus. Patet ergo, adorationem Christi in Eucharistia iisdem omnino Scripturae testimoniis praecipi, quibus et divinitas Christi et ejus in Eucharistia praesentia est constituta; et praesentiam realem cum adoratione ita esse conjunctam, ut una ab altera divelli non possit. Idque nobiscum affirmant Calvinistae, qui Christum ideo tantum non adorant, quia praesentem non credunt. « Id enim si ita esse crede-« rem, ait Beza *a)*, illius profecto non modo tolerabilem « et religiosam, sed etiam necessariam arbitrarer adoratio-« nem. » Cf. *Discuss. amicale* lettre VII.

II. Aliud argumentum non minoris momenti ex Traditione erui posset, si vellemus continuam aetatum seriem prosequi. Quaedam jam indicata fuerunt, cum Christi in

a) De coena Dom. pag. 270.

Eucharistia praesentia demonstranda erat. Pauca nunc subjiciamus, ex quibus de caeteris poterit aestimari.

Chrysost. Hom. XXIV. in I Cor. ait: *Hoc corpus in praesepi reveriti sunt Magi . . . . Imitemur saltem barbaros, nos qui coelorum cives sumus.* Ante Chrysostomum *Nazianzenus* in oratione funebri Gorgoniae, sororis suae, narrat, illam *ad altare cum fide procubuisse, ipsumque, qui super eo honoratur, cum ingenti clamore invocasse.* Notum est illud *Augustini* in Ps. XCVIII.: *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.*

Necesse non est plura congerere, cum certum sit, nullam ante Novatores Christianam societatem fuisse, quae Christum Dominum in Eucharistia praesentem non adoraverit. Quod Latini omnes adorent, in aperto est: hoc ipsum de Armenis, Russis et Graecis omnibus tot argumentis et publicis testimoniis probatum fuit, ut nihil sit in humanis factis certum et confessum, si res tam nota et tam manifesta in dubium revocetur.

Probat. secunda pars. Si Christus in Eucharistia cultu latriae etiam extra usum adorandus est, ut parte I. probatum est: quis Ecclesiam reprehendere poterit, si certum aliquem et publicum adorationis cultum praescribat, et modum determinet, quo hoc ipsum ex intimis fidei principiis deductum adorationis obsequium Christo exhibeatur? Neque putandum, Ecclesiam ejusmodi aliquid nisi gravissimis motam rationibus statuisse. Sufficiat hic referre *Concilii Trid.* verba Sess. XIII. cap. V.: *Declarat sancta Synodus, pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die praecelsum hoc et venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, atque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur. Aequissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari et rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum ac Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus repraesentatur: atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio et*

haeresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universae Ecclesiae laetitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant.

SCHOLION.

Insignis ergo Novatorum calumnia est, quando Catholicis idololatriae crimen seu, uti dicunt, ἀρτολατρείαν objiciunt. Quomodo Catholici panem adorare possunt, qui negant panem in Eucharistia manere? Sed neque species adoramus, quibus Christi corpus obtegitur. Christus ipse sub speciebus latens, et cum symbolis conjunctus colitur, ut Rex veste indutus. Quod autem honoris genus symbolis debeatur, si separatim a Christo spectentur, ad fidem nihil attinet. Porro observandum est, quod Protestantes, etiamsi persuasum illis esset, Christum in Eucharistia praesentem non esse, Catholicos tamen, qui in persuasione omnino contraria sunt, idololatriae accusare non possint. Hujus rei rationem claram et apertam affert ipse *Marc. Ant. de Dominis*, cujus haec verba sunt *a)*: « Respondeo, me nullum idololatricum « crimen in illa adoratione, si recte dirigatur intentio, agnoscere. « Qui enim docent, panem non esse amplius panem, sed corpus « Christi, illi profecto panem non adorant, sed solum ex suppo- « sitione, licet falsa *b)*, Christi corpus vere adorabile adorant. »

a) Lib. VII de rebus eccles. cap. XI. *b)* Ita loquitur homo haereticus et apostata ex Calvinianae Relig. principiis.

ADNOTATIONES.

(1) Pag. 301. — Von dieser Sekte der Sakramentirer schreibt Luther anderswo (Vorrede über das Büchlein Syngramma ꝛc. an Johannem Aecolampadium, 1526). „Ich hoffe, solche grewliche Lesterung (der Sakramentierer) solls bald mit inen ein Ende machen; wiewohl wir solch jemerlich Wesen und Secten wol verdienet haben durch unser Undankbarkeit und Verfolgung des Evangelii, und noch ergeres verdienen, das auch leider kommen wird. (Gewiß wahr gesagt!) Diese Secte ist so fruchtbar, daß sie inwendig einem Jahr fünff oder sechs Köpfe hat gewonnen. Der erste war D. Carlstad mit seinem Touto, der ander Zwingel mit seinem Significat, der dritte ist Ecolampadius mit seiner figura corporis, der vierte keret die Ordnung des Texts umb, der fünfte ist auf der Ban, der versetzt die Wort, der sechst steckt noch in der Geburt, und würffelt die Wort, der siebend wird vielleicht auch etwa kommen, und die Karten mengen, ein jeglicher will hie Meister werden. Da sihe, ob uns nicht der Geyst Gottes genugsam warnet für den Secten, die in jrem Anfang sich so theilet! (Er vergleicht nun diese Secten mit dem vielköpfigen Thiere in der Offenbarung, und fährt fort:) in ursachen und gründen anzuzeigen, hat yägliche Rotte ihre Köpffe, und ire weise zu lestern ꝛc. (Hat nicht Luther hier sich selbst das Urtheil gesprochen? So muß es ja geschehen, wenn sich jeder seinen Glauben selbst machen kann. — Bald darauf tröstet sich Luther damit, daß diese Köpfe nach und nach absterben müssen.)

Der erste Kopf, sagt er, Carlstads Touto ligt schon, und hat nicht einen Buff mögen halten. Desselben gleichen geht es auch des Zwingels Significat, das hat den Kopff niedergehengt, und stirbt frey dahin; denn man kann kein Significat in der Schrifft auf Est bringen. (Hier war Luther auch kein Prophet, denn bei den HH. Protestanten hängt wirklich das Est gewaltig den Kopf, und ist seinem Absterben nahe; hingegen gehet Zwingels Significat mit gehobenem Haupte einher.)

(2) Pag. 304. Quid de ejusmodi agendi ratione sentiendum sit, ex ipso novae reformationis auctore discamus. In Epistola ad Francofurtenses, eos hortatur, ut procul a se repellerent simulatores illos, qui, licet cum Zwinglio sentirent, ita tamen subdole de Eucharistia loquebantur, ut multi Lutherani ad eorum coenam accederent: So thut diese zweyzüngige Rotte auch sagen: Es sey nit not, daß der gemein Christen mensch wisse, wie Christus leyb im Sakrament sey. Was sind das für Christen, die so meucheln, und scheuen sich ire lere frey bekandt zu seyn, und verkaufen sie unter einem frembden schein, und deckel? Darauf gehört eine zwiefeltige Helle. Weiter: Wer seinen Seelsorger öffentlich weiß, daß er zwinglisch leret, den soll er meyden, und ehe sein lebenlang des Sakraments emperen, eh ers von ihm empfangen sollt, ja auch ehe darüber sterben, und alles leyden. Ist aber sein Seelsorger der zweizüngigen einer... so geh, und sende zu ihm, und laß dir deutlich heraussagen, was das sey, das er dir mit seinen Händen reicht, und mit deinem Mund empfeheſt. Ist's ein redlicher Schwermer, der wird dir sagen, er reiche dir eitel Brod und Wein, dabei sollst du denken und glauben den leyb und blut Christi ꝛc. Ist's aber der Gauckler einer, die unter dem hütlein spielen, so wird er Mum, Mum sagen, und den brey im maul umbher werffen, und also

geiffern, es ist genug, daß du glaubest den leyb, den Christus meinet.

Weiter unten heißt es: „Und in Summa, das ich von diesem stücke komme, ist mir's erschröcklich zu hören, das in eynerley Kirchen, oder bei einerley Altar sollten beyde teyl eynerley Sakrament holen, und empfahen; und ein teyl solt glauben es empfahe eytel Brod und Wein, das ander teyl aber glauben, es empfahe den waren leyb, und blut Christi. Und oft zweiffel ich, obs zu glauben sey, daß ein Prediger oder Seelsorger so verstockt und boßhafftig seyn könde, und beyde teyl also lassen gehen und jeglichs in seinem Wahn. Ist aber etwa einer, der muß ein hertz haben, das da herter ist, denn kein stein, stahel, noch demand, der muß freylich ein Apostel des zorns sein. Denn Türken und Juden sind viel besser. Aber diese gesellen müsten die rechten hohe Ertzteuffel sein, die nur eytel brod und wein geben, und liessen michs halten für den leyb und blut Christi, und so jemmerlich betrögen. Das wäre zu heiß, und so hart, da wird Gott zuschmeissen in kurtzem. Darumb, wer solche Prediger hat, oder sich des zu jnen versihet, der sey gewarnt für jnen, als für dem leybhafftigen teuffel selbs."

(3) Pag. 344. Praeclare in hanc rem *Leibnitzius* in systemate Theologico p. 228. edit. Mogunt. «Equidem non patitur brevitas «nostra, ut in Philosophiam longius excurramus; illud tamen «obiter attigisse suffecerit, nos quoque non perfunctorie studiis «mathematicis, mechanicisque, et naturae experimentis operam «dedisse, et initio in illas ipsas sententias, quas paulo ante di«ximus, inclinasse fatendum est: tandem progressu meditandi, «ad veteris Philosophiae dogmata nos recipere fuisse coactos. «Quarum meditationum seriem si exponere liceret, fortasse «agnosceretur ab his, qui nondum imaginationis suae praejudi«ciis occupati sunt, non usque adeo confusas et ineptas esse «eas cogitationes, ac illis vulgo persuasum est, qui receptorum

« dogmatum fastidio tenentur, et *Platoni*, *Aristoteli*, et divo *Tho-*
« *mae*, aliisque summis viris tanquam pueris insultant. » — Et paulo post (pag. 234.): « In universum necesse est, vel dari « accidentia realia, sive absoluta, quae non tantum modaliter a « substantia differant, ut ea solent, quae relationes appellamus; « vel omnem mutationem realem etiam esse essentialem, sive « substantialem, quod ne illi quidem admittunt, qui accidentia « realia negant. » Haec et plura alia, quae in ipso opere legi possunt, a viro dicta sunt acutissimi ingenii, qui in rebus philosophicis vix unquam parem habuit, superiorem certe neminem. Alio loco gallice ita sententiam suam exprimit *a)*. « Mr. le Ba- « ron de Boinebourg sait que depuis quatre ans je me suis for- « tement occupé de montrer la possibilité des mystères de l'Eu- « charistie. . . . Je crois en être venu heureusement à bout, « lorsque j'ai reconnu que ce n'est pas dans l'étendue que con- « siste l'essence du corps . . . . et même que la substance du « corps est sans étendue . . . . Il a paru enfin très-nettement en « quoi la substance différait *des espèces;* et l'on a vu la raison « qui fait clairement comprendre que Dieu peut faire ensorte « que la substance du même corps soit à la fois en plusieurs « lieux distans les uns des autres; ou, ce qui revient au même, « existe sous plusieurs espèces. *Nous prouverons aussi, ce qui « n'était venu en pensée à personne, que la Transsubstantiation, « et la présence réelle du même corps en plusieurs lieux, ne diffè- « rent pas en dernière analyse;* et qu'on ne peut pas dire qu'un « corps soit en plusieurs lieux distans les uns des autres, au- « trement qu'en concevant que sa substance existe sous diverses « espèces ou apparences: car la substance seule du corps n'est « pas sujette à l'étendue, et par conséquent aux conditions du « lieu . . . . et par conséquent la *Transsubstantiation*, pour me « servir d'une expression très-sagement employée par le Concile « de Trente, et que j'ai éclaircie d'après S. *Thomas*, n'est point « contraire à la confession d'Augsbourg, et même en est une « conséquence. »

---

a) Ex epist. inedita ad Arnald. Voyez Exposition de la doctrine de Leibnitz etc. Edit. de Paris. pag. 417.

Operae pretium non est, hic de recentioris Philosophiae placitis disserere. Cito transeunt nova opinionum commenta; et quae cum ingenti sapientiae ostentatione sese extollunt, vix nata iterum decidunt et vilescunt. Qui hac nova Philosophia ad impugnanda Religionis mysteria utuntur, ab aliorum temporum incredulis verbis quidem, sed re ipsa non differunt; nam quae ab illis objiciuntur, jam centies fuerunt a Religionis Christianae defensoribus refutata. Qui autem operam in eo collocarunt, ut fidem mysteriorum ex novellae Philosophiae principiis demonstrarent, ii ingratum opus susceperunt et inutile, et multa obscura dixerunt, quae a nemine leguntur. Siquis tamen plura circa hanc materiam legere desiderat, adeat doctissimi D. *Zimmer* Theologiam specialem, tom. III. a. §. 142. usque ad 182.; et, si ea perlegerit, facile nobis ignoscet, si ab hac tractatione in nostra *dogmatica Theologia* abstinemus. Plura habet vir Doctissimus contra Kantianos egregie dicta, atque hoc passim evenit novorum systematum patronis, ut facilius aliena destruant, quam sua confirment. Exempli loco haec exscribimus ex §. 161.: «Indeſſen gibt Kant zu, und muß es zugeben, daß er die Leerheit der Ideen nicht beweiſen kann, und fordert dagegen nur ſo viel, man ſolle zugeben, daß auch die Realität derſelben nicht bewieſen werden könne. Dieſe beiderſeitliche Unmöglichkeit vorausgeſetzt, welche eigentlich unter die kantiſchen Grundlehren gehört, wie können die Kantianer von theoretiſchen und praktiſchen Unmöglichkeiten bei der Lehre der Katholiken vom Abendmahle ſprechen?» Et certe nemo Catholicorum est, qui non Kantianis concedat, nulla ratione philosophica probari posse, ideis, quae de mysteriis habentur, aliquid reale subesse; sed sufficit nobis, etiam contrarium ex hac Philosophia probari non posse: manet ergo inconcussum argumentum ex Revelationis criteriis, id est, ex verbo Dei deductum.

Pergit D. Zimmer Kantianos alloquens: «Wie könnt ihr von Unmöglichkeiten, von Aberglauben, von Pfaffenbetrug ſprechen? Oder habt ihr vielleicht gar euern Meiſter überſprungen? Nun, ſo tretet auf, ... und bringet eure nöthige Beweiſe aus eurem philoſophiſchen Magazin hervor: denn merkt es wohl, aus eurer Philoſophie müßt ihr es vollgültig beweiſen. Machtſprüche gelten hier nicht; auch nicht das Hinweiſen auf einige Schriften aus euerer Schule, am allerwenigſten auf die Schrift: Neue Erde,

und neuer Himmel, das elendeste Produkt, um Philosophie zu beschimpfen, die zwar euer Pöbel heißhungrig verschlingt, über die ich aber, wenn ich sie im Schlafe geträumt hätte, im Angesichte eines wahrhaft philosophischen Kopfes erröthen würde. Unterdessen, bis ihr mit euern Beweisen fertig seid, leget euerm ungezogenem Pöbel das Stillschweigen auf. Unter diesen Pöbel rechne ich nicht nur die Lehrlinge, sondern auch die öffentlichen Lehrer, die sich mit dem Studium der Philosophie nicht abgeben können oder mögen, und darum lieber euch nachbeten. Vorzüglich aber rechne ich darunter jene Geschäftsmänner, von jedem Stand und Range, welche die hohe Meinung von der Philosophie haben, man könne sie aus Journalen und Litteratur-Zeitungen von Grund aus kennen lernen, und darum so gern über Philosophie absprechen ꝛc. ꝛc. Quam bene haec! Sed cur de Kantianis tantum dicta sunt??

CAPUT SECUNDUM.

DE EUCHARISTIA UT EST SACRAMENTUM.

De veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia disputavimus. Posito nunc totius controversiae fundamento, ad eas quaestiones progredimur, quae ad Eucharistiam pertinent, quatenus est Sacramentum. Multa hic iterum occurrunt, quorum notitiam habere oportet Theologum, et quidem non vulgarem, sed solidam et eruditam; ut et ipse potens sit instruere fideles in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. Totam hanc tractationem in quatuor articulos partimur: I. erit de natura Sacramenti; II. de ejus materia et forma; III. de causis extrinsecis; IV. de necessitate ejus et effectibus.

ARTICULUS I.

De natura Sacramenti Eucharistiae.

OBSERVANDA.

I. Eucharistia recte dicitur: *Sacramentum a Christo Domino institutum ad spiritualem animae refectionem, in quo corpus et*

sanguis ejus sub speciebus panis et vini vere, realiter, et substantialiter continentur. Partes hujus definitionis omnes, aut probatae jam fuerunt, aut manifestae fient ex hujus capitis decursu. Caeterum, quod Eucharistia novae legis Sacramentum sit, nulla hactenus Christianorum societas negavit. Eucharistiae vocabulum a Graeco εὐχαριστία desumptum est, quod gratiarum actionem significat. Illud autem optime huic mysterio convenit, tum quia Christus illud instituendo gratias egit, tum quia nos hanc purissimam hostiam offerentes, dignas Deo pro universis in nos beneficiis gratias referimus. *Reverenda ac salutaria illa mysteria*, ait S. *Chrysostomus a)*, *quae in omni certe Ecclesiae congregatione celebramus, Eucharistia nuncupantur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum divinae erga nos charitatis ostendunt, nosque faciunt debitas Deo gratias semper evolvere.*

II. Multa alia sunt hujus Sacramenti nomina, vel ab institutione, vel ab effectis, vel a materia aut re ipsa, quam continet desumpta. Praecipua sunt: *Coena Domini*, *Mensa Domini*, *Sacramentum Altaris*, *Viaticum*, *Panis*, *Fractio panis*, *Panis mysticus*, *Panis Angelorum*, *Corpus et Sanguis Domini*, *etc.* Non raro etiam *Communio*, aut *Synaxis* dici solet, quia fideles inter se et cum suo capite arctissimo nexu conjungit. *Quoniam*, ait Apostolus *b)*, *unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Unde merito S. *Augustinus* exclamat *c)*: *O Sacramentum pietatis! O signum veritatis! O vinculum charitatis!* Neque praetermittendum est *Eulogiae* vocabulum, quod apud veteres Graecos saepe Eucharistiam exprimebat. Εὐλογεῖν idem est ac *benedicere*, et in Scripturis idem significat, quod εὐχαριστεῖν *gratias agere. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* 1 Cor. X, 16. Communiter tamen *Eulogiae* vocabantur illae consecratae Eucharistiae partes, quae in signum mutuae communionis et charitatis ad absentes Episcopos et Presbyteros mitti solebant. Quando postmodum, hoc more abrogato, partes panis ex oblatione fidelium superstites, quas Sacerdos singulari benedictione sanctificabat, loco Eucharistiae mittebantur, his panis reliquiis mansit Eulogiarum nomen.

a) Homil. XXXI. in cap. VIII. Matth. *b)* I Cor. X, 17. *c)* Tract. XVI. in Joannem.

III. In Altaris Sacramento duo in universum occurrunt: actiones nimirum, quae cito transeunt, ut consecratio, manducatio; et res ipsae, quae permanent, ut panis solus in sensu Sacramentariorum, panis cum corpore Christi in sensu Lutheri, in sensu autem Catholicorum species panis et vini cum corpore et sanguine Christi. Exinde multiplex oritur controversia. Quaeritur enim an Sacramentum in usu consistat, aut an panis in Eucharistia Sacramenti habeat rationem? quae heterodoxorum sententiae sunt, quas capite I° refutavimus. Ibi enim confectum est, Eucharistiam illud prae caeteris Sacramentis proprium habere, quod consistat in re permanente. Sed et panem Sacramenti rationem habere non posse, ex dogmate transsubstantiationis perspicuum est: non potest esse Sacramentum, quod non adest; quod etiam si adesset non posset *signi* locum tenere. Substantia quippe nihil proprie significat, nec est res sensibus objecta, hoc enim proprium est accidentium. Catholici, cum haereticas doctrinas communi voce repellunt, non tamen omnino consentiunt inter se. Sunt, qui Sacramenti hujus naturam in ipsa consecratione posuerunt; sed haec sententia non est multorum, omnes fere res ipsas, quae permanent, Sacramenti rationem habere dicunt; sed hi iterum disputant, an corpori Christi soli, an speciebus solis, an utrisque, et speciebus et corpori Christi, Sacramenti ratio conveniat? Prima sententia vix adhuc defenditur: secunda inter Thomistas videtur esse communior, eique adstipulari videtur Catechis. Rom. de Euch. Quaest. VIII.: *Ipsae panis et vini species*, inquit, *veram et absolutam hujus nominis rationem habent.* Nihilominus maxima Theologorum pars tertiam sententiam amplectitur. Sed hic iterum magis in verbis discrimen est, quam in re; omnes enim concedunt, nec corpus sine specie, nec speciem sine corpore Sacramentum esse. Qua ratione autem subtiliter in hac materia distingui possit, ex his doctiss. *Bellarmini* propositionibus intelliginus *a*). *Propos. V.: Etsi tam species panis et vini, quam corpus et sanguis Domini ad essentiam Sacramenti Eucharistiae pertineant; ratio tamen Sacramenti magis convenit speciebus ut continent corpus, quam corpori Christi ut est sub speciebus. Propos. VI.: Ratio Sacrificii, nec non*

a) De Euch. lib. IV. C. VI.

pignoris et alimenti divini, magis convenit corpori Domini ut est sub speciebus, quam speciebus ut continent corpus Domini. Ratio primi est, quia Sacramentum, praecise ut tale, est signum sensibile rei sacrae; nempe vel gratiae, ut in caeteris Sacramentis, vel auctoris gratiae, ut in Eucharistia: ex quo sequitur, solas species, ut corpus Christi continent, proprie rationem habere Sacramenti, solae enim species sunt signum sensibile realis, sed invisibilis praesentiae Christi. Ratio secundi est, quia, ut *Bellarminus* ait, quod offertur Deo Patri, non sunt species panis, sed id, quod in cruce fuerat oblatum; et similiter pignus amoris et alimentum non in significatione, sed in re ipsa consistunt.

PROPOSITIO I.

Ipsa consecratio non est Sacramentum.

Probat. 1.° Eucharistia est aliquid permanens, consecratio autem est aliquid transiens, quemadmodum et sumptio. Ergo, sicut Sacramentum adest antequam sumatur, sic etiam manet peracta consecratione; et fideles, qui Eucharistiam in domibus servabant, eamque nemine praesente sumebant, numquid non accipiebant Sacramentum? 2.° Duplici modo intelligi potest consecratio; vel est ipsa panis in corpus Christi conversio, vel prolatio verborum, quibus perficitur illa conversio: atqui primum Sacramentum dici non potest, cum sit aliquid occultum et prorsus insensibile; neque secundum; nam verba illa efficiunt Sacramentum, ideoque Sacramentum ipsum esse non possunt. 3.° Si consecratio Sacramentum esset, nulla adesset Sacramenti materia; nam panis, qui consecratur, non est consecrationis materia, sed subjectum, sicut homo qui baptizatur.

PROPOSITIO II.

In Eucharistia nec solae species, nec solum Christi corpus rationem Sacramenti habent, sed species simul cum corpore et sanguine Christi.

Probat. 1.° Quae huic Sacramento tribui solent a SS. Patribus, quod sit cibus animae, quod sit cultu latriae adorandum, quod Christi verbis: *Hoc est corpus meum* perficia-

tur; haec et alia id genus plurima, quae in ore fidelium versantur, non solis speciebus, sed corpori et sanguini Christi tribuuntur. Ergo etc. — 2.° Ex altera parte multae et graves rationes, et varia SS. Patrum testimonia id quoque evincunt, panis et vini species, non ipsum corpus et sanguinem, proprie Sacramentum dici. Nam Concilium Trid. Sess. XIII. Can. I. declarat, corpus et sanguinem Christi in Eucharistiae Sacramento contineri; quod autem in Sacramento continetur, non est ipsum Sacramentum. Certum quoque est, Sacramentum in re sensibili positum esse, corpus autem Christi ita est in Eucharistia praesens, ut sensibus sit penitus subductum.

Patet ergo, utrumque ad Sacramenti essentiam requiri, tum species, tum corpus. Hinc si Patres species panis et vini Sacramentum vocant, eas certe non solas et separatim sumunt, sed quatenus corpus et sanguinem continent. Ita, si Sacramentum hoc corpus et sanguinem Christi appellant, species sensibiles a ratione Sacramenti non excludunt, sed a potiori parte Sacramentum Eucharistiae designant.

QUAERITUR:

An Eucharistia unum sit Sacramentum an duplex?

Resp. Etsi duplex sit in hoc Sacramento materia, duplex forma; etsi duo sint signa, species panis quae corpus, et species vini quae sanguinem significant, tamen unum est Sacramentum. Nam res, quae arte potius constant quam natura, non ex partium unitate, sed ex earum perfectione et coaptatione suam consequuntur unitatem; ut in domo, et aliis artefactis videre est. Sic in Eucharistia species panis et vini unum sunt et integrum signum rei sacrae, et ad eundem finem et effectum referuntur. Nam et spiritualem animae refectionem, et passionem Christi, et fidelium communionem, et corpus Christi, quod est Ecclesia, significant.

ARTICULUS II.

De materia et forma Sacramenti Eucharistiae.

Quantum Eucharistiae Sacramentum a reliquis omnibus differat, ex iis quae hactenus dicta sunt abunde colligitur.

Caetera Sacramenta in usu consistunt, seu in actione transeunte, neque ulla fit materiae aut elementi in aliam naturam mutatio. Inde est, quod in his Sacramentis idem sit esse Sacramentum, et fieri; nam non sunt, nisi cum fiunt, et idem Sacramentum constituit, quod illud efficit. Non ita Eucharistia. Haec conficitur, ut sit et permaneat. Hic ergo aliud est esse Sacramentum, aliud fieri. Cum Sacramentum conficitur, requiritur materia, quae in corpus et sanguinem Christi consecratione transmutatur, et forma, qua conversio substantiae perficitur. De hac materia et forma nunc agendum est. Haec, ut ex probatis manifestum est, Sacramentum ipsum, ut in se est, non constituunt: non panis, qui non adest amplius; non verba consecrationis, quae non manent, cum tamen maneat Sacramentum.

§. I.

De materia Sacramenti.

OBSERVANDA.

I. Duplex est hujus Sacramenti materia, quemadmodum est duplex pars Sacramenti. Una est panis ex tritico confectus, altera vinum ex vite expressum. Circa primam materiae partem errarunt veteres quidam *Gnostici*, quorum impios et abominandos ritus satius est hic praeterire. Alii ex eadem Gnosticorum familia, retento panis usu, vini elementum sustulerunt. De *Ebionitis* ita refert *Epiphan. a). Ex Ecclesiae imitatione mysteria quaedam quotannis celebrant, in quibus panes azymos, et ad alteram mysterii partem meram aquam adhibent.* Eundem ritum secuti sunt Manichaei, ex falsa, qua laborabant opinione, quod vinum esset a malo principio conditum. Si qui postea reperti sunt, qui ex simplicitate et ignorantia aquam aut lac, aut aliud quid pro vino adhibuerunt, ii pauci fuerunt et facile SS. Pontificum et Conciliorum decretis fuerunt repressi. Caeterum quae communis Ecclesiae praxis et Traditio a Christi tempore fuerit, tam apertum est, ut probatione non indigeat. Omnes enim tum Orientis, tum Occidentis Ecclesiae id semper magno consensu tenuerunt, quod

a) Haeresi XXX. n° 16.

panis et vinum ex vite sola sint materia idonea Sacramenti. Ita legimus Eucharistiam a Christo fuisse institutam. *Accepit Jesus panem, et benedixit etc.... Et accipiens calicem, gratias egit etc.* Manifestum est calicis nomine illud intelligi, quod in calice continebatur: vinum autem in calice fuisse haec probant, quae statim sequuntur: *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis etc.* Neque exemplum tantum habemus, sed expressum mandatum.... Nam post panis consecrationem additur: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. XXII. Similiter ad calicis porrectionem: *Hoc facite, quotiescunque bibitis in meam commemorationem.* I Cor. XI.

II. Materia, ex qua tam in Ecclesia Graeca quam Latina conficitur panis Eucharisticus, est triticum. De hoc ita habet Catech. Rom. *a).* «*Salvatoris verba ostendunt, panem ex tritico confici oportere; communi enim loquendi consuetudine, cum panis absolute dicitur, panem ex tritico intelligi satis constat.*» Eadem S. *Thomae* sententia est *b).* Vid. *Card. Gotti* de quaest. 1. Cui etiam Concilii Florentini verba consonant, quod in litteris unionis ita ait: *Definimus in azymo, sive fermentato pane triticeo Christi corpus veraciter confici.* Caeterum Theologi disputant, quid sub ratione tritici comprehendatur, et quidam volunt sub communi vocabulo alias etiam frumenti species intelligi posse, quae non substantia, sed accidentibus tantum, ab illo tritico differunt, quod speciatim, et quasi per excellentiam ita vocatur.

III. Quod alteram materiae partem attinet, omnium sententia est, requiri vinum de vite expressum, quale communi usui inservire solet. Unde nec acetum, neque vinum congelatum idonea consecrationis materia est. Vino aquam admiscendam esse, constans fert Ecclesiae Traditio; et si Graecis ab Innocentio III. objicitur, quod vinum sine aqua offerant, non ii intelligendi sunt, qui proprie a nobis Graeci vocantur, sed Orientales quidam a magna Graecorum Ecclesia separati. In *Concil. Trullano* anno 692 Armeni hujus erroris accusantur; neque eum deposuisse videntur postmodum, ut ex Decreto *Eugenii* IV. colligi potest, ad eosdem Armenos dato anno 1439, in quo Pontifex statuit.... *ut Armeni se cum universo orbe Christiano conforment, eorumque*

---

a) De Euch. quaest. XII. *b)* Part. III. quaest. LXXIV. art. III.

Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquae admisceant vino. Protestantes vino utuntur sine aqua, aquae tamen admixtionem pro re indifferenti habent. Falluntur autem, aut fallere volunt, quando asserunt Catholicos aquam in Eucharistia de necessitate Sacramenti habere, cum paucissimi id asserant.

IV. Saeculo IX. acris inter Graecos et Latinos controversia exarsit circa panis azymi aut fermentati usum. Auctor ejus fuit *Michaël Cerularius*, Cp. Patriarcha, qui primus contra Latinos defendit, nullam esse et irritam consecrationem in azymo, eosque, qui cum Romana Ecclesia hoc pane utebantur, invidioso nomine *Azymitas* appellavit. Quando usus azymi apud Latinos invaluerit, non constat inter Theologos. Ex eo, quod *Michaël Cerularius* primus fuerit, qui hanc litem movit Romanis, *Photius* autem, qui nono saeculo eodem in Latinos odio et calumniandi studio flagrabat, hac de re penitus siluerit, multi concludunt, medio illo, quod inter *Photium* et *Cerularium* effluxit, intervallo azymorum usum institutum fuisse in Ecclesia Latina. Haec est *Jacobi Sirmondi*, insignis e S. J. Theologi, sententia. Contra alii doctissimi viri contendunt, fermentati usum nunquam fuisse in Ecclesia Latina receptum. Mediam inter hos opinionem statuit *Card. de Bona a*), vir, sicut pietate, ita et eruditione eminentissimus. Docet autem, 1.° Graecos usum fermentati constanter retinuisse; 2.° apud Latinos primis Ecclesiae saeculis promiscuum fuisse azymi et fermentati usum; neque ante saeculi decimi initium azymum lege generali fuisse receptum.

PROPOSITIO I.

Ad Sacramenti substantiam nihil refert, an in pane fermentato, an in azymo consecratio fiat; convenientior tamen videtur panis azymi usus, quem Ecclesia Latina sancivit.

Probat. I. pars. Uterque panis veram habet panis substantiam; et quamvis Christus azymum adhibuerit, legem tamen necessitatis non imposuit. *Neque enim*, inquit Algerus *b*), *eo pane usus est, quia res, quae fiebat, id exigebat; sed quia Coena, in qua hoc factum est, alium*

a) Lib. I. rerum Liturgicarum cap. XXIII. *b*) Lib. II. de Sacram. etc. corporis cap. X.

panem non exhibebat. Hinc Ecclesia Latina Graecorum consuetudinem nunquam improbavit, et cum saeculo IX. primum hac de re controversia fieret, Leo IX. Cerularium non redarguit, quod ipse cum Orientalibus in fermentato consecraret, sed quod Latinos velut haereticos insectaretur. Voluit S. Pontifex, ut sua utrique Ecclesiae consuetudo maneret, quod postmodum in Florentina Synodo, cui tam Graeci quam Latini subscripserunt, statutum fuit his verbis: *Definimus insuper, in azymo, sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in alterutro corpus Domini conficere debere, unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae Occidentalis sive Orientalis consuetudinem.*

Probat. II. pars. 1.° Ecclesiae Latinae consuetudo nititur exemplo Christi, qui pascha celebravit primo die azymorum, ut Matth., Marc. et Lucas narrant, quo tempore nihil fermentati domi habere Judaeis licebat. Quae contra opponuntur tanti non sunt, ut in Demonst. Christ. *a)* ostendimus. 2.° Azymus melius significat corpus Christi, quod sine corruptione conceptum est. 3.° Panis azymi consecratio, ut *Catech. Rom.* observat *b)*, quam maxime convenit integritati et mentis munditiae, quam fideles ad hoc Sacramentum afferre debent, secundum illud Apostoli I Cor. V.: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis.*

Notandum tamen, neque Latinos, neque Graecos posse indifferenter aut fermentatum, aut azymum adhibere. Unusquisque morem sequatur Ecclesiae, ut in Concil. Florent. declaratum fuit. *Unde, sicut peccat Presbyter in Ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato; ita peccaret Presbyter Graecus in Ecclesia Graecorum celebrans de pane azymo, quasi pervertens Ecclesiae suae ritum.* S. *Thom.* P. III. quaest. LXXIV. art. IV.

---

a) Part. II. cap. I. art. I. §. III. obj. VII. *b)* De Euch. quaest. XII.

PROPOSITIO II.

Ab Ecclesia praeceptum est Sacerdotibus, et quidem convenientissime, ut aquam vino immisceant in Eucharistia.

Probat. I. Usus aquam vino miscendi in Eucharistia antiquissimus est, eumque non Ecclesia modo Latina, sed et Graeca constanter retinuit. Id testantur veteres Liturgiae S. *Jacobi*, S. *Chrysostomi* etc.; tum et Patres antiquissimi, *Justinus* Martyr, qui Apol. II. ait, *in Christianorum coetibus offerri poculum aquae et vini*. *Irenaeus*, qui lib. IV. cap. XXXIII. calicem vocat *temperamentum*, et lib. V. cap. II., ubi ait: *Quando ergo factus panis, et mixtus calix percipit verbum Dei, et fit Eucharistia corporis et sanguinis Domini*. *Cyprianus* quoque Epist. 63. ad Caecilium totus est, ut ostendat ex Traditione, vinum aqua esse miscendum. Sequentium saeculorum testes sunt *Ambros.* lib. V. de Sacramentis, *Augustin.* de Eccles. dogmat., *Concil. Carthag.* III. anno 397, *Concil Trullanum* Can. 32 etc.

Merito igitur *Florentini* Patres in Decreto ad Armenos dicunt, antiquas omnes tum Latinorum, tum Graecorum Ecclesias semper in sacrificio obtulisse vinum aqua mixtum. Merito etiam *Tridentina Synodus* adversus Novatores ita decrevit Sess. XXII. Can. IX.: *Siquis dixerit . . . . aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo, quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.*

II. Rationes hujus ritus, praeter Ecclesiarum perpetuam consuetudinem, a *Concilio Trid.* Sess. cit. cap. VII., et Catech. Rom. quaest. XV., afferuntur sequentes. 1.° Quia id a Christo factum esse et Conciliorum auctoritate, et S. Cypriani testimonio comprobatur: constat autem, consuetudinem gentis Judaicae fuisse semper vinum aqua diluere, juxta illud Proverb. IX.: *Bibite vinum, quod miscui vobis.* 2.° Quia ex latere Christi in cruce pendentis manavit sanguis et aqua. 3.° Quia aqua vino admixta fidelis populi cum Christo capite conjunctionem significat: quod *Cyprian.* ita explicat in Epist supra cit: *Quando in calice aqua vino miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei, in quem credit, copulatur et conjungitur: quae copu-*

latio et conjunctio aquae et vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit separari.

Addit Catech. Rom. quaest. XVI. « Quamvis aquae admiscendae ita graves rationes sint, ut eam sine mortali « peccato praetermittere non liceat; ea tamen si desit, Sacramentum constare posset. Illud autem Sacerdotibus « animadvertendum est, quemadmodum in sacris mysteriis « aquam vino adhibere oportet, sic etiam modicam infundendam esse; nam ecclesiasticorum Scriptorum sententia « et judicio aqua illa in vinum convertitur. »

Notandum tamen, Catechismum, cum ait aquam primum in vinum converti antequam sanguis Christi efficiatur, ex S. *Thomae* sententia loqui. Omnes quidem auctores unanimi voce pronuntiant, aquam vino mixtam reipsa in sanguinem converti: an autem prius in vini substantiam transeat, et sic convertatur in sanguinem, quae conversio mediata dicitur; an potius in propria manens substantia immediate, ut dicunt, simul cum vino in sanguinem Christi mutetur, inter Theologos controvertitur, neque necesse est hanc dirimere litem.

§. II.

De forma Sacramenti.

OBSERVANDA.

I. Sicut materia Eucharistiae duplex est, ita formam duplicem esse necesse est: *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.* Non est ergo de hoc disputandum. Illud tantum quaeritur, quae verba sint in hujus Sacramenti confectione adhibenda. Haereticorum discordes sunt sententiae. *Calvinus* Catholicorum formam magicam incantationem appellare non veretur *a*); ipse autem cum aliis Novatoribus docet, verba institutionis per modum lectionis aut concionis esse recitanda ad instruendam fidem, non ad elementum consecrandum; quod quam sit absurdum jam alio loco ostensum est, cum de Sacramentis in universum ageremus. *Chemnitius* econtra cum Lutheranis plurimis ait, verba non ad instruendum tantum requiri, sed etiam ad con-

a) Inst. lib. IV. cap. XVII. n. 29.

secrandum, in quo magis quidem accedit ad Catholicorum doctrinam; qua ratione autem haec conciliet cum aliis suae sectae principiis, nostrum non est inquirere. Sed et moderni Protestantes hoc labore se liberant, et cum omnia, quae supernaturalis ordinis sunt excludunt, id saltem consequuntur, ut sibi constent. Ubique nihil.

II. Alia est Latinos inter et Graecos controversia de forma consecrationis. Notum est, in nostra etiam Liturgia consecrationi praemitti preces, quibus Deum oramus, ut panem in corpus et vinum in sanguinem transmutare dignetur. Apud Graecos non tantum praemittitur oratio, sed recitatis Christi verbis statim subjicitur: *Fac quidem panem hunc pretiosum corpus Christi tui; quod autem est in hoc calice, pretiosum sanguinem Christi tui, immutans Spiritu sancto tuo.* Hanc orationem illi vocant *invocationem Spiritus sancti*, neque desunt inter eorum Theologos, qui eam partem esse dicunt necessariam consecrationis. Inter nostrates vir magnae eruditionis D. *Le Brun*, Gallicani Oratorii Presbyter, adstruere conatus est *a)*, formam Eucharistiae non in verbis tantum Christi sitam esse, sed etiam in precibus, quae apud Latinos Domini verba praecedunt, et apud Graecos consequuntur; ita ut ex illis verbis et precibus integra coalescat Eucharistiae forma. Sed haec non est communior sententia: passim enim Latini formam in precibus positam esse negant.

III. Ad theologicas concertationes haec imprimis pertinent: an ipse Christus Dominus aliqua verborum forma usus fuerit in Eucharistiae institutione? Quidam existimarunt, eum vi propria et potestate excellentiae citra ullam verborum formam consecrasse, et deinde distribuendo Sacramentum ea protulisse verba, quibus deinceps in Ecclesia panem et vinum consecrare oporteret. Alii Christum consecrasse dicunt, non sola benedictione, sed certis verbis nobis incognitis. Alii iterum, de quibus S. Thomas loquitur, somniarunt, Christum verba ista: *Hoc est corpus meum*, bis pronuntiasse, primo secrete ad consecrandum, secundo manifeste ad instruendum. Cf. S. *Thom.* Part. III. Quaest. LXXVIII. Art. I. Sed has aliasque hujusmodi quaestiones postea leviter attingemus, postquam decisum fuerit, quod gravius est.

---

a) Explicat. de la Messe liv. V.

PROPOSITIO.

Sola haec verba: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus ... vel: Hic est calix ... sanguinis mei ... sunt forma consecrationis essentialis et necessaria.

Probat. I. Christus, cum hoc Sacramentum instituit, et primus confecit, neque concionem habuit, neque preces fudisse perhibetur: sed prout in Evangeliis legitur, panem porrigens Apostolis dixit: *Hoc est corpus meum.* Et tradens calicem: *Hic est sanguis meus.* Ita et Apostolus, cum in I. Epist. ad Corinth. ritum conficiendae Eucharistiae tradit, quem a Deo acceperat, nullius orationis aut concionis mentionem facit. Sed neque Veterum aliquis tradidit, Christum aliis verbis usum esse, praeter ea, quae in Scriptura narrantur. Ut quid enim preces adjicere necesse esset, cum verba Christi vim habeant ex se, et illud, quod significant, efficiant. Optime quidem Ecclesia agit, cum certos ritus, certasque preces praescribit in tanti mysterii celebratione; sed hoc ipsum probat, ad essentiam non pertinere preces istas, cum sint ab Ecclesia institutae, et variae in diversis Ecclesiis recitentur.

Probat. II. Idem liquet ex testimoniis veterum Patrum, quorum alia non fuit sententia, quam verbo Christi consecrationem fieri. Ex multis haec tantum adjicimus. *Tertullian.* lib. IV. contra Marc. cap. XL. disertis verbis ait: *Acceptum panem et distributum Discipulis corpus suum effecit, hoc est corpus meum dicendo.* Ex *Irenaeo* supra exscriptus est locus *a)*. S. *Chrysostomus*, hom. I. de proditione Judae n° VI. ritum et formam consecrationis ita declarat. *Sacerdotis ore verba promuntur, et Dei virtute consecrantur et gratia. Hoc est, ait, corpus meum. Hoc verbo proposita consecrantur.* Huc etiam pertinent S. *Ambrosii* apertissima verba lib. IV. de Sacram. cap. IV., ubi postquam admonuit, ex pane post consecrationem fieri corpus Christi, mox docet, quibus verbis consecratio perficiatur. *Consecratio quibus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam per reliqua omnia, quae dicuntur, laus Deo defertur, oratio*

a) §. I. prop. II.

praemittitur pro populo, pro regibus, pro caeteris; ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.

Probat. III. *Ex praxi et Traditione Ecclesiae.* Et quidem Latinae Ecclesiae doctrina manifesta est omnibus, eamque disertis verbis exprimit *Eugenius* IV. in decreto ad Armenos dato Florentiae, praesentibus adhuc Occidentis Episcopis. *Forma hujus Sacramenti,* ait, *sunt verba Salvatoris, quibus hoc Sacramentum conficitur. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum; nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur.* Hoc idem tradit, et egregie evolvit Catechis. Rom. quaest. XVIII. de Euchar. Quin etiam ad oculum demonstrat ritus ille per totam Occidentalem Ecclesiam diffusus, quod in Missa verbis Dominicis prolatis, statim Hostia populo adoranda proponatur.

Quod Graecos attinet, nulla videtur inter eos et Occidentales hac de re controversia fuisse ante *Concilium Florentinum.* In hoc autem Concilio Graeci, cum Latinis suspecti essent, ab *Eugenio* IV. non semel fuerunt interrogati: sed ita mentem suam explicarunt, ut eos fratres in fide secum conjunctos appellare non dubitaverit. Declararunt autem, se per preces, quas post Christi verba adjiciunt, non postulare ut simpliciter fiat corpus Christi; sed ut nobis fiat; id est, ut nos fructum ejus spiritualem percipiamus. Et paulo post ajunt: *De mysteriis autem fatemur ea consecrari per Domini voces; licet nos postea invocando dicamus: Fiat corpus et sanguis Christi.* Cum autem *Marcus Ephesinus,* ut pacem disrumperet, adjectas preces ad consecrationem necessarias esse aperuisset, ita eum ex ipsa Graecorum liturgia confutavit Cardinalis *Bessarion:* « Sacer- « dote verba illa (hoc est corpus meum) alta voce, ut vos « Graeci soletis, pronuntiante, assistens populus respondet: « Amen; quasi dicat: vere ita est, ut dicis. Amen enim, « cum affirmandi apud Hebraeos adverbium sit, graece « idem, quod *vere* significat. » Idem legitur apud *Goarium* in notis ad Miss. S. Chrysost., qui et illud ex S. Chryso-

stomi liturgia affert, quod statim prolatis verbis Evangelicis, Diaconus ad Sacerdotem vicinius accedat, et ambo ter adorent ante sanctam mensam.

Adde, quod communis Ecclesiarum fides semper fuerit, duplicem fieri consecrationem in Eucharistia; id est, primum panem in corpus Christi converti, deinde vinum in sanguinem, quemadmodum a Christo factum esse Scripturae omnes testantur. Sed una tantum est oratio apud Graecos, quae post omnia verba Evangelica pronuntiatur, ex quo sequeretur una et eadem oratione simul fieri panis et vini consecrationem.

OBJECTA SOLVUNTUR.

Objiciunt I. Communis Patrum doctrina est, Eucharistiam consecrari oratione, benedictione, mystica prece etc. Ergo preces ad formam Sacramenti pertinent.

Resp. nego consequent. Quamvis contra hanc sententiam nihil fuerit ab Ecclesia expresse definitum; merito tamen tanquam falsa rejicitur a Theologis ut in probatione nostrae assertionis ostensum est. Patres per consecrationem interdum accipiunt totam liturgiam, aut certe totam actionem, quam nos *canonem* vocamus; et quia in ea actione sunt preces, invocationes etc., ideo nunc ab una parte, nunc ab alia totam actionem denominant. Caeterum aliis in locis, ubi indicare volunt quibus verbis proprie fiat consecratio, separant verba Evangelica a precibus, quae ea comitantur. Ita *Bellarminus a)*, qui huic rationi hanc alteram adjungit, a Patribus nempe Sacramentorum formas saepe *precum, invocationis, benedictionis* nominibus designari; quod ex multis Veterum testimoniis colligitur. Sic S. *Chrysost.* hom. de proditione Judae jam supra laudata ait, stare Sacerdotem, qui figuram implet et *deprecatur*, illa verba pronuntians: *Hoc est corpus meum.* Et *Augustinus* lib. V. de Bapt.: *Quomodo ergo exaudit Deus homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam?* Ubi etiam formam Baptismi deprecationem vocat. Et vere ita vocantur omnes Sacramentorum formae; nam cum a ministro proferuntur, cum in-

---

a) De Eucharist. lib. IV. cap. XIV.

tentione Sacramentum faciendi, implicite continent invocationem divinae virtutis, quae est causa primaria effectus sacramentalis.

Nota. Qua ratione Graecorum ritus explicari commode possit, superius dictum est. Plura ex *Bellarmino* et *Perronio* affert *Tournel.* de Euch. tom. I. pag. 450. edit. in 8.°

Objiciunt II. Multi et magni nominis Theologi in ea fuerunt sententia, quod Christus in ultima coena panem et vinum interna et occulta benedictione consecraverit, aut certe aliis verbis, quae Evangelistae non referunt, et quae prolata fuerunt a Christo, antequam carnem suam sub specie panis Discipulis tradens diceret: *Hoc est corpus meum.* Ergo in his verbis sita non est forma consecrationis.

Resp. nego conseq. I. Haec sententia non est nostrae assertioni contraria. Nos de forma consecrationis agimus, quam Christus Ecclesiae reliquit. *Dici potest*, ait Innocent. III. *a)*, *quod Christus virtute divina confecit, et postea formam expressit sub qua posteri benedicerent. Ipse namque per se virtute propria benedixit, nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis.*

II. Fatendum equidem est, in hac sententia facilius elidi haereticorum argutias circa significationem pronominis *Hoc*, et aliorum verborum, quae a Christo prolata sunt. Ita enim Christus corpus suum primum praesens effecisset per benedictionem, idque Apostolis tantum declarasset per haec verba: *Accipite et comedite, hoc est corpus meum.* Sed Theologi est inquirere, non quid sit facilius ad intelligendum, sed quid ad regulam Scripturae et Traditionis sit verius. Quis autem sensus fuerit veteris Ecclesiae ex probatione patet. Non alia de causa Ecclesia semper his verbis consecravit: *Hoc est corpus meum*, quam quia, ut *Cyprianus* declarat, persuasum illi erat, Christum his verbis consecrasse.

Instant. Christus panem prius *benedixit;* benedictio autem illa non potuit non esse efficax. Ergo benedictione consecratus est panis, antequam Christus illum distribuens diceret: *Hoc est corpus meum.*

Resp. Non desunt, qui verba Evangelistarum ita interpretantur: Accepit panem, et gratias agens benedixit dicens, id est

---

a) Lib. IV. Mysteriorum Missae cap. VI.

benedixit haec verba proferendo: *Hos est corpus meum.* In hac sententia benedictio esset ipsa consecratio. Sed necesse non est ad hanc interpretationem recurrere, quam et textus vix patitur. Benedictio Christi fuit quasi praeparatoria quaedam divinae potentiae invocatio, quae efficax quidem non fuit per se sola, sed verbis consecrationis vim et efficaciam impetravit. Sic Christus, quando Lazarum suscitavit, dicitur elevatis sursum oculis Patrem orasse. (Joan. XI, 41.) Quam haec oratio efficax fuerit, monstravit eventus. Attamen non statim effectum est assecuta, sed tunc tantum, quando Christus voce magna clamavit: *Lazare, veni foras.*

QUAESTIONES.

I.° Quaeri solet, an verba Christi sola ita sufficiant, ut haec quae praemittuntur: Qui pridie quam pateretur, accepit panem etc. necessaria non sint ad Sacramentum?

Resp. Fuerunt qui ea necessaria esse existimarunt, ea ratione moti, quod, nisi praemittantur, Sacerdos magis in sua quam in Christi persona loqui videatur. At aliter nobis sentiendum videtur; nam omnes Veteres consecrationem solis Christi verbis fieri censuerunt, et intentio ministri satis est, ut verba dici possint ex persona Christi prolata.

II.° An illa Christi verba: Quod pro vobis tradetur sint omnino necessaria?

Resp. Graeci quidem illa usurpant verba, non item Latini. Servat quaelibet Ecclesia suos usitatos ritus. Non leguntur apud *Matthaeum* et *Marcum*, et quamvis certum sit, ea fuisse prolata a Christo, non sunt tamen necessaria ad formae essentiam. Forma Sacramenti ea est, quae efficit quod significat: sed illa Christi verba: *Hoc est corpus meum*, id satis significant quod efficitur.

III.° An verba omnia, quae nunc in consecratione adhibentur, ad formae essentiam pertineant?

Resp. Ita quidem visum est D. Thomae, et nounullis aliis ex Schola Theologis. Sed communis sententia est, necessariam consecrationis formam in his solis verbis esse constitutam: *Hoc est corpus meum.... Hic est sanguis meus.* Et quidem de consecratione panis non est disputandi locus: nam particula *enim* ideo tantum addita fuit, ut verba consecrationis cum antecedeu-

tibus conjungerentur; Evangelistae eam in consecratione panis non referunt: solus S. *Matthaeus* ea utitur in consecratione calicis. Forma consecrationis calicis, quam Ecclesia Romana ab antiquissimis saeculis usurpavit, et quam Occidentales Ecclesiae omnes a communi matre acceperunt, partim ex Scripturae verbis, partim ex antiqua Traditione fluxit.

1.° Ad consecrationem procul dubio verba haec sufficerent a *Matthaeo* et *Marco* allata: *Hic est enim sanguis meus.* Sed maluit Ecclesia ita formam enuntiare: *Hic est enim calix sanguinis mei.* Nomen enim *calicis* apud *Lucam* et *Paulum* legitur, ac multo magis, ut *Maldonatus* observat *a)*, hac voce exprimitur Sacramenti significatio. Nomen enim *sanguinis* absolute sanguinem significat; at ubi nomen *calicis* additur, magis Passionis Christi admonemur, juxta illud: *Transeat a me calix iste;* et sanguinem cogitamus ut potabilem, sicut nobis in Eucharistiae Sacramento exhibetur.

2.° Verba ista: *Qui pro vobis, et pro multis effundetur*, nullus Evangelista habet simul; sed *Matthaeus* et *Marcus* dixerunt, *pro multis; Lucas* et *Paulus*, *pro vobis.* Ecclesia illa conjunxit, ut declaret haec verba *pro vobis*, etiamsi ad personas Apostolorum dicta videantur, non tamen individue accipienda esse, sed generaliter, ut sit sensus: *Pro vobis*, id est, pro hominibus. Hinc S. *Lucas* dixit: *Pro multis.* Constat autem ex aliis Scripturae locis (Rom. V.), multos etiam poni pro omnibus.

3.° Continet quoque forma nostra verba aliqua, quae nec ab Evangelistis, neque a S. *Paulo* referuntur. Ubi *Matth.* ait: Sanguis meus *novi Testamenti*; in forma consecrationis dicitur: *novi et aeterni Testamenti.* Verbum *aeterni* ab Ecclesia additum est, ut magis declararet utriusque testamenti differentiam, vetus enim, sanguine victimarum dedicatum, aliquando desiturum erat; novum autem dedicatum est sanguine Christi, aeternum duraturum. Illud etiam verbum, *mysterium fidei*, in Scripturis non legitur, sed ab Ecclesia fuit adjunctum; significat autem, non tantum occultum esse hoc Sacramentum, atque ab oculorum sensu remotissimum; sed in mysterio hoc veluti summam et fundamentum consistere nostrae fidei. Hic enim agitur redemptionis

---

a) De Euchar. part. I. quaest. VII.

opus, et illud magnum pietatis Sacramentum, de quo *Paulus* ad Timotheum loquitur; atque inde facile judicari potest, cur in consecratione calicis tantum haec verba adjiciantur; hac enim consecratione repraesentatur sanguinis effusio, et mors cruenta victimae nostrae piacularis Christi, *in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum*, .. in quo complacuit Patri.... *reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.*

Porro certum est, hanc additionem, quemadmodum et integram formam qua Ecclesia Latina utitur, in antiquissimis liturgiis reperiri, neque post Apostolos vestigium aliquod factae mutationis occurrere: ut igitur non improbabilis sententia sit, eam fuisse a S. *Petro* Ecclesiae Romanae traditam. Hinc et gravis peccati se reum faceret, qui in forma Consecrationis aliquid omitteret aut immutaret contra praeceptum et usum constantem Ecclesiae. De illa particula, *mysterium fidei*, doctissime pro more suo disserit D. *Binterim*. Siehe: der Katholik, eine religiöse Zeitschrift, V. Band S. 33., und VI. Band S. 129.

ARTICULUS III.

De causis extrinsecis Sacramenti Eucharistiae.

De auctore hujus Sacramenti nullus est dubitandi locus. Illud quoque ex Evangeliis et S. Pauli narratione manifestum est, hoc Sacramentum a Christo paulo ante mortem, et in extrema cum Discipulis coena fuisse institutum. Voluit Servator optimus ante vetera Sacramenta implere, quam novum et in omnes aetates duraturum instituere: voluit agnum paschalem ante comedere, quam ipse agnus sine macula se ipsum primum in hoc Sacrificio incruento, tum in crucis altari pro nobis offerret: voluit corpus suum et sanguinem suum testamento nobis relinquere, et ideo ante passionem, et imminente jam morte, instituit hoc Sacramentum; testamentum enim fit ante mortem testatoris, et mortis causa. Hoc loco illa etiam quaestio agitari solet, quo praecise die Christus hanc ultimam coenam cum Discipulis celebraverit; sed de his in Demonstrat. Christiana, quantum satis visum

est, egimus *a)*. Superest igitur, ut primum de ministro, tum de subjecto Sacramenti dicamus, ad doctrinam et praxin Ecclesiae vindicandam contra heterodoxorum objurgationes.

§. I.

De ministro Sacramenti.

OBSERVANDA.

I. Eucharistiae minister duplex distingui potest: unus qui conficit Sacramentum, alter qui distribuit. Antiqui quidam haeretici, quorum errores *Irenaeus b)*, *August. c)*, aliique Veteres recensent, Christiano cuilibet potestatem fecerunt consecrandi Eucharistiam, nimirum sublato inter Populum et Clerum, Laicos et Sacerdotes discrimine. Hic quoque Novatorum Saeculi XVI. communis error fuit, quod omnes Christianos Sacerdotes esse dicerent, quamvis, ad evitandam confusionem, eos tantum ad Eucharistiae administrationem admittendos esse velint, qui ad hoc munus legitime sint vocati. Waldenses Laicos quidem ad Sacerdotale munus admittunt; sed ii in alio errore versantur; nam vim et efficaciam Sacramentorum a fide et probitate ministri suspendunt, quod a nobis alio loco refutatum est. In Ecclesia Catholica nunquam dubitatum est, quin soli Sacerdotes divinam potestatem haberent consecrandae Eucharistiae.

II. Extra controversiam est, Episcopos et Presbyteros, qui soli Eucharistiam conficiunt, eam quoque dispensandi facultatem habere. Constat etiam munus dispensandae Eucharistiae a primis Ecclesiae temporibus Diaconis commissum fuisse tum in Oriente, tum in Occidente. *Qui apud nos vocantur Diaconi atque ministri*, ait *Justinus d)*, *distribuunt unicuique praesentium.... et ad absentes perferunt.* Occidentalium Ecclesiarum usum multa et evidentissima testimonia probant. Vid. *August.* de S. Laurent. Serm. XXXVII. — *Ord. Roman.* — *Concilium Aquisgranense* anno 810 cap. VII. sic loquitur: *Sicut in Sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio Sacramenti est: ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat.* Non tamen proprio jure et ordinario hoc sibi

---

a) Part. III. cap. I. art. I. §. III. *b)* Lib. I. cap. XII. n. 2. *c)* Hebr. XXXVIII. *d)* Apolog. II.

officium arrogare possunt Diaconi; ministri enim sunt, et ad hoc ordinati, ut possint ab Episcopis et Presbyteris ad id munus assumi. *Diaconus*, ait Conc. Carthag. IV. Can. XXXVIII. . . . *praesente Presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus erogat.* Patet ergo, Diaconum vi Ordinationis ministrum quidem esse dispensandae Eucharistiae, sed extraordinarium tantum.

PROPOSITIO.

Ad solos Sacerdotes pertinet conficere Sacramentum corporis et sanguinis Domini.

Probat. I. Hujus doctrinae fundamentum in Eucharistiae institutione reperimus: nam Christus Dominus in ipsa panis et vini consecratione haec verba addidit: *hoc facite in meam commemorationem.* Luc. XXII. — I ad Cor. XI. Quis neget, Apostolis haec dicta fuisse, et eorum in sacerdotio successoribus? Verba Christi non potestatem tantum continent, sed et praeceptum consecrandi; atque iisdem concessa fuit potestas, quibus datum est praeceptum: sed praeceptum ad omnes Christianos non pertinere etiam adversarii fatentur. Ergo etc.

Probat. II. Siquid obscuritatis in Christi verbis remanet, id adhibita Traditionis face penitus evanescit. Hanc Ecclesiae perpetuam Traditionem ne ipsi quidem negare audent, qui contra nos sentiunt. Autores ecclesiastici omnes, cum loquuntur de Eucharistia, eam docent a Sacerdotibus tantum fieri, et fuisset portento simile in veteri Ecclesia, siquis non ordinatus Sacerdos hoc Sacramentum conficere attentasset. Sic *Justinus* in Apolog. II. prope finem ait, solis Apostolis dictum esse, *hoc facite etc.* *Tertullianus* in libro de praescriptione irridet Marcionitas, quod laicis sacerdotalia munia committant. *Athanasius* in II. Apolog. adversus Arianos refert epistolam Synodi Alexand., in qua probant Patres, Ischiram Arianum non potuisse sacro calice uti, quod non esset ordinatus a vero Episcopo. *Hieronym.* frequenter hoc asserit, non posse nisi Episcopos et Presbyteros Eucharistiam conficere. In Dialogo adversus Luciferianos docet, Hilarium, qui Diaconus tantum erat, non potuisse

Eucharistiam conficere, eo quod Episcopos et Presbyteros non haberet. S. *Chrysost.* non raro ait, Sacerdotes Angelos ipsos dignitate superare ob eximiam potestatem consecrandae Eucharistiae. Ita *Cyprian., Basil., Ambros., August.* aliique. Sed et Patres Concilii Nicaeni I. manifeste hanc sententiam exprimunt: nam cum Can. XVIII. prohibent, ne Diaconi Presbyteris Eucharistiam distribuant, hanc afferunt rationem . . . *quod nec canon, nec consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis, qui offerunt, dent corpus Christi.*

Constat praeterea ex Veterum monumentis, fideles grassante persecutione Eucharistiam in domos suas detulisse, ut ea opportuno tempore uterentur. Constat, Presbyteros cum summo vitae periculo in carceres irrepsisse, in quibus martyres detinebantur, ut ibi sacra peragerent, eosque sacra communione munirent. Constat, nefas habitum a SS. Patribus, si morbo aut persecutione saeviente Presbyteri relicto grege aufugerent, ita fideles in tanto discrimine sacra Eucharistia privarentur. Constat, Anachoretas in vastissimis solitudinibus delitescentes acceptam a Sacerdote Eucharistiam per integros annos servasse; et S. *Epiphan.* Ep. ad Joan. Hierosolymit. scribit, se in Monasterio S. Hieronym. Presbyterum ordinasse . . . *ne multitudo fratrum ibi degentium sacris privarentur mysteriis, cum non haberent, qui sibi divina Sacramenta conficerent.* Ita scilicet toti Ecclesiae nullo non tempore persuasum fuit, solis Presbyteris competere Eucharistiae conficiendae ministerium.

CAVILLATIONES.

Dicunt I. Verbum Christi, *hoc facite in meam commemorationem*, omnibus dictum est, praesentibus et futuris, qui panem illum ederent, et poculum biberent: quidquid ergo ibi collatum est, omnibus collatum est. Ita Lutherus. Et certe consecrandi potestas per haec verba, *Hoc facite* etc. non magis ad Apostolos, eorumque in sacerdotio successores restringitur, quam potestas baptizandi per haec alia: *Docete omnes gentes, baptizantes eos* etc.

Resp. Verba Christi: *Hoc facite*, fatentibus adversariis, integram Christi actionem complectuntur. *Hoc facite*, id est, id facite quod me videtis facere; et quemadmodum ego consecravi panem, consecratum ipse manducavi, eumque vobis manducandum distribui; ita et vos debetis primum conficere Sacramentum, tum sumere, et sumendum porrigere fidelibus. Vides omnia ad Apostolos referri; neque mandatum hic esse totius Ecclesiae, ipsumque praeceptum sumendi Eucharistiam, in quantum fideles generatim spectat, mediate tantum in Christi verbis contineri: nam quia jubentur Apostoli ut consecrent et distribuant, consequens est, fidelibus praecipi ut accipiant. — Adde, quae supra diximus, verba Christi, *hoc facite*, fatente etiam Luthero, vim praecepti habere. Ergo, si omnibus dicta fuissent, sequeretur etiam pueris et foeminis mandatum fuisse ut consecrent, quo nihil absurdius dici potest.

Manet ergo, ad solos Sacerdotes pertinere praeceptum istud; hunc enim sensum esse verborum Domini probat constans Traditio, et consensus totius Ecclesiae. Neque hic valet exemplum Baptismi; eandem quippe Traditionis regulam sequimur, cum asserimus, Baptismum a laicis posse administrari, idque suadet summa Sacramenti necessitas.

Dicunt II. In Scripturis Christiani omnes vocantur Sacerdotes. Sic I Petri II.: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta.* Et Apocalyps. V.: *Fecisti nos Deo nostro regnum et Sacerdotes.* Ergo etc.

Resp. nego conseq. Fideles omnes ut reges, ita et Sacerdotes vocantur, utraque voce latiore sensu usurpata. S. Petrus aperte alludit ad illud Exodi XIX.: *Vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta.* Et tamen in lege Mosaica magnum erat inter populum et Sacerdotes discrimen. Nolunt animadvertere adversarii, duo esse genera sacerdotii in Scripturis; aliud esse sacerdotium externum et proprie dictum, quod Christus in ultima coena instituit; aliud spirituale, de quo S. Petrus eodem cap. v. 5. ait: *Ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Caeterum fideles Christiani non tantum hostiam laudis, sed et hostiam divinam, quam solus Sacerdos consecrat, ipsi cum Sacerdote offerunt, atque incruenti sacrificii

participes efficiuntur, vel reali, vel saltem spirituali corporis Christi manducatione.

Dicunt III. Extant Canones antiquissimi Conciliorum *Arelatensis* anno 314, *Ancyrani* ejusdem anni, et *Laodiceni* anno 320, ex quibus colligi potest, Diaconos olim potestatem habuisse offerendi seu consecrandi Eucharistiam. Ergo etc.

Resp. nego ant. Etiamsi de vera consecratione agerent Canones illi, nihil aliud probarent, quam Diaconos quosdam hoc sibi jus arrogasse, sed ab Ecclesia mox repressam fuisse tantam temeritatem. Verum nihil cogit Canones citatos de consecratione Eucharistiae intelligere; verbum enim *offerre* saepe etiam significat ministrare, Sacerdoti porrigere, aut fidelibus distribuere. Copiosius hac de re agit *Tournel.* de Euch. quaest. V. art. II.

§. II.

De subjecto Sacramenti.

OBSERVANDA.

I. Haec pars controversiae in plures iterum quaestiones dividitur; sed pauca sunt, quae longiore disquisitione indigeant. Quaeritur primum, quis admitti possit ad divinum Altaris Mysterium, seu, quodnam sit subjectum capax percipiendae Eucharistiae? Ecclesia ab hoc Sacramento semper repulit, et necessario repellit: 1.° Omnes, qui membra Christi per Baptisma effecti non sunt; Baptisma enim janua Sacramentorum merito appellatur. 2.° Eos, qui veram Christi fidem non profitentur, aut extra communionem versantur Ecclesiae. Haec ita breviter complectitur antiquissimus *Justinus* Apol. II.: *Alimentum hoc apud nos vocatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, et lavacro propter remissionem peccatorum et regenerationem abluto, et ita, ut Christus tradidit, viventi.*

II. Praeter rationes, quae necessario arcent ab hoc divino Sacramento, aliae sunt, quae ad disciplinam Ecclesiae pertinent, neque cogunt semper et ubique. Sic infantibus olim data est Eucharistia, hodie non datur; in quibusdam Ecclesiis sacra communio denegatur reis, ultimo supplicio afficiendis, in aliis quam plurimis conceditur: peccatores publicos a sacra mensa arcendos

omnes affirmant; quis autem in hoc numero computari debeat, non est inter omnes concessum: legimus, Eucharistiam moribundis, qui ob graviora crimina a sacra communione exclusi fuerant, in veteri Ecclesia nonnunquam fuisse denegatam; imprimis ante Concilii Nicaeni I. tempora; hodie peccatores, quicunque illi sint, si morti proximi signa dent poenitentiae, et sacram communionem expetunt, a Sacramenti participatione non excluduntur. *Observatio prior durior*, ait Innocent I. *a)*, *posterior, interveniente misericordia, inclinatior.*

III. In illis etiam, qui nulla lege ecclesiastica a sacra mensa prohibentur, certae requiruntur dispositiones, quae, ubi desunt, non tantum nihil prodest divinum munus, sed magis exitium affert et mortem sempiternam. Multa de hac materia in catecheticis instructionibus habentur, multa a vitae sanctioris magistris reperiuntur egregie dicta. Vid. Catech. Rom. part. II. cap. IV. quaest. XII. et seqq.... atque ipsum Trid. Concilium Sess. XIII. cap. VII. et VIII. *Probet ergo seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat: qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* I Corinth. XI.

Inter dispositiones, quae corpus spectant, illa est procul dubio praecipua, quod Eucharistia a jejunis tantum perfici aut sumi debeat. Haec lex divina quidem dici non potest, cum notum sit, Christum Eucharistiam Discipulis distribuisse non jejunis: verum constat, eam in Ecclesia constanter fuisse observatam; idque, ut caetera praetermittamus, unum hoc S. Augustini testimonium luculenter probat *b)*. *Liquido apparet*, inquit, *quando primum acceperunt Discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos; numquid propterea calumniandum est universae Ecclesiae, quod a jejunis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Domini corpus intret, quam caeteri cibi: nam ideo per universum orbem mos iste servatur.* Valet hic ejusdem sancti Patris regula *c)*: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.* Tanta ergo est legis hujus auctoritas, ut nemo ab ea exi-

---

a) Epist. III. ad Exuperium. *b)* Epist. 54. alias 118. ad Januarium 7 et 8. *c)* Lib. IV. de Bapt. cap. XXIV.

matur, nisi in casu a jure, vel Ecclesia concesso. Vid. *Tournel.* loc. cit. art. III.

ARTICULUS IV.

De necessitate et effectis Sacramenti.

§. I.

De Sacramenti necessitate.

OBSERVANDA.

I. Potest haec quaestio dupliciter poni: quatenus nempe ad subjectum Sacramenti, aut ad rem ipsam attenditur. Quaeri primum potest, an omnibus qui capaces sunt Eucharistiae percipiendae, etiam incumbat illius percipiendae obligatio. Alterum est, quid recipere debeant, qui communicant, an utraque species requiratur, an una sufficiat. Primum controversiae punctum duo iterum capita complectitur, nam et de *adultis* quaestio movetur, et de *parvulis*. Una omnium Theologorum vox est, Eucharistiam *adultis* esse necessariam ea necessitate, quae vocatur *praecepti:* sed disputant, an non etiam necessaria sit, necessitate *medii*, si non in re, tamen in voto saltem implicito. Mittamus haec, minime necessaria. Omnes in eo consentiunt, quod Sacramentum hoc necessarium non sit ad primam gratiam, cum per se ad remissionem peccatorum non fuerit institutum: consentiunt etiam, adultum, qui Eucharistiam non perciperet, aut ejus percipiendae votum non haberet, vel sola hac ratione a salute excludendum fore, quia praeceptum Domini est, et salvari non possit, qui voluntatem non haberet servandi mandata.

II. Jam *parvulorum* alia omnino est ratio; his enim Eucharistiae perceptio nulla ratione est necessaria, neque praecepti necessitate, neque medii. Ita enim decernit *Concil. Trid.* Sess. XXI. Can. IV.: *Siquis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem; anathema sit.* Rationem praecipuam hanc affert Concilium Sess. citata cap. IV.: *Siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt.* Neque obstat, quod Ecclesia olim etiam infantibus Eucharistiam dispensaverit, statim atque aqua

Baptismi fuerint abluti, idque in Orientali Ecclesia etiamnum servetur: hic enim usus ad disciplinam pertinet, et, ut Tridentinum loco citato ait: *Sicut Sanctissimi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate fecisse, sine controversia credendum est.* Hinc persuasum semper omnibus fuit, parvulos qui baptizati ex hac vita decedunt, etiamsi Eucharistia muniti non fuerint, participes esse vitae aeternae; ita Graeci et Latini Patres constanter docuerunt: et quamvis consuetudo illa Eucharistiam simul cum Baptismate ministrandi in Ecclesia Latina desierit, nunquam tamen legitur, hac de re litem fuisse motam a Graecis, quamvis hi alia bene multa levioris momenti Latinis objecerint. Si adversarii objiciunt, hanc Christi sententiam: *Nisi manducaveritis* etc. Joan. VI., nullam pati exceptionem, sed generalem esse perinde ac illam: *Nisi quis renatus fuerit* etc., respondemus: primum praeceptum ad adultos tantum pertinere, secundum ad omnes: hoc enim suadet rei, de qua agitur, diversitas, et quod praecipuum est, Traditio Ecclesiae, quae optima est verborum Christi interpretatrix.

III. Nunc ad illud accedimus, quod secundum quaestionis caput est, et de quo major nobis est cum heterodoxis concertatio: utrum omnes teneantur ex divino praecepto sub utraque specie Eucharistiam sumere. Ita enim videtur Lutheranis et Calvinianis, et qui eos praecesserunt Waldensibus et Hussitis. Noti sunt, qui inter Hussitas *Calixtini* vocabantur, quia usum calicis in Eucharistia postulabant *a*). Lutherus circa hanc quaestionem varius fuit et inconstans. Primum quidem, Christum sub utraque specie integrum contineri, Lutherani inficari non possunt, ex sectae suae principiis. Das glaub ich auch, sagt Luther *b*), das Chriſtus nicht ſtücklich, ſondern ganz und gänzlich unter einer jeglichen Geſtalt ſey.... Wer hat je daran gezweifelt, daß Chriſtus ganz unter einer jeglichen Geſtalt ſey? In Apologia Augustanae Confessionis, quae ejusdem ac ipsa Confessio auctoritatis est apud Protestantes, Art. de Euchar. dicitur: « Loquimur de prae-« sentia vivi Christi; scimus enim, quod mors ei ultra non do-

a) V. Demonst. Cath. Synops. hist. p. 7. *b*) Luth. Schriften 1. B. Jena, S. 219.

« minatur. » In id ergo incumbunt, ut ostendant, praeceptum Domini esse, ut Sacramentum Eucharistiae sub utraque specie populo porrigatur. Verum in hac etiam sententia non parum nutarunt sectae principes. Melanchthon, in locis communibus, hanc quaestionem inter adiaphora ponit. Luthero nihil fixum firmumque fuit, praeter contradicendi studium. Nota sunt haec ejus verba *a*): « Si quod Concilium statueret aut permitteret « utramque speciem, nos nequaquam utraque uti vellemus, sed « in despectum Concilii ejusque statuti, aut una, aut neutra, et « minime utraque uti vellemus. » *Calvinus* lib. IV. institut. cap. XVII. n. 47. et seq. in Ecclesiam Catholicam acerbissime invehitur, quod partem Sacramenti, ut ait, populo fideli eripuerit. Non inepte quidem ratiocinatur, posito, quod Eucharistia Christum reipsa non contineat, sed figura tantum sit, et symbolum ejus, quod pro nobis traditum est, corporis; ejus, qui pro nobis effusus est, sanguinis. Sed hanc ipsam ejus sententiam falsam et haereticam esse supra ostendimus.

PROPOSITIO I.

Communio sub utraque specie laicis non est necessaria.

Concil. Trident. Sess. XXI. Can. I.

Siquis dixerit, ex Dei praecepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Sacramenti sumere debere; anathema sit.

Probatur. Nihil est, quod hanc necessitatem suadeat, neque natura Eucharistiae, neque ratio Sacramenti, neque Christi praeceptum. Ergo etc.

Prob. II. pars. Dogma Catholicum est, quod etiam Protestantes negare ausi non sunt, quod Christus totus praesens sit sub utraque specie *b*). Patet ergo, sanguinem Christi reipsa esse sub specie panis, et fideles, cum corpus Christi sumunt, non corpus exanime et mortuum, sed una cum sanguine accipere. Recte ergo Concilium Constantiense Sess. XIII., ut probet rationabiliter ab Ecclesia statutum esse, ut a laicis Eucharistia sub specie panis tantummodo

a) In formula Missae *b*) Vid. supra cap. I. art. III.

sumatur, hanc addit rationem: *Cum firmissime credendum sit, et nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri.* Ita etiam *Trident.* Sess. XXI. Can. III.

Probat. II. pars. Quamvis Eucharistia non possit nisi sub utraque specie consecrari et offerri, quia tunc sacrificii rationem habet; potest tamen sub una specie distribui, quia ad Sacramentum profecto nihil deest, cum una tantum species sumitur. Adest signum externum, species scilicet panis aut vini; adest Christus integer sub utraque specie; adest idem effectus, non enim parte aliqua gratiae frustrari potest, qui Christum ipsum auctorem gratiae sub una specie integrum sumit; adest significatio refectionis spiritualis animae, quae in specie panis sufficienter indicatur; adest etiam significatio unionis fidelium inter se et cum Christo in una panis specie, juxta illud I ad Cor. X.: *Unus panis et unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus.*

Probat. III. Pars. 1.° Concedimus ultro adversariis, Sacramentum Eucharistiae in ultima coena a Christo Domino sub utraque specie fuisse celebratum. In illa enim solemni actione simul sacerdotium novae legis institutum est, atque omne illud Apostolis traditum, quod postmodum non tantum sumi debuit a fideli populo, sed etiam in altari a Sacerdotibus offerri. Nunquam igitur adversarii ex verbis Christi evincent, praeceptum esse fidelibus ut utraque specie uterentur. Neque ex eo, quod Christus Eucharistiam instituens, Apostolis utramque speciem porrexerit, inferre licet, utramque nunc divino jure esse necessariam. « Non quaecunque Chri-
« stus fecit, dixit, instituit, ad ipsam institutionis substan-
« tiam pertinent. Fregit quoque panem, nec sine mysterio,
« cum et illud addiderit: *Hoc est corpus meum, quod pro*
« *vobis frangitur.* Et tamen Lutherani non urgent, neque
« usurpant fractionem illam, dominicae in cruce fractionis
« et vulnerationis testem. Unde fixum illud, ad salutem
« sufficere coenam eo modo sumptam, quae ipsam rei sub-
« stantiam atque institutionis summam complectatur. Substan-
« tia autem hujus Sacramenti ipse Christus. » Ita *Bossuet.*

in respons. ad cogitationes privatas Abbatis *Molani a*. Alio loco idem illustriss. Praesul fusius probat, Protestantes, nisi in hanc regulam nobiscum consentiant, in se ipsos judicium ferre; cum apertum sit, in Baptismi et Eucharistiae celebratione plura ab eis servari, quae cum Christi instituto parum videntur cohaerere *b)*.

2.° Quid in Eucharistiae celebratione necessarium sit, et ex divino praecepto servandum, non potest certius colligi, quam ex verbis et factis Christi, et iis, quae ab Apostolis acta legimus. Nihil autem a Christo aut Apostolis dictum vel factum reperimus, quod necessitatem probet utriusque speciei, idque manifestius fiet, quando ad adversariorum argumenta respondebimus. Plura contra reperiuntur communionis sub una specie non obscura indicia. Probabile est, Christum Luc. XXIV. Eucharistiam Discipulis in Emmaus administrasse. Vid. v. 30 et 31. Sed et Acta Apostolorum, cum de neophytis sermo est, qui post Baptismum sacram Eucharistiam percipiebant, de sola fractione panis loquuntur, Actor. II. v. 42 et 46. -- Paulus item in I. ad Cor. Epistola, post factam institutionis hujus Sacramenti mentionem, subdit: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Particula *vel* innuit, liberum fuisse alterutram sumere speciem. Cur autem additur, reum fore corporis et sanguinis Domini? Recte omnino, quia Christus totus et integer continetur sub utraque specie. Haec si tanta non sunt ut omne dubium depellant, id tamen probant, quod etiam adversarii nihil certi possint ex Scripturae testimoniis colligere; atque hoc solum in hac quaestione sufficeret. Nam cum illi perpetuo nobis, et cum magno clamore ingerant, edictum aeterni Dei esse, ut omnes calicem sumant, ipsorum utique esset, quod tam fidenter asserunt, certis rationibus ex Scriptura probare.

---

a) Edit. de Lebel. t. XXV. pag. 440. *b)* Voyez Traite de la commun. sous les deux espèces — et la Tradition défendue sur la matière de la commun. sous les deux espèces. — Edit. de Lebel t. XXIII. et XXIV.

3.° Omnem demum dubitationem tollit argumentum, quod ex usu Ecclesiae, ex sacris ritibus ubique terrarum observatis eruitur. Nam, quid Christus docuerit, et cunctis post saeculis servandum praeceperit, id utique ab ortu suo didicit, et credidit, et servavit instituta ab ipso, et ab Apostolis edocta Ecclesia; jam vero constat, Ecclesiam, quamvis per plura saecula Eucharistiam sub utraque specie fidelibus distribuerit, persuasum tamen semper habuisse, utramque vi institutionis non esse necessariam, sed totum Sacramentum et gratiam Sacramenti aequaliter haberi in una specie, sicut in duplici. Hujus rei argumenta plurima afferuntur, et magna ex parte eadem, quae jam supra indicata sunt, ubi probatum fuit, Christum in Eucharistia praesentem esse modo permanente. Praecipua sunt: 1.° Is semper in Ecclesia usus obtinuit, ut Eucharistia asservaretur, et ad aegrotos deferretur: et quamvis dubitari non possit, nonnunquam binas etiam species aegrotis datas fuisse, quando id opportune fieri poterat; constat tamen plerumque, atque imprimis quando ex asservata Eucharistia communio deferenda esset, unam panis speciem fuisse traditam. Unde inter vasa, quibus olim legimus asservatam fuisse Eucharistiam, nullum notatur vino asservando destinatum. Vide exempla supra citata pag. 349. 2.° Huic non dissimilis est alius veteris Ecclesiae ritus, quo fideles Eucharistiam, idque maxime persecutionis temporibus, domum perferebant; quod postea constat ab iis etiam factum esse, qui solitariam vitam in eremis degebant, aut iter aliquod subire cogitabant longum et periculosum. Vid. pag. 349 et 350. — 3.° Eucharistiam olim sub una specie administratam fuisse probat etiam communio infantium, quibus certum est, solam vini speciem tributam fuisse antiquitus; unde et haec infantes communicandi consuetudo adhuc hodie apud Graecos perseverat. Verum equidem est, hanc consuetudinem posterioribus saeculis fuisse mutatam; sed ita, ut loco sacrati sanguinis, jam Eucharisticus panis solus tribueretur; quod certo argumento est, ut advertit *Bossuetius*, eam semper Ecclesiae fidem fuisse, unam speciem sufficere. 4.° Haec, quamvis ex domestica aut privata communione desumpta, probant

tamen, quod volumus; nam si ex vi institutionis divinae una species non potest ab alia disjungi, nunquam licuit Ecclesiae sub una tantum specie Sacramentum administrare. Sed et alia adsunt argumenta, quae clare ostendunt, id in publica etiam liturgia contigisse, ut sub una tantum specie communio sumeretur. Illustre hujus rei argumentum deducitur ex *Missa Praesanctificatorum*, quae apud Graecos per totam Quadragesimam celebratur. In hac omnes una pani Eucharistico communicabant, qui praecedenti dominica consecratus in vase huic usui destinato, quod Graeci ἀρτοφόριον vocant, asservabatur. Ecclesia Occidentalis sola die Parasceves hostia jam praesanctificata aut consecrata utitur. 5.° Insuper liberum fuisse fidelibus, etiam cum Sacrificio adstabant, in panis tantum specie communicare, ex Veterum testimoniis perspicuum est. Prae caeteris illud notandum, quod de Manichaeis narrat Leo M. Serm. IV. de Quadragesima. Ait autem, Manichaeos, ut haeresin suam tegerent, panem Eucharisticum sumere solitos fuisse cum Catholicis, non tamen calicem bibisse, quia vinum veluti fel draconis aspernabantur. Jam si Romae libera non fuisset communio sub una panis specie, quomodo Manichaei latere potuissent, qui sanguinem Domini nunquam sumebant? Inde etiam factum est, ut, cum difficillimum fuerit hac ratione haereticos homines a veris Christianis secernere, non multis post annis *Gelasius* necessarium duxerit, lata lege statuere, ut quotquot ad sacram mensam deinceps accederent, utramque perciperent speciem.

PROPOSITIO II.

Ecclesia usum calicis laicis subtrahere potuit, justisque de causis subtraxit.

Probat. I. pars. Dubium esse non potest, quin ad Ecclesiam omnino pertineat, ea auctoritate sua constituere, quae ad Sacramenti substantiam non spectant, ut jam alio loco pluribus exemplis monstravimus; quo et illud Apostoli I Cor. XI.: *Caetera cum venero disponam.* Vid. *Concil. Trid.* Sess. XXI. cap. II.

Prob. II. pars. Rationes, quibus adducta fuit Ecclesia, ut consuetudinem sub una panis specie communicandi non solum approbaret, sed etiam decreti auctoritate firmaret, hae praecipue numerantur in Catechismo Conc. Trid. *a)*. « Primum maxime cavendum erat, ne sanguis Domini in « terram funderetur, quod quidem facile vitari posse non « videbatur, si in magna populi multitudine eum ministrare « oportuisset. (Adde, quod major sit irreverentia in effusione « sanguinis, qui rursus colligi nequit, quam si consecratus « panis decideret.) 2.° Cum sacra Eucharistia aegrotis « praesto esse debeat, magnopere timendum erat, ne, si « diutius vini species asservaretur, coacesceret. 3.° Per- « multi sunt, qui vini saporem ac ne odorem quidem per- « ferre ullo modo possint. Accedit 4.°, quod in pluribus « provinciis summa vini penuria laboratur. 5.° Quod maxime « ad rem pertinet, convellenda erat eorum haeresis, qui « negabant sub utraque specie totum Christum esse. » Latere insuper neminem potest, rationes quas modo attulimus, crescente populi fidelis multitudine vim semper majorem obtinuisse, sicque, nulla adhuc lege cogente, invaluisse usum unius speciei: ita ut Ecclesia, ne ex inaequali ritu et diversa comedendi ratione rudiores scandalum paterentur, aut discussionibus daretur occasio, necessarium duxerit, id quod plerique jam observabant, in Concilio Constantiensi (1415) generali lege sancire.

SATISFIT OBJECTIONIBUS.

Objicitur I. contra I. propos. Christus in Eucharistiae institutione calicem porrexit Apostolis his verbis: *Bibite ex hoc omnes* (Matth. XXVI.); addens et haec, quae aperte mandatum continent: *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* I Cor. XI. Ergo etc.

Resp. *Etsi Christus Dominus*, ait *Tridentinum b), in ultima coena venerabile hoc Sacramentum in panis et vini speciebus instituit et Apostolis tradidit, non tamen illa institutio et traditio*

---

a) Part. II. cap. IV. quaest. 50. *b)* Sess. XXI. cap. I.

eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Voluit Christus, ut sub utraque specie conficeretur Sacramentum, et offerretur a Sacerdotibus: sed nullo modo probari potest, cum non minus plebi, quam consecranti, utriusque speciei usum praecepisse. Eodem modo et illud intelligi debet: *Hoc facite* etc. Non enim jubet, ut omnes bibant, sed ut ii, qui calicem consecratum biberint, id faciant in suae mortis memoriam. Cum autem Christus ait: *Bibite ex hoc omnes*, Apostolos tantum intelligit; nam S. *Marcus* hoc Domini praeceptum in ipsa coena impletum fuisse docet, cap. XIV.: *Et accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes.*

Inst. I. Non sine ratione Christus, qui de pane dixit tantum: *Accipite et manducate* ... postea calicem porrigens haec verba subjunxit: *Bibite ex hoc omnes* ... praevidit enim fore nonnullos, qui calicis usum prohiberent. Ergo etc.

Resp. 1.° Unde sciunt Protestantes, Christum non dixisse: *Manducate ex hoc omnes?* An ergo omnia scripta sunt ab Evangelistis? Ego libentius Ecclesiae crederem, quae ex Apostolica Traditione edocta in sacro Canone Missae disertis verbis ponit, Christum dixisse: *Manducate ex hoc omnes.* 2.° Etsi admittatur argumentum, nihil tamen juvat adversarios; nam ratio diversitatis in promptu est. Christus panem fregit, et unicuique partem suam dedit, ideoque non fuisset necessarium dicere: *Manducate ex hoc omnes.* At calicem dedit unum et eundem, ex quo biberent omnes.

Obj. II. In illo sermone, quem Christus Joan. VI. habuit, expressa fit mentio Eucharistiae sub specie panis et vini; atque generatim omnibus dicitur: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo etc.

Resp. nego cons. Hanc difficultatem praeclare iterum solvit Tridentina Synodus loco citato: *Sed neque ex sermone illo apud Joannem sexto, recte colligitur, utriusque speciei communionem a Domino praeceptam esse, utcunque juxta varios sanctorum Patrum et Doctorum interpretationes intelligatur; namque qui dixit: Nisi manducaveritis etc.... dixit quoque: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum* (v. 52.).

Et qui dixit: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam (55.), *dixit etiam: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (52.). *Et denique, qui dixit: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo* (57.) ... *dixit nihilominus: Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* (59). Multiplex ergo datur responsio a Theologis. 1.° Potuit illud praeceptum universae Ecclesiae dari, non singulis fidelibus. 2.° More hebraicae linguae, quam Evangelistae saepe imitantur, particula *et* pro disjunctiva sumi potest: *Si neque manducaveritis, neque biberitis etc.* Ut cum dicitur Exod. XXI, 5.: *Qui percusserit patrem et matrem, morte moriatur* ... id est patrem vel matrem. Sic et Actor. III. dicitur: *Argentum et aurum non est mihi* ... i. e. neque argentum neque aurum. 3.° Praeceptum ibi ad rem ipsam referendum est, quae sumitur, non ad modum quo sumitur: constat autem, sub una etiam specie carnem et sanguinem sumi. Et certe Capharnaitae non inter se litigabant, an sub duplici specie carnem et sanguinem sumere oporteret, sed absurdum ipsis videbatur carnem Christi edere aut sanguinem potare. Ex toto quoque contextu apertum est, de carne ibi agi potissimum, de sanguine autem quasi per concomitantiam tantum. Inde illa Capharnaitarum interrogatio: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?*

Obj. III. Paulus I Cor. XI. inquit, se a Domino accepisse, quod tradidit fidelibus; tradidit autem usum utriusque speciei, sicut clare ostendit textus. Ergo etc.

Resp. dist. min. Tradidit usum utriusque speciei, i. e., narravit, quae a Christo in ultima coena gesta sunt, *conc.*, — i. e. praecepit, ut omnes utramque speciem sumerent, *neg.* Non est ibi praeceptum, sed narratio, prout contextus aperte probat.

Obj. IV. 1.° Notum est ex historia, utramque panis et vini speciem infirmis fuisse ministratam. 2.° In Missa praesanctificatorum olim vinum ex calice etiam fidelibus distribuebatur. Porro hoc vinum consecratum putabatur ex contactu corporis Christi. 3.° Constat, tum aegrotis et parvulis, tum et fidelibus in communione panem consecratum porrectum fuisse pretioso sanguini intinctum, qui usus adhuc hodie in Ecclesia Orientali perseverat.

Resp. ad I. Quae ex historia afferuntur exempla, hoc unum probant, nonnunquam binas etiam species aegrotis fuisse allatas, imprimis Episcopis, Presbyteris, Monachis, viris nobilibus, aliisque, qui vel oratoria privata habebant, aut prope Ecclesiam commorabantur; ita, ut vel Missa dici potuerit in eorum praesentia, aut ex peracto mox sacrificio utraque ipsis species opportune deferri. At, quando non aderat haec opportunitas, et communio aegrotis ex reservata Eucharistia deferenda erat, unus ipsis Eucharisticus panis tradebatur.

Ad II. Ecclesia nunquam credidit, vinum ex contactu corporis Christi revera consecrari et mutari in sanguinem: sed illud ut sacrum aliquid et sanctificatum habebat. Hinc S. *Bernardus* epist. LXIX. illos, qui hoc vino in sacra communione utebantur, laudat. *Arbitrantes*, inquit, *liquorem, etsi non ex consecratione propria et solemni in sanguinem Christi mutatum, sacrum tamen fuisse ex contactu corporis sacri.*

Ad III. *Communionis intinctae* usus olim ignotus fuit tum in Orientali, tum in Occidentali Ecclesia. Prima ejus mentio occurrit anno 675 in Concilio Bracarensi, a quo damnatus et proscriptus est. Postmodum, cum in quibusdam Ecclesiis recrudesceret, denuo Ecclesiae auctoritate fuit repressus. In Oriente hic communicandi ritus serius obtinuit. Anno adhuc 692 *Concil. Trullanum* confirmavit morem antiquum, Eucharistiam in manibus recipiendi, quod certe de pane madefacto, et sanguine Christi stillante, intelligi non potest. Hodie Sacerdotes apud Graecos parvo cochleari utuntur, quo S. Eucharistiam intinctam in ora fidelium inmittunt. — Caeterum ex hoc ipso Graecorum ritu duo concludimus ad rem nostram pertinentia: *primo*, eandem rationem, qua potissimum Latini commoti fuerunt, ut communionem sub utraque specie abrogarent, etiam Graecos impulisse, ut intinctum sanguini corpus distribuerent, nempe effundendi sanguinis periculum: *secundo*, Ecclesiae quovis tempore persuasum fuisse, se posse in Sacramentorum administratione, salva eorum substantia, quaedam statuere et mutare, quae suscipientium utilitati aut Sacramentorum venerationi magis expedire judicaverit. Nemo enim non videt ritum *intinctae Communionis* longe ab eo distare, quem Christus in ultima coena observasse legitur. Christus scilicet corpus

et sanguinem separatim distribuit, et expresse dixit calicem porrigens: ***Bibite ex eo omnes.***

Totam hanc de communione sub utraque specie materiam solide et cum multa eruditione explanatam reperies apud praecipuos Theologos. Vid. etiam *Selvaggio* edit. Mogunt. tom. V. pag. 143. — Lettres du P. *Scheffmacher* tom. II. lettre III. — Sed nemo diligentius hoc argumentum prosecutus est, quam illustriss. Meldensium Episcopus in duobus opusculis superius citatis.

§. II.

De effectibus Eucharistiae.

OBSERVANDA.

I. Quanta in sacrosancto Eucharistiae Sacramento bonorum omnium affluentia et copia inclusa sit, satis jam ex ejus dignitate et excellentia intelligitur: nam si caetera Sacramenta totidem rivuli sunt gratiarum, in Ecclesia jugiter manantes; Eucharistia fons omnium gratiarum merito dicitur, cum fontem ipsum coelestium charismatum et donorum, omniumque Sacramentorum auctorem Christum Dominum admirabili modo in se contineat. Haec quidem generatim ostendunt, immensas utilitates ex hoc Sacramento in fidelem populum redundare. Antequam autem praecipua gratiae munera, et multiplices effectus, qui huic Sacramento proprii sunt, speciatim enumeremus, quae sit, aut potius, quae fuerit olim Novatorum sententia, videamus.

II. *Bellarmin.* lib. IV. de Euch. cap. XVII. Lutheri aliorumque Reformatorum paradoxas ac impias assertiones copiosius perstringit. *Lutherus* effectum Eucharistiae primarium ponit in remissione mortalium peccatorum; ac tanto aptiorem aliquem esse ad Eucharistiam ait, quo plurium et majorum peccatorum sibi conscius est. — *Calvinus* multa dicit, quae videntur inter se omnino pugnare. Instit. lib. IV. cap. XVII. ait n.° 40. «Cibus «hic spiritualis, si in animam inciderit malitia nequitiaque pol«lutam, majore eam ruina praecipitat.» Ibid. autem n. 41. aperte Catholicos reprehendit, quod digne manducare eos dicerent, qui in statu gratiae essent, in statu autem gratiae esse, idem ipsis significaret, ac purum purgatumque omni peccato

esse. — Omnes Catholici adversus Novatores docent, Eucharistiam per se ac directe non remittere peccata mortalia, ac proinde necessariam esse in suscipiente praeviam sanctificantem gratiam, ut digne ac cum fructu ad hoc Sacramentum accedat. *Quo magis sanctitas et divinitas coelestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est*, inquit *Trident.* [a], *eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat: praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* His concors est Patrum sententia. Ut alios multos praetereamus, S. *Chrysostomus* de hoc Sacramento ait [b]: *Sicut est magnum et admirabile, ita si pure accesseris, ad salutem accessisti: sin prava conscientia, ad poenam et supplicium;* et S. *August.* [c]: *Quam multi de altari accipiunt, et accipiendo moriuntur.... Non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo fratres; panem coelestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate.* Accedit aliud argumentum ex ipsa Sacramenti natura desumptum. Constat, Eucharistiam institutam esse per modum alimenti spiritualis. *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Joan. VI, 56. Unde, quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodest; ita etiam animae, quae spiritu non vivit, sacra mysteria prodesse non possunt; ac propterea panis et vini speciem habent, ut significetur, non quidem revocandae ad vitam animae, sed in vita conservandae causa instituta esse.

III. Nunc qui sint veri et proprii Eucharistiae effectus brevi oratione explicabimus. Hic quoque ad Sacramenti naturam attendendum est: nam quos usus corpori panis et vinum affert, eos omnes animae saluti et jucunditati, ac meliori quidem ac perfectiori ratione, Eucharistiae Sacramentum praebet. *Primus* Eucharistiae effectus est *intima fidelium cum Christo conjunctio*, qua ipse in nobis, et nos in ipso manemus. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* (Joan. VI, 57.) Qui enim pietatis et Religionis studio affecti hoc

---

a) Sess. XIII. cap. VII. *b)* Homil. XLVI. in Joan. cap. XVI. *c)* Tract. XXVI. in Joan.

Sacramentum sumunt, ita Filium Dei in se recipiunt, ut ejus corpori tanquam viva membra inserantur, atque ita *concorporei* fiant et *consanguinei* Christi, ut ait S. *Cyrillus Jerosol.* Catech. XXII.

Secundus effectus est *gratia.* « Uti corpus, ait *Catech. Rom. a)*, « cibo naturali non conservatur modo, sed etiam augetur, gus- « tusque novam quotidie ex eo voluptatem et suavitatem perci- « pit; ita etiam sacrae Eucharistiae cibus non solum animam « sustentat, sed vires illi addit, efficitque ut divinarum rerum « delectatione magis ac magis commoveatur. » Ita et S. *Thomas b)*: *Omnem effectum quem cibus et potus materialis facit quantum ad vitam corporalem, quam sustentat, auget, reparat, ac delectat; hoc totum facit hoc Sacramentum quantum ad vitam spiritualem.* Pulchre etiam S. *Cyprian.* de hoc Eucharistiae effectu loquitur *c)*: *Spiritus sanctus dicit: Calix tuus inebrians quam peroptimus: quod scilicet calix Domini sic bibentes inebriat, ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritualem sapientiam redigat, ut a sapore isto saeculari ad intellectum Dei unusquisque resipiscat.*

Tertius est, *quod per hoc Sacramentum peccata venialia remittantur.* Hoc expresse docet *Tridentina Synodus*, cum ait *d)*, Eucharistiam sumi *tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis.* Et S. *Ambrosius* lib. V. de Sacram.: *Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianae infirmitatis.* Praeterea cum coelesti hoc alimento charitas augeatur in cordibus nostris, charitas autem a peccatis venialibus animam expurget, consequens est, peccata venialia hoc Sacramento dimitti.

Quartus est, quod digne recipientes a futuris peccatis praeservet. — Ita *Trident.* l. c. cit. Idque ratio ipsa docet: nam cum hoc Sacramentum cibus sit et medicamentum animae, sequitur, quod infirmitatem nostram sanet, et vitam spiritualem adaugeat per charitatis incrementum. Unde, quemadmodum ex una parte concupiscentia, quae peccatorum fomes est, debilitatur, *nutrimentum quippe charitatis est diminutio cupiditatis*, ut *August.* ait *e)*, sic ex alia parte vis et robur adversus internos

---

a) Part. II. cap. IV. quaest. XL. *b)* Part. III. quaest. LXXIX. art. I. *c)* Epist. LXIII. *d)* Sess. XIII. cap. II. *e)* Lib. LXXXIII. quaest. 36.

et externos hostes infunditur. Inde illud S. *Chrysostomi a)*: *Tanquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles.* Notum quoque, Christianos saeviente persecutione praesidium potissimum in Eucharistiae communicatione quaesivisse. *Idoneus esse non potest ad martyrium*, ut S. *Cyprianus* scripsit ad *Cornel.* Papam *b)*, *qui ab Ecclesia non armatur ad praelium: et mens deficit quam non recepta Eucharistia erigit et accendit.*

Quintus demum effectus est, *quod vim maximam habeat ad aeternam vitam comparandum.* Hinc et pignus dicitur futurae resurrectionis et felicitatis aeternae. *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Joan. VI, 69. — et vers. 55.: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo illum in novissimo die.* Hujus ergo virtute Sacramenti ad aeternam gloriam et beatitudinem ascendimus, non secus atque Elias, qui supercinericei panis *fortitudine ambulavit usque ad montem Horeb.* III Reg. XIX. — His nunc finem facimus huic quaestioni, quae, ut attendenti perspicuum est, arctissime conjuncta est ei, quae de praeparatione ad sacram communionem tractat. Uberior hujus rei explicatio magis ad eos pertinet, qui recte et pie vivendi normam ac media praescribunt, et ad sanctitatem erudiunt fideles. Multa sunt hujus generis egregia opera, a viris conscripta sanctitate aeque ac prudentia ac doctrina praecellentibus.

CAPUT TERTIUM.

DE EUCHARISTIA UT EST SACRIFICIUM.

Eucharistia hoc peculiare habet, quod non tantum Sacramentum sit omnium, quae Christus Dominus instituit, longe praestantissimum; sed sacrificii insuper rationem habeat, quo sacrificium illud cruentum, quod semel in cruce peractum est, repraesentetur, ejusque memoria in finem us-

---

a) Homil. LXI. ad pop. Antioch. *b)* Epist. LIV.

que saeculi permaneat, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicetur. Ita *Trident. a)*; addit Catech. Roman. *b)*: « Differunt autem plurimum inter se hae duae rationes: « Sacramentum enim consecratione perficitur; omnis vero « sacrificii vis in eo est, ut offeratur. Quare sacra Eucha- « ristia dum in pyxide continetur, vel ad aegrotum defer- « tur, Sacramenti, non sacrificii rationem habet: deinde « etiam ut Sacramentum est, iis, qui divinam hostiam « sumunt, meriti causam affert, et omnes illas utilitates, « quae supra commemoratae sunt; ut autem sacrificium est, « non merendi solum, sed satisfaciendi quoque efficientiam « continet. Nam, ut Christus Dominus in passione sua pro « nobis meruit ac satisfecit; sic, qui hoc sacrificium offe- « runt, quo nobiscum communicant, Dominicae passionis « fructus merentur ac satisfaciunt. »

Igitur, postquam ea, quae ad Sacramentum pertinent, pertractata fuerunt; nunc de eadem sacratissima Eucharistia dicendum quatenus est verum et unicum novae legis sacrificium: atque, quemadmodum stabilitis iis, quae Ecclesia Catholica de praesentiae realis mysterio docet, facilius fuit Sacramenti rationem definire; ita et ea, quae sacrificium concernunt, sponte nunc fluent, eodem fonte deducta.

Hostes in hac causa alios non experimur praeter eos, quos jam cap. I. debellavimus: optime enim observat *Bossuetius c)*, omnem hanc controversiam redigi ad controversiam de reali Christi praesentia, et hac admissa negari non posse sacrificium Missae. Ad dogma enim realis praesentiae id quoque pertinet, ut Christum non in usu tantum praesentem credamus, sed modo permanenti, et statim ac verba consecrationis prolata fuerint: hoc autem posito, nec sacrificium auferri potest, nec adoratio denegari Christo. Neque de hac re dubium fuit Melanchthoni, aliisque Lutheri discipulis, qui ideo potissimum figmentum momentaneae praesentiae commenti sunt, ut Missae sacrificium destruerent.

---

a) Sess. XXII. cap. I. *b)* Part. II. de Euch. quaest. LXXVII. *c)* Exposit. doct. Cath.

Imo, teste *Calixto a)*, multi ex Novatoribus ideo lubentius ad Sacramentariorum doctrinam accesserunt, quod persuasum illis fuerit, nulla ratione certius Missam et totum papisticum cultum exterminari. Maluerunt enim omnia tollere, ne cum reali praesentia etiam permanentem, et cum permanente praesentia etiam sacrificium admittere cogerentur. Lutherus pluribus in locis furiose invehitur in Missam Catholicorum *b)*, eamque caudam draconis appellat, et omnium abominationum pessimam. Ut autem sciremus, quo magistro ipse blasphemare didicerit divina mysteria, non erubuit confiteri, a diabolo edoctum se fuisse et persuasum, ut Missam tanquam cultum impietatis et idololatriae plenum aboleret. En ubi fabricata fuerint illa iguita tela, quae contra Catholicum dogma vibravit novus Evangelista! Sicut diabolum Lutherus, ita Lutherum *Chemnitius*, *Illyricus*, *Brentius*, aliique, qui ad hanc sectam pertinent, secuti sunt: omnes negant Eucharistiam Deo offerri posse et debere.

Cum magnum hoc et amplissimum argumentum tractandum sumimus, timor iterum mentem occupat; nam breves esse polliciti sumus, et jam ultra quam sperabamus excrevit operis moles. Sed moram affert et vel invitos retardat rerum abundantia et gravitas. Prodesse volumus, non novis institutis et modernae levitati consulere. Vehementer enim dolemus, hoc nostro saeculo ita neglectum jacere Theologiae studium, ut vix inveniri possit compendium, quod sua brevitate satis esset docentium et discentium usibus accommodatum. Ita ex levi compendiolo leviores instituuntur Theologi, qui ne id quidem sciunt, quaenam illa sint, quae scire oporteret. Igitur, quo coepimus, pede pergimus, ad id tantum intenti, ut non exsurgat infelix operis summa, in qua aut partes quaedam deessent, aut non omnes inter se essent apte et justa proportione connexae.

Agemus I. de sacrificii Eucharistici existentia, II. de ejus natura, III. de quibusdam ejus circumstantiis, IV. de ejus effectis.

---

a) Boss. Hist. des var. liv. VI. *b)* De captiv. Babyl. De abroganda Missa priv. De verbis coenae etc.

ARTICULUS I.

De sacrificii Eucharistici existentia.

OBSERVANDA.

I. Sacrificium idem est ac sacrum factum, atque ita per excellentiam vocatur, quia est praestantissima et propria Religionis actio, quae solius Dei honori dedicata est. Ex sacris litteris hanc colligere possumus veri et proprie dicti sacrificii definitionem: *Sacrificium est oblatio externa facta soli Deo, qua ad agnitionem nostrae subjectionis et professionem divinae Majestatis a legitimo ministro res aliqua sensibilis et permanens ritu mystico consecratur et transmutatur.* Dicitur 1.° *oblatio*, ut genus definitionis indicaretur. Hoc enim ex Scripturae consuetudine discimus, tum solum adesse sacrificium, quando res aliqua sacra offertur Deo. Hinc, qui Sacramentum conficit, is, quamvis rem divinam et sacram faciat, sacrificium tamen facere nonnisi absurdissime diceretur. Sed, tametsi nullum sit sacrificium sine oblatione, non tamen omnis oblatio sacrificium est: nisi velis, a Judaeis tum filios in sacrificium fuisse immolatos, quando post purificationis caeremonias Domino sistebantur. 2.° Cum dicimus *oblatio externa*, significamus sacrificium esse actum externum Religionis: qui quidem, ut Deo gratus esse possit, conjunctus esse debet cum pio animi affectu, seu, ut Patres loquuntur, cum interna oblatione; qui idcirco non raro invisibile sacrificium vocatur, late sumpto sacrificii nomine. Aliud ergo est offerre sacrificium, aliud sacrificium offerre acceptabile Deo. Dicitur 3.° *soli Deo*, quia haec oblatio ex eo genere actionum est, quae soli debentur Deo, quaeque *latriae* nomine censentur. Finis enim omnium sacrificiorum generalis est, Deo cultum exhibere, quem ei creatura debet; et sicut Sacramenta proxime ad hominem referuntur quem sanctificant; ita sacrificia Deum respiciunt, cum offeruntur; quod in definitione his verbis exprimitur: *qua nostram subjectionem et divinae Majestatis excellentiam profitemur.* — 4.° Notio veri sacrificii exigit, ut a *legitimo ministro* offeratur, et ita privatae oblationes a ratione sacrificii excluduntur: ait enim expressis verbis Apostolus ad Hebr. V.: *Omnis Pontifex ex hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia.*

— 5.° Res, quae offertur, debet esse *sensibilis et permanens;* dantur enim aliae actiones externae, ut psalmodiae, preces, genuflexiones etc., quae fiunt ad honorem Dei et tamen sacrificia proprie non dicuntur, quia non offertur res sensibilis et permanens. 6.° Demum non sine gravi ratione dicitur, necessarium esse, ut illud, quod offertur, *ritu aliquo mystico* consecretur et transmutetur, haec est enim omnium sacrificiorum forma. Requiritur, ut res, quae Deo offertur, certo aliquo ritu ex profana sacra fiat, et simul ut destruatur, id est, ita mutetur, ut desinat esse id quod ante erat. Ita sacrificium distinguitur a primitiis et oblationibus, quae Deo offerebantur, sed citra operationem ejusmodi mysticam. Scite ergo et praeclare S. *Thomas* observat *a)*, in eo sitam esse rationem sacrificii, ut circa rem Deo oblatam aliquid fiat, quo res sacra quodammodo conficeretur. Sicut quando animalia occidebantur et comburebantur, aut quando panis benedicitur, frangitur, comeditur.

II. Notandum tamen est, sacrificii nomen in Scriptura multis rebus imponi, quas nos a sacrificii ratione excludimus: sed facilis est responsio; constat enim sacrificium in Scripturis dupliciter sumi, proprie, et translate: nos, quid sacrificium in se sit, indicavimus; reliqua ita vocantur, quia habent aliquam cum vero sacrificio affinitatem aut similitudinem. Sic Christus de se ipso dicit: *Ego sum vitis vera*, non per proprietatem, sed per similitudinem. Non absimili modo *Paulus* de iis, qui Christi sunt, quod carnem suam *crucifixerint* cum concupiscentiis *b)*, quod per Baptisma *consepulti* fuerint Christo, quod vetus homo fuerit *crucifixus*, et *corpus* peccati destructum. De se autem dicit: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo c)*, et iterum: *Christo confixus sum cruci d)*. Quis haec audiens verum sepulchrum cogitat, vel crucem, in qua Paulus pendeat, aut mundus, aut concupiscentia? Patet ergo, qua ratione intelligenda sint haec et similia Scripturae loca: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Ps. L. *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem.* Rom. XII. *Immola Deo sacrificium laudis.* Ps. XLIX. id est, ut Paulus ad Hebr. XIII. interpretatur: *fruc-*

---

a) II. 2ae quaest. LXXXV. art. III. *b)* Galat. V. 24. *c)* Gal. VI. 14. *d)* Gal. cap. II, 19.

tum labiorum confitentium nomini ejus. Item quod ibid. Apost. ait: *Beneficentiae nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.* In omnibus his testimoniis sacrificii aut hostiae vocabulum latissima significatione usurpatur, et per metaphoram aut alium tropum transfertur ad omne opus bonum, quod ad cultum Dei refertur. Sic corpus nostrum hostiam Deo offerimus, cum mortificamus membra nostra, ut corpus mortuum sit peccato, vivat autem Deo. Non raro per oppositionem bona opera tum interna ut contritionis, tum externa ut beneficentia, sacrificium vocantur, ut ostendatur, magis ea placere Deo, quam sacrificia his operibus destituta. Quemadmodum de jejunio dicitur Isaiae LVIII.: *Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis etc.* Ejusmodi opera etiam vocantur spirituales hostiae, ut distinguantur ab iis, quae simpliciter hostiae aut sacrificia appellantur: imo his etiam expresse opponuntur; ut liquet ex illis Osee VI.: *Misericordiam volo, et non sacrificium...* et I Reg. XV.: *Melior est obedientia quam victimae.* Et cum Propheta ait Ps. XXXIX.: *Sacrificium et oblationem noluisti...* numquid contritionem intelligit, aut beneficentiae opera?

III. Eucharistia, prout est sacrificium, variis nominibus a priscis Patribus designatur. Cum sacrificium nihil sit in re ipsa a Sacramento diversum, et unum idemque sit, quod consecratur, offertur et sumitur; mirum non est, quod quaedam vocabula Sacramento propria, etiam ad designandum sacrificium quandoque adhibita fuerint; quemadmodum et ea, quae sacrificio speciatim conveniunt, toti saepe actioni tribuebantur, id est, iis, quae consecrationem antecedebant aut sequebantur. Sacramenti denominationes quasdam supra jam indicavimus. Praecipua nomina, quae a Graecis divino Altaris sacrificio tribuuntur haec sunt: *μυσταγωγία*, quod idem est ac secreta actio, aut introductio ad mysteria, unde mystagogicae dicta sunt quaedam Catecheses S. Cyrilli Hierosolym.; *σύναξις*, de qua voce jam dictum est: *τελετή* — quod idem est ac initiatio, consecratio, perfectio. Item *ἱερουργία* — *εὐλογία* — *λατρεία* — *θυσία* etc. Sed omnium frequentior est vox *λειτουργία*, quae apud Grammaticos quodcunque publicum munus denotat. Strictiore quodam sensu ab Ecclesia ad cultum publicum denotandum adhibetur, ac speciatim sacrificium Eucharisticum significat, impri-

mis cum adjectum habet epitheton *sacra* vel *mystica*. — Latinorum praecipua nomina sunt, 1.° *Collectae* vel *Collecta*, quia populus in unum colligitur, ut sacrificio intersit. 2.° *Dominicum*, quia est summa et sacratissima actio, ex Domini institutione peragenda. Inde illud S. Cypriani: *Numquid ergo Dominicum post coenam celebrare debemus?* 3.° *Agenda;* sicut enim *facere* apud sacros et profanos auctores significat *sacrificare*, ita ipsum sacrificium *Agenda* nuncupatur. Placet in exemplum afferre illud Genes. IV.: *Nonne si bene egeris recipies?* Quae verba LXX. sic legunt: *Nonne si recte offeras*, quam lectionem etiam Veteres plurimi sequuntur: agitur enim ibi de sacrificiis. Hinc *Theodotion*, pro *recipies*, habet *acceptabile erit*, id est munus tuum. 4.° *Oblatio*, quae vox non indiget interpretatione.

IV. Ex omnibus tamen nominibus, quibus incruentum N. L. sacrificium appellari solet, nullum est apud Catholicos usitatius quam nomen *Missae*, de cujus origine et significatione pauca nunc dicenda sunt. Heterodoxis et vox ipsa, et res quam designat, ita sunt invisae, ut illud nomen ex quodam verbo apud Daniel. II. deducant, quod, ut illi interpretantur, idolum Antichristi significat. Sed mittamus haec impudentis animi deliramenta, et videamus, quae sint sententiae Catholicorum, aut illorum Protestantium, quos invidia contra Catholicos non ad insaniam usque perduxit. Nonnulli putant, vocem Missae derivandam esse ab hebraeo *Missach*, quod Deuter. XVI. reperitur, et oblationem significat. Alii originem ejus ducunt a voce graeca *μίσσις* a *μνέω*, *instituo*, *et spiritualiter initio*. Sed vana haec sunt; nemo enim ex graecis scriptoribus hac voce usus est, quod satis ostendit, eam nec graecae originis esse, neque hebraicae; quia etiam hebraica vocabula, quae ab Ecclesia Catholica retenta sunt, ut Sabaoth, Alleluja etc. Graecorum interpositu ad nos pervenerunt: constat praeterea, Missae appellationem non a plebe ipsa fuisse inductam. Nam viri eruditi, cum populariter loqui voluerunt, eam vocem adhibuere. Vocabulum ergo Missae latinum est, a mittendo dictum: est enim missa idem ac missio, sicut remissam pro remissione dicebant antiqui *a*), aut collectam pro

a) Scriptores Africani — Tertull. lib. IV. contra Marc. Cypr. de bono patient.

collectione *a)*, deductam pro deductione *b)*. Cur autem Missa a mittendo dicta fuerit, non omnes eodem modo explicant: verissima sententia est, eam ita appellatam fuisse a missione aut dimissione populi; id enim non in Ecclesiis modo, sed et in palatiis et praetoriis, teste Avito Viennensi *c)*, in usu erat, ut *Missa* fieri pronuntiaretur, quando dimittebatur populus. Missio autem ejusmodi duplex fiebat in Ecclesia, una post Evangelium, quando Catechumeni, infideles etc. dimittebantur; et haec dicebatur *Missa* seu missio *Catechumenorum:* altera cum re divina peracta omnes initiati discedebant, clamante Diacono: *Ite, missa est:* et haec *Missa fidelium* vocabatur. Quoniam autem Missae denominatio a dimissione orta est, dimissio autem tunc tantum locum habet, ubi est conventus aut congregatio populi; usu inductum est, ut haec ipsa congregatio Missa diceretur, et hoc nomen tum integro officio divino, tum singulis fere officii partibus fuerit attributum. Imo, cum Missae actio praecipua sit, quae in die festo peragitur, ideo *Missa* non raro pro ipsa *festivitate* usurpata fuit, ut Missa S. Joannis, vel S. Martini. Quoniam autem ad *Missas* ejusmodi vel *festivitates* magna saepe populi frequentia confluebat, factum est, ut annuae nundinae his diebus annecterentur; unde apud Germanos nomen Meſſe, quod medio aevo nundinis impositum est. — Cf. *Selvaggio* lib. III. *Bellarm.* de Miss. lib. I. cap. I. et impr. praeclarum opus Card. *Bona* Rerum liturgic. lib. I. part. I. cap. I.

V. In nostra cum Protestantibus concertatione de vero et proprie dicto sacrificio agitur, quale illud supra descripsimus. Ipsi enim libenter sacrificium admitterent, si vellemus sacrificii notionem ad eorum placita accommodare. In Confessione Augustana *d)* primum conqueruntur, se falso accusari a Catholicis, quod Missam abolerent: deinde servari apud eos, ajunt, usitatas caeremonias fere omnes, iisque opus esse fatentur, ut doceant imperitos. Quae autem postea adduntur contra Missam Catholicorum magis animo calumniandi dicta sunt, quam veritatis studio: vel enim rem ipsam non spectant, sed abusus, quos boni omnes inter Catholicos detestantur: vel doctrinam nobis

---

a) Cicero lib. III. de Orat. *b)* Cicero lib. II. de legib. *c)* Epist. ad Gundobald. regem. *d)* Art. de Missa.

objiciunt, quae nostra non est. Eadem fere in Apologia Confessionis occurrunt *a)*. Ibi Melanchthon, qui auctor est illius Apologiae, sacrificium vocat *Caeremoniam vel opus, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus.* Deinde dividit sacrificium in duas species, *propitiatorium* nempe, et *εὐχαριστικόν*. Posteriore modo ait Missam posse vocari sacrificium, quia sumptio Eucharistiae fieri potest in laudem Dei, sicut et caetera bona opera: at sacrificium prioris generis praeter mortem Christi in cruce toleratam nullum existere. Ex his manifestum est, sacrificium proprie dictum a Novatoribus nullum admitti; omnes diligentissime cavent, ut observat *Bellarm. b)*, ne ulla fiat mentio oblationis. Nihilominus in hac etiam parte multa concessa sunt a viris, qui nobiliores inter eos erant et moderatiores, ita ut difficile non fuisset ad pacem et concordiam revocare dissidentium animos. Abbas *Molanus* de pace Ecclesiarum agens cum *Bossuetio* ita de Eucharistiae sacrificio loquitur, ut Bossuetius in sua ad Molani cogitata responsione aperte declaret: « Haec, si eo modo, quo « a summo viro dicta sunt, proponantur, Catholicam doctrinam « complectuntur integram. Et paulo post: Neque quis merito « refugerit, quin ipsa consecratio etiam a manducatione distincta, « praesensque Christi corpus res sit per se Deo grata et accep- « tabilis, quod quidem nihil est aliud, quam illud ipsum sacrifi- « cium ab Ecclesia Catholica celebratum. » Lubentissime ex eodem auctore plura exscriberemus, quae ad hujus controversiae pleniorem notitiam quam plurimum conducerent; sed impediunt nos arctioris operis limites. Plura in ipso auctore reperient, qui plura desiderant. Vid. *Histoire des Variat.* lib. III. n. LI. et seq. — et lib. VI. n. XXI. et seq. *Expos. Doct. Cath.* n. XIV. — *Projet de réunion.* — *Molani cogitationes privatae.* Edit. Lebel. tom. XXV. pag. 276. — et *Bossuetii in has cogitationes sententia;* ibid. pag. 436 — et iterum tom. XXVI. pag. 39. — Adde Auctores jam supra citatos. Item *Wiest* op. maj. tom. V. §. 194. et seqq.

---

a) Iterum art. de Missa. *b*) De Missa lib. I. cap. V.

PROPOSITIO.

Eucharistia verum est ac proprie dictum novae legis sacrificium.

CONCIL. TRIDENT. Sess. XXII. Can. I.

Siquis dixerit in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offeri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.

Magna est argumentorum copia, quibus hoc Ecclesiae Catholicae dogma probari solet; nos praecipua tantum proferemus.

Argumenta ex veteri Testamento.

I. *Figurae.* Patres passim docent, sacrificium Eucharisticum tam ante quam post latam legem variis sacrificiorum generibus, et imprimis per immolationem agni paschalis, fuisse praenuntiatum. Verumtamen nullibi ejus imaginem clarius expressam videmus quam in Melchisedech sacrificio, quem Christi Domini figuram gessisse etiam adversarii negare non possunt: nam Christus vocatur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech tum in veteri lege, tum in nova. Celebris est Psalmi CIX. locus, in quo propheta insigniter de Christo ita vaticinatur: *Juravit Dominus et non poenitebit eum, tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Multa etiam praeclara de Melchisedecho narrat Apostol. in Epistola ad Hebraeos, cap. V. VI. et VII., ubi et verba Ps. CIX. repetitis vicibus ad eum applicat, qui melioris testamenti sponsor factus est, Jesum Christum. Habemus ergo Sacerdotem magnum. Jam si in ipsum sacrificium intueamur, id est in rem oblatam, obvium est, quod ex Scripturae testimoniis conficitur, argumentum: Christus, quatenus Sacerdos est, debuit offerre sacrificium, juxta illud Apostoli ad Hebr. V. *Omnis Pontifex... constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Quatenus autem Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, eo ritu offerre debuit, quo ipse Melchisedech obtulit: de quo Genes. XIV, 18. narratur: *Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi.* Ergo Christus in pane et vino sacrificium

obtulit; atqui nisi id fecerit in Eucharistia, nullibi fecit. Ergo etc. — Argumenta, quae contra opponuntur, solvemus postea. Hanc nostram interpretationem et verba ipsa docent, et communis Patrum consensus confirmat. Videri potest praeter caeteros *Augustin.* lib. IV. de doctrina Christiana cap. XXI. *Quis,* inquit, *magis Sacerdos Dei summi fuit quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem.* Inde illud S. *Thomae* in officio Corporis Christi: *Sacerdos in aeternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech panem et vinum obtulit.*

II. *Prophetiae.* Optime ait *Augustinus* Ep. XLIX. quaest. III.: *Nostrum sacrificium non solum Evangelicis, sed etiam Propheticis libris demonstratum est.* Prophetarum vaticinia plura numerantur a Theologis. Huc pertinet illud Prov. IX.: *Sapientia aedificavit sibi domum. . . . Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.* Item Isaiae XIX.: *in die illa erit altare Domini in medio terrae Aegypti . . .* et illud ejusdem Prophetae cap. LXVI.: *Assumam ex iis* (gentibus) *Sacerdotes et Levitas, dicit Dominus.* Quid altare? Quid Sacerdotes? Nonne propter sacrificium? Sed non possunt hic sacrificia V. L. intelligi, quae neque altare habere poterant in Aegypto, neque Sacerdotes ex gentibus: lex autem nova praeter Eucharistiam aliud sacrificium non habet, quod altare exigeret et Sacerdotes.

Sed missis his aliisque Prophetarum oraculis, illud Malach. I. paulo attentius intueamur. Primum Sacerdotes Judaeorum increpat Deus, tum per Prophetam Judaeorum abroganda sacrificia, atque in eorum locum Christianorum puram oblationem subrogatum iri praenuntiat. Versib. 10 et 11. sic legitur: *Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Non potest hic aliud sacrificium intelligi, quam Eucharistia. Non sacrificium crucis, quod non offerebatur in omni loco;

non sacrificium precum et bonorum operum: nam 1.° Propheta loquitur de quodam sacrificii genere, quod ante non fuit: sed spiritualia sacrificia in veteri etiam lege fuerunt. 2.° Malachias de sacrificio loquitur externo et visibili, per quod nomen Dei inclarescit; illudque opponit sacrificiis Judaeorum, quae polluta erant. Quaenam autem esset haec oppositio, si de spirituali sacrificio ageret? An ex parte offerentium? Sed etiam inter Christianos impuri esse possunt. Ergo in hoc oppositio est, quod res ipsa, quae nunc offertur, immunda esse nequeat. Adde, quod secum ipsis pugnent adversarii nostri; quomodo enim preces et bona opera, quaecunque illa sint, absolute oblatio munda dici possunt, cum ipsi actiones omnes atque ipsas justitias nostras peccata esse contendant? Sed parum curant haeretici an pugnantia dicant, dummodo veritati contradicant.

Argumenta ex novo Testamento.

I. *Institutio Eucharistiae.* Ex Evangelica narratione perspicuum est, novum Testamentnm in ultima coena institutum et dedicatum fuisse. Christus enim calicem porrigens Apostolis expressis verbis ait: *Hic est sanguis meus novi Testamenti*, vel ut *Lucas* et *Paulus* habent: *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine.* Ergo Christus, etsi tanquam victima in cruce mortem obierit, tamen secundum legem debuit offerre sacrificium, in dedicatione testamenti (Exod. XXIV.): sed hoc sacrificium nec potuit offerri alio tempore, nec alio loco quam in coena. Consecratio, seu oblatio, in omni sacrificio debet mactationem antecedere: Christi corpus mactatum est in cruce; actio autem ipsa, qua corpus oblatum est, in coena aut nusquam apparet.

Porro oblationem in coena revera factam esse, ex verbis institutionis manifestum est. Christus, ut Lucae XXII. legitur: *Accepto pane gratias egit et fregit, et dedit eis* (Discipulis) *dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam coenavit dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* In Graeco: *funditur.* S. Matthaeus ait: *Qui pro multis effundetur*

(effunditur) *in remissionem peccatorum.* Habemus hic oblationem victimae cum effusione sanguinis, ergo verum sacrificium. Dicitur enim: qui pro vobis *datur;* dari autem idem est ac offerri, juxta illud ad Galat. I.: *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris* .... idque ex eo clarius apparet, quod Christus non dixerit, *quod vobis datur,* sed *quod pro vobis datur,* et apud Matth.: *qui pro multis effundetur.* Quod autem in praesenti tempore dicitur *datur, effunditur,* probat non de cruento crucis sacrificio agi, sed de oblatione et effusione, quae tunc fiebat. Demum dubium non est, Christum praeceptum dedisse Sacerdotibus sacrificandi per haec verba: *Hoc facite in meam commemorationem;* quod interprete Chrysostomo idem est, ac *facite, quod ego feci in mei commemorationem, et quia ego sacrificavi, sacrificate.*

II. *Praxis Apostolorum.* In executionem tum exempli tum mandati Christi Apostoli Eucharistiam celebrarunt, eamque obtulerunt ut verum sacrificium. Sic Apostolus I ad Cor. X. fideles cupiens ab idolorum cultu deterrere, eo maxime argumento utitur, v. 21., *quod non possint mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum.* Ne autem dicas, de *mensa* loqui Apostolum, in qua cibus sumitur, non de *altari,* in quo sacrificatur: nam illa mensa altare est, comparatur enim cum mensa daemoniorum, per quam victimae intelliguntur, quas gentes immolabant idolis, ex v. 20.; imo cum mensa Judaeorum, quae altare vocatur v. 18. θυσιαστήριον, *sacrificatorium.* Sed et alio loco, Hebr. XIII., mensa Christianorum altare vocatur expresso vocabulo: *Habemus altare* (θυσιαστήριον), *de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo inserviunt.* En ergo altare! En victimam, de qua edendi quidam potestatem habent! Sed non potest manducari victima, nisi prius immoletur: quomodo autem immolatur in coena, nisi consecratione panis et illius in corpus Christi mutatione?

Argumenta ex Traditione.

I. *Patrum auctoritas.* Probationem, quae ex Patrum testimoniis eruitur, fuse versant viri doctissimi *Bellarmi-*

nus a) et *Petavius b)*. Si vellemus haec testimonia singillatim recensere, negotium lectori facesseretur. Sufficiat probationis capita summatim indicare. 1.° Dicunt Patres, Melchisedech verum fuisse Sacerdotem, et obtulisse panem et vinum in sacrificium, atque hoc modo figurasse incruentum illud sacrificium, quod Christus in ultima coena instituit. Augustini locum supra citavimus; unum addimus *Clementem Alexand.*, qui lib. IV. Stromat. ita habet: *Melchisedech rex Salem, Sacerdos Dei, qui vinum et panem sanctificatum praebuit cibum in figuram Eucharistiae.* 2.° Malachiae prophetiam, ut alia omittam prophetarum oracula, antiquissimi Patres de singulari Eucharistiae ac Dominici corporis et sanguinis sacrificio intelligendam esse docent. Inter multos alios S. *Chrysostomus* in Ps. XCV. allatis Malachiae verbis ad ea sic disputat: *Vides, quam illustri et splendido praeconio mysticam mensam explicet, nempe incruentum sacrificium!* 3.° Patres de Eucharistia ita locuti sunt, ut nemo, cui omnino persuasum est, eam verum esse et proprie dictum sacrificium, alio posset loqui modo aut aliis uti vocibus. Usitatissimae apud eos sunt voces *offerre, consecrare, immolare, sacrificare.* Item substantiva προσφορα — θυσία, seu *oblatio, victima, hostia, sacrificium.* At non simpliciter tantum sacrificium vocant, sed cum iis titulis, qui minime nisi vero sacrificio convenire potuissent. Dicunt enim, *salutare sacrificium, salutarem hostiam. Cyprianus c)* illud vocat *plenum ac verum sacrificium.* Et iterum *d): Sacrificium perpes, et semper permanens holocaustum.* D. *Chrysostom. e): Horrendum sacrificium;* et alio loco *f): Tremendum et plenum timoris.* D. *August. g): Huic*, inquit, *summo verissimo sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.* 4.° Requirunt *altaria* ad celebrandam Eucharistiam; altaria autem non erigi nisi ad celebranda sacrificia, etiam adversarii non negant. 5.° Ministros Eucharistiae vocant *Sacerdotes;* sed iterum concedunt adversarii Sacerdotes proprie ordinari ad sacrificium.

---

a) Lib. I. de Missa. *b)* De Incarn. lib. XII. cap. XII. XIII. XIV. *c)* Lib. II. Epist. III. *d)* Lib. de coena. *e)* Hom. XXI. in Act. *f)* Hom. VI. ad popul. *g)* Lib. X. de civit. Dei cap. XX.

6.° Dixerunt Eucharistiam celebrari posse pro vivis et defunctis, pro pace aliisque necessitatibus, quod non potest convenire Sacramento, sed soli sacrificio.

II. *Auctoritas Conciliorum.* Can. XVIII. *Concilii Nicaeni* I. ex interpretatione Dionysii exigui, vetat Diaconis, ne audeant Christi corpus Presbyteris celebrantibus dispensare; *quia*, ait, *nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant.* — *Ephesinum*, quod est generale III., haec habet: *Sanctum, et vivificum, incruentumque in Ecclesiis peragimus sacrificium.* — Concilium *Chalcedonense* Eucharistiam vocat *terribile et incruentum sacrificium.* — Demum *Trident. Synodus* Sess. XXII. totam hanc de Missae sacrificio materiam accurate exposuit, et in subjectis canonibus definivit.

III. *Argumentum praescriptionis.* Hoc argumentum eodem plane modo conficitur, ac supra p. 315 sq. ubi de reali Christi praesentia disputavimus. Idem est consensus omnium Ecclesiarum, non apud Latinos tantum, sed etiam apud Graecos omnesque haereticorum sectas, quae per Orientem diffusae sunt. Omnes, quotquot unquam in orbe exstiterunt Christianorum societates, aras habuerunt, in quibus immolarent, et Sacerdotes, qui sacrificabant, et liturgias, quae ritum offerendi et immolandi continebant: hae autem liturgiae omnes nobiscum unanimiter conveniunt in substantia sacrificii, et in his omnibus, quae fides orthodoxa de tanto mysterio credenda proponit. In hanc rem imprimis legi meretur *Cardinalis Bona*, rerum liturgicar. lib. I. — Item Lettres du P. *Scheffmacher* tom. II. lettre I.

Theologicae quaedam rationes.

Prima ex eo petitur, quod nulla unquam gens sine religione, nulla religio sine sacrificio fuerit. De hac re ita disserit *Melch. Canus a)*: « Lex et religio nulla est, sine sacerdotii munere atque functione. *Translato sacerdotio,* inquit Apostol. *b)*, *necesse est ut et legis translatio fiat.* Si

---

a) De loc. Theol. *b)* Hebr. VII, 12.

ergo Christiani legem ac religionem habemus, habemus profecto et sacerdotium: at Sacerdos omnis in hoc paratur, ut sacrificium offerat. Christiani ergo etiamnum sacrificium tenemus, sine quo nec sacerdotium, nec religionem, nec legem tueri possumus. Et cum in Ecclesia non sit aliud sacrificium juge, praeter id, quod in altari offerimus, jure concludimus, nunquam in Ecclesia hoc sacrificium defuisse, neque unquam defuturum.»

Secunda ex eo deducitur, quod in sacrificio Missae omnia occurrant, quae ad verum sacrificium requiruntur. Sic *altare* certum sacrificii argumentum est, fatente ipso *Calvino*, qui idcirco Christianos altare habere negat, quia sacrificium negat! «Mensam, ait *a)*, nobis dedit, in qua «epulemur; non altare, super quod offeratur victima.» Verum altare in Ecclesia semper fuisse, ex Apostolo supra probavimus, et antiquissimi Patres testantur. Sed et alia omnia adsunt. Adest *minister*, ipse summus Sacerdos Christus, qui se ipsum visibili modo Sacerdotum ministerio Deo Patri offert. Adest *res externa et sensibilis*, quae offertur, videlicet species panis et vini, sub quibus Christus realiter continetur. Adest *ritus mysticus, quo res sensibilis consecratur et transmutatur:* nam per verba consecrationis panis mutatur in corpus, et vinum in sanguinem; per illud autem, quod utrumque seorsim consecretur, et species separatae maneant, mors Christi cruenta figuratur, qui in cruce sanguinem suum fudit in remissionem nostrorum peccatorum. Adest etiam et illa necessaria conditio, quod hoc sacrificium *soli Deo* offeratur; id enim Ecclesia semper docuit, neque potest hac de re superesse dubium.

CONFUTATIO ADVERSARIORUM.

Objiciunt contra Catholicorum argumenta.

Objiciunt I. Melchisedech panem et vinum protulit, non ut ea in sacrificium offerret Deo, sed eo tantum fine ut milites Abrahae defessos reficeret. Ergo etc.

---

a) Instit. lib. IV. cap. XVIII. n. 12.

Resp. nego ant. Textus ipse Scripturae hanc cavillationem elidit. Ut quid enim haec verba adjicit Scriptura: *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi?* Ergo Sacerdos erat Melchisedech, sacrificium ergo offerebat Deo; at non legitur aliud quam panem et vinum obtulisse. Non inficiamur equidem, panem et vinum prolata fuisse in refectionem Abrahae et sociorum ejus; sed dicimus, prius fuisse Deo data et consecrata, et tunc data hominibus ut de sacrificio participarent.

Inst. I. Vulgata editio particulam causalem ponit, sed falso, nam hebraeum conjunctivam habet. *Et erat Sacerdos etc.* Perperam ergo haec verba ad panem et vinum trahuntur, cum referri debeant ad benedictionem, ita ut sensus sit: cum esset Sacerdos Dei Altissimi, benedixit ei. Ergo etc.

Resp. Frustra Protestantes Vulgatam lacerant: notum enim est, particulam conjunctivam apud Hebraeos frequentissime locum tenere causalis. En exemplum: *Tu iratus es, et peccavimus.* Isai. LXIV.; apertum est, particulam *et* poni pro causali *quia* vel *enim;* sensus enim est: *Tu iratus es, quia peccavimus.* Porro post haec verba, *et erat Sacerdos Dei Altissimi*, in Hebraeo invenitur accentus, qui sophpasuc dicitur, et indicat, ibi terminari periodum. Ergo ad ea pertinent, quae praecedunt, et perperam omnino a Calvino et aliis Novatoribus ad benedictionem trahuntur.

Inst. II. Quodsi oblatio Melchisedech sacrificii Missalis figura esset, an Apostolus, obsecro, qui minima quaeque excutit, rem adeo seriam et gravem fuisset oblitus? Ita *Calvin. a*).

Resp. Cur eam rem siluerit Apostolus ratio prima et notissima est, quia illud ad ejus propositum non faciebat. Hoc unum egit Apostolus in ea epistola, ut ostenderet, sacrificium Christi multo esse praestantius sacrificio Aaronis, et Christum ipsum non tantum Leviticis Sacerdotibus, sed et Mose et Angelis longe esse majorem. Accedit, quod jam Veteres observarunt, Paulum dedita opera omisisse oblationem panis et vini, ne cogeretur mysterium Eucharistiae Hebraeis explicare; constat enim, disciplinam arcani, quam vetus Ecclesia religiosissime servavit, ab Apostolis fluxisse; inter arcana autem, quae non poterant infide-

---

a) Instit. lib. IV. cap. XVIII. n. 2.

libus prodi, praecipuum locum tenuisse Sacramentum Eucharistiae. Id satis clare indicat Apostolus, qui cap. V. cum dixisset, Christum appellatum fuisse a Deo Pontificem secundum ordinem Melchisedech, statim addit: *De quo nobis grandis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum; quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.*

Objic. II. Oblatio illa munda, de qua Malachias vaticinatus est, nihil est aliud quam invisibile sacrificium aut precum, aut gratiarum actionis, aut bonorum operum. Ergo etc.

Resp. nego ant. Hanc adversariorum cavillationem jam supra confutavimus. Etsi non negemus, nomen sacrificii saepe sumi in Scripturis pro sacrificio spirituali et invisibili, tamen nescio, an usquam reperiri possit positum absolute, quin accipiatur pro vero et proprio sacrificio. Legimus quidem *sacrificium laudis*, et *hostiam vociferationis;* sed quae adjunctae sunt voces, satis ostendunt, non proprie sumi nomen sacrificii. Ergo sacrificiis Judaeorum veris Propheta opponit aliud sacrificium verum in omni loco offerendum, quale reperire nullum possumus in novo testamento, praeter Eucharistiam. Adde, quod vox hebraica מִנְחָה qua Propheta utitur, quamvis in genere oblationem aut sacrificium significet, in Scripturis tamen specialius adhibeatur ad designandum certum genus sacrificii ex simila, id est farina mundissima, sine fermento confectum; quod novo indicio est, de Eucharistico sacrificio sermonem esse. Vid. Criticam sacram *Eduardi Leigh*, Angli, voce *minchah.*

Objic. III. 1.° Nullibi legitur, Christum in ultima coena haec verba *offero*, *sacrifico*, aut aliquid simile usurpasse; aut aliquem sacrificandi adhibuisse ritum. 2.° Apertum est, verba haec, *datur*, *frangitur*, *effunditur*, etiamsi in praesenti tempore sumantur, sensum tamen futuri habere, et referri ad crucem: ita ut sensus sit: Hoc est corpus meum, quod paulo post dabitur ad mortem; hic est sanguis, qui paulo post in cruce fundendus est. Inde est, quod latina interpretatio, et canon Missae legant in futuro, *effundetur.*

Resp. ad I. nego consequent. Si quid ponderis haberet haec adversariorum praescriptio, sequeretur Christum etiam in cruce nullum obtulisse sacrificium; quia non dixit, *offero*, aut *sacrifico*,

nec servavit ritum ullum et caeremoniam sacrificandi. Et quod amplius est, non posset probari, ullum in veteri lege fuisse sacrificium proprie dictum; nam etiam veteris Testamenti Sacerdotes ea forma usi non sunt: *Offero tibi, aut sacrifico.* Christus non dixit *Offero*, sed obtulit reipsa, et jussit non tantum ut dicamus, quae ipse dixit, sed ut, quod ipse fecit, nos quoque faciamus. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Ad II. Duae istae lectiones, et in praesenti juxta graecum, et in futuro juxta Vulgatam, non pugnant inter se. Verbum in praesenti, *effunditur*, denotat effusionem mysticam et incruentam, quae in ipsa coena a Christo facta est, in repraesentationem effusionis futurae in cruce. Quoniam autem Christus hanc effusionem mox futuram esse praevidit, et simul voluit ut in ejus memoriam deinceps mysticum Eucharistiae sacrificium offerretur, bene etiam in futuro dicitur *effundetur.* Porro pro Eucharistico sacrificio id quoque pugnat, quod I Cor. XI., ubi Vulgata habet: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, in Graeco legatur: *Quod pro vobis frangitur;* frangi autem non conveniat corpori Christi, nisi in specie panis. Item illud quod Lucae XXII. legitur: *Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur....* in graeco.... *funditur.* Ubi vocem *funditur* non conjunxit cum voce *sanguine*, sed cum voce *calix*, ut jam alio loco ostendimus. Unde perspicuum est, agi ibi de effusione calicis, ut sanguinis in calice contenti, non autem de effusione futura in cruce.

Inst. Fuerunt etiam inter Catholicos insignes Theologi, qui negarunt Christum in ultima coena se ipsum in sacrificium Deo Patri obtulisse; et fatente *Card. Pallavicino a)* multum hac de re disputatum fuit in Concilio Trident. Ergo etc.

Resp. Haec quidem olim quorumdam sententia fuit, quod Christus in coena sacrificium ipse non obtulerit, existimantes ante peractum in cruce sacrificium, non potuisse ejus memoriam celebrari per sacrae Eucharistiae oblationem. Verum nos non tam de oblatione sacrificii agimus, quam de ejus institutione, quam nemo Catholicorum unquam negavit. Quamquam et illud verissimum sit, et ex Patrum testimoniis ac legitima Scripturae inter-

---

a) Hist. Conc. Trid. lib. XVIII. cap. II.

pretatione deductum, quod Christus primum se ipsum obtulerit, tum Apostolis, ut id post ejus mortem facerent, mandaverit. Constat etiam ex eodem Pallavicino, cum controversia haec agitaretur in Concilio Trid., omnes Theologos, etiam qui primum restiterant, in hanc sententiam abiisse. Hinc Concilium Sess. XXII. cap. I. disertis verbis docet: *Deus et Dominus noster .... Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit.*

Objic. IV. Patres eodem sensu Eucharistiam vocant sacrificium, quo vocarunt corpus Christi, id est figurate. Id, ait *Calvinus a)*, passim apud eos reperies, non alia ratione vocari coenam Domini sacrificium, nisi quod est imago, memoria, testimonium illius sacrificii, qua nos Christus expiavit. 2.° Patres negant Christum denuo immolari; ergo negant sacrificium.

Resp. ad I. Concedimus Calvinistis, Patres Eucharistiam ita vocare sacrificium, sicut vocant corpus Christi: hoc autem posito evidens est nostrum ratiocinium. Patres Eucharistiam corpus Christi dixerunt, non figurate, sed sensu proprio et reali, quod fusius a nobis cap. I. probatum est; ergo et sacrificium dixerunt verum et proprie dictum. Calvinus, cum de Missa disputat contra Catholicos, a consueto more non discessit; nam inverecunde prorsus et impudenter non argumenta, sed mendacia et convitia congerit. Falsum est, Eucharistiam a Patribus nulla alia ratione vocatam esse sacrificium, quam quod imago esset quaedam et repraesentatio sacrificii in cruce facti; nam Patres multa alia de Missae sacrificio docuerunt, quae nonnisi vero et proprio sacrificio conveniunt. Haec cum jam a nobis indicata fuerint, denuo proferre necesse non est. Sed et illud non juvat adversarios, quod Eucharistia imago vocetur, et exemplar veri sacrificii oblati in cruce; nam ex eo colligere minime licet, eam verum sacrificium non esse, eadem enim ratione concluderes, etiam veteris legis sacrificia vera sacrificia non fuisse, quoniam omnia figura erant et imago unicae illius hostiae, quam Christus moriens immolavit: illa quidem mortem Christi futuram significabant, nostrum autem sacrificium praeteritum reprae-

a) Loco cit. n. 10.

sentat. Unde potius inferre licet, Eucharistiam nostram exemplar sacrificii Christi esse non posse, nisi esset quoque ipsa sacrificium. Quemadmodum enim coena nostra imago et exemplar non esset Dominicae coenae, nisi manducaremus: ita nec Eucharistia nostra hostiae Christi exemplar esse posset et imago, nisi sacrificaremus.

Ad II. Resp. disting. ant. Patres dicunt, Christum non immolari seu mactari, quemadmodum in cruce immolatus est, *conc.;* non immolari mystice et incruento modo, *nego.* Nemo est, qui non videt, Patres nihil aliud asserere, quam Christum, qui mortuus est semel pro delictis nostris, jam non mori amplius. At non negant, sacrificium, quod semel cruento modo oblatum est, quotidie mystice offerri in Eucharistiae celebratione: imo summo consensu id affirmant innumeris in locis. Et certe D. *Chrysostomus* Homil. XVII. in Epist. ad Hebr., ubi negat Christum nunc immolari, docet, eundem esse Christum, qui nunc offertur in omnibus altaribus, et qui in cruce oblatus est olim.

Alia quaedam adversariorum argumenta.

Argum. I. Apostolus in Epist. ad Hebr. de sacrificio N. L. disserens, ejus excellentiam ex eo imprimis commendat, quod Christus *una oblatione consummaverit in sempiternum sanctificatos* (cap. X, 14.). In veteri lege victima pro peccatis populi singulis annis occidebatur, quia *impossibile est per sanguinem taurorum et hircorum auferri peccata: Christus autem .... introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa .... semel in consummatione saeculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit* (IX, 26.). Ergo praeter crucis sacrificium nullum aliud lex nova patitur.

Resp. nego conseq. Scopus Apostoli erat ostendere, Sacrificia Aaronis vim ex se nullam habuisse remittendi peccata; sed figuras tantum fuisse mortis Christi, et in ea fuisse impleta. Hanc autem mortem tanti fuisse pretii apud Deum, ut non fuerit opus Christum mori nisi semel. Sed haec cum oblatione altaris nulla ratione pugnant; neque sacrificium Missae, quod in Ecclesia Catholica offertur, aliud est sacrificium, et ab illo quod in cruce oblatum est, diversum; idem in utroque est Sacerdos, eadem hostia. *In divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur*, ait Tri-

dent. *a)*, *idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit.*

Inst. Si Christus una oblatione exhausit omnia peccata, jam necesse non est, iterum in altari eandem offerre hostiam, quae semel in cruce oblata totum mundum reconciliavit Deo. Ergo etc.

Resp. nego conseq. Equidem mors Christi causa est generalis nostrae salutis, et fons unde gratiae omnes scaturiunt, neque alio indigemus sacrificio quantum ad pretii sufficientiam: verum necesse est, ut praeter hanc causam universalem, aliae habeantur particulares, quae generalem illam quasi ad efficiendum applicent. Quod etiam naturalium rerum similitudine illustratur. An non Deus una illustratione mundum illuminavit, cum solem quasi sempiternum lumen accendit? Attamen haec universalis causa, quamvis in se perfecta, et sola ad omnes homines illuminandos sufficientissima, vix quidquam efficiet, nisi propriis causarum secundarum actionibus vis illa efficiendi communis ad singulos effectus adjungatur. Sic infinitum illud pretium, quod in cruce nobis comparatum est, in Missae sacrificio applicatur. Neque putes unicam hanc viam esse, qua merita Salvatoris ad nos ex communi fonte deriventur; patent et aliae quam plurimae, ut fides, charitas, preces, bona opera, Sacramenta. Videant ergo astuti reformatores, quo eos contradicendi libido deducat: nam si nihil requiritur, quo merita mortis Christi ad nos applicentur, vanum est orare, vanum bonis operibus se dedere; inutilis erit coenae manducatio, vanum illud Christi praeceptum: *Baptizate omnes gentes* etc.; ita in dissidiam animos conjicient, vitam adiment religioni, aut potius omnem religionem ex hominum animis extrahent radicitus.

Argum. II. In eadem ad Hebr. Epistola Apostolus magnifice loquitur de *aeterno Christi sacerdotio*, et comparatione facta cum veteri Testamento ostendit, plures in lege fuisse Sacerdotes *idcirco, quod morte prohiberentur permanere;* Christum autem, *eo quod maneat in aeternum, sempiternum habere sacerdotium.* Ergo in lege nova unicus est Sacerdos Christus, neque alii post eum institui possunt.

Resp. Quae Calvinus tot verbis exornat et amplificat, tam trita sunt et pervulgata, ut etiam minutum Theologum non fu-

a) Sess. XXII. cap. II.

giant. Christus aeternum habet sacerdotium; nam, qui in nova lege Sacerdotes vocantur, Christo in sacerdotio non succedunt, sed unum idemque cum eo sacerdotium habent, ac ejus vices in terris obeunt; in nomine Christi et in persona ejus accedunt ad altare, vel potius Christus ipse se offert Patri Sacerdotum ministerio. *Una enim et eadem est hostia*, inquit Trident. *a)*, *idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Simili ratione dicitur Matth. XXIII.: *Magister vester unus est Christus.* An non Christus ipse Apostolos misit, ut docerent omnes gentes? An Christo injuriam fecerunt, qui ad haec usque tempora docuerunt, et Magistri fuerunt fidelium? Et tamen manet aeternae veritatis effatum; unus est Magister noster Christus: nam ii, quos ipse Ecclesiae suae dedit Pastores et Doctores *b)*, non se ipsos, sed Christum, non suam, sed Christi religionem praedicant, idque non sua, sed Christi auctoritate. Ergo quemadmodum Christus unus est Magister perpetuo docens in Ecclesia per suos ministros; ita etiam Sacerdos est unus et aeternus, semper offerens se ipsum per manus Sacerdotum.

Argum. III. Eucharistia est Sacramentum ac testamentum Christi, ergo non potest simul esse sacrificium.

Probat. conseq. 1.° Sacramentum donum est a Deo hominibus collatum; sacrificium autem est aliquid, quod nos Deo offerimus. Quantum ergo interest inter dare et accipere, tantum a Sacramento sacrificium differt. 2.° Simili ratione testamentum opus non est haeredis, sed testatoris: ac sacrificium opus nostrum est. Quis autem hoc ferat, ut testator jam non largitor dicatur bonorum suorum, sed nostrorum potius acceptor?

Resp. ad utrumque argum. simul. 1.° Nos asserimus, in Eucharistia tam Sacramentum et testamentum, quam sacrificium esse Dei opus: idem enim Christus est, qui se ipsum nobis praebet in cibum, et per ministros suos se ipsum offert in sacrificium. 2.° Vox testamenti saepissime non pro ipsa promissione usurpatur, sed vel illud significat, quo promissio veluti obsignatur, vel rem ipsam, quae testamento est relicta, in utraque autem significatione testamentum non excludit sacrificium. Non,

---

a) Loco citat. *b)* Ephes. VI, 11.

si primum assumitur, et testamenti nomine signaculum intelligatur divinarum promissionum; nobis enim videtur promissiones Dei, et foedus quodcunque cum Deo initum, nulla re melius obsignari, quam oblata victima; unde nec primum quidem testamentum sine sanguine dedicatum est (Exod. XXIV.). Jam, si testamentum pro re ipsa accipimus, quae testamento obvenit, quae vocis acceptatio frequentius in Scripturis reperitur, sequitur calicem Christi ideo testamentum dici, quia id continet, quod potissimum nobis in testamento suo legavit Christus, sanguinem nempe quo redempti sumus. Sed nihil hic est, quod cum ratione sacrificii pugnet; quid enim vetat, ne quae beneficio testatoris habemus, in ejus quoque honorem et cultum rependamus? An Deo offerri quidquam potest, quod non prius ab eo donatum sit nobis? Juxta illud I Paral. ult.: *Tua sunt, Domine, omnia, et quod de manu tua suscepimus, reddimus tibi.* 3.° Non repugnat, ut plura de eadem re dicantur sub diverso respectu. Nemo ita hebes est et rudis, ut dicat Eucharistiam, qua sacrificium est, esse etiam Sacramentum, et contra: sed alia ratione est Sacramentum, alia testamentum, alia iterum sacrificium. Sacramentum est, quatenus est signum efficax gratiae; testamentum est, quatenus promissa Dei obsignat, et sanguinem testamenti continet; sacrificium est, quatenus Deo offertur.

Argument. IV. In omni sacrificio rei viventis requiritur occisio seu mactatio victimae: atqui Christus in Eucharistia non mactatur: Ergo etc.

Resp. Ad sacrificii rationem non requiritur, ut victima vere occidatur, quod perspicuum est ex sacrificio Isaac, de quo S. *Chrysost.* ita habet *a*): *Est sacrificium etiam sine sanguine . . . propterea et sacrificium Isaac sine sanguine perfectum est.* Frustra hic aliquis veteris legis sacrificia objiceret: nam, praeterquam quod etiam in veteri lege hostia prius oblata fuerit pro peccato, deinde mactata, ut constat ex Levit. XVI.; manifestum quoque discrimen est inter antiqua sacrificia, et inter illam, quae in nova lege offertur sanctam et immaculatam hostiam. Olim, quae ad

a) Homil. in S. Eustathium Antioch.

oblationem ducebantur animalia, in forma rei viventis apparebant, mactari poterant, et victimae iterum aliae atque aliae offerebantur. At Christus, quamvis vivens sit in sacrificio Missae, non apparet tamen in forma rei viventis, sed in forma rei inanimae; deinde non potest occidi, quia mori amplius non potest; neque adest praeter illum alia victima; sed ipse unica est hostia, quae quotidie et in omni loco offertur. In hoc ergo sacrificio, quod simul cruenti sacrificii mystica repraesentatio est, mystica etiam mactatio sufficit: haec autem non gladio sed verbis perficitur, cum nempe panis et vinum seorsim consecrantur, et vi verborum sanguis mystice separatur a corpore, atque ita Christus in statu mortis exhibeatur. Inde est, quod Veteres interdum Eucharistiam *spirituale* sacrificium vocaverint, non eo sensu, ac si non esset verum et visibile sacrificium, sed propter diversos in veteri et nova lege sacrificandi modos.

ARTICULUS II.

De sacrificii Eucharistici natura.

In hac controversia primum errores quidam heterodoxorum confutandi sunt; deinde quaestiones quaedam examinandae, quae circa hujus sacrificii naturam moveri solent a Theologis.

§. I.

Heterodoxorum errores.

OBSERVANDA.

I. Quando de sacrificii existentia tractationem instituimus, non sine ratione observavimus, de sacrificio nos loqui vero et proprie dicto: fatentur enim Melanchthon aliique Novatorum principes, Eucharistiam posse variis modis sacrificium dici: atque ea imprimis ratione, quod coena Dominicae celebratio commemoratio aliqua sit et repraesentatio illius sacrificii, quod in cruce pro peccatis nostris oblatum est. Quod quidem a vero alienum non esset, si verum et proprium sacrificium admitterent; id enim Catholici concedunt, Missam non esse sacrificium *absolutum*, sed *relativum*, seu *commemorationem*, attamen verum et proprium. Sed viri illi non dicunt, *Christum in coena of-*

ferri, sed tantum *coenam sumi* in memoriam mortis Christi, quod veri sacrificii rationem excludit.

II. Longius adhuc progressi sunt quidam Anglorum Theologi et eorum Apologista Pater *le Courayer*, Ordinis Canonicorum regularium S. Augustini *a)*, qui cum defensorem ageret Ordinationum Ecclesiae Anglicanae, in illud quoque paradoxum incidit, ut assereret, sacrificii naturam in sola mortis Christi repraesentatione consistere, et, ubicunque haec reperitur, ibi adesse sacrificium, etiam non supposita reali Christi praesentia. Ex quo et illud concludere non veretur, Anglicanos, quamvis realem praesentiam explodant, omnia tamen habere, quae ad sacrificii rationem necessaria sunt; ita ut inter eos et Catholicos nulla hac de re controversia maneat, nisi velint de vocibus magis quam de dogmate litigare. Haec opinio, ut primum in lucem edita fuit, Catholicorum animos vehementer concitavit; et in Gallia a pluribus magni nominis praesulibus anno 1727 gravibus censuris confixa est. Equidem, si auctor id unum contendisset, Missae sacrificium in memoriam passionis et mortis Christi offerri, et ideo hujus mortis esse repraesentationem, nihil dignum reprehensione dixisset; potuisset et illud adjicere, hanc mortis Christi commemorationem ad sacrificii essentiam pertinere: verum cum docuerit, in sola hac et nuda commemoratione totam sacrificii naturam positam esse, neque realem Christi praesentis oblationem requiri, merito impietatis ac violatae fidei accersitus et damnatus est. Inter omnes orthodoxos hoc certum semper fixumque fuit, Missae sacrificium reale, verum, et proprie dictum ideo appellari et esse, quia realem, veram, et proprie dictam Christi praesentis oblationem continet, ita ut praesentia Christi realis unicum sacrificii nostri principium sit et fundamentum. Haec sola vera et Catholica doctrina est, quam Tridentina Synodus ex puris revelationis fontibus haustam Sess. XXII. cap. I. et II. dilucide et accurate exposuit. Equidem inter Theologos finitum non est, an Missa sacrificium *absolutum* dici queat, aut an *commemorativum* tantum sit et *relativum*. Verum in eo omnes concordant, quod *verum* sit et *proprium* sacrificium; *verum* autem dici non posset,

---

a) Vid. huj. auct. Défense de la dissert. sur la validité des ordinations anglaises. Item ejusd. notas in historiam Conc. Trid. Pauli Sarpii.

si rem ipsam, quae in cruce oblata est, non contineret. Sic enim non diceretur res ipsa, cujus mors repraesentatur, in sacrificium offerri; neque vere commemorativum sacrificium, sed potius signum tantum et larva sacrificii esset. Haec sufficiant: nam longiore disquisitione opus esse non credimus contra vanae opinionis commentum, quod vix adhuc defensorem habet, et jam sufficienter confutatum est per ea, quae de reali praesentia et sacrificii Eucharistici existentia disputavimus. — Qui plura desiderant, adeant doctiss. *Tournel.* de Euchar. Quaest. VIII. Art. II. Item, *Tournelii Continuatorem* tom. IX. Edit. Metens. pag. 478.

III. Aliud est Protestantium multo vulgatius effugium, quod Melanchthon in Apologia Conf. Aug. multis verborum ambagibus sibi suisque paravit *a)*. Docet autem duas tantum esse sacrificii species, nec plures. « Quoddam est, inquit, *sacrificium propi-* « *tiatorium* . . . reconcilians Deum, seu placans iram Dei, seu « quod meretur aliis remissionem peccatorum. Altera species « est sacrificium *εὐχαριστικόν* . . . quod fit a reconciliatis, ut « pro accepta remissione peccatorum et pro aliis beneficiis gratias « agamus. » Jam nihil obesse, ait, quominus sacrificium *Eucharisticum*, vel gratiarum actionis, in Ecclesia esse concedatur. At certe *propitiatorium* absque impietate et summa in crucis sacrificium contumelia admitti non posse. - Primum quidem animadvertendum est, plures sacrificiorum species in hac divisione vitiose fuisse praetermissas; atque in veteri Testamento plura quam duo sacrificiorum genera reperiri *b)*. Quaedam ad cultum Dei tantum erant ordinata, ut *holocausta;* alia placando Deo pro admissis peccatis erant destinata, et *propitiatoria* vocabantur, vel hostia pro peccato: iterum alia in gratiarum actionem offerri solebant, et *Eucharistica* propterea dicebantur; alia impetrandi alicujus beneficii causa fiebant, quae et *impetratoria* dici possunt. Atque haec duo hostiae pacificae nomine comprehendi solent. Verum hoc non est, quod in Protestantium sententia potissimum reprehendimus. Nam plerique genera sacrificiorum ita definiunt, ut et caetera in iis includant. Sic illud, quod nos impetratorium dicimus, in genere propitiatorii sacrificii collocant; quemadmo-

---

a) Art.: *Quid sit sacrificium* etc. *b)* Vide Demonst. Christ. part. II. cap. II. sect. I. art. II. §. I. *Observanda.*

dum, cum Eucharisticum nominant, illud etiam ad Dei honorem offerri et ita holocausti rationem habere concedunt.

IV. Duo sunt in hac controversia a veritate Catholicae doctrinae prorsus aberrantia. Primum, quod Missam laudis tantum et gratiarum actionis sacrificium appellari permittant, non autem propitiationis et impetrationis; ne, ut ajunt, evacuetur crux Christi, in qua Christus semel seipsum obtulit, ad omnium exhaurienda peccata. Secundum est, quod etiam tunc cum dicunt Missam esse sacrificium Eucharisticum, longe adhuc aberrent a sensu Catholico. Nihil enim dicunt, quod non possit Eucharistiae convenire, etiamsi non esset aliud nisi Sacramentum. Nam, quod ajunt laudis et gratiarum actionis sacrificium ibi offerri, id ita intelligunt, quod Christiani, cum coenam Eucharisticam celebrant, ad cultum Deo exhibendum conveniant, et opus religionis exerceant, quod, quemadmodum et alia pia justorum opera, ad illas spirituales hostias pertinet, quas S. Petrus I Epist. cap. II. tanquam novo testamento proprias omnibus sine distinctione fidelibus commendat. Hoc haereticae opinionis commentum jam priori articulo dilutum est. Restat ergo primum controversiae caput; scilicet an Missa sit vere et proprie sacrificium propitiatorium et impetratorium. Haec quoque ex iis, quae jam dicta sunt, difficile non esset dissolvere. Juvat tamen ad clariorem rei intelligentiam paululum adhuc huic quaestioni immorari.

PROPOSITIO.

Sacrificium Missae non tantum latreuticum est et Eucharisticum, sed etiam propitiatorium et impetratorium.

Probatur generatim.

I. Ex decisione *Concil. Trident.*, quod Sess. XXII. Can. III. ait: *Siquis dixerit, Missae sacrificium esse tantum laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis et satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.*

II. Quicunque altaris sacrificium a Christo Domino institutum confitentur, in eo quoque consentiunt, quod omnia

veteris legis sacrificia umbrae fuerint et figurae hujus oblationis mundae, quae nunc per totum orbem Domino offertur. Quapropter S. *Chrysostomus*, S. *Augustin.*, S. *Leo*, aliique Patres passim docent, nostrum unicum et juge sacrificium in locum successisse omnium veterum hostiarum, atque earum differentias omnes in se colligere. Sequitur ergo, quod sicut olim victimae pro peccato, et hostiae pacificae pro impetrandis a Deo beneficiis offerebantur, ita nunc Eucharistia tum pro peccatis offerri possit, tum pro consequendis beneficiis.

Probatur utraque pars singillatim.

Probat. I. pars. 1.° Verba institutionis probant, in Eucharistia esse verum sacrificium ex articulo I. Si autem verbis Christi credimus, cum ait, corpus suum tradi, sanguinem effundi, quod idem est ac offerri; cur non credamus, cum ait, illud tradi et sanguinem fundi *in remissionem peccatorum*, Matth. XXVI.? 2.° Cum in lege nova sit sacrificium proprie dictum (art. 1.), necesse est, ut etiam sacerdotium habeat; Sacerdotis autem proprium munus est offerre sacrificium pro peccatis, juxta illud Apostoli ad Hebr. V.: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* 3.° Idem veteres liturgiae tum graecae, tum latinae, et Patres antiquissimi declarant, quorum testimonia legi possunt apud *Bellarminum a)*. Unum citamus S. *Augustinum*, qui quaest. LVII. in Leviticum loquens de Veterum sacrificiis ait: *Illis sacrificiis, quae pro peccatis offerebantur, unum hoc sacrificium significatur, in quo vera fit remissio peccatorum.*

Probat. II. Pars. 1.° Si sacrificium Missae eam vim habet, ut Deum placare possit, et veniam peccatorum obtinere; cur non magis valeat ad impetranda spiritualia auxilia, vel etiam temporalia, quae possunt homini proficere ad salutem? 2.° Constat ex Veterum testimoniis, eam semper Ecclesiae consuetudinem fuisse, ut sacrificium pro

---

a) De Missa lib. II. cap. II.

obtinendis bonis etiam temporalibus offerret. Pro salute imperatoris oblatum fuit, teste *Tertulliano* ad Scapulam cap. II.; pro pace, pro Ecclesiae bono, teste *Eusebio* lib. IV. de vita Constantini; pro omnibus, qui opis alicujus indigebant, teste *Cyrillo Jerosol.* Catech. XXIII. — Illa quoque Apostoli verba I Tim. II.: *Obsecro fieri orationes* etc. Patres exponunt de publicis precibus, quae fiunt in Missa, et volunt Apostolum hoc praecepisse, ut sacrificium etiam offerretur pro temporali pace, et tranquillitate Ecclesiae. Ita *August.*, *Chrysost.*, *Ambros.*, et alii.

OPPONUNT HETERODOXI.

Objectio I. Post Christi unicam in cruce oblationem, qua omnia expiata sunt delicta, nulla amplius opus est immolatione; idque pluribus docet Apostolus in sua ad Hebr. Epistola. Nam cum ostendisset, Christum una oblatione peccata omnia expiasse, ita concludit (X, 18.): *Ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato*, et paucis interjectis v. 26. *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Ergo etc.

Resp. Haec adversariorum argumenta jam supra diluta sunt, unde plura adjicere necesse non est. Omnis enim solutio in eo potissimum fundatur, ut causam redemptionis universalem distinguamus a causis secundis et particularibus, quibus passionis fructus ad nos perveniat. Et quidem causa universalis unum est crucis sacrificium, cujus fructus perpetuo in nos redundant; causae autem particulares sunt plurimae: et ideo multa sunt, quae in Scripturis dicuntur delere peccata, quamvis non eodem modo ea deleant. Alio modo eleemosyna dicitur peccata extinguere, alio modo Baptisma, alio iterum poenitentia; ita et Altaris sacrificium pro peccatis offertur, non ut pro novis dilictis novum quo redimantur pretium acquiramus; sed ut pretium illud infinitum, quod uno crucis sacrificio comparatum est, nobis aliisque applicemus. Ad illum Apostoli locum *voluntarie peccantibus.... non relinquitur pro peccatis hostia....* optime observat *Chrysost.* eum, qui dicit quibusdam peccantibus non relinqui pro peccatis hostiam, procul dubio significare, aliis peccantibus aliquam superesse. Porro apertum est, ad rem nostram non pertinere locum istum;

non enim ibi quaeritur, an hostia aliqua supersit in nova lege; sed an illa supersit pro quibusdam voluntarie peccantibus; quod ad illam pertinet altam et perdifficilem quaestionem, de qua in eadem Ep. cap. VI. v. 4. agitur: an nempe ii, qui semel sunt illuminati.... et prolapsi sunt, possint rursus renovari ad poenitentiam.

Potest et alia responsio dari ad objecta loca, quae nobis videtur scopo Apostoli maxime accommodata. Apostolus ad Hebraeos scribens totus in eo est, ut probet vetera sacrificia vim remittendi peccata non habuisse, sed umbram tantum fuisse sacrificii crucis, et cum una hac oblatione omnia nunc consummata fuerint, pleno jure cessasse illa sacrificia, ita ut jam non sit oblatio (legalis) pro peccato. Eadem ratione ostendit, iis qui Evangelio credentes regenerati fuerunt in sanguine Christi, *si post acceptam notitiam veritatis* a fide Christi discesserint, nullam relinqui oblationem pro peccatis; seu nullam illis spem superesse in legalibus sacrificiis.

Object. II. Non potest intelligi, qua ratione sacrificium Missae possit dici propitiatorium; nam neque offerenti peccata remittit, neque iis pro quibus offertur: non offerenti, qui nisi purus jam sit, ab altari prohibetur: non iis pro quibus offertur; nisi velis peccatores etiam inscios, nihil de sua salute cogitantes, justificari posse per actionem alterius, quod plus quam absurdum est.

Resp. Si adversarii vellent propius ad ea attendere, quae Synodus Trident. tam dilucide exposuit, nihil certe haberent quod objicerent: sed nolunt intelligere, quia volunt criminari. En verba *Tridentini* Sess. XXII. cap. II.: *Docet sancta Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse; per ipsumque fieri, ut si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in tempore opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit.* Sequitur itaque 1.° quod Missae sacrificium peccata gravia deleat, non ut causa proxima, constat enim poenitentiae Sacramentum ad remittendas culpas fuisse institutum; sed ut causa remota, quatenus Deus hostiae salutaris intuitu gratiam nobis et poenitentiae donum impertitur. 2.°

Oblatione hujus sacrificii remitti poenam temporalem et culpas leviores; et quidem modo excellentiori, quam per orationes, eleemosynas etc.; haec enim vim habent ex pietate et honestate operantis, illa virtute rei oblatae seu justificationis Christi. — Caeterum, quamvis certum sit, per Missae sacrificium merita Christi nobis applicari in remissionem peccatorum, sufficit ut ea nobis conferat per impetrationem; et hoc sensu adhuc potest propitiatorium appellari. Sed de effectibus hujus sacrificii, et quantum sit illius pretium, et qua ratione illud communicetur tam vivis quam defunctis, quaedam adhuc dicenda sunt. — Vid. Opus M. D. *Wiest* tom. V. §. 194. Schol. 3. — It. *Veronii* regulam fidei.

§. II.

Sententiae inter Theologos controversae.

Quaestiones, quae inter Theologos circa hujus sacrificii naturam moveri solent, quoniam eas praeterire non possumus, brevi compendio decurremus.

QUAESTIO I.

An res, quae in Missae sacrificio offertur, sit panis et vinum, an Christus ipse quatenus sub speciebus panis et vini continetur?

Resp. Haec quaestio longiori discussione non indiget. Nam Christus instituens hoc sacrificium dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur* etc. Et Concil. Trid. diserte docet *a*): *In hoc sacrificio Missae idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel cruente se ipsum obtulit.* Panis et vinum sunt quidem materia ex qua sacrificium conficitur, quia sunt materia consecrationi subjecta: at Christus, ut subest speciebus panis et vini, est ipsa victima, quae per consecrationem praesens sistitur. Quamvis autem species non pertineant ad essentiam sacrificii tanquam ejus partes, necessariae tamen sunt ad modum hujus sacrificii constituendum, nempe ut sit visibile, mysticum et incruentum.

---

a) Sess. XXII. cap. II.

QUAESTIO II.

In qua Sacerdotis actione natura sacrificii consistat?

Resp. Theologi in varias sententias abeunt, quod ut bene intelligi possit, observandum est, plures in sacrificio Missae actiones distingui, de quibus aliqua potest esse dubitatio. Prima est *oblatio panis et vini*; secunda *consecratio*; tertia *oblatio corporis et sanguinis Christi*, ante et post consecrationem; quarta *fractio et commixtio* Sacramenti; quinta *consumptio* Sacramenti a Sacerdote; sexta denique ea, quae fidelibus fit, *distributio*. — De his nunc quaestio instituitur, an omnes, aut quaenam ex illis ad sacrificii essentiam pertineant. — Ac primum ab hac quaestione removentur oblatio panis et vini, oblatio itidem corporis et sanguinis post consecrationem; fractio quoque sacramenti, ac ipsius permistio, ac tandem Eucharistiae distributio, quae omnia non sunt ipsum sacrificium, sed ritus et caeremoniae ab Ecclesia institutae. Nullibi legimus, Christum panem aut vinum obtulisse antequam consecraret; neque etiam corpus suum obtulit Patri post consecrationem, sed statim Apostolis distribuit. Praeterea, cum in Missa Christus ipse se offerat per manus Sacerdotis, non possunt ad essentiam sacrificii pertinere, quae Sacerdos ex sua tantum aut Ecclesiae persona pronuntiat, non ut personam Christi gerens. Ejusmodi autem sunt illa, quae post consecrationem dicuntur: *Unde et memores nos servi tui .... offerimus* etc. Demum, quamvis ad sacrificium necesse sit ut oblationis rationem habeat, non requiritur tamen ut Sacerdos verbis eam oblationem exprimat, sed satis est, si opere ipso et sua intentione eam exprimat actionem.

Eadem est fractionis et distributionis ratio. Revera Christus panem fregit; sed ideo tantum, ut illum Discipulis porrigeret; neque mystica fuit illa fractio, ut nostra, sed usualis tantum. Sic et distributio sacrificii tantum participatio est, non ipsum sacrificium; aliud enim est offerre sacrificium, aliud de sacrificio participare. Eucharistiam etiam Diaconi distribuunt; sacrificii autem minister solus est Sacerdos. Adde, quod *Trident.* citata Sess. Can. VIII. definierit, licitas esse Missas in quibus solus Sacerdos communicat: manet ergo sacrificium, etiamsi nulla fit distributio.

Superest, ut de consecratione loquamur, et consumptione Eucharistiae a Sacerdote facta. Et quidem consecrationem, quae ipsa est realis oblatio, ad essentiam sacrificii pertinere, extra omnem dubitationem positum est. An autem sola ad sacrificium sufficiat, an etiam consumptio necessaria sit, major est justiorque controversia. *Bellarminus, Melchior Canus, Tournel.*, aliique plures in ea sunt opinione, ut putent eam consumptionem ad naturam sacrificii pertinere. Probabilius tamen videtur essentiam sacrificii in sola consecratione esse positam. Nam Patres solius consecrationis meminerunt; in sola consecratione Sacerdos proprie personam Christi sustinet, et Christi nomine loquitur; quando autem sumit, suam, aut Ecclesiae personam gerit. Sed an Christus ipse in ultima coena Eucharistiam sumpserit, non satis constat, et tamen sacrificium integrum perfecit. Iterum, non potest ad naturam rei pertinere, quod est ipsa re posterius; at communio Sacerdotis posterior est sacrificio, cum sit ejus participatio, ideoque illud jam peractum supponat. *Cum Christus*, inquit *Gregor. Nyss. a)*, *corpus suum edendum et sanguinem bibendum discipulis exhibuit, jam arcana et non aspectabili ratione corpus erat immolatum.*

Contra haec solent quidem opponere, rationem sacrificii exigere veram mutationem et destructionem victimae. Sed clarum est, aliam mutationem aut mactationem admitti non posse, nisi quae naturae sacrificii conveniat. Destruitur victima vel per realem et physicam sanguinis effusionem, si sacrificium cruentum sit; vel per mysticam, si sit incruentum. Vid. superius dicta Art. I. Object IV. Quod secundo objiciunt, ad naturam sacrificii pertinere, ut de illo Sacerdos participet, non est omni ex parte verum, nam holocausti ne sacerdos quidem erat particeps, siquidem totum igne consumebatur.

Observandum tamen, comsumptionem hostiae, si non ad essentiam sacrificii, certe tamen ad ejus integritatem et perfectionem pertinere. Sacrificium Eucharisticum instar convivii spiritualis celebratur, atque is finis est consecrationis, ut victimae sanctae participes essemus. Hinc Ecclesia praecepit, ut si Sacerdos repentino morbo correptus consecratum panem aut sanguinem su-

---

a) Orat. I. de Christi resurrect.

mere non potuerit, alius Sacerdos, etiam non jejunus, ejus vices suppleat, et species consecratas consumat. — *Natal. Alex.* de Euch. cap. VI.

QUAESTIO III.

Utrum ad rationem sacrificii utriusque speciei consecratio sit necessaria?

Resp. Quamvis eadem actione reali et physica *Sacramentum* conficiatur, ac simul consecratio fiat et *oblatio*, non tamen eadem est utriusque ratio et essentia. Natura Sacramenti sub una tantum specie salva est et integra, non ita natura sacrificii; quia incruentum Missae sacrificium, quod consecratione peragitur, imago est et repraesentatio sacrificii crucis, ac mystica quaedam mactatio, quatenus nempe, vi verborum, corpus et sanguis Domini per consecrationem utriusque speciei sacramentaliter separantur; tametsi natura sint et concomitanter, ut loquuntur, conjuncta. — Item praeter alios S. *Thomas* docet Quaest. LXXX. Art. XII.: *Repraesentatio Dominicae passionis in consecratione peragitur, ideoque non potest corpus sine sanguine consecrari.* An non Christus, qui tanquam Pontifex secundum ordinem Melchisedech Eucharistiam in pane et vino consecravit, Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus praecepit, ut idem in sui commemorationem facerent? — Vid. *Trident.* Sess. XXII. cap. I.

QUAESTIO IV.

Utrum sacrificium Missae a crucis et mortis sacrificio reipsa differat, et in quo positum sit discrimen?

Resp. Pervulgata et vera responsio est, haec duo sacrificia in re oblata convenire, cum eadem utriusque sit victima; sed in aliis quibusdam differre inter se. Sacrificium crucis mactatione et morte oblatum est, sacrificium Missae consecratione perficitur: illud cruentum fuit, hoc incruentum et prioris imago: illud redemptionem nostram effecit, hoc fructum ejus nobis applicat.

QUAESTIO V.

An aliquid discriminis sit inter sacrificium ultimae coenae, et nostrum Eucharisticum sacrificium?

Resp. Nulla est essentialis, sed accidentalis tantum differentia; nam in utroque non tantum eadem est res oblata, sed eadem

actio seu consecratio, idem quoque principalis Sacerdos Christus. At distant in quibusdam. 1.° In ultima coena Christus se ipsum immediate obtulit; nunc se offert per ministrum. 2.° Ibi Christus se ipsum obtulit adhuc mortalem, nunc immortalis est et gloriosus. 3.° In extrema coena sacrificium ex parte Christi vim merendi habuit et satisfaciendi: nunc Christus non amplius in eo statu est, in quo mereatur et satisfaciat; sed sacrificio Eucharistico utitur, ut merita passionis nobis applicet. 4.° Christus in coena mortem suam expressit ut futuram; at nos eam repraesentamus ut praeteritam. 5.° In coena nullius incruenti sacrificii imago fuit, sed veritas veterum, et nostri exemplar; nostrum sacrificium veritas quoque est respectu sacrificiorum V. L.; at simul vera imago non tantum sacrificii crucis, sed et illius incruenti, quod oblatum est in extrema coena.

ARTICULUS III.

De quibusdam circa sacrificium Missae examinandis.

Quae hactenus de sacrificio Missae disputavimus, ad ipsam sacrificii existentiam et naturam pertinent: sunt autem alia plurima, quae intrinsecam rei naturam non efficiunt quidem, sed circa rem ipsam versantur, et illius veluti circumstantiae dici possunt. Ex his quaedam a Novatoribus acriter fuerunt impugnata; nostrum est, Ecclesiae doctrinam et fidei capita omnia tueri contra invidiosas criminationes. Quaeritur itaque, 1.° cui et a quo offerri debeat sacrificium; 2.° pro quibus illud offerre liceat; 3.° an licitus sit Missae privatae usus.

§. I.

Cui et a quo offerri debeat sacrificium.

OBSERVA.

I. Ex sacrificii definitione jam notum est, illud soli Deo deberi; nam sacrificium divinus honor est, et actus praecipuus religionis. In veteri lege statuitur Exod. XXII.: *Qui immolat Diis, occidetur, praeterquam Domino soli.* Optime S. *Augustinus*

ait *a)*: *Sacrificium certe nullus hominum est, qui audeat dicere deberi, nisi Deo* ... et paulo post: *Quis sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Hanc doctrinam Ecclesia Catholica nullo non tempore tam aperte professa est, ut ex rudi etiam populo nemo sit, qui illam ignoret. Si Protestantes Missas nobis objiciunt, quae in honorem Sanctorum celebrantur, magnam produnt inscitiam aut caecam potius criminandi libidinem. — Vid. *Concil. Trident.* Sess. XXII. cap. III.

II. Sacrificii minister est solus Sacerdos; haec ita inter se conjuncta sunt, ut divelli nullo modo possint. Unde et Rex Ozias poenas suae temeritatis dedit, quod sacrificium Deo offerre ausus esset, et Sacerdotis usurpare munus. Ad hoc ait Apostolus ad Hebr.: *Omnis Pontifex constituitur, ut offerat dona et sacrificia.* Hinc Christus cum sacrificio simul etiam instituit sacerdotium: solis enim Apostolis eorumque successoribus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Nolumus quidem contendere, verbum *facite* idem hic significare quod *sacrificate*, quamvis illud significare soleat plurimis in locis; sed quod sensus sit: facite, quod ego feci, in mei commemorationem, et sicut ego sacrificavi, ita sacrificate et vos. Caeterum haec quaestio jam est finita, et in iis conclusa, quae supra de ministro Sacramenti disputavimus. Nam, cum una eademque actione et consecretur Eucharistia, et sacrificium offeratur; probatum autem fuerit, solos Sacerdotes consecrandae Eucharistiae habere potestatem; sequitur etiam offerendi potestatem solis Sacerdotibus competere.

§. II.

De iis, pro quibus offerri potest sacrificium.

OBSERVANDA.

I. Haec quaestio iterum multiplex est, nam, ut *Bellarminus* rite observat *b)*, «sex hominum genera sunt, de quibus dubitari «posse videtur. Alii adhuc vivunt, alii mortui sunt: qui vivunt, «aut sunt membra corporis viva, aut mortua, aut nullo modo; «id est, aut sunt justi, aut peccatores, sed fideles; aut de-

---

a) Lib. X. de civit. Dei, cap. IV. *b)* Lib. II. de Missa cap. VI.

« nique impii et infideles; eorum, qui mortui sunt, alii sunt in « purgatorio, alii in coelo jam degunt, alii apud inferos aeternis « suppliciis addicti sunt. » Si nunc vellemus ire per singula, et de quolibet hominum genere, an possit pro illis sacrificium offerri, operosius investigare, nimis diffunderetur controversia, et in novas nos moras conjiceret. Ergo brevi sermone perstringenda haec sunt: idque eo facilius fieri poterit, quod quaedam de hac re dicta jam fuerint superiori articulo; alia certa sint, neque in controversiam adducta a Protestantibus; alia demum ultimo harum Institutionum libro reservanda ducamus, ubi data opera agetur de hominum in hac terra militantium cum Ecclesia triumphante et patiente connexione.

II. Sacrificium pro iis offerri posse, qui intra Ecclesiam vivunt, sive justi sint, sive peccatores, nullus est dubitandi locus. Idque ex iis, quae de sacrificii hujus natura dicta sunt, necessaria consecutione deducitur, idcirco enim impetratorium dicitur et propitiatorium. Aut, dic quaeso, qua ratione hanc vim suam exercere poterit, ut peccatores reconciliet Deo, ut coelestia dona indigentibus impetret; si ne illis quidem prosit, qui membra sunt Christi et Ecclesiae? *Quis offerat corpus Christi*, ait S. *Augustinus a), nisi pro iis, qui sunt membra Christi?* Hinc quotiescunque Missa celebratur, in Canone dicitur, sacrificium offerri *pro omnibus orthodoxis, atque Catholicae et Apostolicae fidei cultoribus.*

III. Quid autem de iis censendum, qui extra Ecclesiam versantur, de excommunicatis, haereticis, infidelibus? Nemo dubitat, quod pro his etiam, et pro omnibus hominibus mortalem vitam agentibus sacrificium offerre liceat, cum Deus velit omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Sacrificium crucis pro omnibus oblatum fuit; cur igitur Missa non poterit pro omnibus offerri? *Tertullianum* jam supra citavimus. *Sacrificamus pro salute Imperatoris*, ait, *sed Deo nostro et ipsius.* Multa alia afferri possent Veterum testimonia; sed quis sensus Ecclesiae sit, et semper fuerit, satis notum est. Quamvis enim lege Ecclesiastica cautum sit, ne excommunicatorum, haereticorum aut infidelium nomina publice in precibus recitentur, aut

a) Lib. I. de orig. animae cap. IX.

sacrificium nominatim offeratur pro iis, qui extra Ecclesiam sunt; nihil tamen vetat, quominus id fiat per secretam animi intentionem. Certe an non aliquo modo etiam pro infidelibus orare jubemur, cum in oblatione calicis ex Ecclesiae institutione oramus, ut pro totius mundi salute in conspectu divinae Majestatis ascendat?

IV. Defunctorum, uti diximus, tria iterum genera sunt. *Reprobis*, qui ad aeterna supplicia damnati sunt, Missae sacrificium prodesse nihil potest, neque pro illis offerre licet, cum sint a corpore Christi, et ab omni cum Ecclesia communione in aeternum praecisi. Si qui olim existimarunt, nonnullos ex damnatis, si non liberationem omnimodam a poena, tamen refrigerium aliquod ex hoc sacrificio percipere posse; ii pauci admodum fuerunt, et falsa opinione decepti sunt. Nobis cum Ecclesia sentiendum est: Ecclesia autem nunquam oravit pro reprobis. *Quid ita?* ait S. *Augustinus a). Nisi, qui jam in parte Diaboli computatur, qui, dum esset in corpore, non est translatus ad Christum.*

Et haec quidem extra litem posita sunt; illud potius in crimine nobis ponunt adversarii, quod Missas in honorem Sanctorum celebremus, et sacrificium offeramus pro defunctis. Quod ad Sanctos attinet, jam diximus, sacrificium Sanctis non offerri; sed neque pro Sanctis offerri potest, ut illi subsidium aliquod exinde percipiant. *Injuria est*, inquit S. *Augustinus b), pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Quid ergo agit Ecclesia, cum in honorem Sanctorum Missas celebrat? Id agit, ut iterum S. *Augustini* verbis utar, *ut ea celebritate Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, et nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriae renovatione adhortemur.* Merito igitur *Concilium Trid.* Protestantes convitiatores ita retundit Sess. XXII. Can. V.: *Siquis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.*

---

a) Lib. XII. de civit. Dei cap. XXIV. *b)* Serm. CLIX. de verbis Apost.

Illud quoque adversarii objiciunt, et contumeliose carpunt, quod pro defunctis in purgatorio detentis sacrificium offeramus. Verum hic eorum error pars tantum est et consectarium alterius: docent enim non dari purgatorium, et animas defunctorum juvari non posse suffragiis viventium. Hunc errorem confutabimus postea. Igitur ab ulteriore inquisitione abstinemus modo, ne bis morari necesse sit in eadem materia.

§. III.

De Missa privata.

OBSERVANDA.

I. Missa privata *publicae* opponitur. Haec, quam aliis nominibus etiam solemnem, conventualem, majorem vocamus, illa propria dicitur, quae cum cantu et solemni caeremoniarum et ministrorum apparatu peragitur, populo offerente, respondente et communicante. *Privata* ita vocatur, vel a loco, quia in privato aliquo oratorio agitur: sive a tempore, quia non festis sed privatis diebus fit: sive ab assistentibus, quia vel unus duntaxat, vel pauci ei intersunt: sive ex eo, quod solus Sacerdos in ea communicet, sive alia quacunque ex causa *a)*. Occurrit etiam Missae *solitariae* nomen; quam ita vocatam credimus, quia a solo Sacerdote fiebat nemine praesente et respondente. Hic usus medio aevo clanculum in monasteria quaedam irrepsisse videtur; sed mox repressus fuit Conciliorum Decretis. Inter alia Concil. Mogunt. Saeculo IX. sub Leone III. ita habet Can. XLIII.: *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, solus Missam cantare valet recte: quomodo enim dicet, Dominus vobiscum, vel sursum corda admonebit habere, et alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit?* Nota, quod priscis illis temporibus Missam cantare idem sit ac dicere. Vid. *Card. de Bona* eruditissimum opus de rebus liturgicis, lib. I. cap. III. §. V.

II. In Missas privatas acerbe invehunt heterodoxi, Patris sui Lutheri non dicam zelum, sed furorem aemulantes. Hic librum integrum edidit contra Missas privatas, quas per irrisionem clan-

---

a) Vid. Card. Bellarm. de Missa lib. II. cap. IX.

destinas et angulares vocat. Tot ibi abominanda evomit contra divina mysteria, ut eum diabolo praeceptore usum fuisse non dubitares, etiamsi illud non ipse fateretur impudentissimus homo. Unde autem tantus et tam inflammatus furor haereticorum? An Missas privatas ideo tantum detestantur, quia privatae sunt? An propter abusus, qui possunt hominum vitio in res etiam sanctissimas irrepere? Ne credas; in ipsum sacrificium impetus dirigitur: nam cum ipsi Missam privatam publicae opponunt, per illam, quam publicam vel communem appellant, nihil aliud intelligunt, quam coenae Eucharisticae celebrationem. Ideo Missae solemnis ritus eos tantum admittunt, qui sacrificium non sunt, ut cantum, Evangelii lectionem, concionem ad populum, publicas preces, aut symboli recitationem etc.: quae autem sacrificii potissimum rationem habent, et a Sacerdote, etiam non praesente populo, peragi possunt, puta Canonem, oblationem et consecrationem, contumeliose explodunt. Ideo populi frequentiam exigunt, et volunt ut populus communicet, quia Missa ipsis Sacramentum tantum est, non sacrificium, et ne Sacramentum quidem, nisi cum percipitur.

III. Ex his nunc palam est, necesse non esse ut singula Missae privatae genera contra Protestantes vindicemus; neque operosius examinandum, an licitae sint Missae, quae in privatis oratoriis celebrantur? An, quae dicuntur absque populi frequentia, et in quibus populus non communicat? Unum est quod illi quaerunt: An sit populi conventus ad celebrandam coenam? In hoc ergo punctum controversiae est: An Missam celebrare idem omnino sit, quam conventum populi facere, ad coenam Domini manducandam? Ex quo et illud sequitur, hanc controversiam in illas iterum quaestiones recidere, quas supra jam absolvimus, nempe, an Missa sit verum et proprie dictum sacrificium; et an corporis et sanguinis distributio ad sacrificii essentiam pertineat. Ergo jam abunde satisfactum esset Novatoribus. Attamen ne quod illis effugium maneat, et ut omnem calumniam ab Ecclesia Catholica removeamus, ostendemus, licitum esse Missae privatae usum, seu licite celebrari Missas, in quibus praeter Sacerdotem nemo communicat.

PROPOSITIO.

Missae privatae legitimae sunt ac licitae.

CONCIL. TRIDENT. Sess. XXII. Can. VIII.

Siquis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos communicat, illicitas esse, adeoque abrogandas; anathema sit.

PROBAT. I. Nullibi legimus a Christo Domino praeceptum, ut Sacerdos nonnisi in publico et solemni fidelium coetu, plebeque universa aut maxima saltem ejus parte communicante, divinam liturgiam faceret; non vero privatim et absque ullo secum communicante. Nihil de hoc praecepto in Evangelio legimus, nihil in scriptis Apostolorum. Atqui id tamen probandum esset Novatoribus, qui volunt solam Scripturam controversiarum judicem et divinorum dogmatum regulam esse.

PROBAT. II. Missa privata omnia habet, quae ad naturam et integritatem sacrificii pertinent. Adest oblatio soli Deo facta a ministro legitimo: adest res sensibilis, quae ritu mystico consecratur et mutatur. Missa igitur privata a solemni non distinguitur, nisi quoad accidentalia exterioris cultus, ministrorum aut populi assistentiam, et alia ejusmodi, quae ad majorem tantum aut minorem pertinent solemnitatem.

PROBAT. III. Illud utique legitimum et licitum censeri debet, quod in Ecclesia perpetuo usu frequentatum est: sed Missae privatae perpetuo usu in Ecclesia frequentatae sunt. Ergo etc.

PROBAT. MINOR. Ne longiores efficiamur, libenter ea praeterimus, quae probant, Missae sacrificium etiam extra Ecclesiam, in domibus, carceribus aliisque locis privatis, et absque populi frequentia fuisse celebratum. *Cyprianus* Epist. IV. Sacerdotum meminit, qui apud Confessores in carcere constitutos offerebant. *Tertull.* antiquissimus scriptor lib. de fuga in persecut. cap. XIV. ait: *Si colligere interdiu non potes, habes noctem: non potes discurrere per singulos; sit tibi et in tribus Ecclesia* . . . id est, si minus

potes cum multis Synaxin celebrare, privatim id facito vel cum tribus.

Illud potissimum est in hac controversia, consuetudinem semper in Ecclesia viguisse, Missas celebrandi, nullo communicante, praeter solum Presbyterum. *Greg. Nazianz.* orat. XIX. in laudem Patris, eum in cubiculo suo sacrum egisse asseverat. *Uranius* in vita S. Paulini Nolani Episcopi tradit, eum morti proximum jussisse, ut altare sibi pararetur ante lectulum, moxque sacrificio peracto in Domino obdormisse. *Barlaam* Presbyterum solum celebrasse atque communicasse, testis est *Joannes Damascenus* in ejus vita. Notatu digna sunt, quae *Leontius* narrat in vita *Joannis Eleemosynarii*, qui Saeculo VII. Patriarcha Alexand. fuit. Hic, cum quadam die videret, populum ab Ecclesia egredi post lectum Evangelium, et ipse exiit, et inclamans inter turbam dixit: *Ego propter vos descendo in Ecclesiam; nam Missas poteram mihi in Episcopio facere.* Addit deinde Biographus, reipsa Joannem quotidie uno ministrante Missam celebrasse.

His accedunt Conciliorum statuta. Concilium Agathense anno 511 praecepit saecularibus, ut die Dominica audiant Missam; ad communionem autem eos non adigit, nisi ter in anno. *Concil. Tolet.* XII. anno 681 habitum Can. V. graviter reprehendit Sacerdotes, qui sacrificium offerentes non communicabant. *Quale erit illud sacrificium*, ait, *cui nec ipse sacrificans participasse cognoscitur?* Quod aperte indicat, Concilium solam Sacerdotis communionem ad sacrificii integritatem necessariam judicasse.

Constat quoque, in veteri jam Ecclesia plures eodem tempore Missas celebratas fuisse in eadem Ecclesia; constat, ex antiquissima consuetudine in die Natalis Domini singulos Sacerdotes ter Missam celebrasse; an in omnibus populus communicabat! Constat, in multis Ecclesiis quotidie peractum fuisse sacrificium, quamvis populus a communione abstineret; quod ex *Chrysostomi* et *Ambrosii* testimoniis patet. Primus Hom. III. in Epist. ad Ephes. *Frustra est*, inquit, *quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari, nemo est, qui participet. Ambros.* Serm. XXXIV. adhor-

tatur eos, qui negotiis non distrahuntur, ut singulis diebus Missae intersint, tum admonet, ut in Quadragesima die saltem Dominica offerant et communicent.

OPPONUNT ADVERSARII.

1.° S. *Chrysostom.* pluribus in locis Missas quae sine communicante fiebant valde improbat, idque ex ipsis, quae supra citata sunt, verbis manifestum est. Haec enim: *Frustra est quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari,* conquerentis et improbantis verba sunt. 2.° Sacerdos, cum celebrat, in plurali numero loquitur: *Quotquot ex hac Altaris participatione.... sumpserimus:* et iterum: *Quod ore contingimus, pura mente capiamus* etc. Ergo plures communicare necesse est, nisi velis liturgiae preces merum esse ludibrium.

Resp. ad I. Verba S. Chrysostomi non diriguntur ad Sacerdotes, qui offerunt, sed ad Christianos qui non participant. Dolet ille, et conqueritur de hominum illorum socordia, qui divina dona fastidiunt; verum an ideo ab altari ipse discessit, an a sacrificii oblatione abstinuit? Ergo persuasum illi erat omnino, verum esse sacrificium et integrum, etiamsi, qui adsunt, non communicent.

Resp. ad II. nego conseq. Sacerdos, etiamsi solus communionem accipiat, vera tamen dicit, cum in plurali numero loquitur; nam quod ipse offert, hoc idem omnes ubique Sacerdotes offerunt, et quod ipse sumit, hoc omnes per orbem fideles sumunt, cum ad Mensam Eucharisticam accedunt, de hoc praesentes etiam spiritualiter saltem participant. Sacerdos non suo nomine agit, cum sacrificat, sed ministerii publici officium peragit, et pro communi omnium utilitate sacrificat. Vide ergo, non esse proprie Missas privatas; apud nos omnes communes sunt, Ecclesiae sacrificium sunt, Christi sacrificium sunt, commune bonum sunt.

Pro coronide verba adjicimus S. *Tridentini Concilii* Sess. XXII. cap. VI. in eorum, quae diximus, confirmationem. *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae*

perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat; siquidem illae quoque Missae vere communes censeri debent; partim, quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Ecclesiae Ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.

SCHOLION.

Multae aliae sunt non levis momenti quaestiones, quas tamen hic omnino praeterimus; tum quia locus ea tractandi non suppetit, tum quia ea quae ad praxin magis pertinent, et officia atque agendi regulas praescribunt, ad Theologiae moralis et pastoralis dominium pertinent. Attamen de his multa etiam apud praecipuos Theologos reperiuntur, quos adire non pigeat juniores, si velint uberiorem rerum divinarum cognitionem acquirere. Ejusmodi quaestiones sunt: An et quo jure fideles teneantur sacrificio Missae interesse? An et quando Parochiam frequentare, et in ea Missam audire obligentur? Haec, quemadmodum et ea quae ad frequentem populi communionem spectant, fuse exponit, et sapientissimis regulis concludit *Natalis Alexander* Theol. Tom. III. — Praeceptum Missae parochialis, prae caeteris, docte et copiose tractat *Tournel.* de Sacrif. Missae art. X. — Jam quae ad ministrum sacrificii pertinent, quae sint dispositiones ad celebrandum requisitae; quo loco, quo tempore liceat sacrificium offerre; an et qua ratione Sacerdotes offerre teneantur; et quae ejusmodi sunt plura, tuto et inoffenso pede percurri possunt apud eosdem auctores, non doctrina minus quam veritatis ac Religionis studio insignes.

ARTICULUS IV.

De effectis hujus sacrificii.

OBSERVANDA.

I. « Constat, Eucharistiam duabus de causis fuisse a Christo « Domino institutam *a)*: altera est, ut coeleste animae nostrae « alimentum esset, quo vitam spiritualem tueri et conservare pos- « sumus: altera, ut Ecclesia perpetuum sacrificium haberet, quo « peccata nostra expiarentur, et coelestis Pater, sceleribus nostris « saepe graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a justae « animadversionis severitate ad clementiam traduceretur. » Cum autem una sit eademque Eucharistia, quae Sacramenti simul et sacrificii rationem habet, facile intelligitur mire sibi cohaerere et quodammodo commisceri utriusque effectus: nam sine sacrificio non est Sacramentum, neque offertur et sacrificatur corpus Christi, nisi ut sumatur.

II. Nihil necesse est, ut hic de sacrificii efficacia et admirabili virtute prolixius disseramus. Nam, quae ad hanc partem controversiae pertinent, jam pene omnia in iis conclusa sunt, quae aut discussa jam fuerunt, aut in alium locum rejecta. Videlicet, cum probavimus, hoc sacrificium, praeter id quod in laudem Dei et gratiarum actionem offeratur, etiam propitiatorium esse, et vim impetrandi habere; cum illud prodesse monstravimus non ipsi tantum Sacerdoti, sed et aliis; non justis tantum, sed et peccatoribus; non fidelibus tantum, sed et infidelibus; non vivis tantum, sed etiam defunctis; quid aliter egimus, quam multiplices et immensas opes ostendere, ex hoc sacrificio in genus humanum jugiter exundantes.

III. Ideo quoque superfluum nobis videtur, in perplexis et fastidiosis Scholarum opinionibus operam ponere, et anxius inquirere, qua ratione hoc sacrificium sit propitiatorium aut impetratorium, et qua ratione vis ejus se exserat in vivos, qua iterum in defunctos. Pauca tantum strictim adnotanda sunt, non ut inter Theologorum opiniones judicemus, sed ut liberas

---

a) Catech. Trident. part. II. cap. IV. quaest. LIV.

ejusmodi et incertas sententias ab iis quae certa fide credenda sunt secernamus. — Itaque 1.° « Sacrificium nostrum propi-« tiatorium dicimus, sed non eo modo, quo sacrificium crucis, « ut Cl. *Henricus Holden* observat *a)*. Sacrificium enim crucis « adeo sufficiens est et abundans, ut nec altero, nec hujus itera-« tione opus nullatenus sit in ratione redemptionis. Quapropter « vi solius Missae nihil meretur nobis Christus, sed per illud « nobis applicantur (sicut et per Sacramenta) fructus meritorum « Christi. » Vide superius dicta. 2.° Quamvis certum sit, sacrificium Altaris in remissionem peccatorum offerri; nusquam tamen Ecclesia statuit, illud immediate fieri, quemadmodum cum peccata per poenitentiae Sacramentum tolluntur: atque optime doceri potest, illud mediate tantum propitiatorium esse, id est per impetrationem; nam is qui veniam alteri impetrat, illum propitium reddidisse dicitur, quem suis precibus placavit. Neque a fide aberrant, qui contra communiorem sententiam docent, hoc non ad mortales tantum culpas pertinere, sed ad veniales etiam; et poenae reatum in hoc sacrificio non alia quam impetrationis via remitti. 3.° Certum equidem est, sacrificium Missae quamplurimum valere ad bona spiritualia aut etiam temporalia impetranda; at non aeque concessum est, auxilia gratiae ad justificationem, aut temporalia beneficia semper et certa lege obtineri. 4.° Defunctis sacrificium istud nullo alio modo prodesse potest, quam remittendo poenam temporalem. Docent autem plures insignes Theologi, id non fieri per modum satisfactionis et pretii, quemadmodum cum vivis redemptionis meritum applicatur, sed tantum per modum orationis et suffragii.

IV. Quaeritur adhuc inter Theologos, 1.° An Sacrificium Missae effectus suos producat *ex opere operato?* 2.° An valor sacrificii *infinitus* sit, an *finitus* tantum? Non est, cur de his longius disputemus, cum nihil sit ab Ecclesia definitum, et scholasticae disceptationes in argutiis quamplurimum consistant et diversa verborum interpretatione. Quod primum attinet, notandum est, 1.° hoc sacrificium vim habere applicandi merita et satisfactionem

---

a) Divinae fidei analys. lib. II. cap. IV.

Christi, et praeterea gratiae auxilia, aliaque dona a Deo impetrandi, eamque habere vi institutionis et promissionis Christi. Hac ratione potest dici effectum producere *ex opere operato*. *Sacra oblatio*, inquit *Chrysostomus a*), *sive Petrus, sive Paulus, sive cujusvis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis, quamque Sacerdotes modo conficiunt. Nihil habet ista, quam illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus: qui ante sacrificaverat.* Hic ergo fructus, quem sacrificium propria sua virtute operatur, nec major fit a bono administro, nec minor a malo: atque licet Sacerdoti malo offerenti non prosit sacrificium, sed noceat; in illis tamen, pro quibus offertur, effectum habet, et si eos dispositos inveniat, gratiam eis obtinet virtute illius cruenti sacrificii, a quo omnis gratia in nos influxit. 2.° Ex alia parte id quoque concessum est, Sacrificium Missae gratiam non operari eo modo, quo Sacramenta operantur; quia gratia non ita est signo exteriori annexa, neque illam proxime efficit sacrificium, sed impetrat potius: nam cum vim suam omnem habeat a sacrificio crucis, non potest ei efficientia attribui, quam hoc ipsum non habet. Constat autem, quod Sacrificium crucis immediate peccatores non justificaverit, sed placaverit Deum, et impetraverit, ut per debita media peccatores ad salutem perducerentur. Posset ergo etiam aliquo sensu dici, effectum non produci ex opere operato: quamvis communis sententia sit, ad opus operatum nihil aliud requiri, quam ut effectus ex ministri merito suspensus non sit, sed a re ipsa fluat, et ex virtute promissionis et institutionis divinae. 3.° Cum unus sit idemque Christus, qui in altari offertur ut victima, et se ipsum offert tanquam minister principalis, quidam distinguunt inter haec; et praeter id quod victima oblata producit ex opere operato, alium effectum attribuunt actioni Christi se ipsum offerentis, quem dicunt esse ex *opere operantis*. Haec enim actio Christi est vera Christi pro nobis intercessio, juxta illud ad Hebr. VII.: *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.* 4.° Alius est effectus *ex opere operantis*, quem sacrificium habet ex bonitate ministri; atque hic valor absolute, et juxta usum semper intelligi-

---

a) Hom. II. in II. ad Timoth.

tur, quando Missa dicitur vim habere ex opere operantis. Sub hac ratione oblatio potest esse meritoria, satisfactoria et impetratoria: est enim opus pietatis et religionis, vi cujus mereri quis potest, satisfacere, et multa tum sibi, tum aliis impetrare; haec enim potest justus quivis, cum religiosis et piis actionibus navat operam. Igitur Sacerdos probus bis potest eorum, pro quibus offert, commodis et utilitati servire; tum per ipsum sacrificium, quod in se purissimum est, et oblatione etiam sacrilega inquinari non potest, tum suam operam et satisfactionem illis liberaliter impertiendo.

V. Altera Theologorum de valore Missae disputatio nimis molesta esset et implicata, si vellemus ire per singulas partes, et minutas quaestiunculas dissolvere, in quas haec controversia se diffundit. Si generatim proponitur quaestio, an infinitus sit valor sacrificii, an finitus tantum; vix est disputandi locus, et res tota in ambiguo et aequivocatione posita videtur. Sacrificii valor infinitus est quoad sufficientiam, uti dicitur, sed non quoad efficientiam. Victimae et primarii offerentis summa est et infinita dignitas; sed effectus, qui in nos redundat, finitus est, quem voluntas et promissio Christi metiuntur, non sola sacrificii excellentia. «Sicut Dei virtus et potentia, ait *Canus a)*, sufficiens « quidem est, ut effectum infinitum edat, quoniam infinita ipsa « est; sed semper tamen edit finitum, quia infinitum capere res « creata non potest: sic sanguis Christi ubicunque reperiatur, « sive in cruce, sive in altari, infiniti pretii est, et idoneus ut « pro infinitis, si essent, hominibus satisfaceret; sed quoniam « sunt finiti semper, effectus semper finitus est.» At non ex hominis tantum natura finita valor sacrificii circumscribitur, sed etiam ex Sacerdotis intentione, ex eorum pro quibus offertur dispositione, et demum ex Christi voluntate, qui gratias suas et redemptionis pretium in certa mensura dispensat, prout illud requirit ordo divinae providentiae. Una quidem divinae hostiae oblatio ad omnia impetranda per se sufficeret; sed Deus voluit, ut saepius ad idem remedium curramus, et hoc modo a fidelibus assidue frequentaretur hoc sanctum sacrificium; quo sublato, et

---

a) Lib. XII. cap. XII. respons. ad decimam.

cultus Dei, et Religio ipsa brevi dilaberetur. Sanguis Christi, qui in altari offertur, pro nobis effusus est quidem, atque ideo noster est; sed eo modo, quo lux solis nostra est, nempe ut causa universalis, cujus vis major minorve recipitur pro eo, ut subjectum magis minusve disponitur, et pro eo, ut causae adjuvantes majus minusve opis ferunt ad effectum.

APPENDIX.

DE RITIBUS MISSAE.

«Habet hoc sacrificium multos eosque maxime insignes et «solemnes ritus, quorum nullus supervacaneus et inanis «existimandus est; verum omnes eo spectant, ut et tanti «sacrificii majestas magis eluceat, et salutaribus mysteriis «intuendis ad rerum divinarum, quae in eo sacrificio occulta «sunt, contemplationem fideles excitentur.» Ita Catech. Rom. *a)*, qui in his, sicut in caeteris omnibus, Concilii Trident. vestigia sequitur *b)*. Argumentum hoc, si vellemus ritus omnes ac caeremonias singillatim exponere, longiorem explicationem postularet quam propositae institutioni conveniat. Caeterum, ut idem Catechismus observat, innumerabiles pene libellos et commentarios, qui de hac re a piis et doctissimis viris conscripti sunt, Sacerdotes in promptu habebunt.

Igitur quaedam tantum contra Ecclesiae Catholicae obtrectatores dicemus ad nostrum institutum magis spectantia. Agemus I. de liturgia generatim; II. de praecipuis liturgiis in specie; III. de Canone Latinorum; IV. de lingua adhibenda.

Legi hac de re possunt praeter Theologos jam supra citatos, doctissimi rerum liturgicarum tractatores, imprimis *Petrus Le Brun*, *Edm. Martene*, *Renaudot* et *Joan. Bona* Card. de rebus liturgicis.

---

a) De Euch. quaest. LXV. *b)* Vide Sess. XXII. cap. V.

§. I.

De Liturgia generatim.

I. Christum in ultima coena tremendum Corporis et Sanguinis sui sacrificium instituisse, unanimi consensu sancti Patres et Theologi omnes asseverant. Haec fides Catholica est, quam supra propugnavimus. Id quoque inficias ire nemo poterit, Ecclesias ab Apostolis institutas ritum aliquem offerendi hoc sacrificium sive liturgiam ab iisdem accepisse; quod expressis verbis asserit Tridentina Synodus, cum ait loco citato, Ecclesiam in sacrificii celebratione caeremonias quasdam ex *Apostolica disciplina et traditione* adhibere. Multi enim sunt ejusmodi ritus, in quibus omnes conveniunt tum orientales, tum occidentales Ecclesiae, et de quibus illa valet S. *Augustini* regula *a*): *Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

In Actibus Apostolorum legimus, a primis Christianae Ecclesiae incunabulis Apostolos cum fidelibus sacram Synaxin celebrasse quotidie *frangentes circa domos panem.* Neque putandum est, omnia hic sola consecratione et sumptione fuisse peracta, sed lectiones, preces, caeremoniasque adhibitas, quibus sacrificii dignitas clarius elucesceret, et pietas fidelium ac fervor magis accenderentur; quod his verbis satis clare indicat S. *Chrysost. b*): *Cum sacras illas coenas accipiebant Apostoli, quid tum faciebant? Nonne in preces convertebantur et hymnos? Nonne in sanctas vigilias? Nonne in longam doctrinam, et multae Philosophiae plenam?* Sed haec ipsa, quae in Actibus dicuntur *c*): *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, in communicatione fractionis panis et ora tionibus...* an nos sacrae liturgiae ordinem veluti in compendio exhibent? His enim partibus omnis liturgia componitur. 1.° Lectione Scripturae, et, quae eam comitari debet, interpretatione et exhortatione: *In doctrina Apostolorum.* 2.° Iis, quae ad sacrificium propius spectant, ut oblatione, consecratione et fractione hostiae, ejusque inter fideles distributione... *in communicatione*

---

a) Lib. IV. de Bapt. cap. XXIV. *b*) Hom. XXVII. in I ad Cor. *c*) Cap. II. v. 42.

fractionis panis. 3.° Demum in variis precibus, quae consecrationem ac sumptionem partim praecedebant, partim sequebantur... *et orationibus.* Cur autem haec omnia non explicatius Scripturae referant, ratio in promptu est, cum constet rei divinae faciendae modum et Sacramentorum ritus primis saeculis magis ore tradita fuisse quam scriptis. Hinc Apostolus ad Corinthios scribens *a)*, cum de institutione Eucharistiae locutus fuisset, addit v. 34.: *Caetera cum venero disponam.*

Illud quoque praetereundum non est, quod Apostolus ad Timoth. scribit *b)*: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones*, hunc quippe locum S. *Augustinus* aliique Patres ad sacrificium Missae aptissime referunt. Ita enim August. verba illa interpretatur *c)*: *Eligo in his verbis intelligere, quod omnis vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut precationes* (in Vulgata *obsecrationes*) *accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa incipiat benedici: orationes, cum benedicitur, et sanctificatur, et ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit. Interpellationes autem, sive ut nostri codices habent, postulationes fiunt, cum populus benedicitur; tunc enim Antistites velut advocati susceptos suos per manus impositionem misericordissimae offerunt pietati. Quibus peractis, et participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.*

Equidem inter Veteres quidam reperiuntur, qui videntur in contrariam sententiam abiisse. S. *Ambrosius* lib. VII. Epist. 63. morem Apostolorum fuisse scribit, sola oratione Dominica oblationis hostiam consecrare, additis procul dubio verbis consecrationis; at difficile non est hoc cum aliorum Patrum sententia conciliare, si dixerimus, ut Card. *Bona* observat, Apostolos utramque formulam prolixam et brevem diversis temporibus adhibuisse: brevem quidem, cum temporis angustia et persequentium metu premebantur; prolixam vero, cum per tempus et occupationes licebat.

---

a) I ad Corinth. XI. *b)* I ad Timoth. II. *c)* Epist. ad Paulin. n. 16.

II. Magnificam quamdam veteris liturgiae imaginem in Apocalypsi descriptam reperimus. Nam, quae S. *Joannes* de triumphantis Ecclesiae gloria scribit, tam similia sunt iis, quae Ecclesia in terris militans in suis coetibus frequentat, ut nescias an Apostolus nostram liturgiam in coelum transtulerit, an coelestem deduxerit in Christianorum coetus. In illa coelesti civitate, primum Regem ipsum coelorum conspicimus, antiquum dierum, similem filio hominis, sedentem super thronum, et admirando quodam splendore coruscantem; tum et sedes viginti quatuor Seniorum, ex utraque parte throni dispositas *a*). Videmus vestes candidas, et coronas, et candelabra septem, et altare, et incensa, ac thymiamata multa, librumque signatum *b*). Ante thronum, et in medio Seniorum Agnum quasi occisum, et Seniores et quatuor animalia prostratos coram Agno, et subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei *c*). Demum choros conspicimus Angelorum multorum in circuitu throni, et turbam innumerabilem Electorum, ex omnibus linguis et populis, concinentium et cantantium canticum Deo et Agno *d*).

Ex his nunc facile est, sibi coetus fingere Christianorum. Sacris praeerat Episcopus, qui in extrema parte Sanctuarii eminentiorem thronum occupabat. Erat is aetate et virtutum meritis venerandus, atque in medio fidelis populi quasi visibilis quaedam imago Dei. Ex utraque parte sedes erant Seniorum seu Presbyterorum, quibus Episcopus quasi corona circumdatus erat. Diaconi cum caeteris ministris in pedes erecti Angelos exprimebant, administratorios videlicet Spiritus ad Dei capessenda jussa perpetuo paratos. In medio et ante thronum Episcopi altare positum erat cum septem candelabris, et in altari agnus quasi occisus; Christus scilicet, qui, licet mori amplius non possit, tamen mystico quodam et ineffabili modo se tanquam victimam offert in altari. Aderant quoque incensa, et vestes sacerdotales ac leviticae, preces fidelium, et tota multitudo in Dei laudes effusa; hanc enim indicat turba illa magna, quam vidit Joannes stantem ante thronum et in conspectu Agni. Neque illud significatione

---

a) Apoc. I, 13. IV, 2. 3. 4. *b*) Ibid. I, 12. IV, 4. V. 8. VIII. 3. etc. *c*) Ibid. V, 6. 8. VI, 9. etc. *d*) Cap. V, 11. 12. etc. VII. 9. 10. etc.

caret, quod in Apocalypsi animae interfectorum subtus altare fuisse dicantur: constat enim, usum hunc in Ecclesia a primis saeculis obtinuisse, ut altaria erigerentur super Martyrum sepulcra, aut certe ossa Martyrum sub altari conderentur. Quod autem de illa Electorum turba in Apocalypsi dicitur *a*): *Agnus, qui in medio throni stat, reget eos, et deducet eos ad vitae fontes aquarum etc.*, clare ostendit non vanas esse et inanes caeremonias, quae in Christianorum coetibus peraguntur, ibi enim fontes manant gratiarum, quibus abluti, nutriti et corroborati fideles, ad vitam proficiunt immortalem.

III. Si haec nostra interpretatio Protestantibus non arridet, nolumus hac de re cum illis litigare, quamvis *Binghamus*, auctor Anglus, ipse fateatur *b*), in Cap. VII. Apocalypsis Christi Ecclesiam repraesentari ut in coelis et ut in terris est. Id certe negari non potest, eam, quam modo expressimus, formam in omnium gentium liturgiis reperiri, quamvis hae in multis aliis discrepent inter se. Quod non exiguo argumento est, ab Apostolis communem aliquam sacri officii formam constitutam fuisse, et ita ex communi fonte emanasse in omnes gentes. Hanc primigeniam liturgiam variis deinde additionibus ab Apostolorum successoribus auctam fuisse non diffitemur: id enim temporum illorum conditio et nascentis Ecclesiae status exigebat; inde illa diversitas in minoribus et quasi subsidiariis partibus. Si objicitur, omnes quas nunc habemus liturgias diu post Apostolorum tempora conditas fuisse, et quae antiquiores ex illis sunt, vix ante finem quarti Saeculi prodiisse: respondemus, tunc quidem scriptis evulgatas fuisse liturgias illas, non autem institutas. Mos erat Antiquis, mysteriorum ritus et formulas traditione magis quam litteris conservare, ne gentilibus sacra panderentur. Saeculo autem V. et VI., cum jam Apostolorum institutis multa addita fuerint ab Episcopis, aliqua etiam aliena manu adjecta, aut depravata ab haereticis, necessarium visum est praeclaris quibusdam et sanctissimis viris, ea, quae in Ecclesiis passim esse recepta videbant, in ordinem redigere, et retenta antiqua forma, quaedam resecare, alia immutare, alia etiam ex suo addere. — Et certe,

---

a) Apoc. VII, 17. *b*) Origin. Eccl. lib. XIII. cap. II.

quae in his liturgiis continentur, omnia fere jam in praecedentium Patrum scriptis sparsa reperiuntur: ut copiose probatum est a rerum liturgicarum Scriptoribus.

IV. Manet ergo, Apostolos, antequam inter gentes dispergerentur, convenisse inter se de certa rei divinae faciendae norma, hancque ab iis dein in omnes mundi partes delatam, omnium deinceps liturgiarum fundamentum fuisse. Huic veritati etiam Protestantes non refragantur, ii saltem, qui sinceriores inter ipsos sunt; ut *Hugo Grotius* in voto pro pace, *Ernestus Grabbe*, cujus inter alia haec verba referuntur a doctissimo *Merato a)*: « Ecclesias ab Apostolis institutas aliquam formam et ritum offe-« rendi sacrificium, cui tam arcta sit et praecipua cum Religione « connexio, non accepisse, quis sanus sibi persuadeat? Non, « quod tamen liturgias omnes Apostolicas iis, quorum nomine « insigniuntur, adjudicare velim: sufficiat liturgiarum antiquio-« rum, si non scriptores, saltem primos auctores fuisse Apostolos.» Porro difficile non est, ea quae Apostolica traditione manarunt, ab aliis, quae postmodum adjecta fuerunt, discernere: nam ea, quae omnibus liturgiis communia sunt, hoc ipso etiam communem originem produnt, quae alia non potest esse, nisi Apostolica. Sunt autem haec fere: Psalmorum et Hymnorum cantus; lectiones Scripturae, Evangeliorum imprimis, hisque conjuncta interpretatio et instructio; oblatio panis et vini aqua mixti; vivorum et mortuorum commemoratio; consecratio et fractio hostiae; oratio Dominica; benedictio populo data, et post communionem gratiarum actio.

§. II.

De quibusdam liturgiis speciatim.

Plures circumferuntur liturgiae Apostolorum nomine inscriptae, ut *Petri*, *Jacobi*, *Matthaei*, *Marci* etc. Aliae veterum Patrum nomina gerunt, ut *Clementis Rom.*, *Dionysii*, *Basilii*, *Cyrilli*, *Chrysostomi* etc. Aliae demum nationum nominibus distinguuntur, ut *Coptica*, *Armena*, *Gallica*, *Mozarabica* etc. Notandum tamen,

---

a) Comment. in Gavant. n. XI.

eandem liturgiam non raro diversis nominibus vocari; saepe in minutis tantum differunt, ac eo fere modo, quo in Occidentali Ecclesia particularium Ecclesiarum ritus in quibusdam differunt, tametsi omnes Romanam liturgiam sequantur.

Orientales.

I. Liturgia inter omnes, quae per Orientem divulgatae sunt, celeberrima illa est, quae S. *Jacobo*, fratri Domini et primo Hierosolymorum Episcopo, adscribitur. Hanc primam fuisse dicunt, caeteras ad ejus normam compositas. Diffundebatur autem late per totam Syriam, et post exortas Eutychianorum sectas in communi usu permansit, tum haereticorum, tum *Melchitarum*, qui fidem Concilii Chalced. tuebantur. S. *Cyril. Hieros.* multa ex hac liturgia transtulit in quintam Catechesin Mystagogicam; unde dubitari non potest, S. Jacobum primum ejus auctorem fuisse, quamvis ultro concedamus, nonnulla addita fuisse a successoribus.

II. Non improbabilis opinio est, S. *Marcum*, qui conditor fuit Alexandrinae Ecclesiae, huic formam aliquam liturgiae tradidisse, quae diu ore transmissa, deinde a S. *Cyrill. Alexand.* in ordinem redacta et amplificata, mox S. *Marci*, mox *Cyrilli* nomine indicatur. Haec in Copticam linguam translata, in Eutychianorum secta, quae in Aegypto *Coptarum* nomen retinuit, perduravit. Constat etiam, *Aethiopes* vel *Abyssinios* ab his magnam officii sui partem mutuasse.

Inter Apostolicas liturgias quidam et illam recensent, quam *Dionysius* magnifico stylo describit C. III. Eccles. Hierarchiae. Verum concessum est hodie inter eruditos, non esse Dionysii Areopagitae opera, quae illi tribuuntur, sed alicujus recentioris. Idem fere judicium ferendum est de S. *Clementis Romani* liturgia, in libro Constitutionum Apostolicarum descripta. Passim tamen concedunt eruditi, libros illos quarto Saeculo, forsan etiam ante Concilium Nicaenum, conscriptos fuisse, et eum quem continent Missae ordinem, a Patribus secundi et tertii Saeculi fuisse usurpatum.

III. Superest, ut de liturgiis S. *Basilii* et S. *Chrysostomi* pauca dicamus, quae jam a multis saeculis per omnes Graeco-

rum Ecclesias late diffusae sunt. Olim quidem S. *Jacobi* liturgia etiam Graeci utebantur; sed S. *Basilius M.* hominum secordiam et in deterius prolapsionem conspicatus, aliam breviorem adornavit. Inter illas, quae sub ejus nomine circumferuntur, tanta varietas conspicitur, ut difficile sit judicare, quinam purus sit et genuinus *Basilii* textus. Porro Graeci Basilii liturgia certis tantum diebus utuntur; reliquo anni tempore eam sequuntur, quam S. *Chrysostomus* composuit, eadem qua S. *Basilius* ratione inductus, ut nempe omnes humanae ignaviae praetextus evelleret. De hac ita scribit doctiss. *Jacob Goarius* in Euchologio Graecorum. « Ut ritus et preces quosdam ab alterius Hierurgi « sacrae nimirum liturgiae conditoris ter magni Basilii opera in « suum transferre non est veritus; ita Graecorum posteri nova « quaedam dicenda faciendave a Diacono vel Sacerdote hic aut « illuc pro suo nutu respergere sunt ausi. » Inde tanta non editorum duntaxat, sed et MSS. antiquorum varietas.

Occidentales.

I. Primum de illa liturgia dicamus, quae *Ambrosiana* vocatur, et quam Mediolanensis Ecclesia tanquam pretiosissimam haereditatem nullo non tempore tam strenue tuita est, ut caeteris Occidentis liturgiis abrogatis et ad Romanam redactis, haec Ecclesia nunc sola sit, quae ritum in sacris proprium et peculiarem retinuerit. Probabile non est, S. *Ambrosium* primum hujus ritus institutorem fuisse; nam quod Ecclesia Mediolanensis a primis saeculis formam aliquam officii habuerit, dubitari non potest, idque ex ipsis S. *Ambrosii* libris perspicuum est. Quapropter instaurator potius dicendus erit antiqui ritus, quem in ordinem redactum, auctumque, et a mendis purgatum primus forsan scriptis consignavit, quamvis quae ab ipso instituta fuerit officii disciplina facile non sit definire. Id certum, etiam post S. *Ambrosium* mutationes factas esse: nam in recentioribus Missalibus quaedam addita, alia imminuta, alia iterum ab anterioribus diversa et immutata conspiciuntur.

II. Etiam Ecclesia *Gallicana* suam olim liturgiam habuit, a Romana diversam. Plurima videbantur ex Orientalium ritibus mutuata: nec mirum, cum notum sit, plures insignes Galliae Ec-

clesias a viris Apostolicis fundatas fuisse, qui ex Oriente in eas regiones venerant; ut sunt *Photinus*, *Irenaeus*, *Trophimus*, *Saturninus* etc. Gallicani ritus steterunt usque ad tempora Pipini et Caroli M., qui, cum essent religiosissimi principes, et Sedi Apostolicae summa religione devincti, optime judicarunt, particularium Ecclesiarum splendorem non minui, sed augeri magis, si in omnibus ad mores et usus principalis Ecclesiae sese conformarent (1).

III. Liturgia Gallicana antiqua magnam cum illa affinitatem habet, quam Hispani quinto et sequentibus Saeculis secuti sunt. Hispanis a Mauris subactis, Christiani mixti inter Arabes vivebant, et ideo *Mozarabi*, vel *Mixtiarabes* vocati sunt. Inde factum, ut eorum etiam liturgia *Mozarabica* dicta fuerit. Haec Saeculo XI. Romanorum Pontificum, et imprimis Gregorii VII. auctoritate possessione sua deturbata, locum cessit Romanae Ecclesiae ritibus. Ne tamen oblivione omnino deleretur, Saeculo XV. exeunte, vir summus et omnium virtutum laude insignis Card. *Ximenes* officium Mozarabicum Toleti in aliquo templi Metropolitani sacello restituit; ministris in eo collocatis, qui sacra quotidie ritu Mozarabico celebrarent.

IV. Ita Romanorum Pontificum, quin et Episcoporum quam plurimum, et principum Christianorum studio eo res perductae sunt, ut a multis jam saeculis in toto pene Occidente una tantum liturgia vigeat, quae *Romana* dicitur, quia ab illa Ecclesia ortum habet, *cui*, ut *Tertullianus* inquit *a)*, *totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* De origine hujus liturgiae, ejusque per omnes Ecclesias diffusione, ita habet *Walfridus* Abbas *b)*, insignis noni Saeculi Scriptor. *Romani quidem usum observationum a B. Petro principe Apostolorum accipientes, suis quique temporibus, quae congrua judicata sunt, addiderunt. Quorum morem ideo in sacris rebus tam multae gentes imitantur, quia et tanti magisterii ex apice Apostolico primordiis clarent, et nulla per orbem Ecclesia, ut Romana, ab omni faece haereseon cunctis retro temporibus pura permansit.* His consentit antiquissima, et communis non Romanae tantum et Latinae, sed et Graecae Ecclesiae traditio. Hinc *Gela-*

---

a) Praescript. cap. XXXVI. *b)* De rebus Eccles. cap. XXII.

sius Papa, qui primus *ordinem* Romanum edidisse creditur, non est illius inventor, sed eum evulgavit, quem S. Petrus primum Romanos docuit, et quem S. Petri successores, imprimis Leo M. et ipse Gelasius, variis additionibus auxerunt. Ultimam operi manum admovit Gregorius M. centum post Gelasium annis. Hic, teste Joanne Diacono, in ordine Gelasiano *multa subtraxit*, *pauca convertit*, *nonnulla adjecit*. Ita tandem prodiit illa *liturgia Gregoriana*, quam Romana Ecclesia per duodecim jam et amplius Saecula sartam tectamque servavit.

§. III.

Qua lingua uti oporteat in sacrorum officiorum celebratione.

I. Haec quaestio multis gravibusque certaminibus famosa est, neque desiit ad haec usque tempora pugnandi ardor. Primum cum Protestantibus tantum congrediendum erat. Verum cum haeretici jam pene deficerent, et arma projicerent longo usu attrita, accesserunt eis ex nostris auxiliares copiae, quas non puduit, iisdem armis pugnare contra Ecclesiam, et ex eo laudem sibi turpiter emendicare, quod heterodoxorum argumenta centies explosa et jam penitus obsoleta ad nauseam repeterent. Habemus nos, qui Catholici sumus, regulam a qua discedere nefas esset; nam Concilium Trident., in quo haec causa propter Novatores diligentissime excussa fuit, Sess. XXII. Can. IX. anathema contra eum pronuntiat, qui dixerit lingua tantum vulgari Missam celebrari debere. Hoc Ecclesiae statutum gravissimis niti momentis, atque ad universalem Ecclesiae praxin et veterum Patrum et doctissimorum virorum sententias prorsus esse accommodatum, negare nemo potest, qui non in historia Ecclesiastica ignarus sit, aut cui non innovandi libido, et ingenium leve ac saeculo serviens rectum judicium abstulit.

II. Primum quidem ad pristina tempora revertenti quam primum occurrit, hanc fuisse Ecclesiae constantem disciplinam, ut institutae semel a Majoribus precandi formulae in ea, quam ab initio habuerunt, lingua semper permanerent, tametsi linguae illae vulgares esse desierint. In Occidente nullae reperiuntur antiquae liturgiae nisi latina lingua conceptae. In Oriente, quamvis

diversarum linguarum nationes sint, veteres tamen liturgias non habent, nisi Graeco aut Chaldaico sermone conscriptas, quibus Graeci, Melchitae, Maronitae, Nestoriani et Jacobitae per varias provincias dispersi utuntur. Nolumus hic litigare de quibusdam Orientis populis. Nam etsi assumatur, Aethiopes aethiopice, Coptos coptice, Armenos armenice sacra sua peragere, maneret tamen, quod supra diximus, nullam gentem reperiri, quae ab ea, in qua sacra semel instituta fuerunt, lingua unquam recesserit, quamvis cessaverit esse vernacula; et cessarunt omnes, et ita quidem ut nulla hodie natio sit etiam inter Orientales, quae non divina sua officia peragat in lingua populo ignota, quam necesse est studio et labore comparare. Nam Graeci hodierni antiquam Graecorum linguam non intelligunt, sic et Syriaca et Chaldaica extinctis, turcica, arabica, aliaeque linguae in plerisque Orientalibus regnis successerunt. Latina nullibi in Occidente vernacula est; et jam olim Africa, quae Latinam liturgiam a Romanis simul cum fide accepit, hunc usum retinuit, quamvis populus punice loqueretur, ut ex S. Augustino discimus.

III. Haec Ecclesiae praxis, tam constans, tam concors ubique, etsi sola esset, utique sufficeret ad depellendas novellae eruditionis captiones, nam, ut bene *Augustinus* ait *a)*: *Siquid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimae insaniae est.* Praecessit hujus disciplinae exemplum jam in veteri testamento; nam licet populus Judaicus post captivitatem syriace loqueretur, Psalmos tamen et Scripturas hebraice semper cantavit et legit, quem morem Hebraei etiam hodie in Synagogis observant. Quin et Romanis ea cura fuit conservandi in Sacris sermonis antiquitatem: nam carmina Saliorum, vix Sacerdotibus suis intellecta, ut ait *Quintilian. b)*, nunquam mutarunt; quia vetabat Religio, et consecratis utendum erat. Intellexit autem Catholica Ecclesia, et vetus et nova, quantum id valeret ad sacrarum rerum majestatem, si non in ea lingua, quae passim per vicos et popinas auditur, sacra fierent, sed sacro quodam, et a primis Ecclesiae fundatoribus tradito sermone. Intellexit, quam facile impurum aliquid et erro-

a) Ep. LIV. olim CVIII. ad Januar. *b)* Lib. I. Instit. cap. VI.

neum in divina officia irreperet, si possent a primaeva lingua in recentiores et vulgares transferri: constat enim, singulis fere saeculis vulgare idioma mutari. Ex quo sequeretur, vel formulas officii frequenter esse immutandas cum magno depravationis periculo; vel vetustiores retinendas, quamvis antiquatas et jam prope obsoletas, cum dispendio debitae venerationis. Intellexit, quam necessaria sit ad fidei unitatem Ecclesiarum communicatio: non mediocre autem hoc esse mutuae communionis vinculum, si diversarum linguarum nationes, sicut religione conjunctae sunt, sic et communem linguam habent, qua in religionis suae exercitio utuntur (2).

§. IV.

De Canone Latinorum.

I. Quamvis in singulas Missae partes excurrere animus non sit, illam tamen sacrae liturgiae partem praeterire non possumus, quae communi nomine *Canon* vocatur, et qua nulla est in Missae ordine sacratior et augustior. Hanc prae caeteris furiose dilacerant Protestantes duce Luthero suo, qui librum integrum de abominatione Canonis scripsit. Verum nocent sibi et causae suae inverecundi objurgatores, cum insanire se prae invidia palam faciant. Nam quod inique prorsus agant et infesto animo, haec ipsa Lutheri verba satis declarant. « Quamquam « habeam, ait *a)*, quod pro sano canonis sensu dicere possim, « ut alias feci; tamen nunc non dignabor eum tali honore. »

Viro improbo et scurriliter faceto Concilium Trid. opponimus, quod de hac materia loquitur cum ea gravitate ac religione, ut facile appareat, qua parte requirenda sit veritas. *Cum sancta sancte administrari conveniat*, ait sancta Synodus *b)*, *sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium; Ecclesia Catholica, ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum canonem multis ante saeculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam*

---

a) Lib. de abroganda Missa. *b)* Sess. XXII. cap. IV.

redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat; is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.

II. Nunc, ut evidentius pateat, quam recte haec a sancta Synodo dicta fuerint, de hujus canonis origine et antiquitate quaedam adjicimus. *Canon* illa liturgiae pars est, quae ab his verbis incipit *Te igitur* etc., usque ad orationem Dominicam, qua incipit praeparatio ad sacram communionem. Est autem vox *Canon* idem ac *Regula*, quia ordinem precum continet statum et fixum, quem fas non est immutare. Quod nunc *Canon* dicitur, id Patres quandoque per antonomasiam *Precem* vocant aut *Orationem:* ab *Optato Milev. Legitimum* dicitur, ab aliis *Agenda* aut *Actio.* Hinc quoties aliquid addendum Canoni est, quod in Christi Domini solemnitatibus accidit, in Missali nota adjicitur: *Infra actionem.* Demum *Secreti* quandoque aut *Secretorum* nomine indicatur, quia illum secreto recitat Sacerdos.

III. Notum, de canone Occidentalis Ecclesiae nobis sermonem esse, nam Orientales diversos a nostris ritus habent, et ordinem precum diversum, quamvis in praecipuis liturgiae capitibus a nobis non dissentiant. Jam canonis Latini, quem nos sequimur, originem quidam in Saeculum VI. collocant, ejusque auctorem assignant aut *Scholasticum* quemdam, de quo Gregorius Magnus scribit, aut *Gregorium* ipsum: sed utrumque falsum est. Gregorius in ea epistola non agit de canone, sed de aliqua prece a Scholastico quodam composita, quae tum temporis statim post canonem recitabatur, cum Oratio Dominica vel diceretur post communionem vel omnino non diceretur: ait autem, satius sibi visum fuisse, ut Oratio Dominica diceretur mox post canonem praesente adhuc Christi corpore, oratio autem Scholastici sequeretur. Porro Gregorius ipse scribit, se accusatum fuisse, quod pauca quaedam et leviuscula in canone mutarit; quid, quaeso, factum fuisset, si vel canonem composuisset, vel eum qui prius habebatur in ordinem redegisset? Et si Gregorius, tantae auctoritatis vir, accusatus fuit ob tam leves causas; quanto magis Scholasticus ille, quisque demum ille fuerit, omnium Christianorum offensionem incurrisset!

IV. Sed non potest esse dubio locus; nam canonem nostrum integrum, atque ipsis, quae nunc sunt verbis, refert *codex Gelasianus* a Thomasio editus, qui omnium consensu Gelasio adjudicandus est: Gelasius autem integro saeculo Gregorium Magnum praecessit. Qui autem a Gelasio editus est canon, non erat proprie hujus Pontificis opus, sed antiqua Traditione receptus; quippe ejus vestigia plurima in antiquis Latinis Patribus reperiuntur. Sic *Optatus Milev.* lib. II. aperte ad illa verba alludit: *Imprimis, quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta, Catholica* etc. Auctor Librorum de Sacramentis, qui si minus *Ambrosius* ipse est, Ambrosio certe coaevus fuit, ipsissimis pene verbis refert quatuor has potissimas canonis orationes: *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quaesumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem etc. Qui pridie etc. Unde et memores, Domine etc.*, et *Supra quae propitio etc.* Has autem partes *Ambrosius* tanquam ex antiquo Ecclesiae ritu depromptas affert ad refellendos haereticos. Deinde S. *August.* Tract. LXXXIV. in Joannem, aliique Patres de illa Oratione loquuntur, in qua nominantur et invocantur Sancti; tum de illa, quae pro defunctis offertur. Notavit autem idem *August.*, cum nominantur Sancti, Martyrum tantum mentionem fieri, sive virorum, sive foeminarum, quod magnae antiquitatis argumentum est. Ergo antiquissimus est canon noster, et merito *Vigilius Papa* Epistola ad Profuturum inquit: Canonem Apostolica traditione suscepimus. Et *Isidorus Hispalens. a): Ordo Missae vel Orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum a S. Petro institutus est.* Quod tamen ita suscipiendum non est, quasi Apostoli ipsi canonem, ut nunc est, conscripserint; sed quod partes ejus praecipuas, ut superius de liturgia in genere dictum est, definierint, atque ordinem aliquem precum instituerint in Ecclesiis. Ejusmodi regulam aut canonem S. Petrus procul dubio Romanae Ecclesiae reliquit, quem insequentes Pontifices nonnullis adjectis in eam formam, qua nunc est, redegerunt.

Adversarii non tantum canonem in genere aggrediuntur, sed singulas ejus partes inscite aeque ac inverecunde sugillant et car-

---

a) Lib. I. Officior. cap. XV.

punt. Verum levissima sunt, quae ab ipsis congeruntur argumenta, iisque jam dudum abunde satisfactum est a Theologis Catholicis, quorum insigniores jam supra laudavimus. Merito ergo *Trident. Synodus* citato cap. ait, nihil nisi purum et plenum sanctitatis in canone contineri; merito Can. VI. anathema pronuntiat contra eos, qui canonem Missae errores continere, ideoque abrogandum esse dicerent.

ADNOTATIONES.

(1) Pag. 456. Nihil potest ad confirmationem Catholicorum dogmatum certius validiusque afferri, quam mira haec omnium liturgiarum in unam fidem consensio. Quidquid agant Protestantes ut his nexibus se expediant, irritus labor est. Si multum valent, ad convincendos animos, Patrum et virorum quorundam sanctorum doctissimorumque testimonia; quantam, quaeso, vim habere necesse est hanc solemnem et continuam fidei professionem, non unius Ecclesiae, sed orbis terrarum! Non est hic de testium numero et auctoritate decertandum, ubi tam mirus auditur omnium temporum et locorum concentus, et omnium linguarum consentiens vox; ubi non verba tantum, sed omnes Sacerdotum et populi ritus, et motus corporis, et cultus publici instrumenta, et ipsi lapides loquuntur. Nihil hic juvat testimonii cujusdam sensum lacerare, et multis modis contorquere verba: en omnes liturgiae, quotquot haberi hucusque potuerunt, ex omnibus mundi partibus palam nobis praedicant, non realem tantum, sed et permanentem praesentiam, et transsubstantiationis dogma. Omnes victimam nobis ostendunt, quae in altari a Sacerdotibus offertur, omnes adorationem hostiae habent, et Sanctorum invocationem, et incruenti sacrificii pro vivis et defunctis oblationem etc. Notatu digna sunt, quae ante annos fere trecentos contigerunt, cum *Flacius Illyricus*, rigidiorum Lutheranorum princeps, Missam aliquam latinam in antiquo codice MS. repertam typis mandavit Argentinae anno 1553. Mirum! quantos triumphos egerit Illyricus, putans magnum se Ecclesiae Catholicae detrimentum allaturum, ac si illa antiquos Missae ritus perperam innovasset. Sed excaecavit illum malitia sua, nam e contrario orthodoxae fidei dogmata ex ea passim confirmantur, ut Sanctorum et B. Virginis invocatio, realis Christi in

Eucharistia praesentia, confessio auricularis, oratio pro vivis atque defunctis, et alia ejusdem generis multa; quod cum Lutheri asseclae animadvertissent, omnia edita exemplaria, quotquot reperire potuerunt, protinus destruxerunt. Vid. Card. *de Bona* lib. I. cap. XII.

(2) Pag. 459. Locus hic esset, de more illo disserendi, qui in pluribus Germaniae partibus invaluit, ut vel integra liturgia, vel saltem pars officii publici lingua vulgari peragatur. Non deesset animus, nec deficeret materia dicendi, si tempus suppeteret. Nihil usus hic habet, ut nobis videtur, quod eum viris maturioris ingenii et vere religiosis possit commendare. A Novitatum fabricatoribus tempore Josephi II. in lucem editus, admiratores et propagatores nactus est levioris eruditionis homines, qui in superficie haerent, et, ut acutiores caeteris habeantur, nova omnia avidius complectuntur. Hos sequitur illorum non exigua turba, qui libenter mori novissimo serviunt, ne minus caeteris sapere videantur. Ita viris in fide reprobis occasio subministratur in ipsa Ecclesiae mysteria irruendi. Id enim, ne dubites, plurimorum perversorum hominum consilium est, ut fideles et ministri primum ab illo idiomate avellantur, quo tota Occidentalis Ecclesia constanter usa est, in quo deposita fuit et veluti condita Ecclesiae fides, quo tanquam communi vinculo omnes Occidentales Ecclesiae cum sede Romana, tum et inter se connectuntur. Quod ubi semel perfectum fuerit, facilius erit in lingua caeteris nationibus ignota et continuis mutationibus obnoxia, doctrinam ipsam pervertere, et rupto communis liturgiae nexu, mutuae communionis vincula disrumpere.

Ajunt: neminem ignorare tam deformem fuisse in pluribus Ecclesiis Latini officii usum, ut ad fovendos pietatis sensus parum videretur accommodatus. Sed unde haec? An latini sermonis defectus hic est? An non potius eorum, quibus rerum divinarum cura demandata est negligentia et vecordia, et alienus ab omni pietate animus? Tollatur abusus, et maneat usus. Neque illud concedimus, magnum fideli populo commodum accrescere ex hac institutione. Jam longi anni sunt, quo haec novitas incepit; interea alia adolevit hominum generatio a pueritia novis suis *cantilenis* pasta; ubi autem incrementum virtutis et pietatis sit, non video, nisi quod minor quotidie conspiciatur

templorum et officii divini reverentia, majus quotidie orationis et omnis religiosi cultus taedium.

Sed curandum erat, ut Christianus populus Deum adorare disceret in spiritu et veritate, ne in eum illud Prophetae caderet: Populus hic labiis me honorat. Optime quidem, si hoc linguae permutatione efficeretur. Id unum mihi consequi videtur populus, cum templa perpetuis cantionibus implet, ut jam non labiis solum, sed et gutture Deum honoret. Neque etiam hic cultus mentem nutrit interno succu, neque adoratores producit in spiritu et veritate. Ego econtra, quo rem propius considero, eo mihi magis persuasum habeo, quod, si omnem pietatis sensum enecare vellemus, et ad purum mechanismum deducere religionis exercitium, non possemus certiori via illud assequi. Dicam quo potissimum incitamento indigeat populus, quid nutrire possit pietatem, et religionis sensus fovere. Discant Pastores Sacrosanctum Missae sacrificium cum omni religionis cultu et veneratione celebrare: diligant illi munditiem et decorem domus Dei, et ad id serio animum applicent, ut cantus non audiatur nisi vere Ecclesiasticus, gravis et bene modulatus, caetera autem ad cultum publicum pertinentia accurate, et cum ea gravitate ac majestate fiant, ut appareat Deo servitium exhiberi, non hominibus: curent insuper, ut fideles diligenter in religionis officiis instruant, et ad pietatem fingant animos, librosque ipsis commendent, ad verae pietatis normam compositos: ita fiet, ut caeremoniarum apparatu, et cantus sacri modulatione in sublimiora erecti, et novis stimulis incitati, cum fervore preces suas ad Deum dirigant, et libris suis instructi, animo pio et ad Deum intento, cum Sacerdote omnes Missae partes peragant, sanctisque affectibus nutriant religiosam mentem.

TRADUCTION

DES PASSAGES ET TEXTES ALLEMANDS DU TOME IV. DE LA THÉOLOGIE DOGMATIQUE DE M. LIEBERMANN.

Page 354.

Luther, en parlant ailleurs *(Vorrede über das Büchlein Syngramma etc., an Johannem Oecolampadium*, 1526*)*, s'exprime ainsi: «J'espère que cette abominable calomnie (des Sacramentaires) ne tardera pas à les perdre, quoique, par notre ingratitude et les persécutions que nous avons dirigées contre l'Evangile, nous nous soyons attiré ces déplorables menées, ces sectes et bien d'autres maux, qui ne manqueront pas de nous frapper.» (Paroles d'une grande vérité!) «Cette secte est si féconde, qu'en moins d'un an il lui est venu cinq ou six têtes nouvelles. La première ce fut le Dr. Carlstad, avec son *Touto;* la seconde Zwingel, avec son *Significat;* la troisième c'est Ecolampade, avec sa *Figura corporis;* la quatrième renverse l'ordre du texte; la cinquième est en route et transpose les termes; la sixième est occupée à naître et tire au sort les termes, et la septième viendra peut-être encore quelque jour, pour mêler les cartes: chacune prétend commander. Voyez comme l'esprit de Dieu nous avertit de nous garder des sectes, puisque dès leur naissance elles se divisent ainsi entre elles.» (Il compare ensuite ces sectes avec l'animal à plusieurs têtes de l'Apocalypse, puis il continue): «Quand il s'agit de produire des arguments, chacune de ces troupes a ses têtes particulières, sa méthode propre de calomnier etc.» (Luther ne s'est-il pas condamné lui-même ici? Et cela n'est-il pas inévitable quand chacun est

libre de se créer ses croyances? — Bientôt Luther se console par l'espoir que ces têtes sont condamnées à tomber l'une après l'autre.) « La première, dit-il, le *Touto* de Carlstad, est déjà abattue, elle est tombée du premier coup. Il en est de même du *Significat* de Zwingel; il penche la tête et périt à vue d'oeil; car dans l'Écriture, on ne peut pas venir avec un *Significat*, quand il y a *Est.* » — (Luther ici n'a pas été non plus grand prophète, car parmi MM. les protestants, c'est l'*Est* qui penche la tête passablement fort, tandis que le *Significat* de Zwingel la porte assez haute.)

Page 355.

Cette race à double visage dit encore qu'il n'est pas nécessaire pour le commun des chrétiens de savoir de quelle manière le corps de Jésus-Christ se trouve dans le sacrement. Qu'est-ce que ces chrétiens, qui osent dissimuler de la sorte, qui craignent d'avouer franchement leur doctrine, et qui la vendent sous une apparence étrangère, sous en manteau d'emprunt? tandis qu'il faudrait l'entourer d'une double clarté. Celui qui saura que son pasteur professe publiquement les doctrines de Zwingel, qu'il l'évite, et qu'il s'abstienne toute sa vie du sacrement, plutôt que de le recevoir de ses mains; qu'il préfère la mort et tous les supplices. Mais si son pasteur est un de ceux qui portent deux visages, qu'il aille le trouver et qu'il le somme de lui dire catégoriquement ce que c'est ce que ses mains lui présentent et ce que sa bouche reçoit. Si c'est un fanatique de bonne foi, il lui dira, que c'est tout simplement du pain et du vin, sous lesquels il doit se figurer le corps et le sang de Jésus-Christ, etc. Mais si c'est un de ces jongleurs, qui cachent leur jeu, il dira *Mum*, *Mum*, il prendra la bouche toute pleine de phrases ronflantes et on distinguera à-peu-près ces paroles: Il suffit que vous croyiez, que le corps que Jésus-Christ a voulu dire.

On lit plus loin: « En résumé, et pour en finir, je frémis d'horreur en pensant que dans une même église au pied du même autel, de deux personnes qui approchent du sacrement, l'une croit ne recevoir que du pain et du vin, tandis que l'autre

y voit le corps et le sang de Jésus-Christ. Souvent je doute qu'il soit permis de croire un prédicateur ou un pasteur assez endurci et assez méchant pour laisser ces personnes dans leur erreur. Je l'avoue, on ne peut avoir, comme ces hommes, le cœur plus dur que la pierre, que l'acier et le diamant, à moins d'être un apôtre de la colère divine. Les Turcs et les Juifs n'en feraient pas autant. Mais ces Messieurs là, il faudrait qu'ils fussent les véritables archi-démons, pour ne me présenter que du pain et du vin et me laisser croire que c'est le corps et le sang de Jésus-Christ, pour me tromper aussi cruellement. Ce serait trop fort, et Dieu ne tardera pas à les atteindre de sa vengeance. Que ceux donc qui ont de pareils prédicateurs, ou qui les soupçonnent tels, s'en gardent comme si c'était Satan en personne!»

Page 358.

Kant admet toutefois, et il est forcé d'admettre, qu'il ne peut prouver la non-réalité des *idées;* il se borne à postuler en revanche que l'on reconnaisse l'impossibilité d'en prouver la réalité. Ces deux sortes d'impossibilités posées, et elles appartiennent en effet aux principes fondamentaux du système de Kant, comment se fait-il que les Kantistes, en raisonnant sur la doctrine catholique de l'Eucharistie, osent parler d'impossibilités théoriques et d'impossibilités pratiques?

Page 358.

Vous osez parler d'impossibilités, de superstition, d'imposture sacerdotale! Auriez-vous surpassé votre maître? Soit: nous vous écoutons; nous attendons vos preuves; mais prenez-y garde, c'est dans votre philosophie qu'il faut les puiser, dans votre propre magasin qu'il faut les trouver, complètes, satisfaisantes. Il faudra résoudre les questions, non les trancher; nous ne reconnaîtrons pas non plus comme autorités certains écrits sortis de votre école, et moins que tous les autres l'ouvrage intitulé: *Neue Erde und neuer Himmel*, production la plus vile qui ait jamais souillé la philosophie, production, il faut le dire, que la populace de vos écoles dévore, mais dont je rougirais

devant tout esprit véritablement philosophique, si j'avais eu le malheur de la concevoir en songe. En attendant que vous ayez élaboré vos preuves, imposez silence à la tourbe mal élevée que vous dirigez. A cette tourbe appartiennent non-seulement les disciples, mais aussi les docteurs publics, qui ne sont pas capables, ou qui ne se soucient pas d'étudier eux-mêmes la philosophie, et trouvent plus commode de répéter ce que vous dites. Je veux parler surtout de ces hommes d'affaires de toute condition et de tout rang, braves gens, qui, dans la haute idée qu'ils se forment de la philosophie, se persuadent qu'ils l'apprendront à fond en lisant les journaux et les recueils littéraires qui en traitent, et qui se distinguent par le ton trachant dont ils en parlent.

Page 385.

«Je crois aussi,» dit Luther, «que Jésus-Christ n'est pas partiellement mais tout entier sous chaque espèce. Qui a jamais douté que Jésus-Christ ne fût tout entier sous chaque espèce?»

CONSPECTUS TOMI QUARTI.

LIBER QUINTUS.

THEOLOGIA SPECIALIS.

	Pag.
De gratia et justificatione.	1
Introductio.	1
Gratiae definitio et divisio.	3
PARS I. *De natura gratiae.*	5
CAPUT I. *De natura gratiae sanctificantis.*	5
§. I. *De iis, quae contra Novatorum systemata ab Ecclesia definita sunt.* Observanda.	5
Doctrina Catholica de justificatione.	9
Prop. I. *Justificatio non consistit in mera imputatione externa justitiae Christi: sed in gratia sanctificante, quae est donum Dei animae instrinsecum et inhaerens.*	9
Coroll. *Ergo in justificatione peccata non extrinsece tantum remittuntur et teguntur: sed reipsa tolluntur et delentur.*	11
Prop. II. *Fides in adultis ad justificationem requiritur: haec autem fides, quam Scriptura et Patres exigunt, non ea est, qua peccator firmiter credat peccata sibi propter Christum esse dimissa, sed qua firmum assensum praebet iis, quae a Deo revelata sunt.*	11
Prop. III. *Fides sola non justificat.*	13

Pag.

Prop. IV. *Gratia Dei sanctificans in homine etiam justificato augeri potest.* 16

Prop. V. *Nemo sine speciali revelatione de sua justificatione certus esse potest.* 17

Prop. VI. *Gratia, qua homo justificatur, ea non est, quae ex natura sua amitti non possit.* 17

§. II. *De quibusdam quaestionibus, quae ad fidem Catholicam non pertinent.* 23

Quaestio I. *An gratia sanctificans sit aliquid homini intrinsece inhaerens per modum habitus.* 23

Quaestio II. *An gratia sanctificans sit ipsa Spiritus sancti persona.* 24

Quaestio III. *An gratia sanctificans sit ipsa charitas; an aliquid a charitate distinctum?* 24

CAPUT II. *De natura gratiae actualis.* Observanda. 26

PARS II. *De necessitate gratiae.* 28

Haereses, quae circa gratiam emerserunt. 30

Pelagiana Haeresis. 30

Semipelagianismus. 33

Pradestinatianismus. 34

Veteres praedestinatiani. 34

Lutherus et Calvinus. 35

Bajus et Jansenius. 37

CAPUT I. *Agitur contra eos, qui gratiae necessitatem destruunt, dum nimium atollunt arbitrii vires.* 42

§. I. *De necessitate gratiae in genere.* 43

Prop. I. *Homo in praesenti statu nullum opus salutare velle aut efficere potest sine gratiae supernaturalis auxilio.* 43

Coroll. *Homo non potest a peccato resurgere sine speciali gratiae auxilio.* 44

Prop. II. *Gratia actualis interior tum ad fidem, tum ad fidei initium necessaria est.* 45

Prop. III. *Homo sine gratia actuali interna neque graviores tentationes superare, neque omnia legis naturalis praecepta servare, neque omnia peccata evitare potest.* 46

§. II. *De gratiae necessitate relate ad justos.* Observanda. 52

Prop. I. *Gratia actualis etiam justis necessaria est, ad bonum supernaturale operandum.* 54

Pag.

Prop. II. *Nemo absque speciali privilegio omnia peccata etiam venialia vitare potest.* 55

Prop. III. *Perseverantia finalis est speciale donum Dei.* 56

CAPUT II. *Agitur contra eos, qui liberi arbitrii vires destruunt, cum nimium urgent gratiae necessitatem.* Observanda. 57

Prop. I. *Falsum est, omnia infidelium opera esse peccata, quia fiunt sine fide supernaturali.* 59

Prop. II. *Homo gratia sanctificante destitutus potest opus bonum efficere non naturalis tantum ordinis, sed et supernaturalis, accedente gratiae actualis auxilio.* 61

Prop. III. *Liberum hominis arbitrium non ita est per peccatum attritum, ut homo non possit sine speciali gratiae auxilio bonum aliquod morale efficere, aut leves quasdam tentationes vincere, aut etiam Deum ut auctorem naturae diligere amore aliquo imperfecto et inchoato.* 62

PARS III. *De efficacia gratiae.* 67

CAPUT I. *De gratia efficaci.* Observanda. 68

§. I. *De iis, quae fides docet circa gratiae efficaciam.* 69

Prop. I. *Datur gratia efficax, quae certo et infallibiliter dat velle et operari.* 69

Prop. II. *Gratia efficax non est necessitans.* 71

Prop. III. *Gratiae efficacia non consistit in delectatione relative victrici ad sensum Jansenii.* 74

§. II. *De Scholarum opinionibus.* Observanda. 80

CAPUT. II. *De gratia sufficiente.* Observanda. 86

Prop. *Datur gratia vere et proprie sufficiens.* 88

RARS IV. *De gratiae distributione.* 91

CAPUT I. *An gratia secundum merita detur.* Observanda. 92

Prop. I. *Gratia Dei gratuita est.* 96

Prop. II. *Justi operibus bonis ex gratia factis vere merentur augmentum gratiae et vitam aeternam.* 96

CAPUT II. *An gratia omnibus hominibus detur.* Observanda. 101

Prop. I. *Justis omnibus, urgente praecepto, datur gratia vere sufficiens, qua illud possint implere.* 102

Prop. II. *Omnibus hominibus datur gratia sufficiens ad salutem.* 103

CAPUT III. *An gratia omnibus aequaliter detur.* Observanda. 111

Prop. I. *Datur vera ex parte Dei praedestinatio.* 115

Prop. II. *Nemo sine speciali revelatione scit se esse praedestinatum.* 115

Pag.

Prop. III. *Praedestinatio ad gloriam fit post praevisa merita ex gratia comparata.* 116

Prop. IV. *Deus neminem absoluto decreto ad interitum praedestinavit, et reprobationis causa sunt peccata.* 119

Conclusio. 125

LIBER SEXTUS.

De Sacramentis. 126

PARS I. *De Sacramentis generatim.* 129

CAPUT I. *De natura Sacramentorum.* 129

§. I. *Notio et definitio Sacramenti.* Observanda. 130

§. II. *Quae sint partes Sacramentorum.* Observanda. 133

Prop. I. *Sacramenta omnia N. L. rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma constant.* 135

Prop. II. *Verba, quae in Sacramentis adhibentur, sunt consecratoria, non concionalia.* 136

Voces obloquentium. 137

CAPUT II. *De existentia et numero Sacramentorum.* Observanda. 140

Prop. *Septem sunt legis novae Sacramenta, videlicet: Baptismus, Confirmatio etc.* 147

CAPUT III. *De causis Sacramentorum extrinsecis.* 154

ARTICULUS I. *De auctore Sacramentorum.* Observanda. 155

Prop. *Christus omnia novae legis Sacramenta immediate et per seipsum instituit.* 157

ARTICULUS II. *De Ministro Sacramentorum.* 159

§. I. *De persona Ministri.* Observanda. 159

§. II. *De intentione Ministri.* Observanda. 160

Prop. I. *Ut valeat Sacramentum, in Ministro requiritur vera et proprie dicta intentio id faciendi, quod facit Ecclesia: secus nullum est Sacramentum et cassum.* 162

Prop. II. *Ut perficiatur Sacramentum, non requiritur ut Minister effectum Sacramenti intendat, neque ut ritum celebret tanquam sacrum, aut id velit facere, quod facit Ecclesia Catholica et Romana.* 164

§. III. *De fide et probitate Ministri.* Observanda. 170

Prop. *Ut valeat Sacramentum, non requiritur fides aut sanctitas in Ministro.* 171

ARTICULUS III. *De subjecto Sacramentorum.* Observanda. 177

Pag.

Prop. I. *Fides et sanctitas in suscipiente non est necessaria ad Sacramentum valide suscipiendum.* 178

Prop. II. *Ut valeat Sacramentum in adulto, requiritur et sufficit intentio, seu vera voluntas id recipiendi, quod ab Ecclesia datur.* 178

Prop. III. *In quibusdam Sacramentis, puta, Baptismo, Confirmatione, Poenitentia, Extrema Unctione, in recipiente ea sufficit intentio, quae interpretativa dicitur.* 179

CAPUT IV. *De Sacramentorum effectis.* 180

ARTICULUS I. *De primo Sacramentorum effectu, qui est gratia.* 181

§. I. *Quod Sacramenta vi sua operentur gratiam.* Observanda. 181

Prop. *Sacramenta novae legis conferunt gratiam ex opere operato.* 184

§. II. *Quam gratiam in nobis operentur Sacramenta?* Observanda. 191

Prop. I. *Quemadmodum Sacramenta mortuorum interdum gratiam secundam producunt; ita quandoque evenit, ut Sacramenta vivorum ex accidente gratiam primam impertiant.* 192

Prop. II. *Singula Sacramenta praeter sanctificantem gratiam peculiarem aliquam, quae sacramentalis dicitur, conferunt.* 193

ARTICULUS II. *De secundo Sacramentorum effectu, qui Character dicitur.* Observanda. 194

Prop. I. *Tria sunt Sacramenta, Baptismus scilicet, Confirmatio et Ordo, quae characterem imprimunt, unde ea iterari non possunt.* 195

Prop. II. *Si Sacramenta, quae iterari non possunt, fuerint cum obice suscepta, gratiam producunt sublato obice.* 197

PARS II. *De Baptismo et Confirmatione.* 201

CAPUT I. *De Baptismo.* 202

ARTICULUS I. *De Baptismi natura.* 204

§. I. *De materia Baptismi.* Observanda. 204

Prop. I. *Materia Baptismi remota est aqua vera et naturalis.* 206

Prop. II. *Immersio ad substantiam Sacramenti non pertinet, et valet Baptismus per infusionem collatus.* 207

§. II. *De forma Baptismi.* Observanda. 211

Prop. *Ut Baptismus valeat, necesse est ut in forma Sacramenti* 1.° *expressa fiat SS. Trinitatis invocatio*; 2.° *ut verba addantur, quae actionem ministri et personam suscipientis exprimunt.* 213

ARTICULUS II. *De causis Baptismi.* 220

Pag.

§. I. *De auctore Baptismi.* Observanda. 220

§. II. *De ministro Baptismi.* Observanda. 221

Rebaptizantes saeculi III. 222

Donatistae. 225

De persona ministri. 226

Prop. *Baptismi ministri proprii et ordinarii sunt Episcopi et Presbyteri; extraordinarii, Diaconi; ubi autem necessitas urget, nullus homo est, qui Baptismi minister esse non possit.* 227

§. III. *De subjecto Baptismi.* Observanda. 232

Prop. I. *Baptismus etiam infantibus conferri potest, qui rationis compotes non sunt.* 236

Prop. II. *Baptismus omnibus tam parvulis quam adultis ad salutem necessarius est.* 240

Quaestio. *An Baptismus aquae nulla ratione suppleri possit in adultis.* 244

Prop. III. *In adultis, ut fructum percipiant Baptismi, requiritur fides in Christum, et propositum servandi mandata, cum amore inchoato; in iis autem, qui jam mortaliter peccaverunt, necessaria est insuper poenitentia, seu dolor de peccatis.* 246

Scholion. 247

ARTICULUS III. *De effectis Baptismi.* Observanda. 250

Prop. *Baptismus tollit vere omne peccatum tum originale, tum actuale, omnemque poenam peccato debitam: atque insuper animae gratiam sanctificantem infundit cum virtutibus et donis spiritualibus.* 251

Coroll. *Ergo Baptismus non est merus ritus exterior, quo ad Christianam Religionem accedentes profitentur, se Christo nomen dare, aut quo Ecclesia, aliarum societatum adinstar, aliquem inter membra sua adscribit.* 252

Scholion. 255

CAPUT II. *De Confirmatione.* 259

ARTICULUS I. *De existentia et natura Confirmationis.* 260

§. I. *De Confirmationis existentia.* Observanda. 260

Prop. *Confirmatio verum est ac proprie dictum novae legis Sacramentum a Baptismo distinctum.* 261

§. II. *De natura Sacramenti Confirmationis.* Observanda. 266

Pag.

Prop. I. *Sacram unctionem ad materiam Confirmationis essentialem pertinere, extra dubium est.* 268

Prop. II. *Probabile est, impositionem manuum ad necessariam Confirmationis materiam pertinere.* 269

Prop. III. *Ad formam Confirmationis certo pertinent verba, quae chrismatis unctionem comitantur. An etiam oratio manuum impositioni adjuncta ad necessariam Sacramenti formam pertineat, adeo certum non est.* 270

Quaestiones I. *An balsamum necessarium sit ad Confirmationis materiam?* 277

II. *An necessaria sit benedictio chrismatis per Episcopum facta?* 278

III. *Qua parte corporis facienda sit unctio confirmatoria?* 278

IV. *An necesse sit, ut frons per modum crucis inungatur?* 279

ARTICULUS II. *De causis Confirmationis extrinsecis.* Observanda. 279

Prop. *Solus Episcopus ordinarius Confirmationis minister est; at valde probabile est, simplicem Presbyterum extra ordinem, et ex delegatione, hoc Sacramentum administrare posse.* 282

ARTICULUS III. *De effectis Confirmationis.* 287

§. I. *De primo Confirmationis effectu, qui est gratia.* Observanda. 287

§. II. *Secundus Confirmationis effectus, qui est character.* Observanda. 288

PARS III. *De sanctissimo Eucharistiae Sacramento.* 290

CAPUT I. *De Mysterio praesentiae realis.* 292

SS. Eucharistiae impugnatores usque ad saeculi XVI. initia. 293

Protestantium errores. Lutherus. 296

Sacramentarii. Carlostadius. Zwinglius. 300

Calvinus. 301

Anglicani. 302

Recentiores Protestantes. 303

ARTICULUS I. *De reali et substantiali corporis et sanguinis Christi praesentia in Eucharistia.* 305

Prop. *In sanctissima Eucharistia corpus et sanguis Christi vere, realiter, ac substantialiter continetur.* 305

ARGUMENTA EX SCRIPTURIS. 305

ARGUMENTA AB AUCTORITATE SS. PATRUM PETITA. 310

I. Testimoniorum classis. 311

II. Testimoniorum classis. 313

ARGUMENTUM PRAESCRIPTIONIS. 315

Objectiones haereticorum refelluntur. 318

Pag.

ARTICULUS II. *De Transsubstantiatione.* Observanda. 337

Prop. *Christus in Eucharistia praesens est per transsubstantiationem.* 339

Oppositiones. 342

ARTICULUS III. *An Christus totus praesens sit sub utraque specie, et sub singulis cujuslibet speciei partibus.* Observanda. 345

Prop. *Christus totus praesens est sub utraque specie, et sub singulis cujuslibet speciei partibus.* 345

ARTICULUS IV. *An Christus in Eucharistia praesens sit modo permanente.* Observanda. 347

Prop. *Christus in Eucharistia praesens est modo permanente.* 348

Consectarium. *Christus in SS. Eucharistia cultu latriae etiam extra usum est adorandus; pie etiam et religiose ab Ecclesia institutum est, ut SS. Eucharistia publice fidelium adorationi exponeretur, aut per vicos et plateas solemni pompa circumferretur.* 351

Scholion. 353

ADNOTATIONES. 354

CAPUT II. *De Eucharistia, ut est Sacramentum.* 359

ARTICULUS I. *De natura Sacramenti Eucharistiae.* Observanda. 359

Prop. I. *Ipsa consecratio non est Sacramentum.* 362

Prop. II. *In Eucharistia nec solae species, nec solum Christi corpus rationem Sacramenti habent, sed species simul cum corpore et sanguine Christi.* 362

Quaeritur. *An Eucharistia unum sit Sacramentum, an duplex.* 363

ARTICULUS II. *De materia et forma Sacramenti Eucharistiae.* 363

§. I. *De materia Sacramenti.* Observanda. 364

Prop. I. *Ad Sacramenti substantiam nihil refert, an in pane fermentato, an in azymo consecratio fiat, convenientior tamen videtur panis azymi usus, quem Ecclesia Latina sancivit.* 366

Prop. II. *Ab Ecclesia praeceptum est Sacerdotibus, et quidem convenientissime, ut aquam vino immisceant in Eucharistia.* 368

§. II. *De forma Sacramenti.* Observanda. 369

Prop. *Sola haec verba: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus ... vel ... Hic est calix sanguinis mei .., sunt forma consecrationis essentialis et necessaria.* 371

Quaestiones. I.° *Quaeri solet, an verba Christi sola ita sufficiant, ut haec, quae praemittuntur: Qui pridie quam pa-*

Pag.

teretur, accepit panem etc. . . . necessaria non sint ad Sacramentum? 373

II.° *An illa Christi verba: Quod pro vobis tradetur . . . sint omnia necessaria?* 375

III.° *An verba omnia, quae nunc in consecratione adhibentur, ad formae essentiam pertineant?* 375

ARTICULUS III. *De causis extrinsecis Sacramenti Eucharistiae.* 377

§. I. *De Ministro Sacramenti.* Observanda. 378

Prop. *Ad solos Sacerdotes pertinet, conficere Sacramentum corporis et sanguinis Domini.* 379

§. II. *De Subjecto Sacramenti.* Observanda. 382

ARTICULUS IV. *De necessitate et effectis Sacramenti.* 384

§. I. *De Sacramenti necessitate.* Observanda. 384

Prop. I. *Communio sub utraque specie laicis non est necessaria.* 386

Prop. II. *Ecclesia usum calicis laicis subtrahere potuit, justisque de causis subtraxit.* 390

§. II. *De effectibus Eucharistiae.* Observanda. 395

CAPUT III. *De Eucharistia ut est Sacrificium.* 398

ARTICULUS I. *De Sacrificii Eucharistici existentia.* Observanda. 401

Prop. *Eucharistia verum est ac proprie dictum novae legis sacrificium.* 407

Confutatio Adversariorum. 413

ARTICULUS II. *De sacrificii Eucharistici natura.* 422

§. I. *Heterodoxorum errores.* Observanda. 422

Prop. *Sacrificium Missae non tantum latreuticum est et Eucharisticum, sed etiam propitiatorium.* 425

§. II. *Sententiae inter Theologos controversae.* 429

Quaestio I. *An res, quae in Missae sacrificio offertur, sit panis et vinum, an Christus ipse quatenus sub speciebus panis et vini continetur?* 429

Quaestio II. *In qua Sacerdotis actione natura sacrificii consistat?* 430

Quaestio III. *Utrum ad rationem sacrificii utriusque speciei consecratio sit necessaria?* 432

Quaestio IV. *Utrum sacrificium Missae a crucis et mortis sacrificio reipsa differat, et in quo positum sit discrimen?* 432

Quaestio V. *An aliquid discriminis sit inter sacrificium ultimae coenae, et nostrum Eucharisticum sacrificium?* 432

ARTICULUS III. *De quibusdam circa sacrificium Missae examinandis.* 433

Pag.

§. I. *Cui et a quo offerri debeat sacrificium.* Observanda. 433
§. II. *De iis, pro quibus offerri potest sacrificium.* Observanda. 434
§. III. *De Missa privata.* Observanda. 437
Prop. *Missae privatae legitimae sunt ac licitae.* 439
Opponunt adversarii. 441
Scholion. 442
ARTICULUS IV. *De effectis hujus sacrificii.* Observanda. 443
Appendix. De ritibus Missae. 448
§. I. *De Liturgia generatim.* 449
§. II. *De quibusdam liturgiis speciatim.* 453
§ III. *Qua lingua uti oporteat in sacrorum Officiorum celebratione.* 457
§. IV. *De Canone Latinorum.* 459
ADNOTATIONES. 463

Bei **Kirchheim, Schott & Thielmann** sind erschienen und in allen Buchhandlungen zu haben:

Pragmatische Geschichte

der deutschen

National-, Provinzial- und vorzüglichsten Diöcesanconcilien

vom

vierten Jahrhundert bis auf das Concilium von Trient.

Mit

Bezug auf Glaubens- und Sittenlehre, Kirchendisciplin und Liturgie,

von **Dr. A. J. Binterim,**

Doctor der Theologie, Ritter des päpstlichen Ordens vom goldnen Sporn, Mitglied der katholischen Akademie in Rom, und Pfarrer zu Bilk und der Vorstadt Düsseldorf.

Erster Band.

Einleitung und Geschichte der Concilien vom vierten bis zum achten Jahrhundert.

Zweiter Band.

Geschichte und Beschlüsse der Concilien des achten und der ersten Hälfte des neunten Jahrhunderts.

Dritter Band.

Geschichte der Concilien der zweiten Hälfte des neunten Jahrhunderts, und des zehnten und eilften Jahrhunderts.

Vierter Band.

Geschichte der Concilien des zwölften und der ersten Hälfte des dreizehnten Jahrhunderts.

Fünfter Band.

Geschichte der Concilien der zweiten Hälfte des dreizehnten Jahrhunderts.

gr. 8. Preis eines jeden Bandes 3 fl. oder 1 Thlr. 16 ggr.

Herr Prof. Hefele in Tübingen spricht sich in dem neuesten (dritten) diesjährigen Hefte der Tübinger Quartalschrift über das vorliegende Werk in folgender Weise aus: „Ein zweites schönes Werk Binterim's ist seine unter Zugrundlegung von *Schannat* et *Harzhemii* Concilia Germaniae XI. Tomi fol. bearbeitete pragmatische Geschichte der deutschen National-, Provincial- und vorzüglichsten Diöcesanconcilien vom vierten Jahrhundert bis auf das Concil von Trient, wovon bis jetzt fünf Octavbände erschienen sind. Der erste derselben enthält die Einleitung und die Geschichte der

deutschen Concilien vom vierten bis achten Jahrhundert. In ersterer wird die alte kirchliche Eintheilung Deutschlands mit geziemender Ausführlichkeit beschrieben, das Verhältniß der Primaten, Metropoliten und Suffragane untersucht, der Einfluß Roms auf den deutschen Episcopat geschildert, die Verschiedenheit der Synoden, die Art und Weise, sie abzuhalten, ihre Auctorität und ihr Einfluß auf Volk und Clerus angegeben, auch ein Verzeichniß aller deutschen Bischöfe aller Diöcesen bis zur Trienter Synode mitgetheilt; lauter Dinge, welche den deutschen Geistlichen in hohem Grade interessiren.

Die Reihe der deutschen Concilien selbst eröffnet das vielbestrittene Kölner vom Jahre 346, auf welchem Erzbischof Euphrates von Köln wegen Ketzerei abgesetzt worden seyn soll, und Binterim hat hier noch weit besser als Harzheim die Nichteristenz dieser Synode mit vieler Gelehrsamkeit dargethan.

Von weiteren deutschen Concilien vor dem heil. Bonifaz ist uns nur wenig bekannt geworden, darum nimmt auch die Erzählung hierüber nur einen unbedeutenden Raum ein, um so mehr, als das Wenige, was wir in dieser Beziehung wissen, meistens gallische Synoden anlangt, an welchen germanische Bischöfe Theil genommen hatten. Dieß war z. B. der Fall auf der Synode von Epaon in Burgund, im Jahr 517, welche Herr Binterim darum mit Recht nur kurz berührt, welche aber für das südwestliche Deutschland deßhalb von großem Interesse ist, weil der erste uns bekannte Bischof von Vindoniffa, Bubulcus, welcher Sitz bald darauf um die Mitte des sechsten Jahrhunderts nach Constanz verlegt wurde, dabei anwesend war (*Harduin*, Collect. Conc. T. II. p. 1045—1052).

Der zweite Band umfaßt die Concilien des achten und der ersten Hälfte des neunten Jahrhunderts, und hier treten namentlich die unter Bonifaz gehaltenen Synoden in den Vordergrund. Eine nöthige und schätzbare Gabe sind zugleich die wichtigsten Briefe von und an Bonifaz. Interessant sind weiterhin besonders die Capitularien der fränkischen Könige, kirchlichen Inhalts, die Frankfurter Synode unter Carl dem Großen im Jahre 794, wegen des Adoptianismus und des Bilderstreits, und die Aachener und Mainzer Synoden unter Carl und seinen nächsten Nachfolgern, wobei Binterim mehrere Synodal-Actenstücke mitgetheilt hat, welche sich bei Harzheim gar nicht finden.

Sehr reich an Synoden waren die nun folgenden 450 Jahre, welchen der dritte, vierte und fünfte Band zugewiesen sind. Der dritte Band insbesondere bespricht die Concilien aus der zweiten Hälfte des neunten, sowie aus dem zehnten und eilften Jahrhundert. Merkwürdig ist hier zunächst das im Jahre 868 zu Worms abgehaltene deutsche Generalconcil, welches sich auf Befehl des Papstes Nicolaus I. über die Vorwürfe der Griechen zu erklären hatte. Von noch höherem Interesse aber sind die in der Ehescheidungssache des Königs Lothar von Lothringen (neuntes Jahrhundert) zu Aachen, Metz und Trier abgehaltenen Synoden, wobei die beiden deutschen Erzbischöfe Theutgaud von Trier und Gunthar von Köln eine so beklagenswerthe Rolle gespielt haben. Weiterhin hat Binterim namentlich auch den von Dr. Theiner im Jahre 1836 zu Rom herausgegebenen und den Synoden von Diedenhofen 835 und Worms 868 zugewiesenen Canonen ihre rechte Stelle angewiesen, indem er zeigte, daß den früheren Synoden, von Diedenhofen im Jahre 821 oder 822, von Worms im Jahre 829 und von Mainz im Jahre 852, die Autorschaft dieser Beschlüsse zugeschrieben werden müsse. Nicht minder dankenswerth ist sein, wenn auch kleiner Beitrag zu der großen Frage über Pseudoisidor, wodurch es wahrscheinlich gemacht wird, daß nicht Deutschland, sondern Belgien oder Frankreich

die Geburtsstätte dieses unterschobenen Kindes ist. Treffend ist zugleich Neander zurückgewiesen, der dem Papste Nicolaus I. Kenntniß und Gebrauch der pseudoisidorischen Decretalen andichten wollte.

Die weitere Partie des dritten Bandes versetzt uns in die Zeiten des zehnten Jahrhunderts und liefert mitunter Belege zu unserer schon vor mehreren Jahren ausgesprochenen Behauptung, daß das zehnte Jahrhundert lange nicht so ungeheuer finster und schreckenhaft, namentlich nicht in Deutschland gewesen sey, als es gewöhnlich, selbst von großen Historikern geschildert wird.

Zwischen dem Erscheinen des dritten und vierten Bandes der Binterim'schen Conciliengeschichte verstrichen drei Jahre, innerhalb welcher der Verfasser wegen Gründung der Bruderschaft für rein katholische Ehen, acht Monate lang auf der Festung Wesel in strenger Haft — ohne Schreibmaterial saß, bis er einem Spruche des Kölner Appellhofes wieder seine Freiheit verdankte. Mit Recht hat er daher seinem hohen Vorbild und Leidensgefährten Clemens August von Köln diesen Band gewidmet, welcher die Geschichte der Concilien im zwölften und der ersten Hälfte des dreizehnten Jahrhunderts, also gerade in der Zeit des Kampfes zwischen den Welfen und Gibellinen enthält. Im Anfange dieses vierten Bandes aber begegnen uns jene Synoden und andere Versammlungen, welche zur Ausgleichung des Investiturstreites in Deutschland gehalten wurden, und natürlich macht das berühmte Pactum Calixtinum vom Jahr 1122 den Schluß hievon.

Zu vielen andern Synoden hat die zweispaltige Papstwahl nach dem Tode Calixt's II. (J. 1124), zu manchen weiteren der Streit zwischen Kaiser Friedrich Barbarossa und den Päpsten Veranlassung gegeben, und um all die betreffenden Verhandlungen an's rechte Licht zu setzen, hat Binterim es für nöthig erachtet, eigentlich eine Kirchengeschichte dieser Zeit zu liefern, was um so mehr zu verdanken ist, je häufiger gerade diese Epoche in antikirchlichem Interesse und mit gibellinischen Augen schief aufgefaßt und dargestellt zu werden pflegt. Daß die deutschen Bischöfe jener Zeit und darum auch ihre Synoden wenig Lob verdienten, und wie knechtisch sie dem Cäsaropapismus des großen Hohenstaufen huldigten, ist bekannt, und in gegenwärtigem Bande durch manche Beispiele belegt. Um die Unordnungen in der Kirche des zwölften Jahrhunderts noch zu vermehren, wurde sie zugleich von ziemlich vielen aberwitzigen und theilweise wahnsinnigen Häresien heimgesucht, welche wiederum Veranlassung zu manchen Synoden gegeben haben. Mehr als dreißig deutsche Concilien aus diesem Jahrhundert, die Harzheim gar nicht gekannt oder übergangen hat, sind nun in diesem Bande von Binterim zur Kenntniß gebracht worden.

Die zweite Abtheilung des vierten Bandes beschäftigt sich mit den Synoden zur Zeit des Papstes Innocenz III. und des Kaisers Friedrich II. in der ersten Hälfte des dreizehnten Jahrhunderts, zu manchen derselben gab die fortwährend auch in Deutschland sich ausbreitende Häresie die traurige Veranlassung. In diese Zeit fällt auch die Ermordung Conrad's von Marburg, von welcher Herr Binterim ausführlich handelt. In andern Concilien wurden die Sitten des Clerus zu verbessern gesucht und zweckmäßige Statuten, zum Theil unter dem Vorsitze päpstlicher Legaten erlassen.

Die weitere, zweite Hälfte des dreizehnten Jahrhunderts bildet den Inhalt des neuesten oder fünften Bandes. Derselbe zerfällt den früheren Bänden analog in drei Abtheilungen, wovon die erste die Geschichte der in jene Zeit fallenden Synoden im Allgemeinen angibt, während die zweite Abtheilung die Statuten und Beschlüsse der einzelnen Concilien mittheilt, worauf endlich in der dritten mehrere kirchliche besonders merkwürdige Punkte,

welche in diesen Synoden vorkamen, noch eine eigne Behandlung von S. 350 bis 371. finden.

Damals bestanden in Deutschland sechs Kirchenprovinzen, nämlich die von Mainz, von Trier, von Köln, von Salzburg, von Magdeburg und von Bremen. Dazu kam noch der eben (1245) exemt gewordene, früher zur Provinz Gnesen gehörige bischöfliche Sprengel Breslau; und in allen diesen finden wir um jene Zeit ziemlich viele theils Diöcesan-, theils Provincialsynoden. Fast alle aber hatten die Verbesserung der Geistlichkeit zur Absicht, welche der Fleischeslust, Kleiderpracht, der Handelschaft und Spielsucht in hohem Grade ergeben und ungemein unwissend war. Auch in die Mauern der Klöster war Zügellosigkeit, Habsucht und Schmauserei eingeschlichen, und auch hiegegen kämpften sehr viele Concilien dieser Zeit. Dazu kamen vielfache Klagen und Strafandrohungen wegen Kirchenraub, Mißhandlung der Geistlichen und andere derartige Vergehen, welche um so häufiger vorkamen, je unehrenwerther einerseits der Clerus selbst, und je roher und habsüchtiger andrerseits der Adel war. Meistens waren es gerade die sogenannten Schirmvögte der Kirchen, welche die Beraubung ihrer Pflegempfohlenen zu ihren ersten Geschäften machten. Darum treffen wir auch über und gegen sie Beschlüsse der Synoden.

Um so vielen Uebeln zu begegnen, sandte der heil. Stuhl in diesem Jahrhundert neun oder zehn Cardinallegaten nach Deutschland, welche theils selbst Provincialconcilien veranstalteten, theils außer denselben zweckmäßige Verordnungen erließen, und es ist nicht zu verkennen, daß gerade sie häufiger und entschiedener gegen die Unsittlichkeit des Clerus zu Felde zogen, als die Bischöfe Deutschlands.

Ohne weiter ins Einzelne eingehen zu können, bemerken wir nur noch, daß alle bisher erschienenen fünf Bände der deutschen Conciliengeschichte, denen ein hübsches Portrait des Herrn Binterim beigegeben ist, zusammen ungefähr fünfzehn Gulden kosten, und daß dies Werk, wie die ausführlichen Denkwürdigkeiten desselben Verfassers mindestens in keiner Capitelsbibliothek fehlen sollten. Aber auch einzelne bemittelte Geistliche würden durch den Besitz dieser Werke eine eben so anziehende als in hohem Grade instructive Lectüre erhalten. Die noch fehlenden, etwa drei, Bände der Synodalgeschichte werden, wie wir hoffen, in Bälde erscheinen [1]).

1) Sie sind unter der Presse.

MOGUNTIAE,
Typis Floriani Kupferberg.

INSTITUTIONES
THEOLOGICAE.

TOMUS V.

THEOLOGIAE SPECIALIS

VOLUMEN TERTIUM.

INSTITUTIONES

THEOLOGICAE.

AUCTORE

F. L. B. Liebermann,

SS. THEOLOGIAE DOCTORE, DIOECESIS ARGENTORATENSIS VICARIO GENERALI.

TOMUS V.

COMPLECTENS THEOLOGIAE SPECIALIS

VOLUMEN TERTIUM.

EDITIO SEXTA EMENDATISSIMA.

MOGUNTIAE,

SUMPTIBUS KIRCHHEMII, SCHOTTI & THIELMANNI.

1844.

PARISIIS,
apud MEQUIGNON juniorem,
Facult. theol. Bibliopolam.

LONDINI,
apud D. NUTT. foreign Bookseller
158, Fleet Street.

LIBRI SEXTI

DE SACRAMENTIS

PARS QUARTA.

DE POENITENTIA ET EXTREMA UNCTIONE.

SACRAMENTUM POENITENTIAE.

Tanta est humanae naturae fragilitas, ut desperata esset hominum plerorumque salus, si nullum existeret remedium, quo perditam post Baptismum innocentiam recuperare, et ope divina adjuti denuo eniti possent ad palmam. At Deus, qui dives est in misericordia, in hoc quoque deesse non voluit humano generi, et ideo post prolapsionem poenitentiam dedit, tanquam secundam post naufragium tabulam. « *Ut enim*, ait Catechismus Concilii Trid. *a), confracta navi « unum vitae servandae perfugium reliquum est, si forte « tabulam aliquam de naufragio liceat arripere: ita post « amissam Baptismi innocentiam, nisi quis ad poenitentiae « tabulam confugiat, sine dubio de ejus salute desperan- « dum est.* » Pulchre etiam *Tertullian.*, antiquissimus Scriptor *b)*: *Pervicacissimus hostis nunquam malitiae suae otium facit, atque tunc maxime saevit, cum hominem sentit plane liberatum. Non scandalis, non tentationibus deficit. Haec igitur venena ejus providens Deus, clausa licet innocentiae janua et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo poenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat. Pigeat sane peccare rur-*

---

a) Cap. V. de poenit. Q. I. *b)* De poenit. cap. VIII.

sus, sed rursus poenitere non pigeat. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes; habes cui satisfacias et quidem volentem. Ille est scilicet, ille est, qui misericordiam mavult, quam sacrificium.

In hoc argumento pertractando eo major adhibenda est diligentia, quo magis nobis persuasum esse debet, peccatori post Baptisma unicum in poenitentia perfugium superesse, neque spem manere salutis, cum haec deficit. *Nisi poenitentiam habueritis*, ait Christus *a*), *omnes similiter peribitis.* Brevis omnino sententia, sed plena multis et gravissimis materiis, cum res paulo attentius consideratur, et, quid sit poenitentiam habere, inquiritur. Videndum scilicet, quae sit hujus poenitentiae natura et ratio, quae partes, quae conditiones, ut effectum assequi possit et innocentiam redintegrare deperditam; quod ut certa methodo et distincte efficiatur, totam tractationem in quatuor capita tribuemus. *Primum* erit de Poenitentiae Sacramento generatim; *secundum* de Contritione; *tertium* de Confessione; *quartum* de Satisfactione. — Magna iterum pugna instat cum heterodoxis, qui in Sacramenti Poenitentiae, ut in sacrorum omnium, injuriam grassati sunt non uno modo.

CAPUT PRIMUM.

DE POENITENTIAE SACRAMENTO GENERATIM.

Antequam propositam nobis tractationem aggrediamur, pauca de Haereticorum erroribus dicemus: tum de notione ipsa poenitentiae, ac de poenitentia, ut est virtus, quaedam sunt brevi compendio praenotanda. Hanc materiam Theologi alii diffusius, alii pressiori stylo tractarunt. Legi prae caeteris meretur Doctiss. *Bellarminus*, qui in ipso exordio tractatus de Poenitentia, primum calumnias et mendacia Novatorum perstringit, tum de genuina Poenitentiae notione exacte et dilucide pro more suo disserit.

a) Luc. VIII. 3.

§. 1.

Errores.

MONTANISTAE ET NOVATIANI.

I. Primum commemorandae sunt Montani et Novatiani haereses, ut perspicuum fiat, hodiernos Novatores veteres errores recoxisse, eorumque doctrinam jam pridem totius Ecclesiae consensu fuisse proscriptam. Montanistae et Novatiani ipsam virtutem poenitentiae non sustulerunt, ut quidam existimant; consenserunt enim, lapsis post Baptisma spem veniae relinqui a Deo impetrandae: sed poenitentiam impugnarunt, ut est Sacramentum, et potestatem Ecclesiae, dimittendi peccata post Baptisma commissa vel omnino negabant, vel variis exceptionibus restringebant.

II. *Montanus*, a quo Montanistae nomen habent, circa annum CLXXIII. multas Ecclesias per Priscam et Maximillam nobiles et opulentas foeminas primum auro corrupit, postea haeresi polluit. Ita S. *Hieronymus* ad Ctesiphontem. In Ep. ad Marcellam idem de Montanistis haec habet: *Illi ad omne pene delictum Ecclesiae obserant fores; nos quotidie legimus: Malo poenitentiam peccatoris, quam mortem. Rigidi autem sunt, non quod et ipsi plura non peccent. Hoc inter nos et illos interest, quod illi erubescunt confiteri peccata quasi justi: nos dum poenitentiam agimus, facilius veniam promeremur.* Patet ergo, quaestionem cum Montanistis fuisse de potestate clavium, qua Ecclesia possit peccatores post Baptismum Deo reconciliare: hanc autem illi dicebant non extendi ad peccata graviora, quae, ut *Tertullianus* ait *a)*, in ipsum Deum fuerint admissa, et in templum ejus: *Sunt graviora, et exitiosa, quae veniam non capiunt, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia utique et moechia, et fornicatio, et si qua alia violatio templi Dei.* Haec *Tertullianus* jam Montanista factus. In eodem libro *b)* peccata aperte partitur in duo genera, quorum alia inquit esse remissibilia, tametsi pleraque ex iis sint, quae mortalia vocantur; alia dein irremissibilia

a) De pudicitia cap. XXI. *b)* De pudicitia cap. IV.

vocat: sed, ut diximus, respectu Ecclesiae, non Dei, a quo solo venia sperari possit.

III. *Novatianorum* haeresis anno CCLIV. erupit, et nomen sumsit a *Novatiano*, qui adversus *Cornelium* Pontificem in Schismate sedit. Graeci plerique *Novatianum* cum *Novato* confundunt, sed perperam; nam Novatus Carthaginensis, Novatianus autem Romanus Presbyter fuit. Primus homo seditiosus, et perditus moribus conflato jam Carthagine Schismate, ne ex Ecclesia ejiceretur, Romam aufugit. Hic cum *Novatiano* societatem iniit, suisque artibus effecit, ut iste adversus Cornelium Episcopus consecraretur. Vid. *Natal. Alexand.* Saec. III., *Cypriani* Epistolas, *Euseb.* hist. lib. VI., *Pacian.* Epist. 1. 2. 3. etc. Apud omnes in confesso est, Novatianos negasse, Ecclesiam jus habere, peccata omnia etiam gravissima remittendi: quid autem concesserint Ecclesiae, et quos limites posuerint potestati clavium, certo non constat. Probabile est, Novatianum initio defectionis solos in persecutione lapsos spe veniae exclusisse: haec enim occasio erat et exordium Schismatis. Mox alia adjecit graviora delicta, ac demum omnem spem veniae exclusisse videtur per Ecclesiae claves obtinendae. Caeterum ex S. Ambrosio discimus, Novatianos sui temporis nonnihil de rigore majorum suorum remisisse. *Ajunt*, inquit *a)*, *se*, *exceptis gravioribus criminibus*, *relaxare veniam levioribus*. *Non hoc quidem auctor vestri erroris Novatianus*. Et paulo post: *In eo ergo patrem vestrum propria damnatis sententia*, *qui distinctionem peccatorum facitis*, *quae solvenda a nobis putetis*, *et quae sine remedio esse arbitremini*.

NOVATORES.

I. A Novatianis parum dissentiunt recentiores Haeretici. Nam quamvis reconciliationem aliquam lapsorum admittant; potestatem tamen clavium explodunt, Confessionem, et Poenitentiae opera respuunt, negantque Poenitentiam proprie dictum Sacramentum esse a Baptismate distinctum. Quamvis, cum mentem explicant, id eis contingat quod in multis aliis, ut nec inter se, neque secum consentiant.

---

a) Lib. 1. de Poenit.

II. *Lutherus* in lib. de captiv. Babyl. non procul ab initio ait: «Principio neganda mihi sunt septem Sacramenta, et tantum tria pro tempore ponenda, Baptismus, Poenitentia, Panis.» In calce tamen ejusdem operis duo tantum Sacramenta admittit, Baptismum et Panem; de Poenitentia autem subdit: «Poeni-«tentiae Sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo «visibili et divinitus instituto caret, et aliud non esse dixi, «quam viam et reditum ad Baptismum.» Eadem fuit Melanchthonis et aliorum ex Lutheri Schola fluctuatio. *Melanchthon* in locis communibus anno 1522 editis Poenitentiam e numero Sacramentorum expungit; idem tamen Sacramenti nomen ei tribuit in aliis locis, atque imprimis in *Confessione Augustana*, cujus haec verba sunt *a)*: «Vere igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Coena Domini, Absolutio, quae est Sacramentum Poenitentiae; nam hi ritus habent mandatum Dei, et promissionem gratiae.»

Calvinus aperte et constanter negavit Poenitentiam esse Sacramentum. In eodem errore versantur Calvinistae, qui cum Magistro suo verba Christi Domini Joan. XX.: *Quorum remiseritis peccata etc.* detorquent ad praedicationem Evangelii, qua lapsi revocantur ad memoriam Baptismi et excitantur ad credendum, justitiam in illo Sacramento acceptam amitti non posse.

III. Quod ad materiam Sacramenti attinet, ejusque partes, Catholici summo consensu cum Concilio Trident. docent, tres poenitentis actus, Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem esse quasi materiam Sacramenti, ejusque veluti partes. Heterodoxi in eo quidem satis concordant, quod Catholicorum doctrinam contumeliose dilacerent; cum autem sua depromunt, ita omnia perturbant, ut difficile sit eorum discordes et inconditas sententias discutere. Nunc partes Poenitentiae assignant legem et Evangelium; nunc dolorem de peccato, et propositum vitae melioris; nunc contritionem et fidem, seu, ut *Palavicinus* refert, terrores conscientiae, et fidem; nam inter articulos Lutheri a Patribus Tridentinis damnatos hunc refert numero secundum *b)*: «Non sunt tres Poenitentiae partes, Contritio, Confessio, et Sa-«tisfactio; sed duae tantum, terrores scilicet incussi conscientiis

---

a) Art. de num. et usu Sacram. *b)* Lib. XII. hist. Conc. Trid. cap. X.

«agnito peccato, et fides concepta ex Evangelio vel absolutione, «qua credit quis sibi per Christum esse remissa peccata.»

Duas quoque Poenitentiae partes admittit *Calvinus a)*, quas *mortificationem* appellat et *vivificationem*. Neque putandum est, eum cum Lutheranis sentire, quandoquidem et hi non raro iisdem vocabulis utuntur. Calvinus per mortificationem non intelligit terrores conscientiae, sed mortificationem vitiorum, et spoliationem veteris hominis. «Proinde, ait, non parvo aliquo tempore, «sed tota vita poenitentia agenda est.» Item per vivificationem non intelligit fidem, seu fiduciam ex Evangelio conceptam, sed pium vivendi studium atque affectum ad bona opera. Si id tantum dicerent Novatores, in poenitente, ut salutem consequi possit, necessario requiri, ut exspoliato veteri homine novum induat, qui secundum Deum creatus sit, assentientes haberent omnes Catholicos; verum gravissimo errore decipiuntur, cum totam poenitentiae rationem in hoc collocant, et poenitentiae nomine non aliud quiddam quam emendationem vitae, aut resipiscentiam designari contendunt.

IV. Necesse non est, in his longius morari; quaedam adhuc singillatim excutiemus, cum partes Poenitentiae separatim prosequemur. Nunc observasse sufficiat generatim, parum interesse, an Sacramenti nomen Poenitentiae tribuant Protestantes, an non; cum certum sit, eos vim omnem, rationemque Sacramenti destruere. Nam cum hominem justum effici contendant, non propria justitia, sed ea, quae Christi est, et qua non auferantur, sed tegantur peccata; cum porro doceant, sola fide hanc Christi justitiam apprehendi; palam est ex eorum sententia, poenitentes Sacerdotum ministerio non indigere; palam est veram et judiciariam peccata remittendi potestatem in Ecclesia non existere; ac demum notionem ipsam Poenitentiae funditus everti.

§. II.

De notione Poenitentiae.

I. Novatores falsam omnino Poenitentiae notionem sibi finxerunt. Nam Poenitentiae nomine non aliud quiddam, quam emen-

---

a) Instit. lib. IV. cap. XIX.

dationem vitae, aut resipiscentiam significari contendunt; et si qui videntur dolorem aliquem admittere, et peccati detestationem, omnes tamen vindictam et poenas de peccatis sumendas quam maxime perhorrescunt. Nos dicimus Poenitentiam praeter erroris pristini cognitionem, et mutationem propositi, etiam dolorem animi continere, et facti ipsius punitionem: hanc quippe notionem vox ipsa poenitentiae vi sua et propria significatione complectitur, hanc quoque Scripturarum usus, et omnium saeculorum consensus probant.

1.° Poenitentiam a poena derivari nemo est qui possit ambigere, poena autem vindicta est praeteritae culpae, unde et prisci auctores verbum *poenio* pro *punio* usurpavere. Cum autem vindictam dicimus praeteritae culpae, non quamlibet vindictam intelligimus, sed illam liberam et voluntariam, qua reus ipse poenam eligit, aut impositam lubenti animo sustinet. Unde *Isidorus* in exhortatione ad poenitentiam hanc illius affert etymologiam: *A punitione poenitentia nomen accepit, quasi poenitentio, cum ipse homo punit poenitendo, quod male admisit.* Similia habet auctor vetus de vera et falsa poenitentia, qui *Augustini* nomine citari solet *a)*: *Poenitere est poenam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando.*

2.° Hanc porro poenitentiae significationem passim reperimus in Scripturis, et perpetua Ecclesiae Traditione usitatam. En quaedam Scripturae loca. Joël II.: *Convertimini in toto corde vestro, in jejunio, fletu et planctu. Scindite corda vestra.* Job. ult.: *Ago poenitentiam in favilla et cinere.* Matth. XI. Luc. X.: *Si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cinere et cilicio poenitentiam egissent.* II Cor. VII.: *Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur.* Ex Veterum testimoniis haec pauca sufficiant. *Tertull.* in libro quem de Poenitentia conscripsit, c. II. ait: *Ubi metus nullus, emendatio nulla, poenitentia necessario vana, quia caret fructu suo, cui eam Deus serit.* Vides hic adeo emendationem a poenitentia distingui veluti effectum a causa. Hanc dein describens c. 12. ait: *eam de ipso quoque habitu atque victu mandare, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare,*

a) Cap. IX.

animum moeroribus dejicere, illa quae peccavit tristi tractatione mutare, jejuniis preces alere, ingemiscere etc. Omnia quoque, quae ad poenitentiae notionem pertinere diximus, paucis his verbis complectitur *Lactantius a): Nec tamen deficiat aliquis, aut de se ipso desperet, si . . . ad injustitiae viam lapsus est: potest enim reduci ac liberari, si eum poeniteat actorum, et ad meliora conversus satisfaciat Deo.* Verum ne ethnicis quidem ignota fuit haec, quam supra exposuimus, poenitentiae significatio. Si *Tullius* de Alexandro ait *b)*: «Alexandrum regem vidimus, qui cum «interemisset Clitum familiarem suum, vix a se manus absti«nuit: tanta vis fuit poenitendi.»

II. Objiciunt tamen: Ubi latinus novi testamenti interpres poenitentiae vocabulum usurpat, in graeco fonte legitur μετάνοια, quae vox non significat poenam aut dolorem, sed sententiae tantum aut consilii mutationem, nam μετανοεῖν idem est ac resipiscere, in mentem redire. Ergo in usu sacrae Scripturae poenitentia nihil est aliud, quam nova vita; et poenitere idem est, ac sapere post erratum, et revocare mentem. Sed facile diluitur vanae eruditioni subnixa argumentatio. Equidem graecum μετάνοια, si vocis compositionem spectes, id significat, quod dicitur; verum vocum significatio ex usu et sermonis consuetudine repetenda est. At certum est, in Scripturis et ecclesiasticis Scriptoribus μετάνοιαν idem significare, quod nos per poenitentiam significari supra ostendimus, resipiscentiam nempe cum dolore animi, et vindicta peccatorum conjunctam. In locis enim supra citatis, ubi latine *poenitentia* dicitur, in Graeco μετάνοια est. Quinimo etiam profani auctores nomen hoc graecum pro dolore accipiunt, et errati punitione; finxerunt enim *Metaneam* Deam esse, cujus officium esset, punire eos, qui male egissent, aut praetermisissent aliquam bene agendi occasionem. Hinc *Ausonius* in celebri Disticho:

Sum Dea, quae facti, non factique exigo poenas,
Nempe ut poeniteat, sic Metanea vocor.

Vid. Morin. l. 1. cap. 1., ubi plura ejusmodi testimonia afferuntur. Siquidem etiam ethnicos Scriptores latere non potuit, quod

---

a) Inst. l. IV. *b)* Lib. IV. Tusculan. quaest.

in ipsa natura et recta ratione fundatum est, μετάνοιαν, aut veram mentis mutationem cogitari non posse absque dolore praeteritorum, et sincero delicti redimendi ac diluendi studio. Optime ergo Latini μετάνοιαν per poenitentiam interpretati sunt, quae ita vocatur quatenus nostra deflet aut punit delicta.

§. III.

De poenitentia, ut est virtus.

I. Theologi multas circa naturam poenitentiae quaestiones moverunt subtiles, et spinosas, scilicet: *An poenitentia sit virtus? An specialis virtus sit, an generalis tantum? An divinitus infusa, an acquisita, et moralis?* Item: *An sit Religionis virtus, an justitiae? An omnibus post Baptisma lapsis ad salutem necessaria? etc.* Verum haec ejus generis non sunt, ut longiorem disquisitionem exigant, aut mereantur. Illud imprimis meminisse oportet, nos ad rationem Sacramenti hic non attendere, sed generatim de ea poenitentia loqui, quam superiori §. descripsimus, qua *David* delicta expiavit, qua *Ninivitae* veniam consecuti sunt, quam *Prophetae*, quam *Joannes*, et *Deus* ipse Judaeis praedicarunt. De hac mirum est dubitasse quosdam, an possit virtutis nomine donari. Nobis videtur, eam merito non tantum virtutem, sed virtutum magistram a S. *Chrysostomo* vocari *a)*. Quid enim potest cogitari laudabilius, et Deo acceptius, quam ea, quae male egimus emendare, peccatum, ut Dei offensa est, detestari, et Deo satisfacere?

II. Illud quoque perspicuum est, poenitentiam non alterius virtutis actum esse, sed virtutem specialem: habet enim proprium suum motivum, et intrinsecum finem: nempe ut peccatum destruat, quatenus est offensa Dei, et quod male actum est resarciat, quantum potest. Jam parum interest, an haec poenitentiae virtus ad Charitatem aut Religionem, an ad Justitiam referatur. Nam et Religionis pars est deflere peccata, et Deo cor offerre contritum et humilitatum. Verum haec ipsa poenitentia, in quantum praeter dolorem et vitae emendationem, etiam poenam con-

a) Hom. XXIII. in Matth.

tinet, quam peccator de se ipso sumit propter offensam Dei, necessario continet compensationem et satisfactionem, quae ad justitiam omnino pertinent, atque hac ratione merito dicitur partem aliquam justitiae efficere.

III. Si tandem quaeritur, an poenitentia ut virtus (de hac enim in praesentia agimus) ad salutem necessaria sit; non potest esse in suspenso sententia nostra: id enim Scriptura, id omnis antiquitas, et diffusa per totum terrarum orbem Ecclesia constanter proclamavit, non esse aliud peccantibus remedium, praeter poenitentiam. *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet, et non morietur.* Ezech. XVIII. Eccles. XXI.: *Fili, peccasti! Non adjicias iterum, sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Quae verba tractans S. *August.* ait *a): Si a peccato desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret, ut hoc nos Scriptura moneret: Fili, peccasti! non adjicias iterum: non autem sufficit, sed addidit: Et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Accedunt illa tam expressa verba Salvatoris: *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Luc. XIII. Hinc *Trident.* Sess. XIV. cap. IV. de contritione agens, in qua potissimum virtus poenitentiae consistit, haec ait: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandum veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Porro quod Concilium de iis etiam intelligi velit, qui ante susceptum Baptisma peccato mortali sese maculaverunt, ex his ejus verbis perspicuum est Sess. VI. cap. VI., ubi de praeparatione ad justificationem loquens inter alia ait: *Propterea moveatur adversus peccata per odium aliquod et detestationem; hoc est, per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Vid. harum institut. T. IV. p. 14. *Catech. Rom.* de poenit. imprimis Quaest. VII., ubi juxta Concilii Trid. doctrinam exponitur, quibus veluti gradibus ad divinam hanc poenitentiae virtutem ascendatur.

Nunc de iis, quae ad rationem Sacramenti pertinent, paulo uberius disserendum est. Jam diximus Poenitentiae Sacramentum multis modis fuisse a Novatoribus impugnatum. Hi porro virus suum partim ab antiquis Montanistarum et

---

a) Lib. I. de nupt. et concup. cap. XXXI.

Novatianorum sectis mutuati sunt, partim ad veteres errores ab Ecclesia jam damnatos novos adjunxerunt. Primum quidem potestatem Clavium impugnant, ut, ita fundamento subruto, tota de Sacramento poenitentiae doctrina corruat. Tum Sacramentum ipsum aggrediuntur, illudque ita dilacerant, ut nullam Catholici dogmatis partem intactam relinquant. Nostrum est, Ecclesiae doctrinam contra Haereticorum calumnias vindicare; unde haec nobis sunt imprimis hoc loco facienda: 1.° De eo agendum est, quod est totius quaestionis fundamentum, nempe de potestate Clavium. 2.° Probanda est Sacramenti existentia et necessitas. 3.° De Materia et forma, 4.° demum de Ministro et Sacramenti effectis dicendum.

ARTICULUS I.

De potestate Clavium.

Examinabimus I. An potestas clavium a Christo data fuerit Ecclesiae. II. An ad omnia prorsus peccata se extendat. III. An ad solos Sacerdotes pertineat. IV. An actus, quo haec potestas exercetur, sit judicialis. — Vid. quae ab initio de Haereticorum erroribus dicta sunt.

§. I.

PROPOSITIO.

Christus Ecclesiae commisit potestatem Clavium, seu potestatem remittendi, aut retinendi peccata.

Prob. I. *Ex Script.* Notissima sunt Scripturae sacrae testimonia, quibus Patres omnes usi sunt contra Montanistas et Novatianos. Primo loco ea nominanda sunt, quae promissionem continent potestatis. Sic Matth. XVIII. Christus ad Apostolos ait: *Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Eadem Petro cap. XVI. jam dicta fuerant cum hac additione: *Tibi dabo claves regni coelorum; quodcunque ligaveris* etc. Per claves intelligitur po-

testas aperiendi regnum coelorum, ac proinde absolvendi a peccatis, per quae regnum coelorum clauditur. Quod autem Petro primum promissa sit haec potestas, probat capitis praeeminentiam: deinde toti Ecclesiae promissum est, quod Petro promissum est, in quo tota Ecclesia fuit. Haec Patrum communis interpretatio est: atque ipse *Tertull.*, qui postea Montanista factus est, in Scorpiaco, c. X. diserte ait: *Si adhuc clausum putas coelum, memento claves hic Dominum Petro et per eum Ecclesiae reliquisse.*

2.º Quae Christus Apostolis promiserat, de facto contulit Joan. XX., quod his verbis docet Trident. Sess. XIV. cap. I. *Dominus Sacramentum poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.* Ne quis autem verba Christi ad alium sensum detorquere praesumeret, Concilium Textum illum vere dogmaticum esse declaravit statuto canone: ita enim ait ejusdem Sess. Can. III.: *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento Poenitentiae, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem praedicandi Evangelium, anathema sit.*

Prob II. *Ex Traditione. Concil. Trid.* ut vidimus, ad veteris Ecclesiae doctrinam et universorum Patrum consensum appellat; et merito: nam quae Ecclesiae Catholicae fides ab initio et posthac fuerit, tot argumentis probatur, quot extant Decreta Conciliorum, Patrum statuta, librorum poenitentialium sanctiones, quae pro variis temporibus et

occasionibus, de agenda poenitentia, de poenis infligendis, vel temperandis emanarunt.

Facillimum esset continuatam Patrum Traditionem prolatis eorum testimoniis probare. *Hermas*, qui inter Apostolorum discipulos numeratur, lib. III. similitudine VI. VII. et VIII. singulis peccatis poenitentiae modum praescribit et certam spem veniae facit. Equidem *Tertull.* hujus libri auctoritatem, quantum potest, elevat; verum hoc ipsum probat, Catholicos eo tempore illum laudasse adversus Montanistas. Caeterum *Justinus*, *Clemens Alex.*, *Athanasius* aliique summae sanctitatis et eruditionis viri hunc scriptorem magnis laudibus efferunt; quin et *Tertull.* eundem probat alio loco *a)*.

Quae *Tertulliani* tempore Ecclesiae Catholicae doctrina fuerit nulla ratione melius probari potest, quam ex hujus ipsius Patris testimonio. Hic in limine libri de pudicitia, cum jam ad Montani sectam defecisset, se a pristina sententia et a Catholicorum, quos *Psychicos* vocat, doctrina discedere aperte declarat. *Erit igitur et hic adversus Psychicos titulus*, ait, *adversus meae quoque sententiae retro penes illos societatem: quo magis mihi in notam levitatis objicient.*

Cum deinde Novatiani potestatem clavium impugnarunt, acriter pro fide Catholica dimicavit S. *Cyprianus*, qui nascentem haeresin a fundamentis evertit. Inter alia ita habet Epist. LIV. ad Cornel. Papam: *Statueramus jam pridem, ut qui in persecutione . . . lapsi fuissent, agerent diu poenitentiam plenam, et si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent . . . quando promisit ipse, qui legem dedit, ut ligata in terris etiam in coelis ligata essent; solvi autem possint illic, quae hic prius in Ecclesia solverentur.* Pluribus enumerandis supersedemus; probatur enim haec nostra assertio omnibus illis testimoniis, quae in tractationis hujus decursu proferemus.

CONFUTANTUR ARGUMENTA ADVERSANTIUM.

Dicunt. I. Loca Scripturae, quae in probatione citata sunt, non probant, potestatem remittendi peccata ad Ecclesiam trans-

a) Lib. de orat. cap. XII.

iisse, sed tantum eam Petro concessam esse et Apostolis. — Ergo etc.

Resp. nego ant. Eadem ratio, quae Christum impulit, ut Apostolis potestatem faceret dimittendi peccata, exigit etiam, ut haec potestas in Ecclesia perduret. Hinc et Patres verba Christi non aliter, quam de Ecclesia intellexerunt, id enim exigit sensus communis Christianorum, et analogia, quam loca illa habent cum aliis Christi sententiis, quas ne Adversarii quidem negant ad totam Ecclesiam pertinere. Hoc argumentum ita versat S. *Pacianus* contra Novatianos *a)*: *Ergo et baptizare solis licet Apostolis et Spiritum sanctum dare solis, et solis, gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis, quam Apostolis imperatum est?... Si ergo et Lavacri et Chrismatis potestas, majorum longe Charismatum ad Episcopos inde descendit; et ligandi quoque jus adfuit et solvendi.* Quae supra ex *Tertulliano* adduximus, probant, eum optime intellexisse, verba Christi Matth. XVI. ad solum Petrum restringi non posse. *Memento Dominum*, inquit, *claves Petro et per eum Ecclesiae reliquisse.*

Dicunt II. Potestas ligandi et solvendi, quae Petro et Apostolis data est, ad Baptismi Sacramentum pertinet, non ad peccata post Baptismum commissa. Ergo etc.

Resp. nego ant. Ita quidem Montanistae et Novatiani verba Christi interpretati sunt; sed contradixit tota Ecclesia, eosque violatae fidei damnavit. Scriptura et Patres clare distinguunt inter Baptismum et Poenitentiam, tanquam inter duo plane diversa, utpote quae seorsim sunt a Christo instituta et praescripta. Plura de hac re Art. II. dicemus, ubi Sacramentum Poenitentiae a Baptismo distinctum esse probabimus.

Instant. Ex Scripturis constat, eos, qui post Baptismum in peccatum inciderint, nullam habere spem veniae; atqui si nulla remissio post Baptismum, nulla quoque potestas remittendi. Ergo etc.

Prob. maj. ex loco illo percelebri ad Hebraeos VI.: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste et participes facti sunt Spiritus sancti . . . et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam; rursus crucifigentes sibimetipsis*

---

a) Epist. I. ad Sympron.

filium Dei et ostentui habentes. His consona sunt, quae cap. X, 26. ejusdem Epist. leguntur: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.*

Resp. Varia est Patrum et Doctorum ad haec loca interpretatio; et quamvis non omnes eodem modo verba intelligant, omnes tamen in eo laborant, ut illa eripiant Novatianis. Dicunt autem Veteres quamplurimi, ut *Ambros. a)*, *Augustin. b)* etc. Apostolum de poenitentia loqui, quae fit in Baptismo, quae utique iterari non potest. Sensus ergo est: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati* per Baptismum (Baptisma enim Veteribus illuminatio dicitur), *gustaverunt etiam donum coeleste* per S. Eucharistiae participationem, *et participes facti sunt Spiritus sancti* per Confirmationis Sacramentum (haec tria prisco tempore simul conferebantur): *rursus renovari ad poenitentiam*, id est: peccata iterato Baptismate expiare. Hunc sensum indicat vox *renovari*, quae fere Baptismo datur, unde Apost. ad Tit. III. Baptismum vocat *lavacrum regenerationis et renovationis.* — Alii, et meliori forsan jure putant Apostolum de crimine Apostasiae locutum esse, et per modum loquendi, qui a sacris litteris alienus non est, impossibile dixisse, quod nonnisi cum ingenti difficultate fieri potest. Hac ratione verba haec Apostoli: *rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, et ostentui habentes...* sensum habent planum et naturalem. Nam Judaei (de his enim sermo habetur), qui suscepto Baptismate post tot insignia lumina et dona coelestia, a Christo iterum prolapsi sunt ad judaismum, illis denuo sociabantur, qui Christum crucifixerunt et ostentui habuerunt; cumque hac ratione omnibus, quae ab illis facta sunt, iterum assensum darent, recte dici poterant, rursus crucifixisse Christum in semetipsis.

Eadem fere responsio est ad locum ex cap. X. objectum. Forsan id vult Apostolus, post Baptismum lapsis alium Baptismum non superesse. Forsan etiam de crimine Apostasiae sermo est; ait enim: *Post acceptam notitiam veritatis.* Sensus itaque esset: voluntarie peccantibus, seu desciscentibus ab Ecclesia et fide, non relinquitur pro peccatis hostia: nam neque Christus illis relinquitur, utpote quem abnegarunt, neque alius Messias, qui nullus

---

a) Lib. II. de Poenit. *b)* Expos. Epistolae ad Rom.

est; nec legis sacrificia, utpote infirma et jam abolita. — Vid. *Cornel. a Lap.* in haec loca. *Maldonatum* de poenit. etc.

Dicunt III. 1.° Potestas remittendi peccata Ecclesiae citra Dei injuriam vindicari non potest. *Ego ipse sum*, ait *Dominus a)*, *qui deleo iniquitates tuas.* 2.° Ad eum solum pertinet condonare offensam, cui facta est injuria: atqui in Deum solum offendimus peccando; ergo etc. Minor propositio multis Scripturae locis probari potest; ut Ps. 4. *Tibi soli peccavi* etc.

Resp. ad I. Satis esset respondere, quae S. *Ambros.* olim respondit Novatianis idem objicientibus *b)*: *Quis est, qui Deum honorat? An qui mandatis ejus paret? An qui resistit? Nos paremus et credimus Christo dicenti: Quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata: et quaecunque solveritis, erunt soluta; isti resistunt, dum non credunt.* Praeterea Novatiani concedebant, Sacerdotes remittere peccata per Baptismum; unde eos *Ambros.* iterum premit hoc modo *c)*: *Si Sacerdotes non faciunt Christo injuriam, dum per Baptismum peccata remittunt, quomodo faciunt injuriam Christo per poenitentiam peccata remittentes?* At neque in Baptismo, neque in Poenitentiae Sacramento injuria infertur Deo; quia Sacerdos non propria authoritate agit, sed ut Minister et personam gerens Christi.

Ad II. Totum hoc Argumentum iterum in falsa suppositione versatur. Supponit enim homines, quae contra Deum commissa sunt, propria authoritate relaxare: at non ita est, ut diximus; nam qui potestatem clavium exercent inter nos, non suo nomine agunt, sed authoritate accepta a Christo. Hinc *Pacianus* ad Sympronianum Novatianum ait *d)*: *Quod ego facio, id non meo jure, sed Domini: Dei enim sumus adjutores.*

Instant. Denegari quidem Ecclesiae non potest auctoritas quaedam ligandi, seu poenarum vincula imponendi: at certe solvendi potestas non potest nisi Deo competere.

Resp. Optime observat S. *Ambros. e)* ad eandem pertinere potestatem, ligare et solvere. *Dominus*, inquit, *par jus esse voluit solvendi et ligandi, qui utrumque pari conditione permisit.* Quaenam autem haec esset poenitentia, quae nullam spem veniae

---

a) Isaiae cap. 43. *b)* Lib. I. de poenit. cap. 2. *c)* Eod. cap.
d) Epist. III. *e)* Lib. I. de poenit. cap. 2.

haberet? *Nemo potest bene agere poenitentiam*, ut idem S. *Ambrosius a)* ait, *nisi qui speraverit indulgentiam.*

§. II.

An potestas clavium ad omnia peccata se extendat.

PROPOSITIO.

Nullum est peccatum, quod non remitti possit per potestatem clavium Ecclesiae concessam.

Probatur. Ex testimoniis priore propositione relatis manifestum est, potestatem solvendi Apostolis concessam, nullis limitibus circumscribi. *Quorum remiseritis peccata*, ait Christus, *remittuntur eis.* Et expressius adhuc Matth. XVI. et XVIII.: *Quodcunque solveris. Quaecunque solveritis.* Nulla hic peccati publici aut occulti, nulla levis, aut gravioris culpae discretio. — Praeterea nullum esse peccatum, quantumvis grave illud sit, quod non possit potestate clavium remitti, ex ipsa agendi ratione Apostolorum palam est. Sic *Paulus* Corinthium, quem propter gravissimum crimen satanae tradiderat, II Cor. II. iterum Ecclesiae restituit. Hoc argumentum ita contra Novatianos urget S. *Ambros. b)*: *Cum igitur Apostolus peccatum remiserit, qua vos auctoritate dimittendum negatis? Quis reverentior Christo, Novatianus, an Paulus?* Eadem auctoritate dimittendi peccata usus est S. *Joannes*, de quo *Clemens Alex.* apud Eusebium narrat *c)*, quod juvenem, qui perditissimam vitam inter latrones agebat, quasi ovem perditam, cum admirabili charitate quaesierit et inventum, ac poenitentiae lacrymis purgatum communioni restituerit.

Constat quoque, hanc semper communem Ecclesiae fidem fuisse, quod nulla sint peccata irremissibilia. In hanc sententiam Patres parabolas ovis et Drachmae perditae, filii prodigi benigne a Patre recepti et alia multa afferebant.

---

a) Lib. de poenit. cap. 1. *b)* Lib. I. de poenit. cap. XVI. *c)* L. III. hist. cap. XXIII.

Eadem Ecclesiae traditio elucet maxime ex innumeris veterum temporum monumentis, ut sunt statuta Patrum, librorum poenitentialium sanctiones, quibus pro peccatis etiam gravissimis certus poenitentiae modus praescribitur. Sed ubi est lex poenitentiae, necessario adesse debet spes indulgentiae. *Nemo potest bene agere poenitentiam*, ait *Ambros. a)*, *nisi qui speraverit indulgentiam.*

OPPOSITIONES.

Opponunt I. ex Scripturis, quae de peccatis quibusdam ita loquuntur, ut nullum videantur poenitentiae locum relinquere. Sic I Reg. 11. dicitur: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Deum quis peccaverit, quis pro eo orabit?* Et I Joan. V.: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* His addunt exemplum Antiochi, de quo II *Macchab.* IX. legitur, quod poenitentiam habuerit, nec tamen misericordiam a Deo sit consecutus: et quae de Esau tradit Apostol. Hebr. XII.: *Non invenit poenitentiae locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.*

Resp. Illa, quae ex lib. I Reg. citantur, non sunt verba autoris sacri, sed Heli Sacerdotis filios suos increpantis. Deinde Heli non ait: Nemo orabit pro eo, sed quis orabit? difficultatem ostendens, ut ejusmodi peccata, quibus Sacerdotium et sacrificia ab ipsis Dei Ministris polluuntur, intercessorem inveniant apud Deum. Nam, ut S. *Gregor.* ait: *Quis ei intercessor remanet, cum ille se transgrediendo praecipitet, qui ad intercedendum pro aliis ordinatus est?* Non convenit inter interpretes, quid S. *Joannes* intelligat per peccatum ad mortem. Multi censent Apostolum loqui de peccatis in quibus permanetur usque ad mortem. Alii impiissimum apostasiae crimen intelligunt, quo fidelis a fide et Ecclesia desciscens, illam malitiose impugnat, aliosque pervertere satagit. Quid autem homini, qui obstinato animo contra certissima veritatis argumenta pugnat, prodesse poterit aliorum oratio?

Quae subjiciuntur de Antiocho et Esau, nullius sunt momenti. Antiochi poenitentia falsa erat, non enim Dei offensam flebat,

---

a) De poenit. cap. I.

sed corporis cruciatus. An Esau a salute exclusus fuerit, non examinamus; id certum, ut jam alio loco observavimus, Apostolum de jure primogeniturae loqui, quod Esau profana ac stulta venditione amiserat. Potest etiam non incommode dici, Apostoli sensum esse, quod Esau etiam multis lacrymis non potuerit efficere, ut Isaacum facti poeniteret, atque datam Jacobo benedictionem revocaret. Ita vox poenitentiae ad Isaac pertineret, non ad Esau.

Opponunt II. verba Christi Matth. XII.: *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiae non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro.* Ergo est aliquod genus peccati omnino irremissibile.

Resp. neg. conseq. Blasphemia in Spiritum sanctum irremissibilis dicitur tantum comparate ad alia peccata, quae facilius condonantur. Ita Patres verba Christi interpretantur, atque passim docent, nihil ex iis adversus Ecclesiae potestatem concludi posse. Dicunt autem, blasphemiam in Spiritum sanctum eam esse, per quam homo manifestae veritati ultro obsistit, et Spiritus sancti opera daemoni adscribit, quemadmodum a Pharisaeis id actum esse legimus. Ejusmodi peccatum vix remitti potest ob pravam animi dispositionem. Quis enim excusationi locus esse potest hominibus ita obduratis, ut oculos claudant evidentissimae veritati? *In caeteris peccatis*, ait S. *Pacianus a)*, *aut errore labimur, aut frangimur metu, aut carnis infirmitate superamur* . . . at in hac de qua loquimur blasphemia nihil est, quod ejus gravitatem possit aliquo modo elevare. Nec tamen absolute irremissibile est hoc peccatum, cum revera dilutum fuerit in multis, qui postea (Actor. II et IV.) baptizati sunt in nomine Jesu in remissionem peccatorum. Hoc totum ita explicat S. *Chrysost. b)*: *Spiritusne, inquies, blasphemiae non dimittetur poenitentibus? Quod omnino falsum esse patet, nam et hoc peccatum dimissum scimus... Quod igitur est, quod dicis? Significare voluit, multo minus hoc esse ignoscibile, ac veniale. Quamnam ob rem? Quia videlicet quisnam esset Christus ignorabant;*

---

a) Epist. III. *b*) Hom. XLII. in Matth.

Spiritus autem sancti potentia multis et magnis signis se ipsam manifestaverat.

Scholion. Adversarii loca quaedam corradunt ex scriptis Patrum, ut *Origenis*, *Hilarii*, *Ambrosii*, *Hieronymi* etc. ad quae non possumus singillatim respondere. Diluuntur autem haec argumenta eadem fere ratione, ac ea quae supra exposuimus ex Scriptura deducta. Notandum porro, inter Patres, qui nobis opponuntur, plures esse, qui contra Novatianos strenue pro fide Catholica decertarunt: cum autem Novatiani docerent, omnia peccata, aut saltem graviora esse irremissibilia, et in sententiae suae patrocinium afferrent illa verba Matth. XII.: *Qui dixerit* (blasphemiam) *contra Spiritum sanctum, non remittetur*, factum est hinc inde, ut Patres darent quidem, non autem concederent, quod blasphemia in Spiritum sanctum sit irremissibilis; at simul ostenderent, male exinde inferri a Novatianis, omnia, aut saltem gravia quaeque peccata esse irremissibilia. Neque illud est praetereundum, fuisse olim quasdam Ecclesias particulares, quae moechis et aliis magnorum criminum reis communionem etiam in mortis articulo negarent, non quod in fide dissentirent ab aliis Ecclesiis, sed nimio quodam disciplinae rigore. Vid. *Cyp.* Ep. LV. ad Anton. Hunc usum graviter reprobat S. *August. a*). *Illi*, inquit, *qui in totum locum poenitentiae contra adulteros claudebant, impie utique agebant, qui membris Christi sanitatem negabant, et claves Ecclesiae pulsantibus subtrahebant.*

§. III.

Ad quem potestas clavium pertineat.

PROPOSITIO.

Potestas clavium pertinet ad solos Sacerdotes.

Concil. Trident. Sess. XIV. Can. X. ait:

Si quis dixerit . . . non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: Quaecunque ligaveritis etc. et: Quorum remiseritis

---

a) Ep. XCIII. n. 41. 42.

peccata etc., quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata: anathema sit.

Probat. Canon Concilii, cum fidem adstruit, simul interpretationem continet verborum Christi authenticam et a legitimo controversiarum judice datam. Neque in hoc novum quiddam statuit Synodus, sed illud solemni decreto pronuntiat, quod ubique, quod ab omnibus, quod semper creditum fuit, id est, quod vere Catholicum est. Idem sancta Synodus ejusdem Sess. cap. 1. expresse declarat. Postquam enim insufflationem in Apostolos et verba Christi: *Accipite Spiritum sanctum* etc., retulisset, ita pergit: *Quo tam insigni facto, et verbis tam perspicuis potestatem retinendi et remittendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos Apostolis, et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam universorum Patrum consensus semper intellexit.* Porro quod Concilium per legitimos Apostolorum successores non solos Episcopos, sed generatim primi et secundi ordinis Sacerdotes intelligat, tum ex Canone citato, tum ex Capite VI. hujus Sessionis evidens est.

Ergo potestas Clavium ex institutione Christi pertinet ad Presbyteros, neque ad alios, praeter eos. Haec doctrina est Patrum et Conciliorum; in hoc consentiunt Ecclesiae omnes, Graeci cum Latinis et cum Occidente totus Oriens, quamvis in sectas innumeras divisus, ita ut nunquam auditum fuerit in Ecclesia, alios quam Presbyteros potestatem habere remittendi peccata. Igitur inutile est testimoniorum numero certare, ubi de re agitur, quae in omnium oculos incurrit. Novatoribus tamen testes citabimus ex latinis Patribus unum, et unum ex Graecis. S. *Ambros.* lib. I. de poenit. cap. II. de potestate absolvendi a peccatis loquens ait: *Jus hoc solis permissum est Sacerdotibus.* Et lib. II. cap. II.: *Impossibile videbatur per poenitentiam peccata dimitti; concessit hoc Christus Apostolis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est.* S. *Chrysostomus* libro III. de Sacerdotio inter alia haec habet de Sacerdotibus loquens: *Quid hoc aliud esse dicas, nisi omnium rerum coelestium potestatem illis a Deo concessam? Quorumcunque, ait, peccata retinueritis, retenta sunt. Quaenam, obsecro, potestas hac*

una major esse queat? Pater omnifariam filio potestatem dedit: caeterum video, ipsam eandem omnifariam potestatem a Deo filio illis (Sacerdotibus) *traditam.*

OBJECTIONES.

Obj. I. Ideo potestatem clavium ad solos Sacerdotes restringimus, quia solis Apostolis dictum est: *Quaecunque solveritis etc.:* atqui haec ratio nulla est; nam solis quoque Apostolis dictum est: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* Sed nemo ignorat, valere Baptismum etiam a laicis datum.

Resp. neg. maj. Nos ex solis Christi verbis non concludimus, sed ea ex communi omnium saeculorum et Ecclesiarum Traditione interpretamur. At eadem Traditio docet nos Baptisma in casu necessitatis etiam a laicis administrari posse. Rationem affert S. *Thomas a*): *Baptismus est magis Sacramentum necessitatis, quam Poenitentia, quantum ad confessionem, et absolutionem: quia quandoque Baptismus praetermitti non potest sine periculo salutis aeternae, ut patet in pueris, qui non habent usum rationis. Sed non est ita de confessione et absolutione, quae tantum ad adultos pertinet, in quibus contritio cum proposito confitendi et desiderio absolutionis sufficit ad liberandum a morte aeterna.*

Instant. Hic ipse S. *Thomas* alio loco de ministro Poenitentiae ita loquitur *b*): *Minister Poenitentiae, cui confessio est facienda ex officio, est Sacerdos: sed in necessitate etiam laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit.* In eadem opinione fuerunt et alii non levis eruditionis viri, quos citat *Morinus c*), qui etiam factum refert ex vita S. *Ludovici* a D. *Joinville* Campaniae Senescallo conscripta, in qua auctor narrat, quod, cum Saraceni districto ense in navim irruerent, *Guido* quidam magister equitum ad ejus pedes provocatus confessionem peccatorum suorum fecerit. Addit autem: *Adonc lui donnai telle absolution, dont Dieu m'avait donné le pouvoir; et de tout ce, qu'il me dit, onc mot ne me récordai.* Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Fuerunt quidem autores, qui putarent, confessionem, ubi Sacerdos haberi non potest, laico faciendam

---

a) Suppl. q. VIII. Art. 1. ad 2. *b*) In 4. dist. 17. q. 3. Art. 3. *c*) Lib. VIII. cap. 24.

esse. At ii simul docuerunt, ejusmodi absolutionem non esse sacramentalem, et peccata sic confessa denuo, si fieri potest, clavibus esse subjicienda. *Ille, qui laico confitetur*, ait S. *Thomas a), quamvis impleat, quod ex parte sua est de sacramentali confessione, tamen sacramentalem confessionem non consequitur.* Et *Magister Sententiarum b): Tanta vis est confessionis, ut, si deest Sacerdos, confiteatur poenitens proximo. Et, si ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habet, fit tamen dignus venia ex desiderio Sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis.* Et certe, diffitendum non est, ejusmodi confessionem, quamvis nec sacramentalis sit, nec necessaria, utilem tamen fore, quia humilitatem et pudorem in poenitente, imo et dolorem excitat de peccatis admissis, et ea ratione Deum ad misericordiam flectit: quapropter merito speratur, si vera contritio in corde est, defectum Sacerdotis a summo Sacerdote suppleri.

Objic. II. Jocobi V. dicitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ergo et laici possunt peccata remittere, ad id enim fit confessio, ut peccatorum vincula solvantur.

Resp. nego conseq. Hujus loci non una est interpretatio. Multi illum intelligunt de sacramentali confessione, quae fit Sacerdotibus. Si quidem S. Apostolus loquitur de extrema unctione per *Presbyteros Ecclesiae* ministranda. Hujus autem Sacramenti effectus explicans ait: *Et oratio fidei salvabit infirmum... et si in peccatis sit, remittentur ei.* Deinde sequitur veluti praecedentium conclusio: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra...* ut ostendat, remissionem peccatorum non fieri absque confessione Presbyteris facta. Quod autem ait: *Confitemini alterutrum*, sensus est: Confitemini non soli Deo, sed hominibus, qui inter vos sunt, et ad hoc potestatem habent. Sic *Paulus* vult *c)*, ut *fideles* subjecti sint *invicem;* et *Petrus d)*, ut sint *invicem hospitales;* id est, ut inferiores subjecti sint superioribus; ut divites, et qui domos habent hospitalitatem exerceant. Eodem sensu optime dicitur: Docete invicem, curate invicem etc. Merito igitur Hugo a S. Victore: *Confitemini alterutrum*, inquit, *hoc est, homines hominibus, oves Pastoribus, subjecti Praelatis, laici*

---

a) Dist. 20. q. unica Art. 1. *b)* Lib. IV. dist. 17. *c)* Ephes. V. 21. *d)* Epist. I. cap. IV.

Sacerdotibus, ii, qui habent peccata, iis, qui peccata dimittendi potestatem habent.

Sunt tamen non pauci, qui contendunt, S. *Jacobum* id unum velle, ut candide fateamur peccata nostra, neque ea proterve excusemus: quapropter ejus verba de ea confessione interpretantur, quae etiam laicis fieret, sive reconciliationis mutuae causa, sive humilitatis studio, sive ad petendum consilium et auxilium. Dicunt autem, merito S. Apostolum hanc confessionem commendare, propter magnas, quas Fideles exinde percipere possint, utilitates.

Objic. III. S. *Cyprianus* Ep. XII., quae est ad Presbyteros et Diaconos Carthaginenses, jubet poenitentes exomologesin facere *Diacono*, et ab eo absolutionem accipere, si Presbyter non adsit: *ut manu eis in poenitentiam imposita, veniant ad Dominum in pace.* In eadem sententia fuerunt Concilia quaedam, ut *Eliberitanum*, *Tolet.* I., *Eboracense* etc. et plures mediae aetatis Scriptores. Ergo solvendi potestas etiam Diaconis concedi potest.

Resp. dist. conseq. Ergo Diaconis concedi potest potestas solvendi in foro exteriori a poenis et censuris Ecclesiae, *conc.* Potestas solvendi in foro interno, seu absolvendi a peccatis, *nego.* Duplex semper in Ecclesia fuit absolutio, duplex exomologesis; una sacramentalis, quae ad solos Presbyteros pertinet, neque unquam aliis concessa fuit: alia, per quam poenitentes reconciliantur consortio Christianorum, et legibus poenitentiae publicae soluti, ad sacrae communionis participationem admittuntur. Hanc quoque nullo non tempore Episcopi et Presbyteri ordinario jure exercebant; attamen et aliis concedi poterat per delegationem, imprimis Diaconis. Nunc patet, quid S. Cyprianus, quid Concilia et auctores illi voluerint, quorum nobis auctoritas objicitur. Voluerunt nempe, ut etiam gravissimorum criminum rei, si vere poenitentes fuerint, urgente necessitate reconciliarentur, ne extra Ecclesiam e vita discederent. Et quidem, si Presbyter aderat, perfecta erat reconciliatio, cum absolutione sacramentali conjuncta. Ubi autem non aderant Presbyteri, permissum erat Diaconis, ut eorum vicem, quantum poterant, supplerent; id est, ut accepta eorum exomologesi manus eis imponerent in poenitentia, quam, si convaluerint, peragere tenebantur; deinde ab excommunicatione, qua sacris interdicebantur, eos absolverent, et Ecclesiae reconciliatos viatico corporis Christi

reficerent, ut ita cum pace venirent ad Dominum. In hac enim corporis Dominici communione maximam vim ponebant Veteres, haec tessera erat plenae reconciliationis, et pacis ecclesiasticae sigillum. Neque illud obest, quod Eucharistia data fuisset nulla praemissa sacramentali absolutione: sciebant enim, Deum non deesse iis, qui id omne faciunt, quod praestare possunt, et, ubi vera est animi contritio, cum voto percipiendae absolutionis, defectum Sacerdotis a summo Sacerdote suppleri. Cfr. *Continuator Tournelli* Tom. XI. de ministro Poenitentiae, ubi etiam eos confutat, qui docent, Cyprianum, pluresque olim Ecclesias particulares in ea fuisse sententia, quod Diaconi possint urgente necessitate sacramentaliter absolvere.

§. IV.

An potestas clavium sit judicalis.

PROPOSITIO.

Potestas clavium a Christo Sacerdotibus concessa judicialis est.

I. Probatur haec propositio ex illis ipsis Scripturae verbis, quae supra ex Matth. XVIII. protulimus. Cum Christus Sacerdotibus potestatem concessit ligandi et solvendi, mens ejus certe non fuit, ut hi praedicarent tantum et medium subministrarent peccatoribus, quo veniam a Domino consequi possunt; sed ut facta inquisitione et causa cognita, quos dignos judicaverint, solverent, reliquis peccata retinerent; hoc enim verba ipsa ita exprimunt, ut non possint aliter intelligi.

II. Manifeste iterum haec res ostenditur ex verbis Joannis XX.: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos; quorum* etc. Cum igitur Filius Dei, homo Christus Jesus, cui omne judicium datum est (Joan. V.), omnisque potestas in coelo et in terra, dixerit Apostolis: *Sicut misit me Pater* etc., ambigi nulla ratione potest, eos esse judices peccatorum a Christo Domino constitutos.

III. Id quoque perpetua Ecclesiae Traditione et antiquorum Patrum testimonio edocemur, non alium esse verborum

Christi intellectum, praeter eum, quem attulimus. Quando Patres contra Novatianos egerunt, non erat illis controversia de potestate ministerii, qualem Protestantes admittunt, et quae in praedicatione Evangelii sita est, hanc enim Novatiani ultro agnoscebant; sed agebatur de potestate judicii, quam Novatiani negabant; et cum hi pertenderent, soli Christo datum esse, ut judicium faceret, responderunt Patres, potestatem Sacerdotum ipsius Christi potestatem esse. *Quod per Sacerdotes facit, ipsius Christi potestas est*, inquit *Pacianus a)*. Caeterum potestas ligandi et solvendi, aut remittendi peccata, si vere talis est, non potest exerceri nisi judicialiter; et Patres, cum de hac potestate loquuntur, passim dicunt, Sacerdotes jus dicere, judicium facere, sententiam pronuntiare in peccatores. Sic *Greg.* M. exponens haec verba Evang.: *Quorum remiseritis* etc., ait *b)*: *Principatum divini judicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.* S. *Ambros.* sic refellit Novatianos *c)*: *Haeresis vult ligare, quod non resolvat; non vult solvere, quod ligavit, in quo se sua damnat sententia: Dominus enim par jus esse voluit et solvendi et ligandi, qui utrumque pari conditione permisit.* S. *Chrysostomus d)*: *A terra principalem autoritatem sumit coelum: nam judex sedet in terra, Dominus sequitur servum.*

IV. *Concilium Florentinum* in Decreto ait, quod minister Poenitentiae sit Sacerdos, habens jurisdictionem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione Superioris; ergo, si jurisdictionis potestas in ministro requiritur, perspicuum est, ejus officium esse judiciale ex institutione Christi. Unde *Concilium Trident.* Sess. XIV. necessitatem jurisdictionis in ministro, et confessionis ex parte poenitentis ex hoc fonte derivat, quod is, qui potestatem clavium exercet, actum judicialem exerceat. Vide cap. V. et VII. — Cap. II. hoc ait inter Baptisma et poenitentiam discrimen intercedere, quod Baptismi minister non sit judex, *quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* (I Cor. V.); ii autem, qui

---

a) Ep. I. ad Sympron. *b)* Hom. XXVI. *c)* Lib. I. de poenit. cap. II. *d)* Hom. V. de verbis Isaiae.

post susceptum Baptisma lapsi sunt, teneantur se tanquam reos sistere ante tribunal Sacerdotum. Demum in eadem Sess. Can. IX. expressis verbis ita statuit: *Si quis dixerit, absolutionem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata . . . anathema sit.*

OBJECTA DILUUNTUR.

Objiciunt I. Potestas clavium, quam Christus Joan. XX. Apostolis concessit, nihil aliud est, quam potestas praedicandi Evangelium et annuntiandi remissionem peccatorum. Scilicet per verbum Evangelii peccatores ad fiduciam excitantur, et haec est fides, quae sola et per se justificat. — Ergo etc.

Resp. 1.° Noscimus pestiferum Protestantium principium, quod eorum doctrinae capita omnia veneno suo infecit. Concedimus, ex eorum principio recte deduci, quae volunt; sed meminerint, ex falsis necessario falsa sequi, si recte concluditur. Cum ergo jam alio loco probatum fuerit, falsum et absurdum esse, quod ipsi principii loco ponunt, quod sola fides justificet, sequitur, nullius esse valoris, quae exinde deducuntur, argumenta.

2.° Quaerimus ab Adversariis, unde illi habeant, quod per verba Christi Joan. XX. praedicatio Evangelii intelligatur? An non Scripturas vel obiter tantum percurrenti apertum est, Christum magnum discrimen posuisse inter praeceptum praedicandi Evangelium et potestatem remittendi peccata? Potestas praedicandi Evangelium data est sine ullo discrimine personarum: *Praedicate omni creaturae:* at non ita potestas remittendi peccata. Non dicitur: *Remittite omnibus;* sed restricte: *Quorum remiseritis, remissa sunt, et quibus retinueritis, retenta sunt.* Caeterum, si remittere peccata sit praedicare Evangelium; ad quid quaeso potestas retinendi peccata, cum Evangelium sit praedicandum omni creaturae?

3.° Neque illud mysterio caret, quod Christus Joan. XX. Spiritum S. dederit per insufflationem; hoc enim indicat, eum datum esse ad usum remittendi peccata, qui est proprius Spiritus S. effectus. Unde bis datus est Spiritus, et sub diversis

symbolis: Joan. XX. per insufflationem ad remittenda peccata, et in die Pentecostes ad praedicandum Evangelium sub specie linguarum.

4.° Demum, si haec non satisfaciunt, ad sensum communem appellamus. Quis quaeso, sana ratione utens, ut diceret: *Praedicate Evangelium*, haec verba adhiberet: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur etc.?*

Inst. Christus post mortem Apostolis contulit Joann. XX., quae ante mortem Matth. XVIII. promiserat; quid autem illud sit, quod promiserat, ipse exposuit Luc. ult.:.. *Haec sunt verba, quae locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum. Sic scriptum est, et sic oportuit Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine ejus poenitentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes.* En quae sit illa potestas remittendi peccata, nimirum praedicare Evangelium et remissionem peccatorum in omnes gentes.

Resp. Haec interpretatio prorsus insulsa est, et pro arbitrio conficta. Unde habent Novatores, illud Christi Lucae ult.: *Verba, quae locutus sum vobis* etc. referri ad potestatem clavium Matth. XVI. et XVIII. datam? Nos putamus sensum verum, et obvium hunc esse: quae vobis tunc, cum de morte et resurrectione mea loquebar, obscura fuerant et recondita, haec nunc vobis ex ipsis effectis, et Scripturis demonstro, nempe, oportuisse Christum pati, crucifigi, et tertia die resurgere.

Objic. II. 1.° Si Sacerdotes in causa peccatorum jus dicerent, ergo ab eorum arbitrio dependeret salus poenitentium. 2.° Possent, sicut absolutionis, ita etiam damnationis sententiam pronuntiare in reos: at nemo unquam hoc jus sibi arrogavit, ut diceret: *Ego te condemno.* 3.° In omni judicio requiritur reus, accusator et testes, sententia et executio sententiae, atqui haec in tribunali poenitentiae non occurrunt; ergo etc.

Resp. ad 1. neg. conseq. Sacerdos non judicat propria auctoritate, sed auctoritate Christi: ideo non potest pro sua voluntate sententiam ferre, sed legibus a Christo tanquam supremo judice latis adstrictus est. Quemadmodum, qui in foro civili nomine Principis judicia exercent, non pro arbitrio, sed juxta leges a Principe datas sententiam dicunt.

Ad II. Hoc judicium aliud omnino est ab eo, quod in foro exteriori peragitur. In hoc judicio, qui non condemnatur, absolvitur; at in tribunali poenitentiae, qui non absolvitur, condemnatur. Qui ad hoc judicium accedunt, delictorum vinculis jam ligati accedunt, ac poenis peccatorum obnoxii. Sacerdotum est judicare, an solvi possint, an non; quos illi non solvunt, hos ligant; quibus non dimittunt peccata, his retinent.

Ad III. neg. min. Omnia, quae ad judicium pertinent, in tribunali poenitentiae reperiuntur, in quantum illud patitur natura judicii: non enim hominum judicium hic exercetur, sed Dei, ad reconciliationem peccatorum. In foro externo confessionem sequitur condemnatio, hic contra valet illud Prov. XXVIII.: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequitur.* Hinc ipse peccator in hoc tribunali et reus est, et accusator, et testis: sententiam autem exequitur tum ipse Deus, qui sententiam servi sui ratam habet in coelis, tum poenitens, qui poenas suscipit peccati vindices.

Objic. III. Fuerunt etiam inter Catholicos Theologi quidam, qui docuerunt, Sacerdotes non proprie remittere peccata, sed tantum declarare, peccata esse dimissa; neque a Concilio Trid. reprobata fuit sententia haec. Ergo etc.

Resp. neg. conseq. I. Theologi illi ex falso principio concludebant; docuerunt enim, ad Sacramentum Poenitentiae requiri contritionem charitate perfectam; ex quo necessario sequeretur, peccatum semper esse actu remissum, antequam clavibus subjiciatur.

II. Statutum erat Concilio Trid., pravos tantum Haereticorum errores anathemate ferire: illa autem sententia in pluribus capitibus differt ab haeretico dogmate. Nam 1.° Theologi illi dicunt, Sacerdotes in Tribunali non esse solum praecones divinae clementiae ad excitandam fidem, sed judices hoc sensu, quod juridice declarent, peccata esse dimissa. 2.° Juxta illos contritio, quantumvis perfecta, peccata non delet, nisi in ordine ad claves Ecclesiae.

III. Quamvis sententia, de qua hic agimus, a Patribus Tridentinis non fuerit proscripta ut haeretica: certum tamen est, eam cum doctrina Catholica, quam Synodus tam dilucide exposuit,

non cohaerere. Quapropter ab omnibus nunc tanquam erronea, et temeraria rejicitur. Neque necesse est, ad eam confutandam nova testimonia adducere; nam, quae supra in probatione attulimus, loca, hoc plene conficiunt, quod voluimus; Sacerdotes vere et proprie remittere peccata, non vero declarare tantum, esse remissa. Unum hic adjicimus S. Chrysost. *a)*, qui novae legis Sacerdotes cum iis Judaeorum comparans docet, his non lepram purgare datum, sed purgatos probare. *At vero nostris Sacerdotibus non corporis lepram, sed animae sordes, non dico purgatos probare, sed purgare prorsus concessum est.* Hoc idem expressis verbis docet *Catechis. Rom. b). Neque enim*, inquit, *ut olim in veteri lege Sacerdotes testimonio suo aliquem a lepra liberatum esse duntaxat renuntiabant, ita nunc in Ecclesia ea tantum potestas facta est Sacerdotibus, ut aliquem peccatis absolutum esse declarent; sed vere Dei Ministri absolvunt.* Porro, si Sacerdotes declarant tantum peccata esse dimissa, falsum est, quod Patres asserunt; sententiam coeli sequi sententiam Sacerdotis; neque Christus dicere potuisset: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis:* sed debuisset dicere: *Quae remissa fuerint in coelis, haec vos remissa declarabitis in terris.*

ARTICULUS II.

De Sacramenti Poenitentiae existentia et necessitate.

OBSERVA.

I. Poenitentia in nova lege non tantum virtus est, sed etiam Sacramentum, seu externum quoddam remedium, quo ii, qui post Baptismum sunt lapsi, Deo possint reconciliari. Differt autem virtus a Sacramento, sicut pars differt a toto, vel sicut integer homo anima et corpore constans differt ab anima. Jam, ut virtus est, Poenitentia recte definitur: *Virtus inclinans peccatorem ad detestationem proprii peccati, quatenus est offensa Dei, cum efficaci emendationis et satisfactionis proposito.* Quatenus autem Sacramentum est novae legis, ita definiri potest: *Sacramentum a Christo Domino institutum, quo per juridicam Sacerdotis absolu-*

a) Lib. III. de Sacerd. *b)* De poenit. Quaest. XV.

tionem, homini contrito, confesso, et satisfacere volenti peccata post Baptisma commissa remittuntur.

II. Haeretici reformatores, quamvis Poenitentiae Sacramentum e medio sustulerint, non negant tamen, peccatores post Baptismum reconciliari posse Deo, et quorumcunque peccatorum veniam impetrare; imo Novatianis id negantibus anathema dicunt. Contendunt autem, ut supra observatum fuit, Poenitentiam nihil esse a Baptismate distinctum, et peccata remitti per solam fidem, qua promissio gratiae in Baptismo facta in memoriam revocatur. Hinc illud *Calvini a)*: « Aptissime dixeris, si Baptismum vocaveris Poenitentiae Sacramentum, cum in confirmationem gratiae et fiduciae sigillum iis datus sit, qui poenitentiam meditantur. » Idem *Calvinus* inverecunde arguit S. Hieronymum, quod Poenitentiam secundam post naufragium tabulam dixerit: « Quasi vero, ait *b)*, per peccatum deleatur Baptismus, et non potius in memoriam revocandus sit peccatori, quoties de remissione peccatorum cogitat; ut inde sese colligat, animumque recipiat, et fidem confirmet. » Observat. *Tournel. c)*: « Ex hoc Calviniani duo inferunt maxime commoda: primum, eadem facilitate peccata remitti post Baptismum, quam in Baptismo. Alterum, nullas superesse poenas peccatis remissis post Baptismum, ut nullae supersunt, cum peccata in Baptismo condonantur. »

II. De poenitentiae necessitate ita docet Tridentinum *d)*: *Fuit quidem poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria*, verum haec de Poenitentia dicuntur, ut est virtus. Quaeritur nunc, an in nova lege illa etiam poenitentia exterior, quam Sacramentum a Baptismo distinctum esse probabimus, homini post baptisma lapso sit necessaria, et quidem necessitate medii, ut Theologi loquuntur; id est, an in nova lege omnibus, qui post acceptam Baptismi gratiam in peccatum mortale lapsi sunt, sit medium ad consequendam salutem necessarium.

---

a) Lib. IV. instit. cap. XIX. §. 17. *b)* Loco cit. *d)* De Poenit. tom. I. p. 24. *d)* Sess. XIV. c. 1.

PROPOSITIO I.

Poenitentia exterior, in qua Sacerdotes per potestatem clavium peccata dimittunt, est verum novae legis Sacramentum a Baptismo distinctum.

Probatur I. pars.

Concilium Trident. Sess. IV. ita definit can. 1.: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro Fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.*

Quae S. Synodus contra novellos errores sancivit, haec Catholica fides semper tenuit. In Decreto ad Armenos ab *Eugen.* IV. in Concilio Florentino edito, Poenitentia numeratur inter N. L. Sacramenta; neque unquam aliter priora tempora docuisse, ex illis argumentis jam plene confectum est, quibus septem N. L. Sacramenta esse ex communi omnium temporum et Ecclesiarum consensu probavimus. Quis enim unquam septem Sacramenta admisit et Poenitentiam omisit?

Suppetunt etiam sacrarum litterarum testimonia; atque, ut caetera taceam, illa tantum Christi verba profero, quae Joan. XX. leguntur, et de quibus eadem Tridentina Synodus ita habet Sess. XIV. cap. 1.: *Dominus autem Sacramentum Poenitentiae tum praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos dicens: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata* etc. His porro verbis, quae ad Sacramenti proprie dicti rationem requiruntur, continentur omnia. Primum quidem requiritur ad Sacramentum, ut gratiae habeat promissionem divinam sibi conjunctam; sed haec ex ipso textu est manifesta: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* 2.° Ut fuerit a Christo Domino institutum; hoc quoque verba ipsa luce clarius demonstrant. 3.° Ut sit signum externum; sed et hoc verba Christi necessario efficiunt. Christus enim, ut priori Art. probavimus, eo loco Apostolis eorumque Successoribus potestatem dedit dimittendi peccata, eosque instituit tanquam judices, qui sententiam

ferant de peccatis hominum. Sed judicium illud exerceri non potest citra aliquod exterius signum: nam necesse est ut poenitens se reum confiteatur, et dolorem animo conceptum manifestet; necesse est etiam, ut Sacerdotis sententia innotescat peccatori, hicque sciat num ligatus aut solutus discedat.

Nolumus Patrum testimonia iterum enumerare. Jam enim diximus, unam esse omnium Patrum sententiam, peccata in lege nova dimitti per exterius Sacerdotum ministerium, quibus a Christo ligandi et solvendi potestas tradita est; idem quoque ministerium ex virtute Christi ita operari in remissionem peccatorum per poenitentiam, sicut operatur per baptismum in non baptizatis. *Quid interest,* ait S. *Ambros. a), utrum per poenitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes vindicent? Unum in utroque ministerium est. Sed dicis quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in Poenitentia, nonne Dei nomen operatur?* Sicut ergo Baptismus verum est Sacramentum, ita et Poenitentia.

Probatur II. pars.

Can. II. Sess. XIV. *Concilii Trident.: Si quis Sacramenta confundens ipsum Baptismum Poenitentiae Sacramentum esse dixerit; quasi haec duo Sacramenta distincta non sint; atque ideo Poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.*

Doctrina, quam Concilium hoc Canone proscripsit, tam impia est et absurda, ut nihil fingi possit a ratione ipsa, nihil a sensu Scripturae et omnium saeculorum fide magis alienum.

I. Quomodo unum esse possunt, quae tam multis rationibus differunt inter se? Quae et institutione diversa sunt et diversam materiam et formam habent, et Ministros et effectus diversos? Baptismum Christus ante Passionem instituit in aqua; mandatum autem baptizandi dedit Matth. XXVIII., et ita quidem, ut urgente necessitate nemo sit, qui non possit hoc Sacramentum administrare. At Poenitentiae Sacramentum post resurrectionem institutum est, cum Joan. XX.

---

a) Lib. I. de poenit. cap. 8. alias 7.

Christus dixit Apostolis: *Accipite Spiritum sanctum* etc., neque alios unquam praeter Sacerdotes ministros habuit. Deinde *constat*, ut *Trid.* ait *a)*, *Baptismi ministrum judicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus; quid enim mihi, inquit Apostolus b), de iis, qui foris sunt, judicare? Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit: nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit; ut per Sacerdotum sententiam, non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum poenitentes confugerint, possent liberari.* Sed haec res manifestior fiet ex iis, quae de materia et forma hujus Sacramenti, ejusque effectu dicenda sunt paulo inferius.

II. Huic argumento non exiguum pondus accedit ex Apostolorum exemplo. Cum *Petrus* Simonem Magum increpat *c)*, cum *Paulus* Corinthium segregat ab Ecclesia *d)*, eos non revocant ad memoriam suscepti Baptismatis, ut ad unicam reconciliationis causam; sed Petrus ita Simonem alloquitur: *Poenitentiam age ab hac nequitia tua.* Et Paulus incestuosum primo ligat, tradens eum Satanae in interitum carnis; deinde solvit poenitentia functum *e)*.

III. Quid Patres hac de re docuerint, non potest esse dubium; neque illis, neque ullis ex Scriptoribus Ecclesiasticis id in mentem venit, ut Baptismi et Poenitentiae Sacramenta confunderent, aut peccata in lapsis deleri per Baptismi recordationem docerent; sed contra omnes Poenitentiam, cum tota retro antiquitate a Baptismo distinxerunt. Docent autem 1.° iterari non posse Baptismi remedium; lapsis superesse Poenitentiam; ut *Tertull.* loco jam citato *f)*: *Clausa innocentiae janua et intinctionis sera obducta . . . collocavit in vestibulo poenitentiam secundam.* 2.° Poenitentiam secundam post naufragium tabulam vocant, aut labo-

---

a) Sess. XIV. cap. 11. *b)* I Cor. V. *c)* Actor. VIII. *d)* I Cor. V. *e)* II Cor. II. *f)* De Poenit. cap. VII.

riosum Baptismum. Quod ita explicat Trident. Synod. *a)*: *Ad quam novitatem* (vitae) *et integritatem per Sacramentum Poenitentiae sine magnis nostris fletibus et laboribus pervenire nequaquam possumus: ut merito Poenitentia laboriosus quidam Baptismus a Patribus dicta fuerit.* 3.° Dicunt, Ecclesiam aequali jure peccata relaxare sive per Baptismum sive per poenitentiam; ut *Ambros.* lib. 1. de Poenit. 4.° Reconciliationem, quae fit per Poenitentiam, aperte distinguunt a Baptismo. Sic *August.* lib. II. de adulterinis conjugiis cap. XVI. de peccato homicidii sic habet: *Si a Catechumeno factum est, Baptismo abluitur: et si a baptizato, Poenitentia et reconciliatione sanatur.*

PROPOSITIO II.

Sacramentum Poenitentiae post Baptismum lapsis necessarium est, vel in re, vel in voto.

Probat. I. pars. 1.° Eadem semper Scripturae loca sunt, ex quibus tota de Sacramento poenitentiae doctrina tanquam ex sua radice exsurgit. Ad quid enim claves datae fuissent Ecclesiae, si regnum coelorum, quod peccatori clausum est, posset sine his clavibus aperiri? Ad quid dictum fuisset Apostolis, eorumque successoribus: *Quaecunque alligaveritis* etc., et iterum: *Quorum remiseritis peccata* etc., si nulla esset ad hanc potestatem recurrendi necessitas? Ad quid Tribunal erectum fuisset a Christo et instituti judices, si liberum esset judicium declinare? Hinc praeclare S. *August.* ait *b)*: *Agite poenitentiam, qualis agitur in Ecclesia. Nemo sibi dicat: occulte ago, apud Deum ago. Ergo sine causa dictum est: Quae solveritis in terra etc. Ergo sine causa claves datae sunt Ecclesiae. Frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi.* Id enim imprimis in hoc argumento observandum est, datam esse Ecclesiae potestatem, non solvendi tantum, sed et ligandi, non remittendi tantum, sed et retinendi; at vana prorsus esset haec potestas, si peccatori aliae paterent ad reconciliationem

a) Sess. XIV. c. II. *b)* Serm. 392. alias Hom. 49.

viae. 2.° Constans semper Ecclesiae doctrina fuit, Poenitentiam iis, qui post Baptisma prolapsi sunt, ita necessariam esse, ut Baptismus nondum regeneratis. Hanc communem Ecclesiarum fidem secuti Tridentini Patres, postquam Cap. I. Sess. XIV. de Poenitentia, ut virtus est, dixerant: *Fuit quidem poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria;* cap. II. de Sacramento Poenitentiae speciatim docent: *Est autem hoc Poenitentiae Sacramentum lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Vid. ejusdem Sess. Can. VI. et VII. et Catechismum Rom. cujus verba ab initio hujus tractationis citavimus *a)*, ubi hoc idem eleganter exponitur, mutuata a Patribus secundae tabulae similitudine.

Caeterum Patres, cum hac comparatione utuntur, cum dicunt, Domini sententiam sequi judicium Sacerdotis, cum Confessionis necessitatem inculcant, an non simul necessitatem adstruunt hujus Sacramenti?

Prob. II. pars. Haec pars duo complectitur; primum est, hoc Sacramentum non esse ita necessarium, ut, qui post Baptismum lapsus est, absque illo in re suscepto salvari non possit, etiam ubi non est facultas suscipiendi; alterum: Sacramentum peccatoribus baptizatis esse necessarium in hoc sensu, ut sit necessarium in voto, si facultas desit.

Utrumque ex Concilii Trid. verbis supra citatis ita deducitur. Ait Synodus: *Est autem hoc poenitentiae Sacramentum lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus* . . . atqui Baptismus non est necessarius in re susceptus, sed requiritur et satis est in voto, si in re ipsa haberi nequit; ergo nec Poenitentia.

Minorem propos. idem Concilium diserte docet; ait enim Sess. VI. cap. IV.: *Post Evangelii promulgationem nunquam fieri translationem a statu veteris Adae ad statum gratiae, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto.* Vid.

---

a) De Poenit. in prooemio.

quae de necessitate Baptismi, et de Baptismo flaminis diximus, T. IV.

Quod autem necessarium sit, Sacramentum, si in re haberi non potest, saltem in voto tenere; ratio est, quia institutum est ut medium ad finem salutis necessarium. Unde etiam contritio perfecta in nova lege non justificat peccatorem, nisi in quantum continet in se votum Sacramenti.

CONTRARIORUM CONFUTATIO.

Contra I. propos.

Argum. I. Verba, quae Christus ad Apostolos locutus est Joan. XX., non sunt intelligenda de judiciaria quadam, et quasi praetoria potestate, sed de praedicatione Evangelii. Ergo vim probandi in hac thesi non habent.

Resp. Quis sensus sit verborum Christi, satis jam toto Art. I. demonstratum est, imprimis §. IV. Obj. 1. Hoc unum hic observamus cum doctiss. *Bellarmino a)*: «Etiamsi solum de «remissione per praedicationem Evangelii Dominus loqueretur, «adhuc Adversarii Sacramentum negare non possent: siquidem «ipsi omnia Sacramenta nihil aliud esse volunt, nisi quandam «Evangelii annuntiationem, ad excitandam fidem institutam.»

Argum. II. Non est alia ratio poenitentiae in nova lege, quam quae fuit in veteri. Nam *Petrus* Actor. X. ait, se eam annuntiare remissionem peccatorum, *cui Prophetae omnes testimonium perhibent.* Praeterea etiam in veteri testamento extant exempla contritionis, confessionis et satisfactionis. Atqui in veteri lege poenitentia rationem non habuit Sacramenti; ergo etiam nunc dici non potest novae legis Sacramentum esse.

Resp. neg. maj. In hoc discrimen est inter veteris et novae legis poenitentiam, quod virtus poenitentiae, quae in veteri lege sufficiebat, in nova non sufficiat; nam, cum a Christo institutum sit, ut peccata a Sacerdotibus per absolutionem remittantur, necesse est, ut interiori poenitentiae exterior accedat, in qua Sacramenti ratio consistit. *Petrus* Actor. X. hoc unum docet, in nomine Jesu Nazareni remissionem peccatorum accipere omnes,

---

a) De Poenit. lib. I. cap. X.

qui credunt in eum, idque ait ab omnibus Prophetis fuisse praedictum: at de ratione et modo consequendae remissionis non loquitur. — Si confessionis mentio occurrit in veteri lege, haec qualiscunque ea demum fuerit, non fuit sacramentalis: contritio autem necessaria fuit etiam in veteri lege, quatenus ad virtutem poenitentiae spectat, uti et satisfactio.

Instant. Intelligi non potest, cur Christus Poenitentiam referri voluerit in numero Sacramentorum. Nihil enim homines hac ratione consecuti sunt aliud, quam quod nunc difficilius effectum fuerit reconciliationis opus, cum ad virtutem internam etiam exterior poenitentia accesserit.

Resp. Etsi nostrum non sit, rationes eorum quaerere, quae Christus fecit et instituit; quis enim cognovit sensum Domini, et consiliarius ejus fuit? non est tamen difficile in hujus Sacramenti institutione novum videre divinae in nos bonitatis argumentum. Praeterquam enim, quod tanta non requiratur contritionis perfectio, quando per Sacramentum peccata remittuntur; illud quoque notandum est, in Sacramentis praecipuam vim et efficientiam sanguinis Christi contineri, uberrimasque gratias ex illis ad nos defluere. Aliam adhuc causam affert Catechism. Rom. *a)*: « Ut de remissione peccatorum, quam Deus pollicitus est, cum « ait: *Si impius egerit poenitentiam* etc., minus dubitare nobis « liceret; vehementer enim pendere animo de intima poenitentia « opus esset, cum de suo cuique judicio in iis, quae agit, me« rito timendum sit. Ut igitur Dominus huic nostrae sollicitu« dini subveniret, Poenitentiae Sacramentum instituit, quo per « Sacerdotis absolutionem peccata nobis remissa esse confidere« mus. Neque enim aliter accipienda est vox Sacerdotis, peccata « nobis legitime condonantis, quam Christi Domini, qui ait para« lytico: *Confide, fili; remittuntur tibi peccata tua.* »

Argum. III. Notum est, Sacramenta novae legis constare materia et forma, rebus et verbis, vel ut S. *August.* ait, verbo et elemento: *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum:* ergo res aliqua requiritur, seu materia, aut elementum: atqui in Poenitentia nec res, nec materia, nec elementum reperitur. Ergo etc.

---

a) De poenit. quaest. IX.

Resp. dist. maj. Requiritur aliquid, quod rei aut materiae rationem habeat, et locum teneat elementi, *conc.* Requiritur vera materia, verum elementum, *nego.* Locus ex S. *August.* citatus de Baptismo agit, qui in aqua confertur; ad Sacramenta autem generatim applicatus hunc tantum sensum habere potest, quod in omni Sacramento sit aliquid externum et sensibile, quod minus determinate gratiam significat, et ideo res, materia, aut elementum dicitur: et aliud magis determinatum, quod formam nominamus. Vid. de Sacramentis in genere cap. I., ubi inter alia dictum est, verba etiam posse rerum, aut materiae vices sustinere, quando sunt pars Sacramenti minus definita.

Argum. IV. Si potestas ligandi et solvendi est Sacramentum, non tantum qui solvit, sed etiam qui ligat, Sacramentum conficit; quod prorsus absurdum est. Ergo etc.

Resp. nego ant. Utrumque pertinet quidem ad potestatem Sacerdotis, sed non ad Sacramentum. Effectus proprius Sacramenti est solvere, quia de natura Sacramenti est, ut gratiam conferat, qui autem ligatur, a gratia excluditur; tametsi non alio fine id fiat, nisi ut postea solvatur.

Argum. V. *Apostolus* ad Ephes. V. omnem sanctificationem et purgationem peccatorum Baptismo tribuit: *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Quod etiam SS. Patres confirmant, ut S. *Augustinus* pluribus in locis, et maxime lib. I. de nuptiis et concupisc. cap. XXXIII. Imo ad explicandum vim et efficaciam Baptismi Patres loco illo utuntur Joan. XX., quem omnes Catholici ad peccata post Baptisma admissa applicant. Ergo Poenitentia nihil est a Baptismo distinctum.

Resp. Apostolus de illo sanctificationis remedio loquitur, quod est omnium primum et praecipuum, et veluti radix omnis justitiae; nam Sacramenta omnia, quae Baptismum sequuntur, huic tanquam fundamento innituntur. Quod optime explicat S. *August.* loco supra cit.: *Quid enim*, inquit, *prodesset vel ante Baptismum Poenitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel postea, nisi praecederet?*

Caeterum Patres, cum de Baptismo illis sermo est, ideo tantum celebrem illum locum adhibent Joan. XX., ut adversus

Novatianos potestatem dimittendi peccata Ecclesiae datam esse demonstrent.

Contra II. propos.

Argum. 1.° Ante Christum sola virtus poenitentiae sufficiebat, et Scripturae passim docent, veniam peccatorum per charitatem, et cordis contritionem obtineri. 2.° Christus peccata dimisit sine Sacramento, et Petrus Act. VIII. Simonem Magum ad Poenitentiam hortatus est, nulla facta Sacramenti mentione. Ergo etc.

Resp. ad I. A veteri lege ad novam non valet consecutio. In veteri lege virtus poenitentiae sufficiebat; de hujus virtutis efficacia nihil detractum fuit a Christo, sed additum solummodo novum praeceptum, nempe subjiciendi se clavibus Ecclesiae. Neque illud argumentum valet, quod ex Scripturis petitur, nam illi textus ad Judaeos pertinent sub lege Mosaica constitutos. Illi autem, qui ad Christianos spectant, eosque ad charitatem, poenitentiam, caeterasque virtutes hortantur, Sacramentum non excludunt; alias dicendum esset, etiam Baptismum excludi, cum neque de Baptismo mentio fiat.

Resp. ad II. Sacramentum Poenitentiae ante Christi passionem non fuerat institutum; sed et si institutum fuisset, an Christus non potuisset peccata dimittere sine Sacramento? — Quando *Petrus* Simoni dixit: *Poenitentiam age de hac nequitia tua . . .* procul dubio intelligi debet de Sacramento Poenitentiae; de illa enim Poenitentia locutus est, quam tunc agere necesse erat ad impetrandam veniam peccatorum.

ARTICULUS III.

De materia et forma hujus Sacramenti.

Saepe illud monuimus, in unoquoque Sacramento duo inesse, quae illius naturam constituunt, quorum unum materiae, alterum formae habet rationem. Id etiam satis notum est, Novatores haereticos in hac quoque materia antiquam Ecclesiae fidem novis et perversis opinionibus impugnasse. Non ita de Theologorum sententiis judicandum; nam quae inter ipsos disputari solent, tanti momenti non sunt. Omnes

in necessariis concordant, et inter opinionum concertationes integrum et inconcussum manet dogma Catholicum.

§. I.

De materia Sacramenti poenitentiae.

OBSERVANDA.

I. De sententiis Haereticorum circa materiam et partes Sacramentorum jam aliqua diximus in epitome historica, quam huic capiti praemisimus. Recurret adhuc occasio quaedam de iis disserendi in adversantium opinionum confutatione. — Theologi catholici omnes huic Concilii Trident. doctrinae subscribunt *a)*: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe Contritio, Confessio, et Satisfactio; qui quatenus in poenitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Poenitentiae partes dicuntur.* Unde una est omnium doctrina, Contritionem, Confessionem et Satisfactionem ad Sacramentum poenitentiae ex Christi institutione pertinere; neque controversiae locus est, cum de instituendis Fidelibus agitur, ac de iis, quae poenitentes necesse est ad Sacramenti perceptionem afferre. Dum ergo rem ipsam intactam relinquunt, speculando et disserendo Scholarum more disputant de essentia et natura Sacramenti, seu de eo, quod proprie materiae rationem habeat.

II. Observandum autem, duplicem distingui materiam Sacramentorum: una dicitur proxima, altera remota; sic in Baptismo ablutio ipsa materiae proximae, aqua remotae locum tenet. Quaerunt autem primo Theologi, quae sit materia *remota* Sacramenti Poenitentiae? Dissentiunt nonnihil inter se; nam alii peccata, alii poenitentem ipsum ut remotam materiam assignant: verum haec controversia fere omnis in verbis posita est; cum poenitens ipse materia esse non possit, nisi ratione peccati. — Major est, cum de materia *proxima* agitur, opinionum diversitas. Communis fere sententia est, materiam hujus Sacramenti

a) Sess. XIV. cap. III.

proximam esse actus poenitentis, Contritionem nimirum, Confessionem et Satisfactionem: quamquam non defuerint, aut adhuc sint, qui aut manuum impositionem, aut solam confessionem assignent, aut totam Sacramenti essentiam in sola Absolutione collocent.

III. Haec ultima sententia, quae Scoto, Scholasticorum fere subtilissimo, tribuitur *a*), etiam inter recentiores patronos habuit, atque prae caeteris Maldonatum, insignem Theologum, ex quo libenter quaedam exscribimus, quamvis nostra non sit haec sententia: valent enim ad clariorem materiae intelligentiam. «Alius «est error Calvini, inquit *b*), quod putat, nos poenitentiam ex- «ternam vocare Sacramentum interioris poenitentiae; nemo enim «hoc dicit Scholasticorum. Disputant quidem Scholastici, quid «sit, quod proprie vocamus Sacramentum Poenitentiae; sed id «nihil refert, modo ostendamus aliquod signum externum a Deo «institutum. Hoc autem signum quidam dicunt esse Confessio- «nem; alii signum hoc constare ex tribus actibus poenitentis, «Contritione, Confessione et Satisfactione tanquam materia, et «ex Absolutione Sacerdotis tanquam forma, quae est opinio «communis; alii Absolutionem Sacerdotis esse proprie Sacra- «mentum, in qua opinione est *Scotus*, quam ergo credo esse «veriorem.» Et quibusdam interjectis, postquam sibi objecisset, ex hac sententia consequi, nihil esse in Sacramento Poenitentiae, quod materiae rationem habeat; quia totum in Absolutione ponitur, quae est forma Sacramenti, respondet: «Nunquam «fuisse sensum Ecclesiae, ut decerneret in omni Sacramento «esse res duas distinctas, quarum una materia esset, altera «forma: hoc enim non potest in omni Sacramento reperiri; «verbi gratia, in Matrimonio. Sed tantum voluit dicere, in «omni Sacramento esse quiddam externum, quod habeat vicem «materiae et quiddam, quod habeat vicem formae, etiamsi non «sit distinctum. Ego vero jam docui, non tantum aquam in «Baptismo esse materiam, sed etiam verba, quia quidquid sen- «sibus percipitur vocatur materia in Sacramento: significationem «autem esse formam, quod ipsum dico de Sacramento Poeni-

---

a) In 4. dist. XIV. q. 4. — et dist. XVI. q. 1. *b*) De poenit. P. III. q. III. Thesi VII.

« tentiae; Absolutionem, quatenus est externa quaedam cere-« monia, esse materiam; eandem, quatenus habet vim signifi-« candi, esse formam. » Haec *Maldonatus*. Videbimus postea infirmas prorsus esse rationes, quibus sententia haec innititur.

PROPOSITIO I.

Materia Sacramenti Poenitentiae remota sunt peccata post Baptismum commissa; et quidem materia necessaria sunt peccata omnia mortalia nondum directe remissa: venialia autem, vel mortalia jam directe remissa materia libera et sufficiens.

Probat. I. pars. Aliud est Poenitentiae, aliud Baptismatis Sacramentum, et, quemadmodum peccata post Baptisma commissa non possunt novo Baptismate dilui: ita originalis noxa, aut quaecunque ante Baptismum committuntur, non possunt aliter, quam hoc salutari lavacro mundari. Quippe Baptismus janua est Sacramentorum, et nemo potest per Poenitentiae Sacramentum reconciliari, nisi inter Ecclesiae membra adscriptus fuerit per Baptismum.

Non exiguum argumento pondus accedit ex eo, quod Poenitentia instituta sit adinstar actus judicialis *a)*, qui proinde circa illos tantum exerceri potest, qui sunt Ecclesiae subditi. De iis enim, qui baptizati non sunt, et extra Ecclesiam versantur, ait Apost. I Cor. V.: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?*

Probat. II. pars. Sacramentum Poenitentiae, uti probatum est *b)*, omnibus post Baptismum lapsis ad salutem necessarium est; ergo peccata mortalia post Baptismum commissa sunt materia hujus Sacramenti necessaria; neque enim possunt alia via dimitti. Hinc *Concilium Trid.* declarat Sess. XIV. cap. V. et Can. VII., omnia peccata mortalia necessario esse in Confessione declaranda.

Dicitur autem: *nondum directe remissa;* quia non ille tantum, qui per actum charitatis justificatus esset a peccatis, eadem tribunali poenitentiae subjicere teneretur; sed is etiam, qui ab illis in tribunali solutus fuisset indirecte, puta, quia ea in Confessione fuisset oblitus.

---

a) Hujus Cap. Art. I. §. IV. *b)* Art. II. Prop. II.

Prob. III. pars. 1.° Peccata venialia Ecclesiae clavibus subjici posse, patet tum ex praxi fidelium, tum ex verbis Christi, qui sine ulla peccatorum distinctione dixit: *Quorum remiseritis peccata* etc., ac demum ex decisione *Concilii Trid.*, quod Sess. XIV. Can. VII. ait: Si quis dixerit... *non licere confiteri peccata venialia, anathema sit.* Quod autem sint materia simul sufficiens et libera his verbis aperte docet eadem *Trident. Synod.* Sess. XIV. cap. V.: *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem praesumtionem in confessione dicuntur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* 2.° Idem de mortalibus dici potest jam directe dimissis; possunt enim Ecclesiae clavibus uenuo subjici; idque adstruit piorum et doctorum hominum dsus, quem Ecclesia, sciens quanti exinde fructus dimanent, non tantum non improbat, sed potius quam maxime commendat. At non subjiciuntur necessario; quia jam remissa, iterum remitti non indigent. Utrumque in Decretali Bened. XI. *Inter cuncta* ita exprimitur *a): Licet de necessitate non sit, eadem confiteri peccata, tamen propter erubescentiam, quae magna est poenitentiae pars, ut eorumdem peccatorum reiteretur confessio, reputamus salubre.*

Nota. Circa remissionem peccatorum venialium copiose disserit continuator Tournellii T. X. p. 248.

PROPOSITIO II.

Tres actus poenitentis, Contritio, Confessio et Satisfactio sunt materia proxima Sacramenti Poenitentiae, seu partes ex quibus componitur.

Probatur. Ex Decreto *Eugenii* IV. ad Armenos, quod in Concilio Florentino editum est. Definitur autem in illo Decreto, omne Sacramentum materia et forma constare; et postea: *Quartum Sacramentum est Poenitentia, cujus quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur*

a) De Previleg. lytrar. com. cap. I.

partes, quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero. Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia Satisfactio pro peccato, secundum arbitrium Sacerdotis, quae quidem praecipue fit per orationem, jejunium et eleemosynam.

Hactenus Florentinum. Hujus Concilii vestigia secuti *Tridentini Patres*, praeter ea, quae supra observ. II. ex Sessionis XIV. cap. III. citavimus, ita statuunt ejusdem Sessionis Can. IV.: *Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente quasi materiam Sacramenti Poenitentiae, videlicet Contritionem, Confessionem et Satisfactionem, quae tres Poenitentiae partes dicuntur; anathema sit.*

Adest quoque ratio ex hujus Sacramenti natura desumpta. Constat enim Poenitentiae Sacramentum quoddam judicium esse et quidem judicium gratiae, quo peccator per sententiam Sacerdotis Deo reconciliatur. Sed palam est ad ejusmodi judicium tria haec requiri: Contritionem, seu dolorem de peccatis; Confessionem peccatorum, ut judex possit cognita causa sententiam ferre; et Satisfactionem pro reparanda injuria Deo illata.

RESPONDETUR ADVERSANTIBUS.

Objicitur I. contra I. prop. Qui male dispositus ad Baptismum accedit, neque ab originali labe mundatur, neque actualium delictorum veniam consequitur. Is ergo, cum baptizari denuo non possit, necessario debet ad Poenitentiae Sacramentum recurrere. Ergo originale peccatum, et quae ante Baptismum propria culpa commissa sunt, possunt esse materia Sacramenti Poenitentiae.

Resp. nego conseq. Tunc enim Poenitentia non remittit proprie peccatum, sed tollit obicem, quo sublato reviviscens Baptismus effectum consequitur.

Objicitur II. contra II. prop. Bene notandum est, Patres Tridentinos, cum de tribus poenitentis actibus loquuntur, aperte

docere, eos non aliter partes poenitentiae dici, nisi quatenus ad integritatem Sacramenti, et ad perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur; hoc enim negabant Novatores. Porro actus illos non vocant partes Sacramenti, sed partes Poenitentiae tantum, neque dicunt esse materiam simpliciter, sed *quasi materiam.* Ergo etc.

Resp. nego conseq. Ita loquitur Tridentinum, quia propositum illi erat Novatorum errores proscribere, parcere autem Catholicorum sententiis, quae in Scholis agitabantur. Ideo, ut *Pallavicinus* narrat *a)*, uti voluit quibusdam temperamentis, ne viris de Religione bene meritis censurae notam inurere videretur. Nihilominus, qui verba Concilii absque praeoccupata opinione expenderit, facile intelliget, quo Patrum sententia collineet. Clarum enim est, cavere tantum voluisse Patres, ne *suam* sententiam contra Haereticos proferendo, *contrarias* Scholasticorum sententias aperte damnarent. Igitur Concilium, cum tres actus poenitentis partes poenitentiae vocat, non potest non de Sacramento intelligi, de hoc enim eo loco agitur. Ait autem eos partes appellari quatenus requiruntur ad integritatem Sacramenti. Porro partes componunt totum: ergo illi actus componunt et efficiunt Sacramentum. Neque dicitur: ad integritatem effectus Sacramenti, ut Scotistae volunt, sed Sacramenti ipsius: alias actus fidei, spei et charitatis, qui debent in adultis praeire Baptismatis susceptionem, pari jure dici possent partes Baptismatis.

Ad illud, quod Concilium actus poenitentis dicat esse quasi materiam, respondet Catechismus Rom. *b)*: *Neque vero hi actus quasi materia a sancta Synodo appellantur, quia verae materiae rationem non habent; sed quia ejus generis materia non sunt, quae extrinsecus adhibetur, ut aqua in Baptismo, et Chrisma in Confirmatione.*

Objic. III. 1.° *Contritio* non potest esse materia Sacramenti, quia materia cujusque Sacramenti debet esse res sensibilis; Contritio autem sub sensus non cadit. 2.° In Sacramentis materia tum debet adesse, cum ministratur Sacramentum, ut accedente forma signum gratiae efficiatur: atqui *Confessio* Absolutionem,

---

a) Hist. Conc. Trid. lib. XII. cap. 10. *b)* De Sacramen. Poenit. cap. XII.

quae forma est, potest etiam longiore intervallo antecedere. 3.° *Satisfactio* iterum non existit simul cum Absolutione, sed ei posterior est; si ergo materia est Sacramenti, sequitur, aut formam applicari materiae nondum existenti, aut non valere Sacramentum, nisi peracta satisfactione, quod utrumque absurdum est. Ergo etc.

Resp. ad I. dist. min. Contritio non cadit sub sensus, ut pertinet ad virtutem poenitentiae, *conc.;* ut est pars Sacramenti, *nego.* Poenitens non potest solvi per Sacramentum, nisi dolorem animo conceptum exterius manifestet. Igitur Contritio materia Sacramenti est, quatenus per actus Confessionis et Satisfactionis, aut alia quaedam exteriora signa se prodit; quemadmodum consensus eorum, qui Matrimonium contrahunt, per verba et quaedam exteriora signa cognoscitur. Caeterum non est absolute necessarium, ut pars quaelibet alicujus Sacramenti sit visibilis per se; sufficit, ut aliae partes sensibus subjectae sint, illa autem, quae ex natura sua interior est, harum causa sit, et in eas virtute sua influat. Quod eo magis in tribunali Poenitentiae valet, quod hoc forum interius sit, quo nihil vetat etiam actus interiores referri.

Resp. ad II. dist. maj. Materia debet adesse vel moraliter, vel physice, *conc.* Physice semper, *nego.* Sacramentum poenitentiae est totum aliquod morale, quod necessario ex partibus sibi succedentibus coalescit. Ita in omni judicio accusatio debet praecedere sententiam. Quodsi peracta Confessione Absolutio differtur, non requiritur quidem nova confessio, cum ministratur Sacramentum; sed necesse est, ut poenitens se reum confiteatur eorum, quae Sacerdoti jam declarata fuerunt, peccatorum, et sic confessionem suam praesentem sistat.

Resp. ad III. Concilium non ait, Satisfactionem ad partes Sacramenti essentiales pertinere: docet enim, tres actus poenitentis partes Sacramenti esse, quatenus ad ejus integritatem requiruntur. Unde communis sententia est, Satisfactionem in re ipsa esse partem integrantem tantum Sacramenti poenitentiae; sed necessarium esse, ut poenitens votum habeat satisfaciendi et persolvendi, quae in peccatorum vindictam a Sacerdote infliguntur. Ubi notandum est, Satisfactionem, quae ex arbitrio poenitentis proficiscitur, non esse partem judicii sacramentalis, nec

enim habet ordinem ad claves Ecclesiae. Unde *Concilium Florent.* ait: *Tertia pars est Satisfactio pro peccatis, secundum arbitrium Sacerdotis.*

Objic. IV. 1.° Illud proprie dicitur Sacramentum, quod gratiam confert, et illud exterius significat, quod in anima operatur; atqui sola absolutio gratiam sacramentalem confert, sola etiam effectum Sacramenti, seu interiorem absolutionem exterius exprimit. 2.° Minister Sacramenti est Sacerdos; sed Sacerdotis nulla est actio, nisi absolutio. Ergo sola absolutio integrum Poenitentiae Sacramentum est.

Resp. ad I. In his argumentis magnam vim ponit Maldonatus, sed facilis est responsio. Sicut in judicio fori exterioris, siquis per legitima testimonia, et suam confessionem absolvatur, omnia haec sunt vere causa illius absolutionis, licet judicis sententiam ut praecipuam causam spectemus; ita quoque in foro conscientiae, princeps quidem causa absolutionis Sacerdotis sententia est; tamen actus poenitentis sunt ratio, et causa concurrens, cur poenitens rite absolvitur. Unde et signum sunt gratiae, quamvis illam non tam clare et distincte significent, quam absolutio. Rem ita explicat S. *Thomas a): Remissio culpae est effectus Poenitentiae, principalius quidem ex virtute clavium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id, quod est formaliter in hoc Sacramento; secundario autem ex vi actuum poenitentis pertinentium ad virtutem poenitentiae, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiae.*

Ad II. Sacerdos tanquam minister Poenitentiae non tantum formam pronuntiat, sed etiam actus poenitentis elevat, ut sint materia Sacramenti. Hinc poenitens materiam aliquo modo subministrat, cum tres illos actus offert Sacerdoti, quos hic assumens, et cum forma conjungens elevat ad dignitatem Sacramenti.

Objic. V. Nihil obest, quin Sententiae Protestantium subscribamus, qui alias poenitentiae partes non admittunt, praeter *mortificationem*, et *vivificationem*. Ergo etc.

Resp. Si Protestantes per haec verba nihil aliud intelligunt, quam, eam esse Poenitentiae summam, ut peccato moriamur,

---

a) Pars. III. c. 86. Art. 6.

et justitiae vivamus, nihil novi afferunt. Verum non sunt haec poenitentiae partes, sed effectus, sed certissimum verae poenitentiae argumentum, neque ad Sacramenti rationem proprie pertinent, cum is etiam virtutis poenitentiae effectus sit.

Quodsi per mortificationem intelligantur terrores conscientiae incussi, Catholici omnes concedunt quidem, homines timore divinae justitiae utiliter concuti: verum hic timor poenitentiam praecedit, uti et fides, qua homo credit vera esse, quae Deus revelavit et promisit, atque illud maxime, impium justificari a Deo per gratiam et redemptionem, quae est in Christo Jesu; uti *Trident.* docet. Illi autem terrores, quibus, ut *Calvinus* ait, despondemus animo, nec pars poenitentiae esse possunt, nec illi viam sternere; cum potius in desperationem agant, et fidem ipsam, quae justitiae fundamentum est, evertant.

De secunda illa poenitentiae parte, quam Novatores *vivificationem* vocant, et quam in fide et fiducia collocant, qua peccator credit peccata sibi esse condonata, necesse non est plura dicere, cum fides illa commentum sit haereticorum, uti suo loco probatum est.

§. II.

De forma Sacramenti.

OBSERVANDA.

I. Si id tantum hoc loco quaereretur, quid in Sacramento Poenitentiae formae rationem habeat; peracta res esset: omnes enim in hoc consentiunt, quod forma in Absolutione sita sit; cum hoc tantum discrimine, quod, si *Scoti* et *Maldonati* sententia valeret, in sola Absolutione contineretur tum materia, tum forma Sacramenti, materia in verbis, forma autem in significatione verborum: in communi autem Theologorum sententia actus poenitentis materiam, Absolutio autem a Sacerdote verbis expressa formam constituant.

II. Verum alia hic occurrit satis difficilis controversia de verbis Absolutionis, de qua nobis quaedam sunt summatim dicenda. Duplex distinguitur Absolutionis forma, deprecatoria, et absoluta. *Deprecatoria* ea dicitur, quae profertur per modum orationis: *Quaesumus Domine, absolve* etc. *Absoluta* indicativo

modo enuntiatur: *Ego te absolvo.* Ob hanc causam etiam *indicativa* dicitur. Sunt, qui tertiam Absolutionis formam distinguunt, quam *imperativam* vocant; ut cum dicitur: *Absolvatur Christi servus* etc. vel: *Sis absolutus* etc. At clarum est, hunc modum, ubi de ministro Sacramentorum agitur, ad deprecatorium pertinere, neque enim homo potest Deo imperare: quamvis illa verba: *Sis absolutus*, etiam possint indicative sumi, ita ut sensus sit: *Sis a me absolutus*, quod idem esset, ac si diceretur: *Ego te absolvo.*

III. Quaeritur nunc 1.° An ex institutione Christi et natura Sacramenti necesse sit Absolutionis formam esse deprecatoriam, vel absolutam? 2.° Qualem formam Ecclesia tum graeca, tum latina olim usurpaverit, aut etiam nunc usurpet? Prima Quaestio *juris* est, sive *dogmatis;* altera *facti.* Patet autem omne pondus controversiae in quaestione facti positum esse. Nam qui absolutam formam ex Christi institutione necessariam esse contendunt, id nobis facile persuaderent, si ostendere possent, hanc solam fuisse in Ecclesia a primis saeculis usurpatam. At certe causa cadunt, si probari poterit, formam Absolutionis per plura saecula fuisse deprecatoriam. Ecclesia enim, quae columna est et firmamentum veritatis, quae nunquam potest a vera Christi doctrina deflectere, aliam formam praeter absolutam adhibere nunquam potuisset, si hanc Christi institutio et Sacramenti natura exigerent. Primum ergo et praecipuum controversiae caput illud est, quod quaestionem *facti* dicimus; hocque nunc a nobis, quantum fieri potest, breviter est exponendum. Sequentur aliae quaedam quaestiones, quas omnino ignorare Theologo non permittitur.

QUAERITUR I.

Quis fuerit antiquae Ecclesiae usus circa formam Absolutionis?

Scinduntur Theologi, uti jam dictum est. S. *Thomas a)*, et post eum *Arcudius b)*, *Goarius c)*, aliique plures, deprecatoriam formam prorsus repudiant, absolutam autem in universa Ecclesia semper viguisse acerrime contendunt. His ex adverso pugnant recentiores plerique, qui affirmant, formam Absolutionis per multas

---

a) Opusculo XXII. *b)* Lib. IV. de poenit. cap. III. *c)* In notis ad Euchol. Graec. pag. 673.

aetates deprecatoriam fuisse in Ecclesia utraque, Graeca et Latina, eamque apud Graecos adhuc esse ejusmodi. Insignis hujus sententiae patronus fuit doctiss. *Morinus a)*, qui eam fuse prosecutus est, multisque argumentis et testimoniis stabilivit. Nos controversiam in medio quidem relinquimus, attamen quaedam utriusque partis momenta, cum ea ad rerum Ecclesiasticarum notitiam pertineant, paucis indicabimus.

I. *Morinus* sententiam suam probat: 1.° Ex veterum Scriptorum testimoniis, qui cum de peccatorum reconciliatione loquuntur, nunquam absolutae formae, sed precum, orationis, deprecationis etc. mentionem faciunt. 2.° Ex Ritualibus, et libris poenitentialibus. Nam rituales omnes et poenitentiales libri, Ordo Romanus, S. Gregorii Sacramentarium, non aliud quiddam, quam orationes et formulas deprecatorias continent. 3.° Testimonio Auctorum, qui duodecimo labente, et ineunte decimo tertio Saeculo scripserunt, quorum praecipui sunt *Guilielmus Antissiodorensis*, *Guilielmus Parisiensis*, *Hugo Cardinalis*, et Auctor ille, contra quem S. *Thomas* opusculum suum edidit.

II. Respondent adversae sententiae defensores: 1.° Notum esse Veteres in suis libris reticuisse verba, quibus Sacramenta perficiuntur, ne mysteria in profanorum notitiam venirent. 2.° Se Patrum et Scriptorum testimonia, quibus mire gloriatur *Morinus*, facile posse ad sententiam suam accommodare. 3.° Ex ipsa Christi institutione et Sacramenti natura satis clarum esse, formam aliam, praeter absolutam nunquam viguisse, cum nulla alia legitima esse possit. Id autem probant tum ex verbis Christi: *Quodcunque solveris* etc. Christus enim non dixit: *Quodcunque solvi petieris*, *solvam:* tum ex eo, quod jam supra confectum est, quod Sacerdotes instituti sint judices, nullus autem judex, ajunt, sententiam dicit deprecando. 4.° Ex eo, quod Ecclesia nunc formam indicativam adhibeat, concludunt, hanc solam a primis aetatibus fuisse usurpatam, cum certum sit, formas Sacramentorum non mutari. 5.° Tuentur se Concilii Trid. auctoritate, quod Sess. XIV. cap. III.: *Docet S. Synodus*, *Sacramenti Poenitentiae formam*, *in qua praecipue ipsius vis sita est*, *in illis Ministri verbis sitam*

---

a) De poenit. lib. XIII. cap. 8. et seq.

esse: Ego te absolvo etc. Ibidem additur, preces, quae ex Ecclesiae more adjunguntur, ad formae essentiam non pertinere.

III. Sed parum his moventur, qui cum *Morino* sentiunt. Dicunt autem ad primum: Si necessaria fuit cautio illa prioribus Ecclesiae saeculis, quibus Christiani inter Idololatras versabantur, id certe locum non habuit septimo Saeculo et sequentibus. Deinde, cur sola Sacramenti Poenitentiae forma in laudatis Eucologiis et Sacramentariis omitteretur, cum aliorum Sacramentorum formas absque ullo scrupulo referant? Ad secundum: Scimus, Adversarios etiam Patrum testimonia ad sententiam suam accommodare; verum quam id feliciter agant, quaeritur. Ad tertium: Ex eo, quod Christus Apostolis dederit potestatem remittendi peccata, eosque instituerit judices, non sequitur, potestatem hanc necessario exerceri per verba indicativa; praesertim cum Sacerdotes non propria neque suprema, sed precaria et ministeriali potestate agant. Omnia hic a voluntate Christi pendent; et cum Christus potestatem solvendi Sacerdotibus concesserit, non videtur, cur non sufficeret voluntas solvendi, etiam deprecatoriis verbis expressa, nisi lex alia obsistat. Certe Christus Apostolis potestatem dedit ejiciendi daemonia et infirmitates curandi, quod tamen illi fere semper deprecatorie operabantur. Caeterum *Arcudius* ipse *a)* et *Goarius b)* concedunt, formam hujus Sacramenti, etsi deprecativam, non excludere, imo continere actionem Ministri, atque sic posse ad indicativam reduci. Nam, ut ait *Arcudius*, qui dicit: «Remitte ei, condona,» non secus est, ac si diceret: «Ego quidem remitto et condono, sed majestatem tuam deprecor, «ut etiam tu velis per me remittere.» In genere dicendum est, verba ex usu et consuetudine perpendi oportere; et multorum saeculorum Traditioni frustra opponi rationes ex proprio ingenio confictas. Adversarii perperam a jure ad factum concludunt; cum deberent ex facto jus determinare; nam si forma deprecatoria, uti probatum est, per mille et ducentos annos in tota Ecclesia obtinuit, perspicuum est eam valuisse, cum Ecclesia, prout supra dictum est, nunquam possit a vera Christi doctrina deflectere. Quarto argumento opponunt, Christum Poenitentiae formam instituisse quidem, sed in genere; id vero Ecclesiae permisisse

---

a) Lib. IV. de poenit. c. III. *b)* In notis ad Euchol. p. 676.

arbitrio, ut speciem definiret. Hinc et facilis est responsio ad quintum: *Concilium Trident.* de illa Sacramenti forma loquitur, qua Ecclesia Latina a pluribus saeculis jam utebatur, et quae sola nunc valida est apud nos: hanc autem distinguendam esse docet ab adjectis precibus, quae ad Sacramenti essentiam non pertinent.

QUAERITUR II.

Quo tempore in Ecclesia Latina forma deprecatoria mutata fuerit in absolutam?

Resp. Haec quaestio iterum in facto posita est, ideoque ex humani ingenii conjecturis decidi non potest, sed apertis testimoniis demonstrari debet, et reipsa demonstratur a *Morino*. Probat ille 1.° usque ad Saeculum XII. formulam ordinariam absolutionis fuisse deprecatoriam. Vide, quae in priori quaestione Nro. 1. dicta sunt.

2.° Ineunte duodecimo Saeculo mediae cujusdam formulae usum obtinuisse, quae simul deprecatoria erat, et indicativa, quod ex *Alexandro Halensi*, S. *Bonaventura*, S. *Thoma* etc. ostenditur.

3.° Saeculo dein decimo tertio solam indicativam formam praevaluisse in Occidente, quod ex citato S. *Thomae* opusculo certum est. Suspicatur autem *Morinus* mutationem a Theologis illis ortum habuisse, qui eo tempore docuerunt, contritionem perfectam ad remissionem peccatorum esse necessariam, etiam cum Sacramentum suscipitur. Cum enim in hac sententia Absolutio sit tantum juridica declaratio, qua Sacerdos peccata a Deo dimissa esse pronuntiat; convenientius visum est illis Theologis, si Sacerdos diceret: *Ego te absolvo*, id est, juxta illos: *Declaro te absolutum;* quam si verbis deprecatoriis uteretur, ut: *Deus te absolvat;* siquidem pro re jam concessa Deus non rogatur, sed pro futura. Sed haec est conjectura *Morini*. Id certum est, Ecclesiam, quae Theologorum illorum sententiam nunquam probavit, tamen absolutam formam non probasse modo, sed etiam solam legitimam declarasse. An non ob hanc potius causam, quod ille, qui dicit: *Ego te absolvo*, expresse enuntiet, se revera solvere peccatorum vincula, et non solum soluta declarare?

QUAERITUR III.

An forma indicativa, qua Ecclesia Occidentalis nunc utitur, convenientior sit et perfectior; et an ea nunc sit apud nos ad Sacramenti valorem necessaria?

Resp. I. « Quoniam Sacramenta id significant, quod effi- « ciunt, ait *Catechis. Rom. a)*, et illa verba: *Ego te absolvo*, « ostendunt peccatorum remissionem hujus Sacramenti administra- « tione effici: palam est, hanc esse Poenitentiae perfectam for- « mam. » Hinc *Morinus*, et qui eum sequuntur, hoc discrimen ponunt inter deprecatoriam formam et absolutam, quod dicant, illam sufficere quidem posse, si Ecclesiae auctoritas accedat: hanc autem melius cum judicio exercendo convenire et clarius id significare, quod facit Sacerdos in hoc Sacramento.

II. Si Christus formam Absolutionis in specie ipse determinasset, sicut formam determinavit Baptismi; nunquam potuisset, quae primum instituta fuit, mutari. Verum passim docent Theologi, Christum quorundam Sacramentorum materias et formas generaliter tantum instituisse; specialem vero determinationem commisisse Ecclesiae; atque ita commisisse, ut nisi ea, quam Ecclesia in specie determinat, forma adhibeatur, nullum sit Sacramentum et irritum.

QUAERITUR IV.

An in Absolutionis forma, qua nunc utitur Ecclesia Latina, omnia verba sint absolute necessaria ad valorem Sacramenti?

Resp. Omnia quidem sunt ex praecepto exprimenda; ad veritatem tamen Sacramenti duo ista sufficiunt: *Te absolvo;* quia effectum Sacramenti satis exprimunt. Haec enim verba: *a peccatis tuis*, satis determinata intelliguntur per confessionem poenitentis. Expressio autem seu invocatio SS. Trinitatis non videtur essentialis, cum neque ex verbis Christi, neque ex Traditione inferri possit ista necessitas. Non ita in Baptismo, cum Christus expresse dixerit: *Baptizantes eos in nomine Patris* etc. Caeterum, quae praeter haec verba, *te absolvo*, ad formam Absolutionis pertinent, consentanee addita fuerunt; nam 1.° pronomen *Ego* auc-

---

a) De poenit. Quaest. XIII.

toritatem quandam sonat, quae competit judici sententiam proferenti. 2.° Per has voces: *a peccatis tuis*, clarius exprimitur effectus Sacramenti. 3.° Sacerdos, cum addit: *In nomine Patris* etc., significat Dei nomine et virtute se agere.

Nota. Nolumus hic disputare de sensu horum verborum: *Ego te absolvo*, neque subtiliores Scholasticorum quaestiunculas exponere. Verus et obvius verborum sensus hic est: Ego ut Christi Minister et Judex ab eo constitutus remitto tibi peccata tua, primum quoad maculam, tunc etiam quoad poenas aeternas, quae iisdem peccatis debentur.

QUAERITUR V.

An Graeci usque nunc retinuerint formam deprecatoriam, et an valeat, quam ipsi usurpant, sacramentalis Absolutio?

Resp. Graecorum libri rituales omnes, tum veteres, tum recentiores, aliam Absolutionis formam non continent, quam deprecatoriam, quae incipit his verbis apud *Goarium: Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, relaxa, remitte, condona peccata* etc. Id vel ipse *Arcudius* ingenue fatetur *a)*; *Goarius* quidem duas refert formas indicativas *b)*, sed eas a Latinis ad Graecos postremis temporibus pervenisse non dissimulat.

Hodiernam Graecorum praxin, ut alia praetereamus, clare intelligimus ex instructione *Clementis* VIII. anni 1595 super ritibus Graecorum. *In casu necessitatis*, inquit, *Presbyteri Graeci Catholici possunt Latinos absolvere. Utantur forma Absolutionis in generali Concilio Florentino praescripta et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi Absolutionis dicere tantum consueverunt.* Ergo, teste *Clemente* VIII., Graeci formam tantum deprecativam usurpare consueverunt.

Quod forma deprecativa valida sit apud Graecos, ex eo constat, quod Latini, quoties cum illis controversiam habuerunt, aut de pace condenda tractarunt, nunquam illis objecerint, quod legitimam non haberent Absolutionis formam. Sed et *Clemens* VIII. in instructione citata jubet tantum, ut cum Graeci Latinos absolvunt, utantur forma Latinorum; at non idem injungit, cum Graeci

---

a) Lib. IV. de Poenit. cap. III. *b)* In notis ad etc. pag. 678.

Graecos absolvunt; atque ita satis innuit, se irritam non habere formam deprecatoriam, qua Graeci erga suos utuntur.

ARTICULUS IV.

De Ministro et effectis Sacramenti Poenitentiae.

§. I.

De Ministro Sacramenti.

OBSERVANDA.

I. Circa Ministrum Poenitentiae duo nobis examinanda sunt. 1.° Quis sit a Christo Domino institutus Sacramenti Minister? 2.° Utrum in eo praeter Ordinis potestatem necessaria sit jurisdictio? Primum inquisitione ultra non indiget, cum jam alio loco probatum sit, potestatem clavium solis Apostolis et eorum in Sacerdotio Successoribus concessam fuisse. Et certe potestas judicandi de admissis criminibus, ut in civili, sic in ecclesiastico regimine ad solos Magistratus pertinere potest, nec promiscue omnibus et sine discrimine committi. Jam obvia est nostra concludendi ratio. Confectum est Art. 1. §. III., Christum Dominum potestatem clavium solis commisisse Sacerdotibus; atqui, ut Art. II. ostenditur, haec potestas clavium ex Christi institutione exercetur per hoc ipsum, de quo nunc agimus, Poenitentiae Sacramentum: ergo *soli Sacerdotes a Christo instituti sunt Sacramenti Poenitentiae Ministri.* Vid. *Conc. Trid.* Sess. XIV., Cap. VI. et Can. X. Ruit ergo Novatorum doctrina, ruit impium *Wicleffi* commentum in *Concilio Constant.* damnatum: *Laicum, si vir frugi fuerit, clavium potestatem accepisse.* Et illud *Waldensium: Potestatem absolvendi bonus laicus habet, malus Sacerdos non habet.*

II. Alia nunc exoritur quaestio: An absolvendi potestas Presbyteris omnibus vi Ordinis competat; seu: An praeter Ordinem necessaria sit potestas jurisdictionis? Non quaeritur, an graviter peccaret, qui ea potestate, quam accepit in sua Ordinatione citra ullam jurisdictionis aut ordinariam aut delegatam facultatem absolvere praesumeret, sed an valere possit ejusmodi Absolutio? *Jurisdictio* generatim est potestas, quam habet aliquis in alium sibi subditum; in praesenti autem quaestione definiri potest:

Potestas, qua Sacerdos ut judex in alium tanquam in subditum sententiam fert in foro conscientiae. Distinguitur in *ordinariam*, quae alicui competit ratione officii, quod adjunctam habet animarum curam; et *delegatam*, quae ex commissione habetur. *Approbatio*, si nude sumitur, differt a jurisdictione, et est tantum testimonium authenticum, quo Sacerdos declaratur idoneus ad excipiendas confessiones. Verum hodie passim cum jurisdictione confunditur; et hoc sensu accepta definiri potest: Testimonium juridicum, quo Episcopus fidem facit, se ad confessiones in sua Dioecesi audiendas talem Sacerdotem approbasse et deputasse.

III. In hac controversia aliquamdiu immorari necesse est: fuerunt enim et adhuc sunt, qui, cum se Catholicos dicunt, non cessant Ecclesiae doctrinam variis modis convellere et turbare; homines factiosi et malarum partium sectatores, qui ut vim infringerent ecclesiasticarum poenarum, hoc excogitarunt causae suae remedium, ut dicerent, jurisdictionem nihil esse ab Ordine distinctum; Sacerdotem quemcunque, etiam interdictum, posse valide absolvere etc. Hanc sententiam avide amplexi sunt omnes, qui in recenti Ecclesiarum Gallicarum perturbatione in sedes Episcopales et parochias renitente Ecclesia intrusi fuerunt; quippe aegre tulerunt, se ab Ecclesia rejectos omni institutione canonica et missione destitui.

Vides hanc quaestionem in omnes sacri ministerii et regiminis Ecclesiastici partes diffundi. Nos de interiori foro hic agimus et hoc quaerimus tantum, an in Ministro Sacramenti Poenitentiae jurisdictio requiratur, praeter Ordinem.

PROPOSITIO.

In Ministro Poenitentiae, ut valide absolvat, praeter Ordinis potestatem requiritur jurisdictio.

Probat. I. Quaestionem hanc ita dirimit Tridentinum, ut nullus possit manere dubitationi locus. *Quoniam igitur,* inquit Sess. XIV. cap. VII., *natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

II. Sancta Synodus non tantum auctoritate sua litem dirimit, sed etiam rationibus confirmat sententiam. Prima ex eo desumitur, quod Absolutio sit actus judicialis, qui ferri non potest, nisi in subditos: non enim major defectus esse potest, quam potestatis, in eo, qui judicium exercet, adeo, ut actus ille non modo sit illicitus, sed plane nullus. Secunda ratio, quam Concilium affert, in eo sita est, quod Ecclesiae semper persuasum fuerit, Absolutionem a Sacerdote datam nullam esse et irritam, nisi ad Ordinem accedat jurisdictionis potestas. Ita docuit *Concil. Lateran.* IV., anno 1215 habitum, in celebri Canone: *Omnis utriusque sexus* etc., ita *Florent.* in decreto ad Armenos. Haec omnibus retro saeculis Graecorum non minus ac Latinorum persuasio fuit. Notum est enim ex veteri disciplina, sine Episcopi licentia Sacerdotes non potuisse aut Poenitentiam imponere, aut Absolutionem impertiri. Hinc inter Graecos et Latinos nulla unquam de hac re orta est disputatio.

Coroll. I. *Ergo jurisdictio est aliquid ab Ordine distinctum.* Ex Probatione patet, posse esse Sacerdotes, qui nec ordinariam, nec delegatam jurisdictionem habent. Ergo haec potestas est ab Ordine distincta; Ordo enim aequalis est in omnibus Sacerdotibus.

Coroll. II. *S. Pontifex et Episcopi potestatem habent sibi reservandi quaedam peccata, a quibus non possunt absolvere inferiores Sacerdotes, quamvis approbati ad confessiones audiendas.*

Probat. Haec conclusio ex propositione sequitur. Nam si praeter Ordinem requiritur jurisdictio, haec debet a Superioribus ad inferiores descendere; ergo ab illis limitari potest: et quidem circa potestatem delegatam dubium non est; haec enim omnino a Superioris arbitrio pendet; et qui potest non concedere, potest etiam concedere cum limitatione. Sed et ordinariam jurisdictionem posse quibusdam limitibus circumscribi, ex ipsa Ecclesiae constitutione deducitur; ita enim Christus Ministrorum ordines instituit, ut non distinctio tantum, sed etiam subjectio graduum esset, et inferiores essent subordinati potestati Superiorum. Optime haec exposuit Trid. Sess. XIV. cap. VII. — Ac ne quis

contenderet, haec ad forum conscientiae non pertinere, sed ad exteriorem tantum disciplinam Ecclesiae; *Concil.* ibid. Can. XI. statuit: *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam: atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.*

Nota. Multae sunt et diversissimae quaestiones, quae circa Absolutionem, Jurisdictionem, Approbationem, casuum Reservationem etc. moveri possunt; quas vel indicare nimis longum esset. Consulantur opera, quae diffusius de hac materia tractant; ut, *Continuat. Tournelii* Tom. XI., *Alphons. de Liguorio*, vir Apostolicus. — Diction. des cas de conscience. — Et alia bene multa.

CONTRARIA.

Dicunt I. Sacerdos potestatem dimittendi peccata accipit in sua Ordinatione, cum Episcopus manus ipsi imponendo dicit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata etc.* Ergo etc.

Resp. dist. ant. Accipit potestatem radicalem, incompletam et quodammodo habitualem, ut quidam loquuntur, *conc.*, potestatem actualem et expeditam, *neg.* — Cum Absolutio sit actus judicialis, necesse est, ut habeat Sacerdos in quos sententiam dicat: hinc potestas absolvendi a Christo quidem profecta est, et vi Ordinis infunditur: sed exerceri non potest, nisi adsint subditi, quos illi assignat Ecclesia. Exemplum ad hoc explicandum idoneum adhiberi solet. Rex multis potest judicandi auctoritatem concedere, sed ea lege, ut provinciarum Praefecti subditos illis assignent: neque illi tamen a Praefectis judicandi potestatem recipiunt, sed a Rege ipso. Consimili modo Sacerdotes non ab Ecclesia, sed a Christo Domino vim et potestatem habent absolvendi, sed eam potestatem applicat et determinat Ecclesia.

Instant I. Sacerdotes in Ordinatione potestatem absolvendi accipiunt per haec eadem verba: *Quorum remiseritis etc.*, quibus Apostolis potestas absolvendi data est perfecta et completa; Ergo etc. II. Si Sacerdos jurisdictionem non habet vi Ordinis, sine ratione in Ordinatione dicitur: *Accipe Spiritum S., quorum remiseris etc.* Ergo etc.

Resp. ad I. Negamus Apostolos per haec verba: *Quorum remiseritis etc.* perfectam absolvendi potestatem accepisse; sed ideo, quia dictum est illis: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos.* Apostoli simul ac potestatem acceperunt absolvendi, etiam missi sunt ad omnes gentes; ergo nullibi illis defuerunt subditi, in quos collatam sibi potestatem exercerent.

Ad II. nego ant. Sine illa primaria et radicali potestate, quam Sacerdotes in sua inauguratione accipiunt, jurisdictio, quam tribueret Ecclesia, vana esset et nulla. Ecclesia eos tantum mittere potest, qui idonei sunt, ut mittantur. Ideo Sacerdoti subditi assignantur, ut possit potestatem quam accepit, exercere; potestatis autem exercitium potestatem supponit.

Dicunt II. In mortis articulo quilibet Sacerdos absolvere potest ab omnibus peccatis: ergo etc.

Resp. nego conseq. Ideo Sacerdos quilibet in mortis articulo absolvere potest, quia Ecclesia hanc ei potestatem concedit. *Pie admodum*, ait *Trident. a), ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.*

Dicunt III. Sacerdos etiam sacris interdictus et omni jurisdictione spoliatus, potest tamen valide Eucharistiam conficere, Baptismi et extremae Unctionis Sacramenta dispensare, quamvis id agendo gravi se piaculo obstringat: Ergo et Sacerdos sine jurisdictione absolvens, quamvis illicite agat, valide tamen absolvit.

Resp. nego conseq. Sacramentum Poenitentiae, uti dictum est, hoc speciale habet, quod conferatur per actum judicialem. *Sacramentum Eucharistiae*, ait S. *Thomas a)*, (idemque est de Baptismo et extrema Unctione) *non requirit imperium in aliquem hominem: secus autem est in hoc Poenitentiae Sacramento.*

§. II.

De effectis Sacramenti Poenitentiae.

OBSERVANDA.

I. Jam compertum est ex iis, quae ab initio hujus tractationis dicta sunt, eam esse Sacramenti Poenitentiae vim et effica-

a) Sess. XIV. cap. VII. *b)* Suppl. q. VIII. Art. IV.

ciam, ut praeterita peccata deleat, tum quoad culpam, tum quoad poenam aeternam. Ad hoc enim claves Ecclesiae datae sunt; neque ullum est delictum, quantumvis gravissimum, quod non possit per hoc Sacramentum dilui. Illud etiam probatum est, quod sicut nullum est irremissibile peccatum, ita etiam nulla mortalis noxa dimittatur absque Poenitentiae Sacramento sive in re suscepto, si adest facultas, sive in voto, si facultas desit.

II. Alia est venialium peccatorum ratio. Haec quidem optimum et efficacissimum remedium habent in Sacramento; attamen non necessario clavibus subjiciuntur, quia possunt multis aliis mediis dilui. — Verum quamvis Sacramento non indigeant, ut deleantur, indigent tamen Poenitentia, quae est dolor supernaturalis et detestatio peccati. Sola quippe Poenitentia nos Deo conjungere potest, a quo peccata nos separant. At quamvis leviora peccata gratiam non extinguant penitus, tamen quadam ratione nos a Deo removent; quatenus voluntatis affectum et motum in Deum remorantur, atque in res creatas plus aequo nos inclinant. Sola quoque Poenitentia potest animae maculas post Baptismum contractas abstergere: sed et veniale peccatum macula est animae, quod optime explicat S. *Thomas*, qui ut in corpore, sic in anima duplex distinguit maculae genus: unum debito decore corpus aut animam privat, ut si apta desit membrorum proportio, aut coloris nitor: sic mortale peccatum animam inquinat, cum gratiam, quae est illius decor, extinguit; alterum est maculae genus in corporibus, cum res aliqua supervenit, quae decorem ipsum obscurat: sic peccatum veniale instar pulveris aut luti maculam infert animae, dum rebus creatis plus satis intenta est.

His nunc brevissime ex Theologorum sententia adjicimus, ad remissionem venialium etiam extra Sacramentum sufficere attritionem ex motivo supernaturali elicitam; neque necesse esse, ut singula in memoriam revocemus, eaque singillatim, quantum in nobis est, actu detestemur: sed virtualem displicentiam sufficere; cum scilicet ita in Deum nitimur voluntatis affectu, ut siquid memoriae occurreret, quod venialis peccati haberet rationem, et nos ab eo pietatis motu retraheret, hoc propter Deum displiceret. Nam actus ille dilectionis et nos Deo magis amicos efficit et veniali peccato aversos. Cum de virtuali displicentia loquimur,

cave ne habitualem simul intelligas, quae habetur per habitum charitatis et poenitentiae; quia sic charitas cum veniali peccato non posset consistere, quod falsum est.

III. Illud etiam ad vim et efficientiam Sacramenti Poenitentiae pertinet, ut amissas virtutes et bonorum operum merita restituat. Et primum quidem dubium non est, virtutes omnes, quae gratiam sanctificantem consequuntur, una cum gratia restitui; quod utique de infusis virtutibus intelligendum est, et de iis tantummodo, quae per peccatum sunt amissae: nam fidem et spem peccata mortalia non perimunt, sed perfectionem illis, et quasi vitam adimunt.

Sicut virtutes, sic etiam bonorum operum merita per Poenitentiam reviviscunt. Quod ut intelligatur, observandum est, triplex vulgo distingui operum genus: sunt enim opera alia mortifera, alia mortua, alia mortificata. *Mortifera* ea sunt, quae mortem afferunt animae, ut peccata mortalia. *Mortua* vocantur, quae homo elicit in statu peccati mortalis; carent enim habituali gratia, seu charitate, quae est vita animae. *Mortificata* dicuntur opera illa bona, quae in charitate facta ab homine justo, vita sua privantur per peccatum mortale et quodammodo mortificantur, quatenus effectum suum, seu vitam aeternam consequi non possunt. Jam non quaeritur hic de operibus *mortiferis*, quae reviviscere non possunt, neque de operibus *mortuis*, nam non potest ad vitam denuo excitari, quod vitam nunquam habuit. De solis operibus *mortificatis* sermo est; haecque contendimus per Poenitentiam subsequentem reviviscere; non quidem quasi opera, quae sicut omnes actiones actu transeunt, possent redire ad vitam; sed quoad suum effectum, seu jus illud, quod contulerant auctori suo ad condigne obtinendam a Deo vitam aeternam.

IV. Admonent tamen auctores, qui de hac quaestione uberius scripserunt, hanc meritorum resurrectionem ad fidem non pertinere, cum neque in Scripturis, neque in Patrum Traditione perspicue explicata et decisa occurrat. Cum tamen consensu Theologorum muniatur, ac divinae bonitati, tum etiam humanae fragilitati sit maxime consentanea; citra temeritatem negari non potest. Nec desunt etiam Scripturae et Patrum testimonia, quae huic sententiae favent. Et quidem in Scripturis legimus: *Si impius egerit*

poenitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor a), et iterum: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua b)*. Sed noceret tamen et maneret etiam post conversionem iniquitatum memoria apud Deum, si gratia et merita amissa non redirent.

Afferunt etiam *Apostoli* loca. Ad *Hebraeos* VI. dicitur: *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostenditis in nomine ipsius.* Haec generatim de bonis Hebraeorum operibus dicuntur, quos omnes in prima gratia constanter perseverasse probabile non est. Quod autem de operibus etiam per poenitentiam reparatis intelligenda sint verba illa, satis aperte docet *Trid.* Sess. VI. cap. 16., ubi ait: *Justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt verba Apostoli: non enim injustus Deus etc.* Ad *Galat.* ait idem Apost. cap. III.: *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa.* Quem locum sic interpretatur S. *Hieronym. c)*: *Quicunque ob Christi fidem laboraverit, et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora dicitur passus fuisse sine causa, dum peccat, sic rursus non perdet ea, si ad pristinam fidem, et antiquum studium revertatur.* Idem S. Pater haec verba Joëlis II.: *Convertimini ad me ... et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca ...* exponit de restitutione bonorum spiritualium, quae per peccata deperdita fuerant. Similia habent S. *Chrysostom.*, *Ambros.* etc. Confirmantur haec, 1.° ratione, quam S. *Thomas* evolvit; scilicet, bonum opus in gratia factum, manere in acceptatione divina; per peccatum autem opus ipsum non destrui, sed ejus tantum impediri effectum; quo fit, ut sublato per poenitentiam peccati obice reviviscat. 2.° Quod conditiones, quas *Trid. Synodus* Sess. VI. cap. 16. et can. 32. exigit, ut opera nostra suum consequantur praemium, in his bonis operibus vivificatis reperiantur. Nam facta sunt in Deo, et Deo per gratiam adjuvante, ab iis, qui justi erant. Quod autem additur: Si qui bona egit opera, in gratia Dei decedat; hoc certe eos non excludit, qui per poenitentiam amissam gratiam recuperarunt.

---

a) Ezech. XVIII, 21. 22. *b)* Ibid. cap. XXXIII, 12. *c)* In cap. III. ad Gal.

V. Huic quaestioni alia connexa est, utrum peccata jam remissa redeant per peccatum mortale subsequens. Perspicuum est, eadem numero peccata redire non posse; et si Theologi dicunt, redire posse eadem specie aut genere, hoc tantum volunt, posse hominem justificatum in eadem, quae prius commiserat, peccata relabi; quod negari utique non potest, cum justificatio quaelibet non habeat adjunctam sibi perseverantiam. Tota ergo difficultas, si qua sit, in hoc posita est: An peccata jam remissa per subsequens peccatum redeant quoad maculam et reatum. Theologi plerique in sententiam concedunt, quam S. *Thomas* parte III. q. 88. exponit. Dicunt autem 1.° peccata non redire *formaliter*, aut *simpliciter;* sic enim argumentatur S. *Thomas: Sine poenitentia sunt dona Dei* (Rom. XI.), *sed peccata poenitentis sunt dimissa per donum Dei; ergo per peccatum sequens non redeunt, quasi Deus de dono remissionis poeniteat.* Affert deinde S. *Prosperi* testimonium, qui in secunda responsione ad capitula Gallorum ait: *Qui recedit a Christo et alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in id, quod remissum est, recidit, nec in originali peccato damnabitur.* Dicunt 2.° Ea redire *virtualiter*, aut *secundum quid;* quia aggravant malitiam subsequentis peccati, eique insignem addunt ingrati animi notam, quapropter et peccatorem obnoxium reddunt acerbiori supplicio. *Dicendum*, ait S. *Thom.* loco cit. Art. II., *quod peccata per poenitentiam dimissa redire dicuntur, in quantum reatus eorum ratione ingratitudinis virtualiter continetur in peccato sequenti.*

Si opponitur, ex eo, quod antiqua merita, uti probatum est, post poenitentiam reviviscant, recte concludi, etiam vetera peccata redire, quando quis post acceptam veniam relabitur: respondet idem S. Doctor, q. 89. Art. V., peccata per poenitentiam omnino extingui: non item merita, quae manent in acceptatione Dei, unde sublato per poenitentiam peccati obice, reviviscunt. Plura videri possunt apud Theol. et imprimis S. *Thomam*, citatis locis.

CAPUT SECUNDUM.

DE CONTRITIONE.

Ostendimus Poenitentiae Sacramentum tres habere partes, Contritionem cordis, Confessionem oris et Satisfactionem operis. De his nunc singillatim agendum est, atque, ut rectus ordo postulat, de Contritione primo loco disputandum; haec enim pars est Sacramenti praecipua et omnium maxime necessaria, qua deficiente Sacramentum vita omni ac virtute destituitur, veluti corpus sublato spiritu. In hac tractatione id quoque observabimus, ut Scholae opiniones ab iis probe secernantur, quae certa sunt et explorata, et a quibus nemini Catholico licet discedere. Agemus autem I. de Contritione universim spectata, II. de Contritione perfecta, III. de Contritione imperfecta.

ARTICULUS I.

De Contritione universim spectata.

§. I.

De natura et necessitate Contritionis.

OBSERVANDA.

I. Recte Scriptores ecclesiastici, ad exprimendum dolorem ex admissis in Deum peccatis conceptum, *Contritionis* nomen usurpant, *ducta similitudine*, ut ait Catech. Rom. *a)*, *a rebus corporis, quae minutatim saxo, aut duriore aliqua materia confringuntur: ut eo vocabulo declaretur, corda nostra, quae superbia obduruerunt, poenitentiae vi contundi, atque conteri.* Porro quod communi vocabulo Contritio dicitur, aliis etiam nominibus signari solet: nam et *cordis compunctio* aut *scissio* dicitur juxta illud Joël 11.: *Scindite corda vestra . . .* quin et *poenitentiae* nomen sibi vindicat, eo quod sit ipsa poenitentiae virtus.

II. Diximus, Contritionem nihil aliud esse, quam ipsam virtutem poenitentiae; unde pauca nobis dicenda supersunt post ea,

a) De Poenit. q. XXIV.

quae de notione et necessitate poenitentiae §§. II. et III. exposuimus. Piget veterum Reformatorum opiniones et errorum monstra recensere; quibus illi non in Scripturas tantum et Patrum doctrinam, sed in rationem ipsam et communem hominum sensum offendunt. Primum sicut Poenitentiae, sic et Contritionis notionem penitus evertunt, eamque dicunt in terroribus constare conscientiae incussis, neque liberam esse, sed coactam et extortam; imo ne actionem quidem vocari posse, sed meram passionem, cum homo non seipsum conterat, sed a Deo conteratur malleo legis et minarum: inde et hoc deducunt paradoxum, Contritionem ad legem pertinere, non ad Evangelium. Deinde asserunt, Contritionem non tantum necessariam non esse ad remissionem peccatorum, sed, quod supra modum impium est, Contritione homines pejores fieri et hypocritas, ac bonis omnibus spoliatos peccatis repleri et maledictionibus etc.

III. Haec aliaque opinionum commenta longiore confutatione non indigent; quis enim inter Protestantes haec tueri vellet hodie, aut digna attentione aliqua reputare? Caeterum ad profligandā impia dogmata sufficere possunt, quae alio loco *a)* de hominis justificatione, aut supra *b)* de poenitentia diximus, aut quae dicenda remanent toto hoc capite. Plana est Catholicorum doctrina Scripturis et Sanctorum Patrum sententiis innixa, rationi, ac sibi ipsi cohaerens; scilicet terrores conscientiae Contritionem praevertere, non efficere; cum animus primum tremendo Dei judicio concutiatur, dein dolorem concipiat de peccatis: hominem non justificari per fidem solam; fidem praestrui Contritioni, cum nemo possit sine fide conteri: hominem pejorem fieri non posse per Contritionem, sed contra, hanc ita esse peccatori ad salutem necessariam, ut nulla alia ratione possit Deo reconciliari: ex quo et illud sponte sequitur, Contritionem liberam esse et non ad legem tantum pertinere, sed etiam ad Evangelium.

IV. Contritio merito primum locum occupat inter poenitentis actus; est enim causa et radix caeterorum. Sola aliquando defectum supplet aliarum partium; ipsa suppleri a nulla alia potest. Palam ergo est, totum reconciliationis opus Contritione po-

---

a) Tom. IV. de grat. cap. I. *b)* Cap. I. §§. I. II. III. praeliminarib.

tissimum contineri; ubi enim Contritio adest vera et sincera, reliqua, si in peccatoris potestate sunt, abesse non possunt; si autem absque peccatoris culpa desunt, Contritione supplentur. Atque hoc diligentiam tum Confessoris, tum poenitentis in investiganda verae Contritionis ratione quam maxime acuere debet. Certum enim est, Sacramentum multo frequentius Contritionis vitio irritari, quam aliorum partium defectu.

PROPOSITIO I.

Contritio est dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero.

Probat. I. *Concilium Trident.* Sess. XIV. cap. IV. Contritionis naturam his ipsis verbis definit: *Contritio animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero.* Deinde paucis interjectis allatam definitionem explicans et argumentis confirmans ita pergit: *Declarat igitur sancta Synodus, hanc Contritionem non solum cessationem a peccato, et vitae novae propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum etc. a).* Et certe, qui illos Sanctorum clamores considerat: *Tibi soli peccavi et malum coram te feci b). Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum c). Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animae meae d),* et alios hujusmodi generis, facile intelligit, eos ex vehementi quodam anteactae vitae odio, et ingenti peccatorum detestatione manasse.

Prob. II. Definitio, quam ex Concilio Trid. attulimus, nihil continet, quod non sit ad remissionem peccatorum ex ipsa rei natura necessarium: nam, qui Deum offendit ex praepostera ad creaturas conversione; quo in gratiam redeat, necesse est, ut a rebus creatis se avertat et convertatur ad Deum: atqui hoc fieri non potest absque peccati odio ac detestatione ac proposito non peccandi de caetero;

---

a) Ezech. XVIII. *b)* Psalm. I. *c)* Psalm. VI. *d)* Isai. XXXVIII.

ubi enim peccati detestatio non est, manet affectus ad peccatum commissum; et ubi non est propositum non peccandi, manet affectus ad peccatum futurum. Porro detestatio peccati illud necessario in animo peccatoris efficit, ut dolorem de illata Deo injuria concipiat, omnemque affectum ad peccatum deponat. Hinc *Ambros.* serm. 40. ait: *Poenitentia est mala praeterita plangere, et plangenda non committere.*

Schol. Haec de Contritione dicta sunt, prout virtus est. Quae autem sacra Synodus citato cap. adjicit: *Cum voto praestandi reliqua, quae ad rite suscipiendum Sacramentum requiruntur*, ad Contritionem, ut pars Sacramenti est, pertinent. Hac ratione definitio Concilii cum illa coincidit, quam S. *Thomas* refert veteribus Scholasticis fuisse usitatam *a)*: *Contritio est dolor de peccatis assumptus, cum proposito confitendi et satisfaciendi.*

PROPOSITIO II.

Contritio peccatori ad justificationem omnino est necessaria.

Prob. Necessaria est I. *necessitate medii*, idque ut *Bellarm.* observat *b)*, ex verbis Concilii Trid. Sess. XIV. cap. VI. aperte colligitur. Concilium ait: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus necessarius.* Haec verba nonnisi de necessitate medii intelligi possunt; quae enim praecepti tantum necessitatem habent, non ita universe omnia tempora complectuntur.

Notum praeterea est, Contritionem universim sumptam nihil differre a poenitentia ut virtus est; hanc autem ad obtinendam veniam peccatorum omnino esse necessariam, supra probavimus *c)*. Idque communis ratio et omnium saeculorum persuasio loquuntur; quis enim unquam persuadere sibi potuit, peccatorem posse Deo reconciliari absque odio et detestatione peccati? Hinc optime S. *August.* ait *d)*: *Posse quidem aliquem dicere, se non peccare; at nullam esse barbariem, quae dicere audeat, non esse poenitendum, si peccaverit.*

---

a) Suppl. III. de peccatis. q. 1. Art. 1. *b)* Lib. II. de poenit. cap. VIII. *c)* Cap. I. §. III. *d)* Lib. de duabus animab.

Necessaria est II. *necessitate praecepti.* Primum enim naturalis ratio docet, ea esse homini praecepta, quae sunt media ad salutem consequendam necessaria. Deinde si praeceptum Dei positivum quaeris, habes expressam Dei voluntatem in Scripturis. *Poenitentiam agite,* Matth. III. *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Luc. XIII, 3. Praeceptum autem ecclesiasticum in praecepto Confessionis necessario includitur.

Nota. Nunc ad Quaestiones quasdam breviter respondendum est.

QUAESTIO I.

An propositum non peccandi de caetero formale, ut ajunt, et explicitum esse debeat, vel, an sufficiat virtuale et implicitum?

Resp. Non quaeritur: An ad Contritionem requiratur vitae melioris propositum; in hoc enim omnes consentiunt. Nam ut recte S. *Augustinus* docet *a)*, non solum petitur a peccatore ut gemat, sed etiam, ut convertatur: Conversio autem ad bonum est. In hoc ergo posita est quaestio; an propositum hoc explicitum esse debeat, vel an sufficiat illud virtuale, quod in peccatorum detestatione includitur, cum vitae veteris odium necessario propositum contineat vitae novae. Hac de re disputant Theologi; sunt, qui implicitum sufficere existimant, sed haec paucorum opinio est. Alii propositum exigunt formale et explicitum. Haec sententia communis est Theologorum, eamque nos tanquam tutiorem et veriorem libenter amplectimur. *Concilium Trid.* propositum distinguit ab odio peccati; at nulla fuisset necessitas illud distinguendi, si non requireretur formale et explicitum. Idem videtur colligi posse ex illis Scripturae locis, quae de proposito non peccandi expressam mentionem faciunt, ut: *Deponite vos veterem hominem . . . et induite novum.* — Ephes. IV. — *Projicite a vobis iniquitates vestras et facite vobis cor novum.* Ezech. XXIII. *Odite malum et diligite bonum.* Amos V. *Quiescite agere perverse et discite bene facere.* Isai. I. Nollem tamen asserere, implicitum emendationis propositum non posse quandoque et per accidens sufficere, ut cum homo de obtinenda

a) De vera et falsa poenit. c. 17.

peccatorum venia valde solicitus, animum in conscientiae examine et detestatione peccati ita occupatum habet, ut de proposito eliciendo non cogitet.

QUAESTIO II.

Quo tempore obliget praeceptum Contritionis?

Resp. Cum praeceptum Contritionis affirmativum sit, non videtur obligare, nisi pro tempore necessitatis, quemadmodum et alia praecepta affirmativa. Ac primus quidem articulus necessitatis omnium consensu est periculum mortis. Huic alius additur, quando scilicet aliquis mortali peccato onustus administrare aut suscipere voluerit Sacramentum, aut alium actum exercere, qui requirit hominem existentem in gratia. Hanc tamen obligationem *Melchior Canus* accidentariam vocat, quia non tam oritur a praecepto poenitentia, quam a praecepto alio de digna Sacramentorum administratione vel susceptione.

Et haec quidem omnium consensum habent; at sunt alia quaedam inter Doctores controversa, de quibus summatim dicendum. 1.° Qui in peccatum incidit, non tenetur protinus praecepto Contritionis. Id quidem quam maxime suadendum, ut, qui peccatum commisit, illud quamprimum detestetur, memor illius Ecclesiast. V. *Ne tardes converti ad Dominum.* Quoniam, ut S. *Gregor.* ait *a)*: *Peccatum, quod non fuit poenitentia dilutum, suo pondere trahit ad aliud.* Verum ubi de praecepto agitur, quod violari sine gravi peccato non potest, prorsus tenendum est, non statim urgere praeceptum Contritionis, sicut nec statim obligat praeceptum Confessionis. 2.° Non tenetur homo poenitentiam agere quoties peccata memoriae occurrerint; nullum enim extat tale Dei mandatum. Notandum tamen, veterum Theologorum quam plurimos, et inter alios S. *Thomam* contrariam tenuisse sententiam, eamque probabiliorem videri *Maldonato* de Contrit. cap. IV. — 3.° Praeceptum Contritionis non obligat diebus festis. Utilissimum quidem est et vehementer exoptandum, ut, qui Deum peccando offendit, quotidie, ac potissimum diebus festis cor Deo offerat contritum et humiliatum: nemo tamen asserere audebit, peccatorem, qui die festo divinis mysteriis inter-

a) Hom. II. in Ezech.

est, ad perfectam Contritionem teneri sub poena novi peccati mortalis. Praecepto de sanctificatione festorum procul dubio satisfacit, qui cum vero pietatis sensu Religionis exercitiis vacat, Deumque rogat, ut velit compunctionis gratiam concedere. Vid. *Melch. Canum* de poenit. parte IV.

QUAESTIO III.

An semper formalis Contritio requiratur, et an singulorum peccatorum debeant esse singulae Contritiones?

Resp. 1.° Ut facilius intelligatur quaestio, quaedam ex Maldonato insigni Theologo praemittimus. Observat vir doctiss., varias distingui Contritionis species. Alia Contritio est *generalis*, alia *singularis;* et singularis alia ita dicitur, quia una est singulorum peccatorum; alia, quia uniuscujusque peccati est una quaedam distincta Contritio. Item alia Contritio vocatur *formalis*, alia *materialis*. Materialis, quae et virtualis dici potest, ea est, quae formaliter non est dolor, sed aliquid, quod idem valet ac dolor, qualis est charitas: *formalis* autem est, quae formaliter est dolor. Item Contritio vocatur *habitualis*, nimirum, quae habitu fertur in peccata, qualis esse solet in vero poenitente, etiam cum de peccatis non cogitat. *Actualis* autem est, quae actu fertur in peccata.

Resp. 2.° In eo, cui occurrit memoria peccatorum, *formalis* Contritio requiritur ad remissionem peccatorum. Videtur tamen *virtualem* sufficere, cum non habetur memoria peccati. Et certe, qui peccatorum memoriam non habens charitatem perfectam eliceret, procul dubio peccatorum veniam consequeretur; sed charitas perfecta virtute continet detestationem peccati, et emendationis propositum.

Resp. 3.° Errant, qui putant generalem quemdam, et confusum animi dolorem ad veram Contritionem sufficere. De singulis peccatis concipiendus est dolor, juxta illud Ezech. XVIII.: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus iniquitatibus suis, et custodierit omnia mandata mea, vita vivet.* Et Isai. XXXVIII.: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* Hic tamen et alius error evitandus est, in quo plures antiqui Theologi haesisse videntur, scilicet singulorum peccatorum debere

esse singulas Contritiones distinctas. Haec opinio ne tum quidem valere potest, quando Contritio cum respectu ad Confessionem consideratur; nam, quamvis in Confessione, eo quod homini facienda sit, requiratur enumeratio singulorum delictorum; sufficit tamen, ut poenitens de singulis doleat, sive unus, sive plures Contritionis actus eliciantur. Et haec quidem de praecepto dicta sunt. Caeterum valde suadendum est fidelibus, ut ad singula saltem graviora crimina proprium Contritionis actum adhibere studeant, ut hac ratione non culpa tantum auferatur, sed etiam quoad fieri potest exstirpentur omnes radices peccati.

QUAESTIO IV.

An Contritio etiam necessaria sit ad remissionem peccati venialis?

Resp. Reatus peccati etiam venialis tolli non potest, nisi illud, quod contra voluntatem Dei commissum est, propter Deum displiceat. *Nec quemquam putes*, ait S. *Augustin. a)*, *ab errore ad veritatem, vel a quocunque seu magno, seu parvo peccato ad correctionem sine poenitentia posse transire.* Attamen, ut S. *Thomas* observat, eadem Contritio venialibus non aeque necessaria est ac mortalibus. Sufficit ea virtualis detestatio, qua peccatum actu displiceret, si cogitationi nostrae occurreret.

QUAESTIO V.

An certum et definitum tempus requiratur, ut vera et legitima sit Contritio?

Resp. Dicunt, hanc *Scoti* olim sententiam fuisse, quod certum tempus requiratur; verum hanc sententiam Theologi passim repudiant, eique Scripturae et Patres adversantur. Sic S. *Leo* Epist. ad Theodorum docet, si periculum urgeat, cuique poenitenti dandam esse absolutionem: *Quia*, inquit, *misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire; apud quem nullas patitur veniae moras conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cum conversus ingemueris, tum salvus eris.* Verba laudata Ezechielis Prophetae sunt, qui etiam cap. 33. ait: *Impietas impii non nocebit ei, in quocunque die conversus fuerit ab*

a) Epist. 93. alias 48.

impietate sua. Caeterum nulla potest ratio afferri satis idonea, cur certum temporis spatium exigatur; nam cum Deus pronior sit ad ignoscendum, quam ad puniendum, quis sibi persuadeat, non posse in momento comparari gratiam, quae potest in momento amitti?

Neque obesse potest, quod Patres velint, praemittenda esse spatia poenitentiae, antequam absolutionis beneficium impertiatur; id enim Patres ideo tantum exigunt, quia putant probandos esse poenitentes, an vera sit et sincera, quam exterius profitentur, peccati detestatio; an firmum sit, quod ad veram Contritionem requiritur, non peccandi propositum. Sic S. *Augustin. a)*, postquam expressis verbis docuit, in poenitentia non tam considerandam esse mensuram temporis, quam doloris, ita pergit: *Tamen, quia plerumque dolor alterius occultus est alteri . . . recte constituuntur ab iis, qui Ecclesiae praesunt, tempora poenitentiae, ut fiat etiam satis Ecclesiae.* Hanc solicitudinem Ecclesia nullo non tempore Sacerdotibus commendavit. *Causae pensandae sunt*, ait S. *Gregor* M. *b)*, *et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est, quae culpa praecesserit, aut quae poenitentia secuta est post culpam.*

§. II.

Quae sint Contritionis proprie sumptae affectiones, seu proprietates.

OBSERVANDA.

I. Superfluum esset, veterum Protestantium diversas hac de re opiniones recensere, aut iniquas in Catholicam doctrinam criminationes; quae enim dicunt, nonnisi consectaria sunt eorum, quos jam refutavimus, errorum et mendaciorum. Catholici, cum de Contritionis proprietatibus agunt, alii quidem plures numerant, alii pauciores; at in re ipsa non dissentiunt. Qui pauciores habent, caeteras non excludunt, sed ideo tantum praetermittendas existimant, quia in aliis jam continentur, aut ad ea pertinent, quae jam nota sunt et elucidata. Ita satis jam notum est, ad Contritionem requiri, ut poenitens vitae emendandae propositum habeat;

---

a) Enchir. cap. V. *b)* Hom. 26. in Evang.

ut Contritio conjunctam habeat confitendi et satisfaciendi voluntatem; ut qui vult sibi ignosci a Deo, is quoque ultionis consilium omne abjiciat. Neque id credo quemquam, si sanae mentis sit, inficiari posse, actum Contritionis, ut possit ad veniam peccatorum disponere, liberum esse oportere, itemque bonum et honestum.

II. Contritionis universim sumptae proprietates praecipuae sunt, ut sit *interior*, *supernaturalis*, *universalis* et *summa*. Quod ad primum attinet, fatemur illud non tam proprietatem esse Contritionis, quam rem ipsam: nam cum quis dicit, ad Contritionem requiri, ut vera sit et sincera, idem est, ac si diceret, ad Contritionem requiri, ut sit Contritio. Verum, quidquid sit de hac subtiliori distinctione, certum semper perspectumque fuit omnibus, sinceritatem ita esse ad Contritionem necessariam, ut ea sublata non tantum nihil prosit peccatori, sed ne Contritionis quidem nomen mereatur.

III. Contritio *supernaturalis* dicitur, quando elicitur per gratiam et ex motivo per Fidem proposito. Varia quippe et multiplex ratio esse potest, quae dolorem de peccato commisso, et propositum ab eo deinceps abstinendi procreat; eaque est interdum *naturalis*, ut metus infamiae; aut vitae, aut praemii alicujus temporalis cupiditas; in hujusmodi enim motivis nihil est, quod intra naturae limites non contineatur. Supernaturalis Contritio est, 1.° quando peccatum lugemus propter aeternae damnationis incursum, et amissionem aeternae beatitudinis. Nam si fide edocti, et Spiritus sancti gratia excitati aeternas gehennae poenas et aeternae felicitatis jacturam animo perpendimus, necessario peccatum, ex quo tanta in nos mala profluunt, detestamur. *Gehennam ponamus in conspectibus nostris*, ait S. *Chrysostom. a). Ponamus etiam et illud ante oculos, quanti doloris est excludi ac projici a regno coelorum, quod, ut mihi videtur, gravius est ipsa gehenna.*

2.° Quando dolorem concipimus ex consideratione turpitudinis peccati, quis enim posset non summopere odisse peccatum, si serio perpenderit, se gratiam sanctificantem, in qua totus animae decor situs est, perdidisse, et in servitutem daemonis traditum

---

a) Lib. I. de compunct. cordis p. 583.

esse, turpissima peccatorum labe foedatum? Sic S. *Ambros. a)*: *Nihil est, quod tam summo dolori sit, quam quod sit unusquisque positus sub captivitate peccati; recordetur unde lapsus sit, atque unde deciderit; eo quod ad corporea et terrena ab illa speciosa et pulchra divinae cognitionis intentione deflexerit.* Et S. *Cyprian. b)*: *Animam tuam misera perdidisti, spiritualiter mortua supervivere hic tibi, et ipsa ambulans funus tuum portare coepisti; et non acriter plangis? et non te vel pudore criminis abscondis?*

3.° Quando Deum summe in nos beneficum cogitamus, atque animo reputamus inhaerentem peccato turpissimam ingrati animi maculam. Odiosum crimen est ingrati animi culpa, at nunquam odiosius, quam cum in eum delinquimus, cujus inexhaustam in nos beneficentiam nullis unquam possumus obsequiis compensare. Hic actus Contritionis conjunctum habet amorem spei et gratitudinis. *Spei* quidem, nam cum bona a Deo promissa magna spe expectamus, ultro hujus felicitatis largitorem diligimus Deum, eumque offensum dolemus. *Gratitudinis* vero, cum beneficia a Deo accepta grato animo recolentes, peccatum aversamur, quia est offensa Dei, quem ut summe in nos beneficum amamus.

4.° His veluti gradibus ad illam Contritionem ascenditur, quam perfectam vocamus, quia ex charitate perfecta dimanat, qua Deus supra omnia diligitur, quia est in se, et propter infinitas suas perfectiones omni amore et obsequio dignissimus. Haec praecipua sunt momenta, quae supernaturalem Contritionem efficiunt; ex quo perspicitur, quantum intersit inter Contritionem etiam imperfectam et Contritionem naturalem. Illa siquidem ex fide est, et supernaturalis ordinis; haec terrena est, nec quidquam valet in salutis negotio.

IV. *Universalis* vocatur Contritio, quando se extendit ad omnia peccata commissa, ea saltem, quae nos a gratia Dei excludunt. — Demum *summa* dicitur, quando de peccato magis dolemus, quam de quacunque re alia. Sed haec paucis explicare necesse est. Dolor, quem de peccatis concipimus, dupliciter potest vocari maximus, intensive nimirum et appretiative (concedenda nobis sunt in scholastica concertatione hujusmodi vocabula). Contritionem *appretiative* summam efficiunt non tantum judicium

---

a) Lib. II. de poenit. cap. II. *b)* Lib. de lapsis circa finem.

rationis, quo peccati summam esse malitiam cognoscimus; sed etiam electio et conatus voluntatis, quo peccatum, quod summum omnium malorum est, magis quam omnia alia mala aversamur et fugimus. Contritio *intensive* summa dicitur, si dolor summum gradum in anima attigit et actus Contritionis cum omni conatu elicitur, quem potest voluntas illi praestare: aut saltem si intensionem habet comparate maximam, ita ut intensior et acrior sit dolor de peccatis commissis, quam de quocunque alio malo. Cave tamen ne hanc intensionem in commotione exteriore sensuum colloces, et ex fletu et lamentis doloris gradum determinare velis.

PROPOSITIO.

Contritio, ut ad remissionem peccatorum valeat, debet esse interior, supernaturalis, universalis et appretiative summa.

Prob. I. pars. *Sit interior.* 1.° Cum Deo res agitur, quem fallere non possumus externa Contritionis simulatione. Qui ita agit, se ipsum decipit misserrime, et caeteris delictis aliud addit, Deo maxime exosum hypocrisis peccatum. *Homo videt ea, quae parent, Deus autem intuetur cor.* I Reg. XVI. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt supra solem . . . hominum corda intuentes in absconditas partes.* Eccles. XXVIII. *Scrutans renes et corda Deus.* Ps. VII.

2.° Ex corde prodeunt peccata; ergo et cor interius conterendum est. Cor per peccatum a Deo avertitur; ergo necesse est, ut ad Deum interum convertatur per poenitentiam. Inde illae Prophetarum voces, Joel. II.: *Convertimini ad me in toto corde vestro, et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* Ezech. XVIII, 31.: *Facite vobis cor novum, et Spiritum novum.* Isai. XLVI, 8.: *Redite praevaricatores ad cor.* Et caetera id genus innumera.

Prob. II. pars. *Sit supernaturalis.* 1.° Ratione principii, seu gratiae divinae. Nemo enim potest salubriter conteri sine gratiae adjutorio et Spiritus Sancti influxu. Quod ita definit *Trident.* Sess. VI. Can. 3.: *Siquis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem . . . poenitere posse sicut oportet, ut ei*

justificationis gratia conferatur; anathema sit. Consonant Scripturae; sic Jeremias XXXI. ita Dominum precatur: *Converte me Domine et convertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi poenitentiam.*

2.° Ratione motivi; actio enim moralis ex motivo praesertim suam speciem desumit, atque ex eo quasi ex sua radice exoritur. Vana igitur est Contritio, nec fructus salutis, qui supernaturales sunt, proferre potest, nisi ex motivo supernaturali prodeat. Quae ex radice mere naturali nascuntur, ordinis naturalis sunt. Talis erat contritio Antiochi, qui peccatum deflevit, non quod esset offensa Dei; sed propter gravissimum morbum, quo cruciabatur.

III. *Sit universalis. Necesse est, ait Catech. Rom. a), peccata omnia, quae admisimus, odisse et dolere; ne si quaedam tantum doleamus, ficta et simulata, neque salutaris poenitentia a nobis suscipiatur.* Et vero; Contritio est dolor de peccato, quatenus est offensa Dei; ergo si vera est et sincera, debet peccata omnia detestari, siquidem nullum est, quo Deus non offendatur. Porro motiva supernaturalis Contritionis omnia ejus naturae sunt, ut ad omnia se peccata extendant; nullum enim est mortale peccatum, quod non aeternae damnationis supplicia mereatur, quod non a regno coelorum excludat etc. Hinc Ezech. XVIII. dicitur: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est . . . omnium iniquitatum ejus non recordabor.*

IV. *Sit summa, saltem appretiative.* Peccatum summum omnium malorum est, ergo voluntas illud detestari debet super omnia. Item, Deum in majori pretio habere debemus, quam bonum quodcunque creatum; ergo etiam de offenso Deo magis, quam de re quacunque alia dolere; qui enim Deo aliquid praeponeret, novae in Deum injuriae se reum faceret. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus,* ait Salvator Matth. X.

DUBIA QUAEDAM EXPLANANTUR.

Dicunt 1. Si ad consequendam remissionem peccatorum nihil prodest Contritio ex causa mere naturali orta, non intelligitur 1.°

---

a) De Poenit. q. 29.

cur Deus ipse, ut peccatores a vitiis ad curam aeternae salutis revocet, terrena illis commoda proponat, et poenas comminetur temporales; his enim pleni sunt veteris testamenti libri. 2.° Cur Ninivitarum poenitentia ipsius Dei ore laudata fuerit et commendata, cum constet, Ninivitas poenitentiam egisse ad praedicationem Jonae, qui ipsis mortem temporalem et imminentem urbis subversionem annuntiaverat.

Resp. Distinguendum est inter motivum Contritionis et occasionem, qua via paratur ad poenitentiam. Non raro contingit, ut homines, qui vitiorum illecebris irretiti omnem salutis curam abjecerant, immissa temporali calamitate vehementius commoveantur, et veluti e somno evigilantes de salute serio cogitare incipiant. Saepe fortuna in malum conversa occasiones peccati tolluntur, cupiditatum ardor restinguitur, et animus ad capessenda meliora consilia disponitur; atque ita facilius fieri potest, ut adjuvante gratia ex supernarum rerum consideratione exoriatur in animo dolor ac detestatio peccati in fide divina radicata et fundata. Sic apud Ninivitas timor temporalis interitus occasio quidem fuit, et incitamentum aliquod conversionis: at eorum poenitentia, nisi motiva supernaturalia accessissent, nunquam peccati maculas abstergere, nunquam placare Dei vindictam potuisset.

Dicunt II. Contritio, ut vere esset universalis, deberet se extendere ad omnia omnino peccata, etiam a poenitente non commissa; idque rationes supra allatae exigere videntur; nullum enim peccatum est, quod non sit offensa Dei, nulla gravis culpa, quae non inferni incendia mereatur... etc.

Resp. Contritio est dolor de peccato commisso, ut optime *Trident.* ait; nemo enim dolet de eo, quod non commisit. Sufficit ut Contritio generalis sit *virtualiter*, ut dicunt Theologi, ita ut 1.° nullum sit peccatum, quod homo poenitens non detestetur, 2.° nullum de quo non doleret, si illud admisisset.

Dicunt III. Non constat, qua ratione summa esse debeat Contritio; ita ut difficile fiat, quid in hac re sentiendum sit, definire.

Resp. Quaestio haec adeo difficilis non est, ac hodie vix relinquitur concertationi locus. Ut clarior res fiat, primum ea, quae

omnino certa sunt, praemittamus, deinde ea exponemus, quae aliquamdiu in controversia versabantur.

1.° Apud omnes concessum est, summum dolorem ex peccatis esse suscipiendum, ita ut nullus major de re quacunque alia habeatur, idque satis jam ex probatione constat; nemo autem est, qui hanc doloris magnitudinem non in eo saltem constituat, quod nos vocamus *appretiative* summum.

2.° Id quoque extra omne dubium est, etiam intensivam doloris magnitudinem aestimandam non esse ex dolore sensus, siquidem dolor iste sensibilis ex quadam animi affectione pendet, quae in nostra potestate non est. Contritio non pertinet ad sensus, sed ad voluntatem; et cum de intensione doloris quaestio est, de interiore voluntatis conatu et commotione agitur, in quo solo Contritionis *intensio* consistit. De hac nunc quid tenendum sit, breviter dicemus.

Summopere optandum esset, ut, qui habet veram Contritionem, habeat etiam dolorem intensissimum, qui ex intimo corde erumpens in gemitus sese et lacrymas effunderet. Id etiam concedimus, ubi caetera paria sunt, intensionem doloris sequi naturaliter magnitudinem doloris appretiationis. Cur enim acerbior dolor sit de morte patris quam amici, utique ratio alia non est, quam quod pluris faciamus patrem, quam amicum. Verum ita concludi non potest, quando res una sensibilis est, alia spiritualis; quia ex iis, quae sensus feriunt, etiam voluntas vehementius percellitur, minus autem afficiunt spiritualia, quae solo intellectu percipiuntur; ideoque magis nos mordet mors charorum aut jactura famae, quam amissio amicitiae divinae, quamvis mallemus rerum omnium potius, quam Dei detrimentum pati. Igitur Theologi passim rejiciunt hanc *Adriani* sententiam, ad Contritionem omnem animi conatum requiri, ita videlicet, ut actus Contritionis omnem habeat intensionem, quam potest voluntas illi praestare; nusquam enim Scriptura aut Patres id postulant. Hoc unum volunt, ut summus sit dolor et judicii aestimatione et electione voluntatis. *Deuteron.* XXX. legitur: *Si ductus poenitudine cordis tui reversus fueris ad Dominum in toto corde tuo, miserebitur tui.* Et S. *Chrysost.* in libello de reparatione lapsi ait: *Mihi crede, talis est erga homines pietas Dei: nunquam spernit poenitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur . . . nec patitur quamvis exi-*

guae conversionis perire mercedem. Praeterea constat, ex iis, qui vero et sincero de peccatis dolore afficiuntur, alios aliis vehementius affici, neque id dijudicari posse, an dolor ad summum gradum intensionis pervenerit. Adde, quod doloris gradus, quisquis ille sit, semper major et major dari possit. Quare et Ecclesia nullum intensionis gradum ut necessarium praescribit.

Quam ob rem ne summa quidem intensio comparate sumpta requiritur, ut quidam opinati sunt, ita ut dolor sit acrior et intensior de peccatis commissis, quam de quovis alio malo. Nam saepe fit, ut de morte liberorum dolor sit intensior, quam qui ex peccato concipitur, ut S. *Hieronym.* de sancta Paula commemorat, quam tamen eo nomine non reprehendit.

Instant. Ut peccator certus sit, se Contritionem habere etiam appretiative tantum summam, necesse est, ut gravissima quaeque mala cum peccato comparans, paratus sit, omnibus his malis se objicere potius, quam Deum peccando offendere. Ita ut secum statuat: Si vivus deberem comburi, non tamen vellem hoc malum committere, imo potius infernum pati, quam peccare.

Resp. Non est necessarium, ut de malis ejusmodi cogitet poenitens; sufficit comparatio virtualis, quae consistit in excellentia motivi, propter quod peccatum detestatur, et quod ex se voluntatem ita Deo devincit, ut jam nihil magis timeat, quam Deum offendere. Si horror peccati major est, quam timor malorum, quae revera metuenda sunt, major etiam quam illecebrae vitiorum, quae vitam peccatoris eo tempore comitantur; tunc necesse non est, imo periculosum esset plerumque, enixe sibi efformare gravissimorum malorum imagines et timere, ubi non est timor. Qui facit, quod in se est, et cum ea quam nunc habet et qua nunc indiget gratia fideliter operatur: confidat in Deo, qui etiam tunc, ubi graviora certamina ingruent, majora auxilia suppeditabit; omnia siquidem possumus in eo, qui nos confortat. Sed haec intelligi volumus de malis temporalibus: nam inter mala aeterna et peccatum nulla unquam facienda est electio, ac si v. gr. necesse esset eligere inter peccatum et infernum. Ejusmodi hypotheses sunt de re impossibili, et non insanae tantum, sed et impiae; nam impium esset supponere, quod peccatum posset esse medium evitandae aeternae damnationis.

ARTICULUS II.

De Contritione perfecta.

Nota et pervulgata est Contritionis partitio in perfectam et imperfectam, quam alio nomine Attritionem vocant. Quae priori Articulo exposita fuerunt, ad Contritionem et Attritionem in communi quadam ratione generica pertinent. Nam utraque est animi dolor de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero; utraque ad justificationem nos praeparat, si cum fiducia divinae misericordiae, et voto ea praestandi, quae ad suscipiendum Sacramentum poenitentiae requiruntur, conjuncta sit; utraque ergo dotes illas et proprietates habeat necesse est, quas ad veram Contritionem necessarias esse probavimus. Nunc de perfecta Contritione particulatim agendum. Videbimus autem 1.° quae sit Contritionis perfectae vis et efficientia; 2.° quae ejus sit natura, seu ratio essentialis et specifica; ordo praeposterus, quem ideo sequimur, ut primum tradantur, quae certa sunt, et Concilii Trident. auctoritate firmata, tum ea, quae controversa sunt, et in scholis libere agitantur. Id porro praevie adnotandum, Contritionem perfectam a Charitate non distingui; id enim a Charitate habet, ut perfecta sit.

§. I.

De Contritionis perfectae vi et efficientia.

PROPOSITIO.

Contritio perfecta hominem statim Deo reconciliat etiam extra casum necessitatis, sed non sine voto Sacramenti, quod in ea includitur.

Prob. *Concilium Tridentinum* sic habet Sess. XIV. cap. IV.: *Etsi Contritionem hanc aliquando Charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam actu hoc Sacramentum suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in ipsa includitur, non esse adscribendam.* Haec verba nisi a naturali sensu detorqueantur, clare exprimunt quod

asserimus. Non dicitur, Contritionem perfectam hominem reconciliare in casu necessitatis, quando mors imminet, et copia non adest Sacerdotis, ut quidam docuerunt; sed sensus genuinus hic est: Contritionem aliquando esse Charitate perfectam, et quoties illud contingit, statim hominem Deo reconciliari. Et cum additur: *priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur*, an non palam est, Concilium non loqui de eo, qui imminente morte Sacerdotem non haberet, sed de homine, qui se ad Sacramentum praeparans actum perfectae Contritionis eliceret, et ita justificaretur *priusquam Sacramentum actu suscipiatur?*

Concilii doctrina multis Scripturae et Patrum testimonis innititur. In veteri lege haec fuit perfectae Contritionis virtus et efficacia, ut statim peccata deleret.

Ezechiel XXIII, 12.: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit.* David etiam, ubi primum perfecta Contritione affectus in hoc verbum erupit: *Peccavi;* statim audivit a Propheta: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Lex nova, quae lex amoris est et gratiae, tota est in praedicanda vi et efficacia Charitatis. Pauca tantum seligamus. I *Petr.* IV.: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Rom. XIII.: *Plenitudo legis est dilectio.* Coloss. III.: *Charitas est vinculum perfectionis.* Et illud ipsius Salvatoris effatum Joan. XIV.: *Qui diligit me, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.*

Ex Patribus unicum adducimus S. Chrysostomi locum hom. VII. in II. ad Timoth.: *Sicut ignis, ubi silvam occupaverit, omnia purgare consuevit, ita et Charitatis fervor, quocunque inciderit, omnia perimit, atque perrumpit; ubi Charitas est, omnia sublata sunt mala.*

Accedit auctoritas SS. Pontificum Pii V., Gregorii XIII., et Urbani VIII. qui plures Baji propositiones damnarunt, nostrae propositioni contrarias. In exemplum sit haec inter damnatas 68. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, et voto suscipiendi Sacramentum conjunctam non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.*

OPPOSITIONES REMOVENTUR.

Opponunt I. *Pallavicinus* narrat *a*), Concilium noluisse anathema pronuntiare contra eos, qui dicerent: Contritionem perfectam extra casum necessitatis non justificare. 2.° Idem Concil. Sess. XIII. cap. 7. vult, ut nullus peccati mortalis sibi conscius, quamvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedat: atqui hoc non statueret, si homo juctificaretur per Contritionem perfectam. Ergo etc.

Resp. ad I. neg. conseq. Quae Concilii mens fuerit, ex probatione apertum est. Refert autem *Pallavicinus*, jam paratum fuisse canonem, quo doctrina haec tanquam dogma definiretur fide divina credendum. Verum cum Archiepiscopus Calaritanus exposuisset, graves Theologos, et inter caeteros *Adrianum* et *Cajetanum* docere, per Contritionem etiam perfectam peccata non deleri, nisi forte in casibus extraordinariis, ut in articulo mortis; abstinuisse Concilium, neque voluisse solemni anathemate hanc opinionem proscribere. Porro latere neminem potuit, quae fuerit Patrum doctrina, atque ab eo tempore vix quidquam remansit contrariae opinionis.

Resp. ad II. Concilium expresse ait: *Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse.* Hanc autem disciplinae regulam ibi confirmat, tum propter summam Sacramenti dignitatem, tum etiam, quia tam facile non est, eam habere Contritionem, quae justificat citra absolutionem. Cum autem Synodus haec statuens simul eos excipit, qui forte ex officio celebrare tenentur, nec habent copiam Sacerdotis, an non satis indicat, perfectam Contritionem cum proposito confitendi ad delendam lethalis peccati maculam sufficere?

Opponunt II. Mulier peccatrix (Lucae VII.) prius dilexit, quam veniam peccatorum obtinuit. Dilexit enim, cum accessit ad Dominum; mundata autem est, cum post aliquod intervallum Dominus dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sic et Saulus procul dubio charitate flagrabat, quando in via Damasci mirabiliter conversus cum magno affectu dixit:

---

a) Hist. Conc. Trid. lib. XII. cap. X.

Domine, quid me vis facere? Attamen post triduum Ananias sic eum allocutus est *a)*: *Exurge et baptizare et ablue peccata tua.* Ergo.

Resp. 1.° Verba illa: *remittuntur ei peccata multa,* non probant peccata illo ipso tempore fuisse remissa, sed potius acceptam jam remissionem coram hominibus declarant et confirmant. Nam etiam postea interjecto aliquanto spatio Dominus iterum dicit: *Remittuntur tibi peccata tua;* nec tamen dicere debemus, bis eadem peccata fuisse dimissa. Legimus aliquid simile Marci V., ubi Dominus mulieri, quam jam sanaverat a fluxu sanguinis ait: *Esto sana a plaga tua.*

2.° Communis Patrum sententia est, Paulum gratiam sanctificantem consecutum esse eo temporis articulo, quo Dei voce perculsus in haec verba erupit: *Domine, quid me vis facere?* Inter alios S. *Augustinus*, de Paulo antequam baptizatus esset, ita loquitur *b)*: *Quare trepidas, Anania, ire ad eum, qui jam non est lupus? Lupum timebas, sed respondet tibi Dominus Deus tuus: de lupo ovem feci.* Nihil in contrarium efficiunt haec verba Ananiae: *Baptizare et ablue peccata tua.* Nam ignorare potuit Ananias, adeo perfectam Pauli conversionem fuisse, ut sola sufficeret ad ejus peccata delenda. Deinde nihil vetat ita verba ejus intelligere: Surge, suscipe Sacramentum, quo peccata abluuntur. Sciebat enim, Baptisma sicut et poenitentiam abluendis peccatis esse institutum, sciebat necessario ad haec salutis remedia recurrendum, etiam quando peccata Contritione perfecta diluuntur. Hinc Sacramentum suscipiendi votum jam in Contritione includitur. Et certe nemo dubitat *Cornelium Centurionem*, et qui cum eo erant, antequam baptizarentur, fuisse justificatos, cum Scriptura expresse dicat *c)*: *Adhuc loquente Petro cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.* Attamen postea baptizati fuerunt, idque urgebat Petrus ea potissimum ratione, quod jam in eos effusa fuerit gratia Spiritus sancti v. 47.: *Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos?*

Instant. Si tanta est Contritionis perfectae efficacia, non videtur, cur homini perfecte contrito necesse sit ad Sacramentum

---

a) Actor. XXII, 26. *b)* Serm. 175. n. 8. *c)* Actor. X, 44.

confugere, aut quid utilitatis et boni spiritualis exinde percipiat homo.

Resp. Ad Sacramentum recurrendum est, quia praeceptum Domini est, ut, qui peccavit, clavibus Ecclesiae se subjiciat. Ex quo et illud sequitur, Contritionem peccatorum non reconciliare, nisi votum Sacramenti includat; debet enim includere voluntatem observandi praecepta. At certe, vera charitas et verum Baptismi votum non sinunt hominem esse negligentem et contemptorem Sacramenti. Accedunt et aliae rationes; 1.° Cum rarius contingat peccatorem veram et perfectam charitatem habere, non satis saluti suae consuleret, qui absolutionis remedium negligeret; et eo ipso parum se in charitate profecisse ostenderet. 2.° Homini per charitatem perfectam justificato adhuc prodest Sacramentum, qua gratiae augmentum producit, peccatorum poenas imminuit, humilitatem nutrit, poenitendi fervorem acuit et animum in bene agendi proposito obfirmat.

3.° Sacramenta hunc etiam ex voluntate Christi finem habent, ut sint vincula visibilis societatis, quae est Ecclesia. Sic per Baptismum non tantum deletur peccatum, sed homo corpori Ecclesiae coadunatur. Sic peccator societati Fidelium jam adscriptus, cum Poenitentiae Sacramentum suscipit, se sistit ad tribunal Ecclesiae; et se judicio subdit eorum, quos sibi scit ordinatione divina praefectos.

Opponunt III. Patres passim docent, peccatorem non justificari sine Sacramento. Ergo etc.

Resp. Nimis longum esset, ad Patrum testimonia, quae ab adversariis objiciuntur, singillatim respondere. Videri possunt, qui de hac materia fusius scripserunt; ut *Bellarminus a)*, *Tournelius b)* etc. — *Augustinum* prae caeteris lubentius appellant, sed immerito. Si *Augustinus* v. g. dicit *c)*: *Catechumenus, quantumcunque proficiat, adhuc sarcinam peccatorum portat, neque ei dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum*... necessitatem Baptismi commendat, eosque redarguit, qui, cum externa morum sanctitate excellerent, Baptismum negligebant, ac si eo non indigerent. *Neque enim*, ut alio loco inquit *d)*, *ullo modo dicenda est con-*

---

a) De poenit. lib. II. c. XIV. *b)* De poenit. Quaest. IV, Art. II. *c)* Tractat. XIII. in Joan. *d)* Lib. IV. de Bapt. c. 25.

versio cordis ad Deum, cum Dei Sacramentum contemnitur. Caeterum haec, aut alia ejusmodi argumenta fere semper in Adversarios retorqueri possunt; probarent enim, in casu necessitatis et mortis articulo Contritionem perfectam sine Sacramento non sufficere.

Quaeres I. An etiam imperfecta Contritio sufficiat, cum voto Sacramenti?

Respondetur, eam minime sufficere, idque ex iis patet, quae supra de absolutione diximus; ita enim absolutio nunquam inveniret, quod dimitteret. Deinde verba Concilii Tridentini satis perspicua sunt. Nam cum ait, aliquando Contritionem esse charitate perfectam, atque tunc reconciliari hominem, antequam Sacramentum suscipiat, an non clarum est, peccatorem ante Sacramentum non reconciliari, quando Contritio charitate perfecta non est? Idem Concilium cap. VII. de casuum reservatione loquens subjicit: *Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis.* Verum, si quaelibet sufficeret Contritio in mortis articulo cum voto Sacramenti, non esset metuendum, ne homines perirent defectu absolutionis. Hoc argumento etiam illa quorundam sententia everti videtur, qui putant Contritione imperfecta, saltem in casu necessitatis, seu articulo mortis peccata dilui, quando votum Sacramenti conjunctum habet. Nescio tamen, an qui ita sentiunt, nimium de misericordia Dei confidant, qui peccatorem in his angustiis constitutum, cum se quantum potest ad Contritionem excitat, non sinet in aeternum perire.

Quaeres II. An Contritio perfecta necessaria sit etiam cum Sacramento?

Resp. Jam supra *a*) diximus hanc sententiam, quae olim a Magistro Sententiarum, et deinceps a multis Theologis fuit propugnata, omnino nunc deseri a Scholae doctoribus; necessario enim hac ratione contingeret, ut peccata semper essent dimissa, antequam poenitens ad tribunal gratiae accederet, et sententia Sacerdotis non solveret delicta, sed soluta tantum declararet, atque ita nullus esset clavium usus, nulla potestas. Praeterea cum Concilium Tridentin. Sess. XIV. cap. IV. ait, aliquando contin-

---

a) Cap. I. Art. I. §. IV.

gere, ut Contritio sit charitate perfecta, satis ostendit, hanc non esse necessariam et ordinariam dispositionem ad Sacramentum Poenitentiae. Imo quae eo capite continentur, probant Concilium magnum discrimen ponere inter Contritionem, quae hominem Deo reconciliat ante Sacramentum, et eam, quae cum Sacramento requiritur.

§. II.

In quo posita sit Contritionis perfectio.

OBSERVANDA.

I. Quoniam *Concilium Tridentin.* docet, Contritionem per charitatem perfici, sequitur in hac quaestione eandem esse charitatis et Contritionis rationem; ita ut perfecta sit Contritio, ubi perfecta est charitas. Distinguitur autem charitas ab amore, sicut species a genere, est enim species amoris perfectissima. *Cum perfecta Contritio,* ut ait Catechism. Rom. *a)*, *sit charitatis actio, quae ab eo timore, qui filiorum est, proficiscitur; patet eundem charitatis et Contritionis modum statuendum esse. At quoniam charitas, qua Deum diligimus, perfectissimus est amor, hinc fit ut Contritio vehementissimum animi dolorem conjunctum habeat.* Notissima est amoris divisio in amorem, qui *concupiscentiae* dicitur et amorem *amicitiae*, aut *benevolentiae.* Primus oritur ex desiderio nostrae felicitatis, et vocatur etiam *amor spei*, quod ex spe ipsa suam ducat originem. Nam ubi tot bona a Deo nobis promissa fide credimus, eademque magna spe expectamus, ultro hujus felicitatis largitorem diligimus Deum. Alter perfectus est et Deum amat propter ipsum, et hic vocatur charitas. Rem ita explicat S. Thomas *b)*: *Perfectus amor est, quo aliquis secundum se amatur, utpote cui aliquis vult bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est, quo quis amat aliquid non secundum ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat... Primus amor pertinet ad charitatem, quae inhaeret Deo secundum seipsum; sed spes pertinet ad secundum amorem, quia ille, qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit. Et ideo in via generationis*

---

a) De Poenit. quaest. 26. *b)* Secunda secundae q. XVII. art. 8.

spes est prior charitate.... Spes introducit ad charitatem, in quantum aliquis sperans remunerari a Deo, accenditur ad amandum Deum, et servandum praecepta ejus. Charitas merito amor *benevolentiae* dicitur, quia hoc amore Deo, si ita loqui fas est, bene volumus, illius gloriam et honorem quaerimus, illatas ei injurias horremus, non ei quidem bona optamus, cum in eo sit bonorum omnium copia, sed in eo ipso laetamur, quod nihil ei addi possit. Si hic amor tanquam mutuus consideratur, in quantum qui diligit, diligitur a Deo, ita ut sit mutua et reciproca Deum inter et homines benevolentia; vocatur *amor amicitiae.* De hac ait S. Thomas: *Benevolentia non sufficit ad rationem amicitiae, sed requiritur quaedam mutua amatio, quia amicus est amico amicus.* Hac forsan ratione inducti Theologi quidam discrimen posuerunt inter amorem benevolentiae et amicitiae, ac si posset unus sine altero consistere; verum etsi posset hoc in humana mente cogitari, in re ipsa tamen fieri omnino non potest; quia impossibile est, ut homo Deum ex toto corde diligat amore benevolentiae, quin illico amicus Dei efficiatur, et mutua exsurgat amoris et bonorum communicatio.

II. Nunc ad illud accedimus plenum dissensionis argumentum: *In quo posita sit charitatis*, et quod consequens est, *Contritionis perfectio.* De hoc, quoniam illud omnino praeterire non possumus, brevissime quaedam, et sine omni contentionis studio dicemus. Fuerunt inter Veteres nonnulli, qui Contritionis perfectionem posuerunt in ipsa charitate habituali, seu gratia sanctificante; ideoque omnem Dei amorem, qui infusionem gratiae habitualis praecederet, Contritioni imperfectae adscribebant. Vide *Morinum* l. VIII. de poenit. Verum haec jam obsoleta sunt, et extra contentionem posita. Tres sunt hodie, in quas Theologi potissimum dividuntur, sententiae. 1.ª Perfectionem charitatis repetit a gradibus *appretiationis.* 2.ª A gradibus intensionis. 3.ª A solo motivo. 1.ª Contritionem perfectam eo titulo distinguit ab imperfecta, quod illa sit ex dilectione Dei super omnia; non item imperfecta, 2.ª Ad perfectam Contritionem requirit charitatis intensionem, vel absolute, vel comparate summam, aut certe in gradu soli Deo cognito. 3.ª Eum amorem perfectum vocat, quo Deus diligitur ut in se summe perfectus; imperfectum autem, quo Deum ut nobis bonum diligimus.

III. Ut nunc, quid nobis videatur, ingenue dicamus, nullam credimus ex his opinionibus defendi posse, seclusis aliis. Primum quidem constat, Contritionem hoc ipso non esse perfectam, quod sit super omnia. Id enim ad Contritionem generatim sumptam requiritur. Deinde nec illud sufficit, quod Deus diligatur propter se; nam si hic amor adhuc infirmus est et imbecillis, atque vix in cordis superficie haerens; quis sibi persuadeat, tantam ei vim inesse et efficaciam, ut per se hominem ex peccatore justum efficiat et amicum Deo! Propius ad veritatem accederet, qui utrumque conjungens, amorem exigeret, quo Deus et propter se diligeretur, et simul super omnia, atque ita, ut ex solo charitatis motivo diligeretur super omnia.

Praeterea, an nullum requiremus intensionis gradum, ut perfecta sit Contritio? Sed illum requirere videtur *Catechis. Concilii Trid.*, cujus summa est per omnes Ecclesias auctoritas. Ita enim habet de Poenit. q. 32.: *Ut concedamus, Contritione peccata deleri, quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem ac incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine aequari conferrique possit?* Et certe, quis dubitat, eam Contritionis perfectae debere esse vim et efficaciam, ut cor hominis penitus sibi subjiciat, illudque avellat ab inordinatis affectibus; ita ut dominetur charitas, ubi dominabatur cupiditas? Nescio autem, an illud sine aliquo intensionis gradu cogitari possit. Sed illud ipsum, quod dicimus appretiative summum, et quod in summa rei aestimatione consistit, cum voluntatis actione conjuncta, putasne sine conatu esse posse et incenso affectu? Hoc scilicet fert hominis natura, ut, cum rem aliquam magni facimus et multum cupimus, ejus etiam jacturam aegre admodum feramus, atque illud, quod tanti damni causa est, cum vehementi cordis commotione detestemur.

Verum nolumus de verbis litigare; concedimus magnitudinem doloris non esse praecise ex intensionis gradibus metiendam; scimus, ex illo sensibili dolore, qui fletibus sese et ejulatu manifestat, aut etiam cor interius pungit et dilacerat, non semper posse de Contritionis valore judicari. Hac nunc cautione praemissa ita sententiam nostram explicamus: Contritio potest dici charitate perfecta, quando dolor de peccato conceptus appretiative summus est ex solo motivo charitatis, atque ita validus et potens, ut

peccator toto corde ad Deum conversus cum Apostolo dicere possit: *Neque mors, neque vita . . . neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu.* Rom. VIII. Quando infirmior est vis amoris, illaque integram cordis conversionem, atque peccatorum super omnia detestationem sola per se efficere non valeat; ita ut necesse sit, ad alia timoris et spei motiva confugere: tunc merito imperfectam Contritionem dicimus, atque ea est, quae non per se, sed virtute Sacramenti justificat.

IV. Diximus, amorem perfectum eum esse, qui in Deum tendit, ut est in se bonus et perfectissimus; qui autem Deum diligit ut nobis bonum, imperfectum esse, et amorem concupiscentiae appellari, quanquam non omnis amor, qui fertur in Deum, ut nobis bonus est, ideo a charitate excludi debeat. Datur enim amor ejusmodi, qui castus est et charitatis nomen meretur; scilicet cum Deum non tantum diligimus, ut felicitatis nostrae et bonorum omnium largitorem, sed quatenus ipse est nostrum summum bonum, et in quantum non solum ab eo aeterna praemia exspectamus, sed in ipso atque in ejus possessione omnem felicitatem nostram constituimus. Ita Deus vere propter seipsum diligitur; quia anima hoc ardens amore nihil desiderat extra Deum, vile ipsi est, et tanquam nihilum reputat, quidquid Deus non est. Si Scripturas et Patres consulimus, videbimus, eos nusquam amorem, qui in Deum ut summum hominis bonum tendit, ab eo separare, qui in ipsum, ut infinite perfectus est, desinit. A S. *Augustino* actus charitatis definitur *a)*: *motus animi ad fruendum Deo propter ipsum.* Et S. *Thomas* vir, ut omnes norunt, excellentissimi judicii, postquam amorem amicitiae ita definivit, *quod sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat*, addit: *Amor autem super hac communicatione fundatus est charitas b).* In Scripturis ardentissimus quisque Dei amor hoc felicitatis desiderio accenditur. Sic *Psalmista* clamat *c)*: *Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram . . . Deus cordis mei, et pars mea in aeternum!* Et Apostol. summa in Christum charitate flagrans ad Philippens. *d)* scribit: *coarctor e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum*

---

a) Lib. III. de doctr. Christ. *b)* Secunda secundae q. 23. art. I. *c)* Ps. LXXII, 25. *d)* Cap. I, 23.

Christo . . . etc. Et certe, si in Dei perfectiones animum intendimus, an non illico nobis occurrit admirabilis ejus in homines bonitas et inexhaustus amor? Non est aliud Dei attributum, quod ita animum incendit et Deo obstringit. Caetera attributa admirationem habent, timorem et reverentiam, sed amor amorem poscit. Dilectio necessario in bonum tendit, et quo vehementius divinae bonitatis contemplatione afficimur, eo magis in Dei amorem exardescimus.

V. Sed dicunt: Omnino differunt inter se amare Deum ut in se bonum, et amare eum, ut bonum illud perfectissimum, in quo solo potest esse nostra plena felicitas. Et quamvis haec sint intime connexa, potest tamen homo per aliquod tempus mentem ab omni alio motivo abstrahere et Deum tantum, ut in se perfectissimus est, contemplari. Optime quidem; separent haec disputantes, an separabunt amantes? Aliud est mentis operatio, aliud cordis affectio. Quam multa in voluntatem agunt, quorum praesens non est cogitatio? Nihil igitur efficitur per subtiliores mentis abstractiones, ubi de motibus voluntatis, et interioribus cordis affectionibus agitur, quae in sua elementa dissolvi non possunt more corporum, neque quaestionum philosophicarum adinstar per Analysin in suas partes distingui.

Haec nunc de hac quaestione dixisse sufficiat. Ad illud potius intendamus animum, ut a peccatis et terrenis affectibus abstracti, corde humili et contrito quaeramus Deum, et crescamus in amore Dei. *Opto magis sentire compunctionem*, ait Auctor Imitat. *a)*, *quam scire ejus definitionem.* Quid prodest multa de charitate disputare, si cares illa charitate, sine qua Deo placere non potes? Vere sapiens est, qui se ex seipso nihil habere intelligens, in illo spem suam collocat, qui, cum cognoscitur, amatur, cum amatur, desideratur, cum desideratur, tenetur. *Qui enim Deum mente integra desiderat*, ait *Gregor.* M. *b)*, *jam habet, quem amat.*

---

a) Lib. I. cap. 1. *b)* Hom. XXX. in Evang.

ARTICULUS III.

De contritione imperfecta, seu attritione.

OBSERVANDA.

I. Attritionis nomen Scripturae et Patribus incognitum ineunte tantum Saeculo XIII. in Scholis vulgari coepit, ut *Morinus* testatur *a)*. Rationem cur attritionis vocabulo prae caeteris uti libuerit, hanc affert *Estius b)*: « Sicut in corporalibus attritum « dicitur, quod aliquo modo, nempe forinsecus tantum laesum « est, aut comminutum; contritum vero, quod totum intus et « foris fractione in minima resolutum est: ita in spiritualibus « attritio dicta est imperfecta quaedam et aliquo usque tantum « progressa poenitentia; contritio vero poenitentia intima et per- « fecta. »

Attritio itaque unum idemque est cum contritione imperfecta, idque *Concilium Trid.* expressis verbis declarat Sess. XIV. cap. IV., ubi, quae de hac attritione fide Catholica credenda sint, ita exponit. *Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae, declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.* Vid. ejusd. Sess. Can. V.

II. Concilio Trident. hoc propositum fuit, ut missis Scholarum opinionibus Lutheri errores damnaret, qui, ut jam alio loco indicatum est, docuerat attritionem ex timore gehennae ortam liberam non esse, sed extortam, eamque hominem magis peccatorem et hypocritam facere. Ab hac Lutheri doctrina Protestantes postmodum recesserunt. At surrexerunt alii errorum fabricatores, qui sub pietatis specie animas decipientes docuerunt, nihil esse medium inter vitiosam cupiditatem, et laudabilem charitatem; ex quo inter alia perversa et hoc sequeretur, attritionem ex solo poenarum metu conceptam vitiosam esse, verumque sal-

---

a) De poenit. lib. VIII. c. 2. *b)* In 4. dist. 16. §. 9.

tem omissionis peccatum, eo ipso, quod ex motivo charitatis non fiat. Haec eorum doctrina est, qui cum *Bajo*, *Jansenio* et *Quesnello* sentiunt, et quos parum morantur clarissimae Concilii et SS. Pontificum decisiones.

III. Theologi Catholici Ecclesiam tanquam veritatis magistram prono animo sequuntur, ac iis, quae Concilii decisione finita sunt, unanimi consensu subscribunt. Verum relictus est certamini locus: et ubi libertas est opinandi, in diversas iterum partes itur. Antiqua erat Theologorum sententia, contritionem perfectam omnino esse necessariam, ut Sacramentum cum fructu suscipi possit. Notum est, hanc sententiam usque ad Concilium Trid. in Scholis praevaluisse, atque etiam post Concilium patronos habuisse plures insignes Theologos. Sed obsoleta nunc est, atque omnes communiter docent, eam contritionem, quae charitate perfecta est, non requiri. Vid. hujus cap. Art. II. §. I. Quaest. 2.

Ex quo attritionis nomen innotescere coepit, etiam illa orta est quaestio, an attritio fieri possit contritio, eaque per centum annos agitata fuit nulla habita ratione Sacramenti. Tum ex occasione quaesitum est, an attritio virtute Sacramenti contritio fieri possit, et qua ratione id fiat? Hac de re *Morinus* septem sententias refert; nos libenter totam controversiam praetermittimus, cum nullius usus sit hodie, nihilque ex ea claritatis in hanc materiam redundet. Attritio, si proprie et formaliter loquimur, nunquam aliud quid fieri potest, quam id quod est. Si autem ita ponitur quaestio: An homo ex attrito possit fieri contritus; inutile est de re tam clara controversiam movere. Quis enim dubitat, hominem nunc vere attritum posse accedente charitate actum elicere perfectae contritionis? Quomodo enim non fiet ex attrito contritus, qui ex peccatore potest fieri justus?

IV. Sequitur nunc majoris momenti controversia, in qua difficile esset manere suspensum, et nullam in partem moveri. Quaeritur autem, quae ad attritionem aut contritionem imperfectam requirantur conditiones, ut peccatorem non tantum praeparet ad Sacramentum, sed etiam cum Sacramento justificet? An solus gehennae timor sufficiat? An amor Dei, et qualis requiratur? Diversae sunt hac de re sententiae. 1.ª Illorum est,

qui volunt attritionem illam sufficere, quae a Concilio Trid. Sess. XIV. cap. IV. descripta fuit. Et quidem de consideratione turpitudinis peccati vix mentio fit in hac sententia, sed omnis disputationis cardo in eo movetur: An attritio ex solo metu gehennae concepta valeat ad effectum Sacramenti? 2.ª Amorem aliquem exigit, sed putat sufficere amorem spei et castae concupiscentiae. 3.ª Amorem charitatis requirit, sed minus intensum. 4.ª Charitatem, quae non esset super omnia. 5.ª Demum charitatem exigit, quae sit super omnia, et cordi dominans, sed initialem tantum.

V. Ut amoris, sic etiam timoris species distingui possunt, ex quibus dolor de peccatis, et propositum deinceps non peccandi oriuntur. Primo loco occurrit timor naturalis, quo quis malum naturale extimescit. *Mundanus* dicitur, *si quis sic malum timet, ut recedat a Deo.* Datur et alius naturalis timor, quo quis a peccato se continet, propter mala hujus vitae, quae vel ex peccato nascuntur, vel ab hominibus aut a Deo infliguntur. Hic timor, etsi per se malus non sit, tamen mere humanus est et ad ordinem salutis non pertinet, neque donum Spiritus sancti dici potest. Timor *supernaturalis* est, quo quis malum timet fide cognitum; est autem *servilis* alius, alius *filialis.*

Timor *servilis* ex gehennae metu oritur, eique respondet *amor mercenarius*, quo quis peccatum odit, quod aeternam felicitatem nobis adimat. Uterque tum servilis timor, tum amor mercenarius duplex est. Si quis de peccato dolet metu gehennae, vel propter amissa praemia aeterna, quin peccati affectum exuat, cum implicita saltem voluntate illud, si impune posset, committendi; timor ille vocatur *serviliter servilis*, amor autem *serviliter mercenarius.* Uterque malus est, non quidem ratione objecti, versatur enim circa id, quod merito est metuendum, sed ratione subjecti prave dispositi. Verum ubi prae metu poenarum, aut amore mercedis aeternae affectus peccandi excluditur, tum uterque et timor et amor bonus est, isque ex impulsu Spiritus sancti nondum quidem inhabitantis, sed moventis profluit.

Timor *filialis* ita vocatur, quia filiorum Dei est proprius, qui ex amore Dei, non ex timore poenae peccata pertimescunt. De hoc timore dicitur Psal. XVIII.: *Timor Domini sanctus, per-*

manens in saeculum saeculi. Utriusque timoris et servilis et filialis discrimen hac comparatione illustrat S. *Augustin. a): Pone aliquam foeminam castam, timentem virum suum; aliam pone adulteram, et ipsa timet virum suum. Casta timet, ne discedat vir; adultera, ne maneat. Quid, si ambo absentes sunt? Ista timet, ne veniat; illa, ne tardet.* Valet eadem comparatio inter servum et filium... Timet servus, ne herus maneat; timet filius, ne pater discedat. Et si ambo absentes sunt, timet servus, ne herus veniat; filius timet, ne pater venire tardet. Sic etiam servus parum curaret offensam hero illatam, ni poenas lueret: at filius parum poenam curaret, ni patrem offendisset.

Multi Theologi aliam adhuc timoris speciem numerant, qui timor *initialis* dicitur, aut *mixtus*, de quo ita loquitur S. *Thomas b): «Si aliquis convertitur ad Deum, eique inhaereat propter timorem poenae, erit timor servilis; si autem propter timorem culpae, erit timor filialis . . . si autem propter timorem utrumque, erit timor initialis, qui est medius inter utrumque»* aut ex utroque mixtus.

His nunc explicatis totam de contritione imperfecta tractationem tribus punctis complectimur. 1.° S. Concilii Trident. doctrinam contra novos errores vindicabimus. 2.° Videbimus, an valeat attritio ad effectum Sacramenti sine amore Dei. 3.° Qualis amor ille esse debeat, inquiremus.

§. I.

An bona et laudabilis sit Attritio ex solo gehennae metu nata.

PROPOSITIO.

Timor gehennae simpliciter servilis bonus est, et Attritio ex eo concepta donum Dei est, et Spiritus sancti impulsus.

Prob. I. Ex cap. IV. Sess. XIV. Concilii Trident., cujus verba supra retulimus. Consonat ejusdem Sessionis

---

a) In Ps. 127. *b)* 2da 2dae q. 19. art. 2.

Can. V. *Siquis dixerit, contritionem illam . . . qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando amissionem aeternae beatitudinis, et aeternae damnationis incursum, cum proposito vitae melioris, non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam; anathema sit.* Huic decisioni Concilium jam praeluserat Sess. VI., ubi Can. VII. hunc Novatorum errorem confixit, quod omnia opera, quae ante justificationem fiunt, vera sint peccata. Tum Can. VIII. ita statuit: *Siquis dixerit gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, et a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; anathema sit.*

Prob. II. Quae Concilium tradit sunt ipsius Scripturae et omnium saeculorum fides. Et quidem in veteri lege, quae lex timoris dicitur, mirum non est, crebram timoris mentionem occurrere. Ut Psal. 128.: *Confige timore tuo carnes meas.* Isai. XXXIII.: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante, quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* et alibi passim.

In novo testamento cum primis adhortationibus ad poenitentiam statim aeternae damnationis intonat comminatio. Matth. III. *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* Et rursus: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Christus ipse multis in locis *a)* ignem gehennae, stridorem dentium, tenebras exteriores, vermem non morientem et flammas inextinguibiles minatur. At nihil potest dici expressius quam illud Matth. X, 28.: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et corpus et animam perdere in gehennam.*

Prob. III. *ex Patrib. Tertull.* lib. de Poenit. cap. ult. *Si de exomologesi retractas,* inquit, *gehennam ex corde considera, quam tibi exomologesis extinguet: et poenae prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites.* S. *Chrysost.* hom. XV. ad popul. Antioch.:

---

a) Matth. V., XIII., XXIV., XXV. — Marc. IX. — Luc. XII. et alibi.

Nisi bonus esset timor (gehennae), *non multos Christus impendisset sermones et longos, de illa poena et supplicio loquens.* S. *Augustin.* cum multis in locis, tum maxime scribens in Psalm. 128., triplicem distinguit timorem; primus est malorum temporalium, secundus gehennae, tertius castus permanens in saeculum saeculi. Secundum utilem esse ait et bonum. *Habent,* inquit, *timorem, et per timorem continent se a peccato* ... et infra: *Bonus est iste timor, utilis est, non quidem permanens in saeculum saeculi.*

Multa quoque solide et accurate in hanc rem scripsit S. *Thomas.* Vide quae supra citavimus observ. V., ubi expresse asserit, per timorem servilem hominem ad Deum converti, eique inhaerere. Qua autem ratione id fieret, si timor ille peccandi voluntatem saltem implicitam non excluderet? Ibidem Art. 9. sic habet: *Timor servilis non est numerandus inter septem dona Spiritus sancti, licet sit a Spiritu sancto.* En illud ipsum, quod Concilium Trid. docet, cum ait, contritionem ex metu gehennae donum Dei et Spiritus sancti impulsum, non quidem inhabitantis, sed tantum moventis.

Prob. IV. His addi possunt momenta quaedam theologica, quae facile esset ex SS. Patrum et imprimis S. Augustini scriptis colligere. Nempe, timorem velut custodem esse et paedagogum, qui a peccatis nos continet; hunc malam cupiditatem cohibere, ac charitati parare locum; eo fieri, ut justitiae assuescat animus, et quod durum antea videbatur, dulcescere incipiat; illum, cum solus salutem stabilem non operetur, ad orationem nos compellere, ut, quod timore inchoatum est, amore perficiatur. Deinde malus esse non potest iste timor, cum et finem bonum habeat et effectum bonum. Finis est periculum effugere aeternae damnationis, quae poena est maxime formidanda. *Nihil est,* ait S. *Augustin. a), quod magis timere debeas.* Cum autem tantum periculum peccator effugere non possit, nisi emendatione vitae et sincera peccati detestatione; palam est, saluberrimum esse hujus timoris effectum. Vid. *Bellarm.* de Poenit. lib. II. cap. 17. et alios.

a) Serm. 161. alias 18. de verbis Apostoli.

OPPOSITIONES.

Opponunt I. Omne odium ex amore nascitur; et nemo potest perfecte odisse aliquid, cujus contrarium non prius dilexerit: atqui contrarium peccati est justitia; ergo verum peccati odium nonnisi ex amore justitiae oriri potest.

Resp. Dist. primam partem Maj. — Omne odium ex amore nascitur, sive mediate, sive immediate, *conc.;* immediate semper, *neg.* Qui timorem servilem habet, vero odio prosequitur peccatum, tametsi contrarias illi virtutes nondum diligat. At diligit felicitatem; exinde nascitur timor aeternae damnationis, et hic timor dein peccati odium parit. Hac ratione etiam ruit, quod in secunda parte Majoris dicitur; quod nemo possit odisse aliquid, cujus contrarium non prius dilexerit. Illud enim locum non habet, nisi in iis, quae propter se odio habentur. Verum saepissime contingit, ut aliquid odio prosequamur, non propter se, sed alterius rei causa; et tunc sufficit, ut illud diligamus, quod causa est odii.

Opponunt II. Charitas expellit timorem, dicente S. *Joanne a): Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Ergo timor charitati opponitur; quod autem charitati opponitur, non potest esse donum Dei. Ergo etc.

Resp. dist. ant. Charitas expellit timorem sicut magis perfectum expellit minus perfectum, *conc.* Expellit timorem tanquam malum et contrarium, *neg.* Charitas expellit timorem, sicut visio beatifica expellit fidem et spem; tanquam malum autem non expellit nisi timorem mundanum et illum, quem vocamus serviliter servilem. Deinde si charitas actualis timorem excludit, aut potius ex servili filialem efficit, id de charitate habituali dici non potest; nam etiam tunc, ubi charitas diffusa est in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum sanctum in nobis, non semper agimus ex charitate. Quia in hac mortali vita saepe evenit, ut justi a peccato non abstinerent, nisi eos timor poenae deterreret; hinc etiam Sancti et perfecti non raro, cum graves tentationes ingruunt, in hoc salutari timore praesidium quaerunt, ne succumbant. Sic *Augustinus* sanctos Martyres, quorum heroicam virtutem totus orbis miratur, ita loquentes inducit *b)*: *Majore ti-*

a) I Joan. IV, 18. *b)* In Ps. LXVIII. Conc. I.

more minora contemnimus . . . . Quis non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignem gehennarum?

Oppon. III. Ut bonus sit timor, necesse est, ut culpa magis timeatur, quam poena; culpa enim majus malum est. Atqui ex solo poenarum metu a peccato abstinens profecto magis timet poenam quam culpam. Ergo etc.

Resp. I. nego min. Non recte ita concluditur: Poenitens peccatum odit propter poenam, ergo magis timet poenam, quam culpam: quemadmodum ex eo, quod homo Deum diligat propter retributionem, non sequitur, quod magis diligat retributionem, quam Deum. Ratio est, quia poena tanquam finis proximus non excludit finem ultimum, qui est Deus, quamvis de eo non cogitet, vel ab eo abstrahat.

Resp. 2.° cum *Bellarmino a).* Sit ergo, adhuc inordinatos esse et malos, qui timorem servilem habent (timor enim per se non justificat); non tamen sequitur, timorem ipsum inordinatum esse et malum. Timor a re extrinseca, seu a subjecto habet, quod servilis sit, ad naturam ejus id non pertinet; sicut *informitas* non pertinet ad naturam fidei; quapropter fides informis, seu charitate non formata, ut est in peccatoribus, non est ipsa peccatum. Peccator equidem cum hac fide adhuc malus est, sed fides certe mala non est, neque peccat peccator, quoties actum fidei elicit.

Opponunt IV. Multa sunt S. *Augustini* loca, quae cum iis, quae in propositione enuntiata sunt, non possunt conciliari. Docet, eum qui ex timore poenae, non ex amore justitiae fugit peccatum, intus conservare voluntatem peccandi: item, nihil esse medium inter amorem Dei et creaturae, inter vitiosam cupiditatem et laudabilem charitatem. Alias iterum docet, nos ea, quae ex timore poenae agimus, non libere, sed invite operari etc.

Resp. Nemo exiget a nobis, ut singillatim ad ea testimonia respondeamus, quae adversarii ex sancto Augustino in causae suae patrocinium undique corradunt. Haec tantum generatim adnotamus. 1.° Notum est, sanctum Augustinum nomen charitatis saepe in latiori sensu sumere. 2.° Cum timorem dicit ser-

---

a) Loco cit.

vilem, non raro cum intelligit, qui voluntatem peccati non excludit, et quem serviliter servilem vocant. 3.° In aliis locis de charitate habituali loquitur, seu statu justitiae, atque vere ait, hominem vel justum esse vel injustum; et servum peccati esse omnem, in quo non regnat charitas. Vid. T. IV. p. 70. 4.° Solenne est Augustino et Veteribus, ea tantum bona vocare, quae sunt meritoria; fatemur autem timorem servilem meritorium non esse, neque opera meritoria producere; verum ejusdem generis sunt opera fidei aliarumque virtutum in homine peccatore. 5.° Si ait, opera ex timore profecta ab invitis fieri et non libere, non absolute loquitur, sed comparate ad ea, quae ex charitate profluunt; saepe enim libertatis vocem usurpat pro plena et perfecta libertate. 6.° Demum plura S. Patris loca commode possunt de timore poenarum temporalium intelligi, qui longe diversus est a timore poenarum aeternarum. Sic in lib. de virginit. c. 38. haec verba Apostoli: *Non accepimus spiritum servitutis iterum in timorem*, de illo timore interpretatur, *qui datus erat in veteri testamento, ne amitterentur temporalia bona.* De timore autem gehennae ait ibid.: *Si non amas, time ne pereas; si amas, time ne displiceas; illum timorem charitas foras mittit; cum isto intra currit .... Est etiam timor ignis aeterni, propter quem devitandum Deo servire nondum est utique perfectae charitatis.*

§. II.

An attritio ex metu gehennae concepta sufficiat ad effectum Sacramenti sine amore Dei?

PROPOSITIO.

Ut attritio ad gratiam in Sacramento poenitentiae obtinendam sufficiat, amorem Dei saltem imperfectum adjunctum habeat, necesse est.

Prob. I. 1.° Praeceptum diligendi Deum jam in veteri testamento inculcatum est. Deuteron. VI.: *Audi Israël ... diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua.* In nova lege Christus illud instauravit Matth. XXII. cum hac additione: *Hoc est maximum et primum*

mandatum. Sic et S. Joannes Epist. I. cap. III. expresse ait: *Qui non amat, manet in morte,* et Paulus I Cor. ult. anathema dicit illi: *qui non amat Dominum nostrum Jesum Christum.* Scimus hoc praeceptum, quatenus affirmativum est, non semper obligare, at obligat tamen aliquoties; et si aliquoties obligat, tum certe eo tempore, quo Deum offensum nobis in gratiam reconciliare studemus.

2.° Scripturae exigunt conversionem ex toto corde. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Joël II.: nemo autem ita converti ad Dominum potest sine amore aliquo Dei sive perfecto, sive imperfecto.

Prob. II. *Launoyus* in dissert. de mente Concilii circa contritionem permulta Patrum testimonia congessit, ex quibus haec pauca seligimus. *Tertull.* de poenit. cap. III. a poenitente exigit: *ut intelligat, quid boni sit Deus* . . . et cap. IV.: *Ut poeniteat errorum reperta veritate; poeniteat amasse, quae Deus non amat.* S. *Chrysost.* Hom. IV. in II ad Cor.: *Cum peccaveris, ingemisce, non quod poenas daturus sis, nihil enim hoc est, sed quod Dominum tuum offenderis tam benignum, tam te amantem.* S. *August.* de grat. Christi cap. 26.: *Etsi mandatum Dei videtur aliquando non a diligentibus, sed a timentibus fieri; tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur.*

Prob. III. *Tridentinum,* etsi in hac materia inter Theologos controversa nihil definire voluerit, ea tamen docet, quae nostram sententiam non parum confirmant. Sess. VI. cap. VI. exponens, quae dispositiones ad justificationem requirantur, non fidei tantum et timoris et spei meminit, sed etiam dilectionis; vultque ut ii, qui ad justitiam se disponunt, *Deum tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiant.* Deinde Can. III. ita statuit: *Siquis dixerit, sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione atque adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.* Non est hic praetereundum, quod *Pallavicinus* narrat *a)*, verba illa: *Deum tanquam omnis justitiae fontem*

a) Lib. VIII. hist. cap. 13.

diligere incipiant . . . primum omissa fuisse in decreto, sed addita urgentibus multis Theologis, qui inquiebant: Si poenitentia tota esset ex timore, sine amore justitiae et non propter Dei offensam, infructuosa esset.

ARGUMENTA CONTRARIA SOLVUNTUR.

Argum. I. Quae Concilii Trid. in hac controversia mens fuerit, ex Sessione XIV. decidendum est: in ea autem Sessione Concilium de attritione agens ex metu gehennae producta ita docet: *Et quamvis sine Sacramento poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad gratiam Dei in Sacramento poenitentiae impetrandam disponit.* Ergo sufficit cum Sacramento.

Resp. neg. conseq. Ponderanda sunt Concilii verba; *disponere* quidem ait ad poenitentiam, non *sufficere;* idque non sine gravi consilio factum est. *Pallavicin.* loco citato narrat, decretum primo ita conceptum fuisse, ut diceretur, *attritionem sufficere ad Sacramenti constitutionem*, cum hoc tamen additamento: *Cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse non queat.* Sed monuit *Tudetanus* antistes, falso dici, hujusmodi dolorem sine amore vix concipi posse. Quod autem haec attritio satis esset Sacramento constituendo, variare sententias, adeoque id esse tollendum; quam ob rem decretum sicuti nunc extat reformatum est. Ergo 1.° mens Concilii nunquam fuit, attritionem omnis amoris expertem sufficere; quia in decreto sicut illud prius conceptum fuerat, haec adjuncta erat ratio: *Quod dolor ille sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat.* 2.° Consulto voce *sufficere* sublata, alia substituta est, nempe *disponit;* cujus alia est omnino significatio. Addit *Pallavicinus*, omnium, qui Concilio aderant, sententiam fuisse, consequenda in poenitentiae Sacramento justificatione aliquem Dei amorem omnino esse necessarium, uno pene excepto, qui contra sentiebat.

Instant. Concilium attritionem extra Sacramentum opponit attritioni in Sacramento; verum, si attritio cum Sacramento non sufficeret, nulla esset oppositio, imo loquendi ratio prorsus absona; hic enim esset Concilii sensus: Quamvis haec attritio sine Sacramento per se ad justificationem peccatorem perdu-

cere non queat, tamen etiam cum Sacramento ad eam non perducit.

Resp. Verborum Concilii hic sensus est naturalis et obvius: Quamvis attritio haec per se ad justificationem extra Sacramentum non perducat; tamen non est mala, non facit hominem hypocritum et magis peccatorem; sed donum Dei est et Spiritus sancti impulsus, et hominem disponit ad gratiam in Sacramento recipiendam. Ita effectum est, quod Concilium intendit, nempe ut perstringerentur Lutheri errores, intactum autem maneret, quod erat inter Theologos disceptatum.

Argum. II. Multi et percelebres Theologi, quorum aliqui Concilio Trident. interfuerunt, attritionem, sicut illa Sess. XIV. cap. IV. descripta fuit, Sacramento digne suscipiendo sufficere, arbitrati sunt. Haec autem opinio post Concilium in Scholis ita invaluit, ut *Alexander* VII. in suo decreto anno 1667 edito inter Scholasticos communiorem fuisse testetur; quod certe magnum pondus addit huic sententiae; quis enim sibi persuadebit, tot graves et illustres viros falsae opinionis patrocinium suscipere voluisse?

Resp. 1. Potiori jure nos conclusionis nostrae argumentum sumimus ex contrariae opinionis novitate; nam ante Concilium vix aliquis fuit alicujus notae Theologus, qui hanc sententiam defenderet. Ab initio timide admodum in lucem prodiit, et qui inter praecipuos ejus defensores numerantur, ita de ea locuti sunt, ut novam esse faterentur, et minus tutam, aut sufficere tantum quando invincibiliter putaretur esse contritio. Tres tantum nominabimus, qui ipsi in Concilio Trid. fuerunt. *Dominicus Soto a)*: «Doctrina haec, inquit, de attritione, quae in Sa-«cramento fit contritio, licet sit vera, non est tamen ita multum «vetus ... revera eum, qui mihi diceret, se non poenitere «propter Deum, absolvere non auderem.» *Andreas Vega* ita sententiam suam exprimit *b)*: «Attritio sufficit, siquidem invin-«cibiliter existimetur contritio, et non alias.» Sed et *Melchior Canus*, qui attritioni ex timore servili quam maxime favet, ita docet *c)*: «Contritio ponitur pars Sacramenti, quia est certa et

a) In quartum sentent. dist. 18. q. 3. art. 2. *b)* Lib. XIII. in Concilium Trid. c. 33. *c)* De Poenit. p. V.

« indubitata materia; quod autem attritio sufficiat, quamvis ve-« rum sit, non est tamen adeo certum et indubitatum. » Non diffitemur hanc opinionem mire postmodum fuisse per Scholas divulgatam, sed hoc et aliis contigit laxioris disciplinae articulis. Attamen nunquam defuerunt, qui contra certarent, tum ex Pastorum, tum ex Doctorum numero, donec tandem auctoritate sua ita sensim fuerit exuta, ut hodie vix patronum inveniat.

Resp. II. Optime observat *Tournel. a)*, quod Theologi illi, qui tempore Concilii aut postea pro attritione pugnarunt, nihil aliud intendisse videantur, quam ut illis se opponerent, qui charitatem perfectam etiam cum Sacramento necessariam esse asserebant. Cum ergo docent, attritionem ex solo gehennae metu conceptam sufficere, non omnem Dei amorem excludunt, sed illum duntaxat, qui verae charitatis est hominemque Deo reconciliat ante Sacramentum. Haec ita esse suadent 1.° illud, quod ex *Pallavicino* supra retulimus, Tridentinum, cum primum in decreto diceretur, *attritionem sufficere*, illud etiam addidisse temperamentum: *Cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse non queat.* Haec utique ex eorum consilio adjecta fuerant, qui tunc pro attritione decertabant. 2.° Plures erant in Concilio attritionis defensores, et tamen *Pallavicinus* testatur, neminem fuisse, uno excepto, qui non aliquem Dei amorem necessarium esse fateretur. 3.° Concilium Trident. exigit, ut timor gehennae et poenarum conjunctus sit cum *spe veniae;* sed spes includit necessario amorem rei, quae speratur, sicut timor includit amorem boni, quo privari metuimus. Et cum poena gehennae non sensus tantum poena sit, sed etiam damni, necesse est, ut qui gehennam timet, aeternae felicitatis amissionem doleat, quod amorem spei includit; nemo enim amisisse se dolet, quod non amat.

---

a) De poenit. q. V. Art. III. p. 265.

§. III.

Quis Dei amor in Sacramento poenitentiae requiratur.

PROPOSITIO.

In Sacramento sufficit attritio cum amore spei seu castae concupiscentiae.

Prob. I. Non est, cur nobis negotium facessat illa Veterum sententia, quae etiam ad Sacramentum contritionem exigit charitate perfectam. De hac jam alio loco dicendi occasio fuit, neque credo inter Catholicos hodie quemquam reperiri, qui velit ejus patrocinium suscipere. Omnium ergo una vox est, sufficere contritionem imperfectam et, quod consequens est, imperfectum amorem. Verum hic iterum non omnium eadem est sententia. Et arduus labor esset, quid quisque velit, et in quo ab aliis dissentiat, inquirere. Primum quidem ex antea dictis jam constat, audiendos non esse, qui sicut perfectionem, ita et imperfectionem contritionis ex gradibus intensionis metiuntur. 2.° Neque illos probare possumus, qui amorem charitatis exigunt, quem *initialem* vocant, et quem tamen volunt esse et appretiative summum, et cordi dominantem. Nostra enim sententia hic amor non esset initialis, sed perfecta charitas; nihil enim ulterius ad amoris perfectionem exigi potest, quam ut summus sit, et cordi vere dominans, atque ut vim hanc virtutemque habeat ex solo motivo charitatis.

Quodsi per charitatem *initialem* illam intelligunt, quae nondum sit super omnia, neque ad plenam cordis conversionem satis efficax; et cui necesse sit amorem spei aut castae concupiscentiae adjungere; fatemur nihil nobis videri in hac sententia, quod reprehendi possit; et fortasse ab ea, quam defendimus, et quae solum amorem spei ut necessarium exigit, magis verbis differt, quam reipsa.

Prob. II. Innumera afferri possent Scripturae testimonia, quae mercedis aeternae desiderium, et qui cum eo conjunctus est, amorem concupiscentiae modis omnibus excitant et commendant; atque hic fere unicus est amor, quem

ubique praedicant et fovent; ut jam alio loco indicavimus. En quaedam illustriora:

Matth. V. Octo beatitudines proponuntur et unicuique suum assignatur praemium. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum* etc. Ibid. cap. XIX.: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores etc. propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.* Legatur totum cap. XI. ad Hebr., ubi Apostolus sanctissimos ex veteri testamento viros enumerans, eos laudat, quod justitiam coluerint aeternae mercedis intuitu. Nam ut ait v. 6.: *Credere oportet accedenten ad Deum, quia est, et quia inquirentibus se remunerator est.* Unde fides Abrahae, et promptum illud ad omnem Dei nutum obsequium? *Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus.* v. 10. Cur aulam Pharaonis deseruit Moses, cur tanta tulit opprobria, cur tanta fecit, pro Deo et populo? Ratio additur v. 26.: *Aspiciebat enim in remunerationem.* Huc et illud pertinet Psalm. 118. v. 112.: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum, propter retributionem.* Et illud Apost. II ad Timoth. IV.: *Bonum certamen certavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae* etc.

His testimoniis unicum addimus ex Concilio Trid. quod Sess. VI. cap. XVI. ita statuit: *Bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione* etc.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Objic. I. In Scripturis, quando amoris Dei praeceptum inculcatur, semper de amore sermo est, qui sit ex toto corde et ex tota anima, quod nonnisi verae charitati proprium est. De hac porro charitate apud Apostol. (I Cor. XIII.) expresse dicitur, eam ita esse ad salutem necessariam, ut etiam Martyrium sine illa nihil prodesset . . . *si charitatem non habuero, nihil sum.*

Resp. Illa Scripturae testimonia non possunt ita urgeri ad libitum, et absque ulla restrictione; siquidem per illa verba:

ex toto corde, *ex tota anima*, nisi aliqua ratione temperentur, plus efficeretur quam Adversarii volunt. Sequeretur enim etiam ad Sacramentum requiri charitatem perfectam, imo charitatem in summo gradu intensam. Illa ergo verba amorem significant, qui sit appretiative summus, non divisus inter Deum et creaturas, ac divinae voluntati in omnibus obtemperans. Sed haec etiam ad amorem concupiscentiae pertinent, si verus et sincerus sit.

Ad verba Apostoli observamus: 1.° Charitatis nomen in Scripturis non sumi in rigore theologico et saepe usurpari pro omni amore Dei. 2.° Commode intelligi posse charitatem habitualem, quae idem est cum statu gratiae. Ubi haec deest, homo extra salutis viam versatur; neque aliquid operari potest, quod esset proprie meritorium ad salutem. 3.° Si vis de actu charitatis verba illa intelligere, dicendum est, sermonem esse de justificatione extra Sacramentum, quo maxime sensu Scriptura de charitate loquitur.

Objic. II. Ut mentem Tridentini Concil. certius assequamur, pensanda sunt, quae celebri cap. VI. Sess. VI. dicuntur de praeparatione ad justitiam. Ibi praeter fidei et spei, etiam amoris mentio habetur, cum nempe peccatores Deum *tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt*. Exinde haec sequuntur: 1.° Amor superadditur spei, tanquam aliquid ab ea distinctum; sed hic alius esse non potest, quam amor charitatis. 2.° Concilium, cum amorem exigit *incipientem*, aperte charitatem intelligit; haec enim a Theologis in perfectam et initialem distinguitur. 3.° Cum dicitur Deum diligendum esse tanquam fontem omnis justitiae, iterum charitas indicatur, qua diligitur Deus ut ipsa justitia, dicente Propheta *a)*: *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster*, sive justitia. Quo sensu etiam Malach. ait *b)*: *Nomen meum sol justitiae*. Ergo etc.

Resp. ad I. Patres Concilii praeter spem etiam dilectionem exigunt; sed qualis illa esse debeat, non explicant; atque consulto generali voce dilectionis utuntur, non charitatis. Deinde quae ibi de spe ac dilectione dicuntur, in uno sermonis contextu ita coalescunt, ut videas, non duo indicari plane diversa, sed quae naturali et necessario nexu uniuntur. Illa enim dilec-

---

a) Jerem. XXIII, 6. *b)* Cap. IV, 2.

tio fructus est sanctae spei, et ex ea tanquam ex radice nascitur.

Resp. ad II. Si quidem usus non fert, ut amor concupiscentiae in perfectum et initialem tribuatur: optime tamen incipiens appellatur, si confertur cum amore charitatis; nam qui diligere incipit, non statim ad sublimiora se elevat, sed ab amore spei incipiens, ad ea quae perfecta sunt, quasi per gradus ascendit.

Resp. ad III. neg. ant. Ex eo, quod Deus diligendus sit tanquam fons justitiae, non sequitur eum esse diligendum, ut in se justus est, seu ut est ipsa justitia, sed tanquam fons justitiae nostrae; sicque verba illa intelligere scopus ipse et contextus capitis VI. jubet. Non agitur ibi de justitia Dei, sed de ea, quae per peccatum amittitur et per poenitentiam recuperatur; agitur de illa justitia, ad quam peccator tendere debet per illas dispositiones, quas caput illud tam distincte et exacte enumerat. Hic ergo naturalis et planus verborum sensus est: Peccator timore utiliter percussus, ad Dei misericordiam se convertit, hujusque consideratione in spem erigitur, confidens Deum sibi propter Christum propitium fore; ita in Deum intendens tam pronum ad misericordiam, qui justitiam suam effundit super omnes, qui convertuntur ad cor, eum diligere incipit tanquam fontem illius justitiae, quam se accepturum sperat, omnisque gratiae largigitorem.

Objic. III. Amor spei, qui et concupiscentiae dicitur, est amor mercenarius, ergo malus; nam Scriptura ait: *Post concupiscentias tuas non eas a).* Alia etiam Scriptura dicit: *Charitas non quaerit, quae sua sunt b).*

Resp. Non est, cur de vocibus litigemus: vox *mercenarius* a mercede deducta est: in hoc autem sensu etiam amor spei mercenarius est, quod concipiatur intuitu mercedis illius aeternae, quam Deus promisit diligentibus se, et qua Christus potissimum voluit Discipulorum suorum animos contra insectantium hostium terrores obfirmare: *Gaudete in illa die, et exultate; ecce enim merces vestra multa est in coelo c).* Hunc amorem, mercenarium dicas per me licet, malum certe dicere non potes. At est alius

---

a) Eccles. XVIII. *b)* I Cor. XIII. *c)* Luc. VI.

amor et mercenarius et malus, qui rerum temporalium possessionem sectatur, atque in iis finem suum et beatitudinem constituit. De utroque ita loquitur *Bossuetius d)*: « Perfectissimi quique « viri castum purumque amorem non in eo collocarunt, ut salutis « ac mercedis aeternae, vetante Concilio Tridentino, intuitum « omitterent, sed ut terrena desideria, et alienas a Dei charitate « concupiscentias, quoad fieri potest, ad purum excoquerent, « atque inter hujus mundi prospera et adversa aequo pede incedérent. » Nunc patet, quis verborum illorum sensus sit: *Post concupiscentias tuas non eas;* id est, prava et carnalia desideria ne perficias. Certe de illa concupiscentia sermo non est, quae Ps. 83. exprimitur: *Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.* Haec autem verba: *Charitas non quaerit, quae sua sunt*, vel ad charitatem fraternam pertinent, vel attributum sunt amoris perfecti, qui proprie charitas dicitur.

Inst. I. Amor spei ex amore proprio nascitur; dona diligit, non donorum largitorem; aut certe Deum minus amat, quam proprium commodum; quidquid enim non propter seipsum, sed propter aliud diligitur, minus illo diligitur. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Amor concupiscentiae ex spe salutis aeternae tanquam ex sua radice exsurgit; haec autem spes virtus est supernaturalis et divina, quae circa Deum proxime versatur, et finem suum ultimum in Deo habet. Bona appetit aeterna, sed haec ab alio, quam a Deo non expectat; neque a Deo separari possunt bona, quae concupiscit, quoniam ab ipso, et per ipsum et in ipso tota nostra felicitas est. Neque illud generatim verum est: *Quidquid propter aliud diligitur, minus illo diligitur;* quia ratio amandi non est semper mensura amoris. An non saepe videre est viros generosae indolis, qui cum principis sui gratia fruuntur, et multis ab eo cumulati sunt beneficiis, tanto in eum amoris et grati animi affectu feruntur, ut non tantum amorem aequalem reddant, sed et vitam profundere parati sint, in amoris testificationem?

Inst. II. Vel amor spei talis est, ut directe tendat in Deum, et in eo solo felicitatem suam constituat; vel diligit Deum tanquam aeternae beatitudinis largitorem, distinguens donum a donante; quemadmodum inter homines, qui bene nati sunt eos

---

a) Edit. Lebel. T. XXVIII. p. 319.

diligunt, quos sibi amicos et in se benevolos esse sciunt. Primus amandi modus, ut alio loco dictum est, est ipsa charitas. Secundus Deo injuriosus est; nam injuriosum est Deo, propter aliud quidquam diligi, quam propter seipsum.

Resp. Non nostra haec solum, sed aliorum etiam et quidem doctissimorum virorum sententia est, illum amorem, qui in solo Deo haeret, omnemque felicitatem in ejus possessione constituit, jam ad amorem charitatis pertinere; quod si vis eum ad amorem spei referre, certe illius apex est et summa perfectio, ita ut amor concupiscentiae, ubi hunc apicem attigerit, recte dicatur in amorem benevolentiae transire: *Singularis est puritatis*, ait S. *Bernardus a)*, *singularis gratiae*, *singularis perfectionis*, *non modo nihil sperare nisi a Deo*, *sed nihil quaerere nisi Deum.* Generatim, ut jam diximus, observandum est, affectiones animi non posse more corporum in partes suas dividi. Habent illae gradus suos, at non divisos et abruptos, sed ita sibi cohaerentes, ut difficile esset assignare punctum illud, in quo ab uno ad alium fit transitus.

Quod ad secundum membrum argumenti attinet, dicam, quae mihi non tam speculatoria ratio, quam intimus animi sensus suggerit. Fateor, plerumque eos, qui amorem concupiscentiae habent etiam castum et pium, proxime aspicere ad mercedem. Ad coelum aspirant, quale illud ex Evangelio, ex Apostolorum scriptis, et ex institutione Christiana nosse didicerunt; felicitatem sibi cogitant ineffabilem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, et quae nunquam in cor hominis ascendit, et quam Scripturae passim regnum coelorum, nuptias agni, coenam magnam, torrentem voluptatis, coronam justitiae immarcescibilem etc. appellant. Quid in hoc jure reprehendi possit non video. Sed manet tamen, quod Deus non diligatur, ut ipse est summum hominis bonum, sed tantum, ut beatitudinis nostrae auctor est. Verum hoc nihil probat, praeterquam quod amor hujusmodi imperfectus adhuc sit, neque solus sufficiat ad justificationem. Nihil autem Deo indignum facit, qui beneficiis ejus gratum refert animum, ipsique toto corde unitur iis vinculis, quibus ipse voluit creaturarum sibi animos devincire.

---

a) Serm. 16. in Ps. 90. n. 8.

Ex iis, quae hactenus diximus, facile nunc est triplicem Dei amorem distinguere. I. Deum amat ut beatitudinis largitorem; II. ut ipse est merces nostra magna nimis; III. ut est in se infinite perfectus. Primus est amor spei simpliciter; tertius amor purae et perfectae charitatis. Secundus inter utrumque medius est, et de utroque participat, et gradum constituit in amore spei ultimum, in amore charitatis primum.

CAPUT TERTIUM.

DE CONFESSIONE.

Hactenus de Contritione; nunc ad Confessionem, quae secunda Sacramenti pars est, dilabimur. Inter contritionem et confessionem hoc discriminis interest, quod contritio fuerit ante Sacramentum; cum enim sit ipsa virtus poenitentiae, nullo unquam tempore reconciliationis via patuit sine illa: confessio autem novae legis institutum sit, et vi praecepti divini ad Sacramentum necessaria, in re quidem, si fieri potest, at certe in voto, si facultas, aut occasio deest confitendi.

Magnum et gravissimum aggredimur argumentum, atque in multas partes diffusum: nam Confessionis divina origo, necessitas, conditiones ac proprietates, fructus, sigillum et alia hujusmodi bene multa nobis exponenda essent. Verum magnam laboris partem in eos rejicimus, qui moralis Theologiae et disciplinae pastoralis praecepta tradunt. Nos primum, quantum possumus, diligenter et accurate quaestionem tractabimus in hac re primariam, et eminenter dogmaticam de Confessionis origine et necessitate; deinde, cum ad finem properandum sit, breviter quaedam dicemus de Confessionis proprietatibus et administratione.

ARTICULUS I.

De Confessionis origine et necessitate.

OBSERVANDA.

I. Confessionis nomine non intelligimus confessionem fidei, ut Rom. X.: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Neque eam, quae in Dei laudes effunditur, aut qua Dei beneficia grato animo recolimus, quo sensu frequenter in Scripturis sumitur: *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.* Ps. XXXIV. et Matth. XI.: *Confiteor tibi Patri* etc.... hoc est, gratias ago. De Confessione peccatorum nobis sermo est, quae iterum multiplex distinguitur, nam peccata enarrare possumus multis modis; interdum id fit coram judice, saepe consilii petendi causa, vel ut proximo, quem laesimus, faciamus satis, vel denique ut dolorem in sinum amici exoneremus. Quin et ipsi Deo peccata confitemur, quando coram ipso reos nos esse cognoscimus, nos ipsos accusantes, ut misericordiam consequamur. Huc illa spectant: *Delictum meum cognitum tibi feci.* Et iterum: *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino.* Ps. XXXI.

II. Confessio peccatorum, de qua hoc loco agimus, *sacramentalis* vocatur, quia pars est Sacramenti Poenitentiae. Definitur autem: *Accusatio suorum peccatorum post Baptisma commissorum, a poenitente Sacerdoti facta ad obtinendam virtute clavium remissionem peccatorum.* Quod nos confessionem dicimus, Graeci ἐξομολόγησιν vocant, ja verbo ἐξομολογέω, confiteor, palam praedico. Hunc sensum habet in Scripturis. Matth. III. Actor. XIX, 18. Jacob. v. 16. I Joan. I, 9. Atque eodem sensu passim usurpatur a Patribus graecis et latinis; nam et hi confessionem non raro graeco nomine exomologesin vocant, ut *Tertull.* de Poenit., *Cyprian.* pluribus in locis. Verum est equidem, apud Veteres per exomologesin frequenter totam publicae et laboriosae poenitentiae actionem significari: sed ratio est, quia nomen unius partis transfertur ad totum. Et nos quotidie confessionis vocabulum pro integra poenitentia sumimus, et confiteri nobis idem dicit, ac poenitentiae Sacramentum recipere.

III. Confessionem primi omnium sustulisse censendi sunt ii, qui potestatem absolvendi sustulerunt, ut Novatiani: nam non

est necessitas confitendi, ubi nulla est potestas absolvendi. Alios, qui postmodum secuti sunt obscurioris nominis haereticos, missos facimus. Nescio qua ratione inter Scriptores quosdam invaluerit falsa opinio de Graecis, quod ii non habeant confessionem, cum potius eam quam diligentissime usque in hodiernam diem servaverint. *Maldonatus* putat *a*), hanc opinionem natam esse ex imperitia interpretum juris Canonici, qui antesignanum suum *Gratianum* et *Joannem Teutonicum* Decreti Glossatorem secuti sunt; verum quidquid glossator hic aut nonnulli medii aevi Doctores senserint, non opinione Scholasticorum quorundam, sed communi omnium Ecclesiarum consensu stat veritas. Sed de his longius dicetur alio loco.

IV. De confessione acerrima nobis est cum Novatoribus concertatio. Omnes in hoc conveniunt, ut negent eam a Christo institutam esse, et necessariam ad veniam peccatorum consequendam. Caeterum hac de re inconstantissime loquuntur. *Lutherus* in lib. de captiv. babyl. eam *officinam lucri* vocat et *potentiae*, et alio loco: *cruentissimam carnificinam, quae miseras torquet conscientias b)*. Attamen in eodem lib. de capt. babyl. scribit, occultam illam confessionem, quae nunc est in usu, etsi ex Scripturis probari non possit, esse tamen valde utilem, imo et necessariam, neque se eam velle sublatam, cum afflictis conscientiis unicum sit remedium. Idem in minori Catechismo, quem paulo ante obitum suum edidit, aperte docet, nos coram Deo occultorum criminum reos esse, sed ratione habita ministri satis esse, si ea confiteamur, quae in memoriam veniunt. Tum formam absolutionis subjungit ab ea, quam servat Ecclesia, non alienam. Vid. *Bossuet* hist. des var. lib. III. n. 47.

Confessio Augustana, quae a Melanchthone e Lutheri sententia fuit concinnata, inter alia haec habet Art. de Confess.: «Ad « monendos et erudiendos homines diligenter retinemus in Ec- « clesiis confessionem, sed ita, ut doceamus enumerationem de- « lictorum non esse necessariam jure divino, nec onerandas esse « conscientias illa enumeratione, quam deinde ait impossibilem « esse juxta illud Prophetae: *Delicta quis intelligit?*» Quod qui-

---

a) De poenit. cap. I. de Conf. *b)* In Assertione Art. noni.

dem non aliud probat, quam excusationi locum esse, cum peccata in memoriam non redeunt.

Calvinus lib. III. instit. c. III. fatetur antiquissimum esse confessionis usum, sed fuisse olim liberam; eodem capite *a)* eam commendat etiam: «Qui enim impeditam habent conscientiam, « ait, referre inde possunt singularem fructum.» Deinde *b)*, quasi ipsi exciderint, quae ante scripserat, eam damnat ut *rem pestilentem, multisque nominibus Ecclesiae noxiam.* Alio loco *c)* eam vocat *laqueum ab Innocentio III. populo Christiano inductum.*

Eadem adhuc hodie nobis est cum Protestantibus colluctatio, quae ab initio fuit. Fuerunt quidem nullo non tempore inter eos maturioris judicii viri, qui doluerunt sublatum rei tam salutaris usum, ac pro ejus restitutione vota emiserunt nullo unquam successu donata! Et vero, quis jugum ejusmodi imponi sibi patietur ab hominibus, qui liberum esse clamant confessionis usum, nihil in Scripturis praeceptum, nullam hac de re legem latam fuisse antiquitus. — Haec ergo praesentis controversiae summa est: An confessio, quam sacramentalem vocamus, a Christo instituta et necessaria sit praecepto divino?

PROPOSITIO.

Confessio sacramentalis est vere a Christo Domino instituta et jure divino necessaria.

Concil. Trident. Sess. XIV. Can. VI.

Si quis negaverit Confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secreto confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit.

Probatur dogma Catholicum ex Scripturis.

Illustre est testimonium, quo Joan. XX. legitur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum reti-*

---

a) C. IV. n. 13. *b)* Nro. 19. *c)* Antid. Conc. Trid.

nueritis, retenta sunt. Cui necessario nexu cohaerent, quae Matth. XVI. et XVIII. leguntur: *Tibi dabo claves* etc., et: *Quaecunque alligaveritis super terram* etc. Ex hoc loco Veteres passim probarunt divinam confessionis originem; neque satis tutum esset, ut advertit *Maldonatus a)*, quando cum Haereticis disputamus, aliis uti fundamentis, cum hoc unum ex concessione clavium desumptum labefactari non possit. Planum autem est, quod ex citatis Christi verbis efficitur argumentum, illudque Tridentinum Sess. XIV. cap. V. ex eo deducit, quod Sacerdotes a Christo judices sint instituti: *Constat autem*, inquit Concilium, *Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, et non in specie, et sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Porro Capite 1.° hujus Tractationis Art. I. §. IV. probatum est, Sacerdotes a Christo constitutos esse judices, et vere judicium facere, cum potestatem clavium exercent.

Nihil est hoc argumento certius, unde *Calvinus* ipse concedit *b)*, certe colligi confessionis necessitatem, si probetur judicialem potestatem Ecclesiae ministris fuisse concessam; et *Melanchth. c)* fatetur: *in judicio necesse esse fieri cognitionem*, et ideo ut vim argumenti effugiat, contendit confessionem nudum esse ministerium, non judicium.

Scholion. Multa alia tum veteris, tum novi testamenti testimonia praetermittimus, quae tamen fatemur plurimum valere ad illustrandum dogma Catholicum, et fidem ac pietatem fidelium nutriendam. Ejusmodi sunt, quae *Bellarminus* figuras vocat *d)* confessionis sacramentalis indices. Ut *Genes.* III. et IV., ubi Deus primum ab Adamo, deinde a Caino confessionem peccati exigit; *Levit.* XIII. et XIV., ubi judicium leprae solis committitur Sacerdotibus, quam etiam legem Dominus approbat, cum Matth. VIII. ad leprosum dicit: *Vade, ostende te Sacerdoti.* Sic et *Numer.* V. praecipitur confessio delicti, pro quo expiando sacrificandum erat. Ad hoc praeceptum legale respexisse vide-

a) Loco citato. *b)* Lib. III. instit. cap. IV. *c)* In locis de Confess. *d)* De Poenit. lib. III. cap. III.

tur Eccles., cum c. IV. ait: *Ne confundaris confiteri peccata tua.* In novo testamento primo loco occurrit illud Matth. III., ubi legitur multos venisse ad Joannem *confitentes peccata sua.* Sicut ergo, ait *Bellarm.*, baptisma Joannis figura erat Baptismi Christi, sic et confessio Joanni facta figura erat confessionis a Christo instituendae. Alia est insignis figura ex suscitatione et solutione Lazari petita Joan. XI., quam Patres plurimi, et inter caeteros *Augustin.* et *Ambros.* de sacramentali confessione interpretantur. Sicut enim, qui mortuus erat, ad vocem Christi processit ligatus e sepulchro, sic, ut *Augustin.* ait, peccatores procedunt e morte per confessionem peccati, nam *ipsum confiteri ab occulto et tenebroso procedere est a).* Solvuntur autem per absolutionem Sacerdotum, quos Discipuli aut ministri exprimebant, quibus Christus dixit: *Solvite eum et sinite abire.*

Sunt et alia quaedam testimonia ex Apostolorum Scriptis, quae non per figuram, sed proprie, utpote instituto jam Sacramento confessionem indicare videntur. Ejusmodi sunt: 1.° illud I Joan. I.: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra.* 2.° Jacobi V.: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* 3.° Quae Actor. XIX. habentur: *Multi credentium veniebant confitentes et annuntiantes actus suos.* Quod ad textum Jacobi V. attinet, vide supra Art. I. §. III. object. II. Locum ex Actor. XIX. de confessione Sacerdoti facienda exponunt S. *Chrysost.*, S. *Basilius* etc. et Theologi permulti: nam de fidelibus jam baptizatis ibi agi videtur, dicitur enim: multi *credentium.* Distinctam autem peccatorum enumerationem innuunt illa verba: *Confitentes et annuntiantes actus suos*, quae ex Syriaco codice ita vertit Waltonus: *Renuntiabant offensas suas, confitebanturque quod fecerant.* Verum, ut diximus, nolumus de his cum Adversariis contendere. Sufficit locus ex Joan. XX., quo et Tridentina Synodus et Catechismus Rom. ad stabiliendum Catholicum dogma utuntur.

---

a) Hom. XVII. ex 50.

ARGUMENTUM II.

Ex testimoniis Veterum.

Maximum et certissimum doctrinae Catholicae argumentum ex Ecclesiae constanti et perpetua Traditione desumitur; nam et obscuritas Scripturae, siqua superest, hoc argumento tollitur, et continua testimoniorum serie probatur, doctrinam non aliunde quam a Christo originem habere, et ab Apostolis fuisse Ecclesiis traditam. Hac ergo probandi ratione et nobis utendum est in hac celebri, quam cum Protestantibus habemus, controversia; hi quippe vires omnes intendunt, ut Patrum testimonia elevent, et quibus possunt persuadeant, confessionem, quae apud Catholicos in usu est, inventum esse papisticum, antiquis Ecclesiae Doctoribus incognitum. Inter caeteros eminet *Dallaeus*, qui adversus confessionem sacramentalem amplam dissertationem edidit quatuor libris comprehensam, in qua argutiae quidem et cavillationes abundant, sed bona fides ubique desideratur. Inter Catholicos *Morinus*, vir doctissimus, historiam administrationis poenitentiae sic pertexuit, ut *Dallaeus*, quamvis decem post eum annis scripserit, nihil contra eum ausus sit mutire. *Dallaeum* autem data opera aggressi sunt *Natalis Alexander a)*, *P. Dionysius Sammarthanus b)*, *Boileau c)*, aliique Theologi bene multi. Longum nimis esset Veterum omnium proferre testimonia; pauca seligamus, atque ejus generis praecipue, in quibus agitur de secreta et distincta omnium peccatorum confessione.

Ex Saeculo I. et II.

Primum Saeculum totum fere ad Apostolorum tempora pertinet. Pauca tunc Patrum scripta prodierunt, pauciora supersunt. Habemus tamen testem insignem, S. *Clementem Rom.*, qui in II ad Corinth. epistola ita habet: *Quamdiu sumus in hoc mundo, de malis, quae in carne gessimus, ex toto corde resipiscamus, ut a Domino salvemur, dum*

---

a) Hist. Eccles. Saec. XIII. Dissert. 14. *b)* Denis de St. Marthe traité de la Confession etc. *c)* Hist. Conf. auric.

habemus tempus poenitentiae. Postquam enim e mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri, aut poenitentiam adhuc agere. Loquitur vir Apostolicus de omnibus malis, ut ait, quae in carne gessimus, adeoque de peccatis tam occultis quam publicis.

Ex II. Saeculo primus est *Irenaeus*, qui lib. I. cap. IX. mentionem facit quarundam mulierum, quae ad Ecclesiam reversae confessae sunt, se a quodam Marco haeretico et praestigiatore corruptas fuisse, et *cupidine inflammatas valde se illum dilexisse.* Haec postrema verba denotant peccatum intus in corde latens.

Eodem loco de uxore Diaconi loquitur, ab eodem Marco corrupta, quam deinde ait *omne tempus in exomologesi consummasse.* Lib. III. de quodam Cerdone ait, quod modo latenter docuerit, modo ad Ecclesiam veniens exomologesin fecerit. Nota nomine exomologeseos apud Veteres, ut diximus, interdum totam poenitentiae actionem designari, interdum autem intelligi solam confessionem, ut patet ex Cypriano, *sermone de lapsis*, nunquam vero solam contritionem aut solam satisfactionem sine confessione. Atque hoc ad alia etiam valet Veterum testimonia, ubi vox exomologesis occurrit. Caeterum tempore *Irenaei* gradus poenitentiae nondum constituti fuerant, atque tunc exomologesis pro sola confessione ubique fere usurpari solebat.

Insignis est locus *Tertulliani*, cap. X. de Poenit., ubi de occultis peccatis loquitur, quae prae pudore nonnulli tegebant: *Grande plane emolumentum verecundiae occultatio delicti policetur! Videlicet, siquid humanae notitiae subduxerimus, perinde et Deum celabimus? An melius est, damnatum latere, quam palam absolvi?* A quo autem absolvi, nisi a Sacerdote? ut cap. IX. ait: *Presbyteris absolvi, caris Dei adgeniculari.* Quod autem de occultis peccatis loquatur, expressius adhuc patet, cum eodem cap. X. eos redarguit, qui confiteri erubescunt, *aut de die in diem differre praesumunt pudoris magis memores, quam salutis.*

Ex Saeculo III.

Origenes Hom. II. in Ps. XIII.: *Vide, quid edocet divina Scriptura, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam, si vomuerint, relevantur; ita* (peccator) *si sui accusator fiat, cum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum.* Docet autem peccata declaranda esse Sacerdotibus; ut Hom. II. in Levit.: *Et non erubescit Sacerdoti indicare peccatum suum.*

S. *Cyprianus* confessionis coram Ecclesiae ministris necessitatem praedicat, et non publica tantum crimina, sed etiam maxime recondita exomologesi subjicit. Tractatu de lapsis ait: *Quanto et fide majores et timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesin conscientiae faciunt, scientes scriptum esse: Deus non irridetur. Confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in saeculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio facta per Sacerdotes Deo grata est.*

Saeculi IV. testes.

S. *Athanasius* in Sermone: *Ite in castellum*, de omni genere peccatorum loquens ait: *Quodsi nondum soluta sunt vincula, tradas te discipulis Jesu; adsunt enim, qui te solvant pro potestate ea, quam a Salvatore acceperunt: Quaecunque solveritis* etc.

S. *Basilius* cum multis in locis, tum in regulis brevioribus in respons. ad quaest. 288.: *Peccata iis confiteri necesse est*, inquit, *quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est.*

S. *Pacianus* in orat. paraen. ad poenitentiam eos arguit, qui postquam conscientiae arcana Sacerdotibus aperuerunt, poenitentiae remedia respuebant. *Tertio*, ait, *de his erit sermo, qui confessis bene apertisque criminibus, remedia poenitentiae actusque ipsos exomologesis administrandae*

aut nesciunt, aut recusant. Quae certe non de publicis, sed de occultis criminibus intelligi debent.

Lactantius lib. IV. Institution. cap. 17. docens circumcisionem confessionis et poenitentiae figuram fuisse, ita loquitur: *Deus volens vitae et saluti nostrae pro aeterna sua pietate consulere, poenitentiam nobis in illa circumcisione proposuit: ut si cor mundaverimus, id est, si peccata nostra confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur, quae contumacibus et admissa sua celantibus denegatur.*

S. *Ambros.* duos libros de poenitentia adversus Novatianos scripsit; jam plurima ex iis libris testimonia protulimus, quibus Sacerdotum in remittendis peccatis potestatem a Deo concessam demonstrat. Lib. II. cap. 4. confessionem ita commendat: *Fatere delictum tuum; solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum* . . . et cap. 10.: *An pudeat te Deo supplicare, quem non lates, cum te non pudeat, peccata tua homini, quem lateas, confiteri?* Quae verba non aliter quam de occultis peccatis intelligi possunt. Quod autem confessiones ipse exceperit et quidem secretas, testis est *Paulinus* in ejus vita, cujus verba non tantum probationis, sed etiam tam egregii exempli causa afferimus. *Quotiescunque illi,* inquit, *aliquis ad percipiendam poenitentiam lapsus suos confessus esset, ita fiebat, ut et illum flere compelleret. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur; bonum relinquens exemplum Sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint, quam accusatores apud homines.*

Manent adhuc testes ex hoc Saeculo plurimi, ut *Eusebius, Cyrillus Hieros., Gregorius* uterque *Nyssenus* et *Nazianzen., Hilarius* etc., quos necesse est praeterire. Unum adhuc audiamus S. *Chrysostomum*, quem Dallaeus ut suae causae patronum praecipuum laudat. Homil. 30. in Genesin sic habet: *Quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime et jejunii cursus intendendus, et magis continuandae sunt preces, faciendaque diligens et pura peccatorum confessio.* Quae autem ibidem ait, per illud tempus nos posse *detegere vulnera medico, et sanitatem*

consequi, probant de occultis peccatis ipsi sermonem esse. Idem dicendum de hoc ejus testimonio, quod legitur Homil. in mulierem Samarit.: *Qui homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult et poenitentiam agere, in die illa non coram uno, vel duobus, sed universo terrarum orbe traducetur.*

Testimonia ex Saec. V. et VI.

S. *Augustini* hoc unicum ex multis testimonium producimus. Conc. II. in Psalm. 101. inquit: *Cum audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulchro eductus est, sed nondum solutus. Quando solvitur? A quibus solvitur? Quae solveritis, inquit, in terra* etc.

Leo M. in Ep. 80. ad Episcopos Campaniae publicam confessionem quibusdam in locis adhuc usurpatam prohibet: *Cum reatus*, inquit, *conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicare confessione secreta* . . . et paulo infra: *Sufficit enim illa confessio, quae primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti.*

His merito annumeramus S. *Gregorium* M., quo agmen veterum Ecclesiae Patrum clauditur. Homil. 26. in Evang. illa verba expendens: *Lazare veni foras*, ita peccatorem alloquitur: *Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras jam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est: culpam confiteatur peccator, venientem vero foras solvant discipuli.*

Hic nunc gressum sistimus, quia magis semper augetur numerus testium, quo propius ad tempora nostra accedimus. Possemus ex hac aetate testimonia adhuc proferre *Hieronymi, Innocentii* I., *Theodoreti, Fulgentii, Sidonii Apollinarii* etc., imo, si arctiores operis limites illud paterentur, seriem non interruptam testium usque ad Innocentii III. tempora perducere. Nominandi essent, quotquot illa aetate extiterunt viri doctrina et sanctitate praecellentes. Cf. auctores supra citatos, item continuat. *Tournelii* T. X. de Confess. Art. II. Sect. 1. Concl. 2.

ARGUMENTUM III.

Quod praescriptionis vocatur.

Libenter ad hoc argumenti genus recurrimus, quoties confutandi sunt novorum dogmatum fabricatores: habet enim vim probandi prorsus singularem. Sicut error sola novitate sua convincitur, ita omnis Catholica veritas stat hoc solo fundamento inconcussa, quod fuerit semper et ubique, et ab omnibus credita. Quod universa tenet Ecclesia, et cujus nullum post Apostolos reperitur exordium, illud a Christo Apostolis, ab Apostolis omnibus ubique Ecclesiis traditum fuisse rectissime creditur.

Jam facillimum est, haec ad praesentem controversiam applicare. Notum est omnibus, Novatores, cum primum confessionis sacramentalis necessitatem et divinam originem impugnarunt, irruptionem fecisse in omnium Ecclesiarum fidem, ut eam a possessione sua deturbarent. Omnes enim Ecclesiae in tranquilla hujus dogmatis possessione erant, quod confessio sacramentalis omnibus post Baptismum lapsis sit ex Christi institutione necessaria. Exinde ita concluditur: vel illa omnium Ecclesiarum fides a Christo et Apostolis manavit, vel habuit aliquod initium post Apostolos, et constitutis jam per orbem Ecclesiis: atqui hoc secundum a nemine sanae mentis asseri potest. Ergo etc.

Prob. min. 1.° Hujus mutationis nullum hactenus solidum fundamentum indicare potuerunt Adversarii, neque ostendere, a quo Pontifice aut Concilio facta fuerit, aut in qua Ecclesia, et quo tempore primum inceperit. Quod enim de Concilio Lateranensi IV. et Innocentio III. garriunt, ridiculum commentum est. Non agebatur ibi de stabiliendo dogmate, sed de disciplinae instituto. *Neque enim*, ut Trid. ait *a)*, *per Lateran. Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium esse intellexerat, sed ut praeceptum confessionis saltem semel in anno impleretur.* Ergo non magis tunc confessio instituta est, quam instituta fuit eucharistia, eo quod lege sancitum

a) Sess. XIV. de Poenit. cap. V. de Confess.

fuerit, ut fideles eam semel in anno perciperent. Sed satis confutatum est fabulosum figmentum ex iis, quae produximus, Veterum testimoniis, et si haec deessent, id unum sufficeret, quod Graeci cum Latinis in hoc sicut in aliis doctrinae punctis conspirent, ut mox videbimus.

2.° Mutatio tanti momenti in Ecclesia sine gravissimis dissidiis fieri non potuisset, imprimis, cum haec res non in veritatibus abstractis, et a communi hominum sensu remotis posita sit, sed in re ad praxin et omnium usum pertinente. Quis, quaeso, omnibus Ecclesiis persuadere potuisset, confessionem jure divino praeceptam, et in Ecclesia constanti usu fuisse servatam, cum id nequaquam ita fuisse, omnibus notum fuisset? Quis sibi persuadeat, non clericos tantum, sed totam plebem christianam novum et gravissimum jugum subiisse nemine reclamante? Dogma novum et insolitum ut divinum suscepisse, quin aliquod dissensionis occurrat vestigium? Credat Judaeus Apella! credat Dallaeus!

3.° Constat Graecos schismaticos et omnes, quae per Orientem dispersae sunt, Haereticorum sectas, per quatuordecim Saecula ab Ecclesia divulsas in hoc dogmate cum Romana Ecclesia consentire, quod ex Conciliis Graecorum jam alias citatis, atque ex libris poenitentialibus et Euchologiis omnium Ecclesiarum probatur in insigni opere: *Perpétuité de la foi* etc. Tom. III. Jam vero, si confessio non fuisset ab Apostolorum tempore in omnibus Ecclesiis cum fide Catholica recepta, ac post plura demum saecula a Romanis Pontificibus Christianis imposita, unde, quaeso, illam haberent Ecclesiae illae? Unde Photiani Schismatici? Unde Haeretici Orientis? Num illam imponi sibi a Romanis passi essent? An non clamassent, nova haec esse et antiquae Traditioni contraria?

RESPONDETUR AD PRAECIPUA ADVERSARIORUM ARGUMENTA.

Argum. I. In Scripturis nullum occurrit Christi praeceptum de peccatorum confessione; nullum ejus in scriptis Apostolorum extat vestigium; imo Paulus, cum de illis agit, qui ad mensam

eucharisticam accedunt, confessionis faciendae nullam facit mentionem. Ergo etc.

Resp. I. Hoc argumenti negativi genus mirum in modum dilatant confessionis oppugnatores; sed fucum faciunt imperitis. Confessionem a Christo institutam esse probavimus, tum in propositione, tum cap. I. hujus tractationis, ubi de potestate Sacerdotum judiciali egimus. Dubium non est, quin Apostoli a fidelibus id exegerint, quod erat a Christo institutum. Neque omnia aut dicta aut facta Apostolorum litteris sunt consignata, ut ex Baptismo infantium, quem Navatores juris esse divini fatentur, et ex multis aliis perspicuum est. Caeterum, etsi testimonia supra citata *a)* non sint omnino plana et cogentia, probant tamen, falsum esse, quod Adversarii dicunt, quod in scriptis Apostolorum nullum extet confessionis vestigium.

Resp. II. Apostolus iis, qui volunt ad mensam Domini accedere, commendat, ut probent se ipsos; haec autem probatio et conscientiae diligens purgatio in iis, qui lethale admiserunt peccatum, confessionem ex mandato Domini involvit, idque ex perpetuo Ecclesiae usu fuit probatum. Unde *Cyprianus* ait *a)*, eos, qui ante expiata delicta et exomologesin factam audent Eucharistiam sumere, *vim inferre corpori et sanguini Domini.* Et *Ambros. b)*: *Ubique ordo mysterii servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, post alimonia mensa coelestis exuberet.*

Urgent. Etiamsi assumatur, Christum Joan. XX. confessionem instituisse, nihil tamen probat, eam necessariam esse praecepto divino; scilicet liberum esse voluit fidelibus ad hoc remedium confugere, aut directe ad Deum accedere ad veniam peccatorum consequendam. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Quemadmodum ex verbis Christi recte colligitur, confessionem esse a Christo institutam, ita colligitur eam esse positam in praecepto divino. Heterodoxi concedunt, divinum Baptismi praeceptum ex solis illis Christi verbis probari: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* etc. Ergo etiam ex illis verbis: *Quaecunque solveritis — quaecunque ligaveritis* etc. praeceptum confessionis legitime deducitur. Quomodo enim stare

---

a) V. Scholion ad argum. I. *b)* Lib. de lapsis. *c)* In cap. IV. Lucae.

posset, quae Apostolis et eorum successoribus collata est, judiciaria potestas? Quomodo hi non solvendi tantum, sed et ligandi et retinendi potestatem exercere possent, nisi peccatores eorum judiciis submittere se tenerentur? Verum de his plura jam superius diximus, ubi de Sacramenti Poenitentiae institutione et necessitate tractavimus. Praeterea, quae nobis a Christo data sunt remedia ordinaria et usitata ad remissionem peccatorum, vim habent praecepti, et tanquam sancitae leges obligant; talis est Baptismus, qui institutus est, ut esset remedium contra peccata ante receptum Evangelium commissa. Christus autem reliquit in Ecclesia potestatem clavium, tanquam secundum remedium adversus peccata post Baptismum commissa: ergo et hoc remedio fideles uti tenentur lege divina.

Argum. II. Non potest negari confessionem aliquam publicam usitatam fuisse antiquitus, sed illa ad disciplinam Ecclesiae et externam politiam pertinebat. Probandum esset, jure divino necessariam habitam fuisse illam, de qua potissimum quaestio est, privatam confessionem, quae fit in aurem Sacerdotis, et quae consistit in enumeratione omnium gravium delictorum, etiam occulte aut sola cogitatione commissorum. Atqui hoc probari non potest. Ergo etc.

Resp. I. Probandum nobis est, confessionem quoad substantiam juris divini esse, neque ab Ecclesiae arbitrio dependere. Caetera ad disciplinam pertinent, cujus rationem et modum Deus Ecclesiae auctoritati commisit. Unde demus, non eandem ubique et semper extitisse confessionis formam, dummodo id maneat, eam omnino fidelibus necessariam esse judicatam, quotiescunque in peccata lethalia etiam occulta incurrerent. Praeclare de hac re *Leibnitius a)*: «Non minus juris «divini erit confessio, quemadmodum statuit et praescripsit Ec«clesia, licet circa modum ejus variatum esse diversis tempo«ribus constaret; nam multa Deus circa Sacramentorum suo«rum dispensationem Ecclesiae suae statuenda ordinandaque «reliquit.» Notandum est, quod paulo post subjicit: «Id ip«sum de jure divino est, ut absolutionem non consequatur, «qui Ecclesiae judicium contemnit, et quas illa conditiones

a) Syst. Theolog. edit. II. Mog. pag. 266.

« sive in confitendo exigit, sive post confessionem imponit, ne-
« gligere audet. »

Resp. II. Ex probatione manifestum est, secretam confessionem de peccatis secretis institutionis divinae esse, non humanae. Et certe, rationes, quibus confessionis necessitatem probavimus, generatim probant pro omnibus peccatis publicis et occultis; ac plurima Patrum testimonia de occultorum confessione loquuntur. Sed, si occulta sunt, quae Sacerdotum judicio subjiciuntur, ratio naturalis postulat, ait *Melchior Canus a)*, « ut etiam occulta
« correctione purgentur. Ergo cum Christus instituerit hoc ju-
« dicium fieri secundum rectam rationem, constituit ex conse-
« quenti occulta peccata occulte esse judicanda. » Addit ibidem, in Ecclesia non haberi memoriam, unde inceperit secreta confessio, quo liquet eam ex Apostolica Traditione manare.

Resp. III. Mirum est, quot fallaciis et cavillationibus Adversarii tot aperta Patrum testimonia obscurare et elidere conentur, ut simplicibus persuadeant, solam publicam confessionem olim in usu Ecclesiae fuisse, eamque partem effecisse publicae poenitentiae: sed vehementer falluntur. 1.° Discrimen est inter poenitentiam publicam, et publicam confessionem. Haec fortasse nunquam in usu fuit; saltem graves rationes suadent, eam in universa Ecclesia nunquam obtinuisse. *Leo* M. eam praeter Apostolicam regulam esse docet Ep. 80.; eumque usum in quibusdam Siciliae locis usurpatum vocat illicitam usurpationem. 2.° Tria tantummodo peccata capitalia cum suis speciebus illi poenitentiae, quam Patres publicam et luctuosam vocant, subdita fuerant. Sed praeter haec multa alia erant mortalia delicta, quae confessione et poenitentia indigebant, et quae *Morinus* existimat eodem fere modo purgata fuisse, quo nunc mortalia quoque delicta. Vid. hunc auctorem lib. V. cap. 1. et 31. Sed et majora crimina ejus plerumque generis erant, ut confessione publica propalari non potuerint. Nam Patres rejiciunt confessionem, ex qua sequeretur infamia, cujus generis sunt moechia et homicidium, quae, si nota fuissent, in legum poenas incurrissent. 3.° Non tantum ex Veterum monumentis perspicuum est, peccata occulta necessariam secretae confessionis materiam fuisse; sed illud

---

a) De Poen. c. V.

etiam apparet, hanc confessionem secretam semper poenitentiae praeivisse, atque regulam fuisse poenitentiae sive publicae sive privatae pro judicio Sacerdotis. Plura, quae hoc probant, in antiquis Patribus reperiuntur. Unum citamus antiquissimum *Origenem*, qui Hom. 11. in Ps. 37. ait: *Circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere. Si quid consilii dederit, facias et sequaris; si intellexerit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et caeteri aedificari poterunt et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione et satis periti medici illius consilio procurandum est.* Vid. *Tourn.* de poen. q. VI. art. 11. concl. 2. arg. 2.

Argum. III, Ante Innocentii III. tempora multi in ea erant sententia, quod sufficeret confessio soli Deo facta; ut testatur Magister sententiarum lib. IV. dist. 17. Idem constat ex *Gratiano*, qui in Decreto *a*) duas proponit sententias de necessitate confessionis, ac subinde ait, quosdam asserere, quemlibet criminis veniam sine confessione et sacerdotali judicio posse promereri, aliis id negantibus: ipse autem, postquam utriusque partis rationes exposuit, liberum cuique permittit judicium. Ergo etc.

Resp. I. Si ante Concilii Lateran. tempora nonnulli fuerunt, qui confessionis Sacerdoti faciendae necessitatem in dubium vocarunt, id nihil efficere potest contra dogma Catholicum. Errarunt illi, quod humanum est, sed sine nota haereseos, quia nondum Ecclesia quaestionem hanc clare et expresse definiverat. Porro restiterunt, et confessionis necessitatem strenue et constanter asseruerunt temporum illorum Scriptores quam plurimi atque illi imprimis, qui nomen aliquod et laudem in Ecclesia habuerunt. Ut sunt inter caeteros, *venerabilis Beda*, *Rabanus Maurus*, *Nicephorus*, *Petrus Damiani*, *Anselmus*, *Bernardus*, *Godfridus*, *Petrus Cluniacensis*, *Hugo* et *Richardus* ambo a S. Victore dicti, demum ipse *Magister sententiarum*, qui loco citato ait: « Ex his « aliisque pluribus indubitanter ostenditur, oportere Deo primum, « deinde Sacerdoti offerre confessionem, nec aliter posse per- « veniri ad ingressum Paradisi, si adsit facultas. »

---

a) Caus. XXXIII. q. III. de Poenit.

Resp. II. Gratiani auctoritas tanti ponderis non est; multa ille sine delectu ultro citroque colligit discordantia testimonia. Idem loco citato haec affert ex Theodori Cantuariensis poenitentiali: *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Graeci.* Constat autem haec verba, *ut Graeci*, in illo poenitentiali libro non extare. Caeterum eadem distinct. Gratianus ad Canonem 87. sententiam suam ita declarat: « His auctoritatibus « asseritur, neminem sine poenitentia et confessione propriae « vocis a peccatis posse mundari; unde praemissae auctoritates, « quibus videbatur probari, sola contritione cordis veniam prae- « stari, aliter interpretandae sunt. » Deinde illud sibi objicit ex S. *Chrysostomo a*), in quo etiam Novatores magnum causae suae praesidium ponunt: « *Non tibi dico, ut te prodas in publi-* « *cum, neque ut te apud alios accuses, sed obedire te volo Pro-* « *phetae dicenti: Revela Domino viam tuam: ante Deum ergo* « *tua confitere peccata etc.* » Respondet autem: « Hoc non ita « intelligendum est, ut sine confessione oris peccata dicantur « dimitti, sed sine publica satisfactione; secreta namque peccata « secreta confessione et occulta satisfactione purgantur. »

Hoc etiam mihi videtur in hac causa observandum; plurimis, praesertim juris Pontificii interpretibus, liberum videri potuisse, quod nulla externa sanctione munitum erat neque certa lege fixum et determinatum, quemadmodum ea, quae legibus civilibus et ecclesiasticis stabiliuntur. Ante Concilii Lateranens. decretum, confessionis praeceptum hoc erat: Quicunque post baptismum lapsus est, recurrere debet ad confessionem, nisi velit salutis suae jacturam facere: sed nulla lex eum cogebat, quem non cogebat conscientia. Sic nihil est in Scriptura clarius expressum, quam praeceptum diligendi Deum; attamen lege nulla fixum et statutum est, quo tempore, aut quoties in vita necesse sit, actum amoris elicere. Sic praeceptum divinum est, Eucharistiam sumere: attamen ante Concilii Lateranensis decretum aliqua ratione dici poterat, liberum cuilibet esse, ad sacram mensam accedere.

Resp. III. Datur et alia responsio, quae multis gravibus Theologis valde probatur: dicunt autem eo loco non agi de

---

a) Hom. 21. in Ep. ad Heb.

necessitate confessionis; sed de quaestione, quae tunc temporis inter Doctores agitabatur, et quam etiam Magister sententiarum, Gratiano aequalis, in utramque partem versat: An ad remissionem peccatorum semper requiratur contritio perfecta, etiam cum Sacramento? Qui in hac erant sententia, simul dicebant per confessionem non justificari hominem, sed per contritionem. Qui oppositam sententiam tuebantur, peccata dicebant in confessione dimitti. In hac materia jam alias longius versati sumus.

Argum. IV. Ex facto Nectarii Constant. Episcopi, quod Socrates et Sozomenus narrant, apparet, confessionem peccatorum occasione Novatianorum primum institutam, ab eodem Nectario fuisse abrogatam; ergo non est divinae institutionis.

Resp. De hoc celebri facto non possumus nisi summatim dicere. Nihil exinde contra occultorum peccatorum confessionem probari potest. 1.° Dallaeus ipse fatetur illam confessionem, quam Catholici secretam aut sacramentalem vocant, a Nectario non fuisse sublatam. 2.° Quae a Nectario facta est mutatio ad ministrum pertinet, non ad confessionem ipsam. Ante Presbyteri poenitentarii institutionem, quam Socrates ad persecutionis Decianae tempora refert, coram Episcopo aut Presbyteris confessiones fiebant; cum autem multi in illa persecutione lapsi essent, constitutum est, ut Presbyter aliquis, qui, ut Sozomenus ait, vitae integritate spectatissimus esset et taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio praeficeretur. Sublato ergo hoc Poenitentiarii munere in Ecclesia Const. res in eundem statum, quo fuit ante Decii tempora, fuit restituta. 3.° Constat ex dictis confessionem secretam occultorum criminum in Ecclesia fuisse ante Presbyteri illius institutionem, neque cessasse, illo sublato. Imo praeter illum Poenitentiarium, qui ad publicam poenitentiam constitutus erat, semper alii adhuc aderant Presbyteri, ad excipiendas aliorum fidelium confessiones; quod, ut alia taceamus, ex Origene clarum est. Hic enim Hom. in Ps. 37., postquam dixit, necesse esse confiteri Sacerdotibus, hoc addit monitum: *Circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum; proba prius medicum etc.* Quae certe vana fuisset admonitio, si unus tantum adfuisset ad hoc officium constitutus. 4.° Non improbabilis opinio est, multum ad Poenitentiarii institutionem contulisse Novatianorum criminationes, qui Catholicos reprehendebant, quod ni-

mis facile lapsos ad communionem admitterent. Quapropter Presbyteri illius partes praecipuae erant, morum sanctitati invigilare censoria quadam et publica auctoritate, majorum criminum reos ad se vocare, modum et tempus poenitentiae pro ratione delictorum determinare; invigilare poenitentibus, etc. Mirum ergo non est, quod factum Nectarii non fuerit ab omnibus probatum; nam et Socrates et Sozomenus conqueruntur, quod major exhinc facta fuerit peccandi licentia, cum antea multi velut fraeno quodam a peccato cohiberentur. — Vid. praeter alios P. Pius Brunquell, Apologie der ſakramentaliſchen Beichte.

Argum. V. In veteri Ecclesia nunquam confessionis a fidelibus factae mentio occurrit. 1.° Frequenter tunc Eucharistiam celebrabant; at nullibi dicitur eos confessione peccata purgasse, neque confessio, tanquam praecipua ad Eucharistiam praeparatio commendatur, ut hodie apud Catholicos. 2.° Nullibi legitur, Christianos gravi aliquo casu imminente, ut in martyrii discrimine, in bellis, naufragiis etc., ad confessionis remedium confugisse. 3.° Illi, qui indicem texerunt sanctorum Pontificum, aut vitas Sanctorum litteris mandarunt, quod peccata sua confessi fuerint, omnino reticent; neque legitur, quod Episcopi aut Sacerdotes eo tempore in confessionibus excipiendis fuerint occupati. Ergo etc.

Resp. ad 1. Hujus objectionis, quae negativae, ut ajunt, probationi innititur, vis nulla est. Sicut hodie, ita et in veteri Ecclesia notum erat illud Apostoli: *Probet se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* Constat etiam, iis omnibus, qui vitam agebant a lege Evangelica abhorrentem, non licuisse ad sacram mensam accedere, nisi ante poenitentia essent expurgati. Sed maxima pars fidelium pie et caste vitam ducentes non egebant eo peccatorum remedio. Cum auctus fuit Christianorum numerus, tum minus frequens erat Eucharistiae perceptio; ab ea tamen excludi non poterant, quorum occulta erant crimina; quamvis non cessarint Pastores vehementer invehi in eos, qui magis ex consuetudine quam ex pietate hoc Sacramentum sumere audebant. Inter alios S. *Cyprianus* lib. de lapsis graviter increpat eos, qui ad Eucharistiam accedunt *ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis etc.*

Ad II. Illud etiam notandum, apud Veteres confessionem satis exprimi solitam, cum pax poenitentibus data, vel adminis-

trata Eucharistia memoratur, aut reconciliationis factae habetur mentio. Quin et martyrio peccata ante commissa expiari dubium non est. Sacerdotes quoque ministerii sui munere in carceribus fungebantur, sacrificium offerebant, et eos, qui in aliquod crimen lapsi fuerant, reconciliabant. Caeterum ex epist. *August.* 180. apertum est, fideles in persecutione ad confessionem recurrere solitos. *Aliis Baptismum flagitantibus*, ait, *aliis reconciliationem, aliis etiam poenitentiae actionem, omnibus consolationem et Sacramentorum confectionem et erogationem.*

Ad III. Sancti illi viri, quorum actus in Ecclesiae fastis conscripti leguntur, procul dubio in peccata mortifera raro, aut nunquam incurrebant; neque tunc temporis is erat Ecclesiae usus, ut venialia confessione purgarentur: sed ne Eucharistiae quidem perceptio a Scriptoribus fuit commemorata. Res quippe singulares, non quae in communi usu positae erant, memoriae traditae sunt. Adde quod primis Saeculis in usu Ecclesiae non fuerit, ut, quae ad Sacramentorum et mysteriorum celebrationem pertinebant, publica fierent et Ethnicorum calumniis exponerentur. Quod autem dicunt, nulla antiquitatis monumenta adesse, quae probent Pontifices olim et Sacerdotes excipiendis confessionibus operam navasse, nullius est roboris; nam ut jam diximus, necesse non erat res usu communi tritas commemorare. Cum Sancti illi, ut *Cyprian.*, *Basilius*, *Ambros.*, *Augustinus* etc. confessionis necessitatem testentur, dubium non est, eos vel per se ipsos, vel per Presbyteros id muneris fuisse executos. S. *Ambros.*, ut Paulinus narrat, poenitentium confessiones excipiebat. Apud *Victorem Uticensem* fideles Afri ita conqueruntur, cum Pastores in exilium sunt relegati: *Qui nobis poenitentiae munus collaturi sunt, et reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi?* Vid. apud *Tournel.* loco cit. Argumentum IV. petitum ab exemplis confitentium peccata.

Argum. VI. Confessio secreta, quae fit in aurem Sacerdotis, multis patet abusibus, atque exitiosa est tum ministris, qui multa audiunt nefaria et obscoena, quae animum frangunt et laqueum injiciunt conscientiis: tum poenitentibus, quibus jugum non ferendum imponitur.

Resp. I. Nullum est argumentum, quod Novatores ex perverso usu confessionis ducunt; illud enim si valeret, uno et

eodem ictu Sacramenta, et res quasque sanctissimas, et ipsam verbi divini praedicationem peteret. Abusibus Ecclesiae Praesules, quantum possunt, medentur. Si nihilominus quidam irrepunt, hominum id vitium est, non Sacramenti. An non complures Eucharistia abutuntur in suam perniciem? Num ideo tollendum erit hoc divinum Sacramentum? Quod ad ministros attinet, ne, quaeso, de illis nimium solliciti sint Adversarii. Quid igitur, an Scripturam sacram legere sine periculo non licebit, ne forte obscoenae cogitationes irrumpant? Non deerit iis gratiae auxilium, qui recta intentione et zelo animarum incitati tam difficili munere funguntur. Quod ad illud attinet, intolerandum fidelibus jugum imponi, plura dicendi occasio erit sequenti Articulo.

Resp. II. Si qua sunt confessionis incommoda, illa abunde compensantur per multas magnasque utilitates, quae ex ea profluunt. Hinc merito *Trident.* ait *a*): *Ipsa hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur.* Ad mentem Concilii *Catechismus Rom.* jam suo tempore non veretur asserere *b*): — *Quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis et Religionis in Ecclesia summo Dei beneficio conservatum est, id magna ex parte confessioni tribuendum esse; ut nulli mirandum sit, humani generis hostem . . . hanc veluti Christianae virtutis arcem totis viribus oppugnare conatum esse.* Eadem Quaestione n. 5.: *Constat*, inquit, *si sacramentalem confessionem a disciplina Christiana exemeris, plena omnia occultis et nefandis sceleribus futura esse . . . . Etenim confitendi verecundia delinquendi cupiditati et licentiae tanquam fraenos injicit et improbitatem coërcet.*

Hujus certe confessionis vix possibile esset utilitates omnes exponere. Huic annexa est promissio remissionis delictorum, quae etiam cum contritione minus perfecta per absolutionem obtinetur. Haec hominem cogit, ut se ipsum nosse discat, et cordis sui arcana scrutetur, quo nihil potest esse salubrius, sed quo simul nihil est infrequentius; nam qui vitiorum illecebris abripi se sinunt, semper ad exteriora effunduntur, neque

---

a) Sess. XIV. c. V. *b)* De poenit. Quaest. XXII. n. I.

unquam, nisi de emendanda vita cogitent, animum revocant ad seipsum. Haec per illud ipsum, quod forsan durum aut molestum habet, spiritum humilitatis et poenitentiae nutrit, atque ipsa jam pars est illius poenitentiae, quam Deo offenso exsolvere necesse est. Plura adjicere possemus, sed audiamus virum Protestanticum *Leibnitium*, qui in suo Systemate Theologiae ita de confessione loquitur. . . . «Totum hoc institutum divina sa-« pientia dignum esse, negari non potest, et si quid aliud, hoc « certe in Christiana Religione praeclarum et laudabile est, quod « et Sinenses, et Japonenses sunt admirati: nam et a peccatis « multos deterret confitendi necessitas, eos maxime, qui non-« dum obdurati sunt; et lapsis magnam consolationem praestat, « ut adeo putem pium, gravem, et prudentem confessarium « magnum Dei organum esse ad animarum salutem; prodest « enim consilium ejus ad regendos affectus, ad animadvertenda « vitia nostra, ad vitandas peccatorum occasiones, ad restituen-« dum ablatum, et reparandum damnum, ad dubia eximenda, « ad erigendam mentem afflictam, ad omnia denique animae « mala aut tollenda, aut mitiganda.»

Praeter Leibnitium nunquam defuerunt inter Protestantes, qui rei evidentia convicti, ut jam diximus, confessionis summam utilitatem confessi sunt. Inter alia et illud memorandum, quod jam *Caroli* V. temporibus Norimbergenses per legatos ab Imperatore petierint, ut antiquum confessionis usum imperiali edicto restitueret *a*), eo quod experti essent, a tempore, quo illa exulasset, multas fraudes, vitia et scelera irrepsisse in urbem et rempublicam. Sic et Ministri Argentinenses, cum circa annum 1670 nova editio pararetur libri ritualis, instaurationem confessionis privatae a Magistratu libello supplici efflagitarunt, citatis in causae suae praesidium testimoniis ex confessione Augustana, Apologia, Articulis Smalcaldicis, libro Concordiae etc., imo et ducto argumento ex Joan. c. XX. Vide *Scheffmacher*, lettre IV.

Quaeritur I. *Quando obliget divinum confessionis praeceptum?*

---

a) Dom. Soto in IV. dist. 18. q. 1.

Resp. Cum hoc praeceptum ex eorum genere sit, quae affirmativa dicuntur, certum est illud non omni tempore obligare. Sed quaeritur, an statim obliget, cum quis in peccatum mortiferum lapsus est? Illud affirmant aliqui, sed negat S. *Thomas* et omnes pene Theologi, cum Baptismus ipse, nisi periculum adsit, citra peccatum possit differri, et bis tantum in anno olim Catechumeni baptizari solerent. De hoc convenit inter omnes, praeceptum confessionis per se et vi sua obligare in mortis articulo, aut certe cum vitae periculum imminet. Qui enim tunc temporis non confitetur, is ultro aeternae damnationis discrimen adit. Extra hunc casum quidam asserunt, nullum adesse praeceptum divinum proprie et stricte dictum; sed tunc debere quemlibet confiteri, quando conscientia illi dictat; qui contra agit, aut gravis aut levis in negotio salutis negligentiae culpam incurrere. Nobis videtur necessitatem confitendi non posse solo mortis periculo definiri; non enim hoc Sacramentum, ut Extrema Unctio, morituris tantum destinatur, non est exeuntium tantum Sacramentum; unde obligatio adest, cum adest justa necessitas. Tempus ipsum a Christo quidem definitum non est, sed viri prudentis judicio determinari potest. Sic multi graves Theologi opinantur urgere praeceptum, 1.° cum quis recepturus est aliud Sacramentum, quia sanctitas Sacramenti postulat, ut accedamus digni. 2.° Quando scimus, nos postea non habituros copiam Confessarii. 3.° Cum metus est, ne in alia peccata praecipites eamus, nisi admissa ante confiteamur; nam peccandi periculum omnino vitandum nobis est. 4.° Quando Ecclesia id postulat; Ecclesiae enim obedire praeceptum Dei est.

Quaeres II. *An existat praeceptum Ecclesiasticum circa confessionem, et quid per illud fuerit definitum?*

Resp. Quod lege divina non fuit determinatum, illud praecepto Ecclesiastico constitutum est in Concilio Lateranensi IV. celebri canone, qui ita sonat: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam studeat propriis viribus adimplere.* Hoc praeceptum simul ecclesiasticum est et divinum, quia Ecclesia tantum determinavit, praeceptum divinum semel in anno esse observandum. Ita docet Trid. Sess. XIV. c. 9.: *Neque enim per*

Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut fideles confiterentur, quod jure divino necessarium esse intellexerat; sed ut praeceptum confessionis saltem semel in anno impleretur.

Gravis hoc loco oritur quaestio, quid Concilium *proprii Sacerdotis* nomine intelligat? An proprius Sacerdos sit solus Parochus, excluso etiam Papa et Episcopo, quae quorundam sententia fuit? An hoc nomine designetur quilibet Sacerdos approbatus? Dubium non est proprium Sacerdotem esse Parochum, ad quem ex Ecclesiae consuetudine pertinet hujus Sacramenti administratio; nec tamen Papam aut Episcopum exclusum arbitramur, cum nulla sit in Parocho potestas, quae non Papae et proprio Episcopo insit pleniore quadam ratione. Et quomodo posset jure Ecclesiastico ei adimi potestas absolvendi, cui ea jure divino competit? Proprius Sacerdos ibi opponitur *alieno;* verum an Episcopus aut Papa alienus est Sacerdos? — Late hanc materiam exponit *Tournel.* de Poenit. et alii Theologi plures.

ARTICULUS II.

De confessionis proprietatibus et administratione.

§. I.

De proprietatibus confessionis.

OBSERVANDA.

I. Poenitentia ad Sacramenti dignitatem elevata est a Christo. Verum non cessavit esse virtus, cum facta est Sacramentum. Ergo et confessio, quae in nova lege pars necessaria est poenitentiae, etiam virtutis rationem habere debet et iis instructa esse proprietatibus, quae tum virtuti in genere, tum in specie virtuti poenitentiae propriae sunt. Ad virtutis cujuscunque actionem requiritur, ut qui agit, agat prudenter, libere et propter bonum finem: en dotes confessioni necessariae, quatenus in genere virtus est; quatenus autem virtutis specialis, nempe poenitentiae actio est, debet esse *humilis, cum dolore conjuncta, verecunda, nuda, non fucata, vera et integra.* Inter has confessionis proprietates vix est una aut altera, quae uberiore expositione indigeat. *Humilis* sit oportet, procul igitur ab omni fastu et

contentione, ut ex intimo indignitatis sensu, ex corde contrito et humiliato fluat et sit vere quod esse debet, accusatio sui ipsius. Ejusmodi confessio non potest non esse *verecunda*, oritur enim ex consideratione turpitudinis peccati, et ideo modesta est, et cum pudore conjuncta. *Nuda* erit, si nihil falsi admixtum habeat, neque fucata verbis, neque tegumentis involuta.

II. Circa veritatem confessionis, quaedam sunt a Theologis motae quaestiones. Quid si poenitens mentiatur in re, quae nihil pertinet ad confessionem ipsam? Quid si peccatum veniale a se admissum negat? Utrumque dicunt veniale esse, gravius tamen, quam si alio loco fieret. Non ita judicandum, cum quis lethale peccatum admisit, et factum negat; palam enim est mortaliter peccare ejusmodi, quia mentitur coram suo judice et in tribunali, ubi poenitens seipsum detegere tenetur, atque absolutionem sua culpa nullam et irritam facit. Hinc quae certa sunt, ut certa confiteri, dubia ut dubia et incerta ponere debet. Quid autem ille, qui se mortalis peccati reum confitetur, quod a se commissum non fuisse in comperto habet? Is procul dubio peccat, nisi eum, ut communiter contingit, ignorantia, aut scrupulosa conscientia excuset. Atque hoc sensu intelligendum est illud S. *Gregorii a), bonarum mentium esse, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.* Notum est, viros pios et timoratos ita esse prae humilitate compositos, ut etiam manifestis peccatoribus se deteriores putent, atque in iis etiam metuant, quae bene egerunt: quod certe non est vituperandum, dummodo intra justos limites se contineant, memores eorum, quae S. *Augustin.* dicit *b*): ***Humilitatem veram non esse mendacem.***

III. *Integritas* confessionis in eo posita est, quod omnia peccata mortifera, non in genere, sed quoad speciem et numerum, una cum necessariis circumstantiis Sacerdoti aperiantur. Cum dicimus omnia peccata, apertum est non intelligi peccatum originale, neque ea, quae commissa sunt ante Baptismum. Dicitur autem, peccata mortifera, quia venialium confessio non est necessaria ad Sacramenti integritatem, ut expresse Trident. docet. Siquidem hoc Sacramentum institutum est, ad reconciliandos

---

a) Respons. ad interrog. S. Augustini Cantuar. *b)* Serm. 29. de verbis Apost.

Deo homines post Baptismum, quapropter non requirit natura sua, nisi confessionem peccatorum eorum, quae nos a Deo separant. Praeterea observandum est, duplicem distingui confessionis integritatem, unam *materialem*, *formalem* alteram; prior est adaequata omnium plane peccatorum declaratio; posterior est accusatio omnium peccatorum mortalium, quae post diligens examen memoriae occurrunt.

IV. Ad integritatem confessionis pertinent etiam circumstantiae, quae malitiam, aut bonitatem actus augent, vel minuunt. Sunt autem duplicis generis; aliae mutant speciem actionis et peccati, aliae non mutant; haeque rursus duplicis generis sunt; vel enim insigniter augent malitiam, vel minus notabiliter. Jam quid sit mutare speciem, aut non mutare, sic explicat *Maldonatus c)*: Omnis circumstantia, quae mutat finem et objectum, mutat speciem, ut furari rem sacram facit ex furto sacrilegium; seu potius, quamvis una tantum actio est naturalis, tamen habita ratione morum furto aliud additur peccatum, quod est sacrilegium. Caeterae circumstantiae etsi mutant materiam aut causam efficientem, non ideo mutant speciem; ut si quis centum vel mille aureos abstulerit, idem specie peccatum commisit. Rursus quae speciem non mutant circumstantiae, actionis malitiam quandoque augent moraliter, ut loquitur idem auctor, ut furari mille aureos idem est specie peccatum, ac furari centum, sed insigniter auctum.

Circumstantiae, quae ad actionem moralem aut nullo modo, aut leviter spectant, ut plurimum omittendae sunt, imprimis, quae dicuntur mere naturales, et quae simplicitati confessionis obsunt magis, quam prosint. Quae autem notabiliter minuunt circumstantiae, licet speciem non mutent, eas quoque praeterire non debet poenitens, non ut quaerat excusationes in peccatis, sed ut confessarium instruat.

V. Maxima in hac re difficultas est de circumstantiis, quas vocant aggravantes, quaeque insigniter augent peccatum, nec tamen mutant speciem. Nihil quidem definitum legimus a Tridentina Synodo: sed sententia, quae circumstantias ejusmodi aperiendas esse docet, non tantum tutior est, sed etiam certior,

---

a) Tom. II. pag. 279.

neque scio hodie reperiri, qui contrarium tueantur. In duas igitur partes haec controversia distinguitur; prima doctrinam continet a Concilio Tridentino definitam; secunda circa illa versatur, quae non sunt expresse decisa.

PROPOSITIO 1.

In confessione omnia peccata mortalia sigillatim declaranda sunt.

CONCIL. TRIDENT. Sess. XIV. Can. VII.

Siquis dixerit, in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant... anathema sit.

PROB. Eodem praecepto divino, quo tenemur ad confitendum, tenemur etiam ad confitendum omnia peccata mortalia. 1.° Finis hujus praecepti est peccatorum remissio; ergo sicut a Deo sperari non potest dimidiata remissio, ita non potest fieri dimidiata confessio. Deus non potest unum peccatum mortale remittere, quin remittat omnia; quapropter, cum Sacerdos uti debeat sua potestate accommodate ad divinam sententiam, omnia remittere debet aut nullum, et quia non potest remittere, nisi quae audit, omnia debet audire. 2.° Confessio necessaria est, ut Sacerdos judicium ferat cognita causa; quod ab illo fieri nequit, si peccata tantum in genere et universim confiteamur. 3.° Alius finis confessionis est, ut Sacerdos vice Dei peccatori convenientem injungat satisfactionem, ut consilium impertiat et curationem adhibeat peccatis: sed hoc iterum exigit, ut peccata omnia declarentur, ut vulnera omnia detegantur. 4.° Demum, si omnia haec argumenta defuissent, ut *Melchior Canus* observat *a)*, usus Ecclesiae usque ab Apostolis receptus id satis ostendit: semper enim intellexit Ecclesia, confessionem, quam a Christo accepit, integram esse oportere.

---

a) De Poenit. P. IV.

Coroll. I. *Ad integritatem confessionis requiritur, ut circumstantiae declarentur, quae speciem mutant.*

Prob. 1.° Ex Conc. Trident. supra citato.

Prob. 2.° Circumstantias speciem mutantes eodem divino praecepto debemus confiteri, quo debemus confiteri omnia peccata mortalia; ejusmodi enim circumstantiae non tantum malitiam augent, sed novum adjiciunt peccatum. Sic qui furatur rem Deo sacram, praeter furtum committit peccatum sacrilegii.

Coroll. II. *Necesse est peccatorum mortalium numerum exprimere, ut integra sit confessio.*

Prob. Ex propositione patet, omnia peccata mortalia declaranda esse in confessione: atqui numerum minuens non omnia peccata confitetur; nam qui commisit v. g. decem furta, et solum exprimit novem, celat unum.

PROPOSITIO II.

Circumstantiae peccatum intra eandem speciem mortaliter aggravantes necessario declarandae sunt, ut integra sit confessio.

Prob. I. Ex Canone: *Omnis utriusque sexus;* in quo praecipitur, ut *Sacerdos diligenter inquirat et peccatoris circumstantias et peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi consilium debeat exhibere, et cujusmodi remedium adhibere.*

Prob. II. Quamvis Concilium Trid. nihil hac de re definiverit, tamen ratio, quae ab eo affertur, et qua probat circumstantias speciem mutantes aperiendas esse, eadem etiam valet pro circumstantiis notabiliter aggravantibus; ut nempe judex de gravitate criminis recte judicet, et poenam convenienter injungat. Et vero, circumstantia, quae non variat speciem, majorem malitiam nonnunquam addit, quam quae variat; ergo si haec confitenda est, etiam illa. Praeterea maxima pars hominum parum intelligit de generibus et speciebus, sed facile distinguit circumstantias, quae majus malitiae pondus addunt actioni; nemo enim tam hebes est, ut non sentiat, majus peccatum committere, qui centum aureos furatur, quam qui decem. Imo, quod circumstantia

speciem mutans exprimenda sit, id tantum fit propter adjectam malitiam; pone enim per novam speciem non addi malitiam novam, non teneremur explicare speciem; ergo ubi additur malitia dupla, sive sit ejusdem speciei, sive alterius, oportebit exprimere.

ADVERSARIORUM ARGUMENTA DILUUNTUR.

Argum. I. «Quamquam confessionem probamus, ait Apologia Confessionis August., et quandam examinationem prodesse judicamus, ut institui homines melius possint; tamen ita moderanda res est, ne conscientiis injiciantur laquei, quae nunquam erunt tranquillae, si existimabunt, se non posse consequi remissionem peccatorum, nisi facta illa scrupulosa enumeratione.» Ergo etc.

Resp. neg. ant. Fideles omnes in doctrina fidei vel parum instructi optime sciunt, lethalium tantum peccatorum, non venialium enumerationem requiri in confessione; sciunt nullam esse veniam peccatis, si pia in Deum fiducia non sit cum detestatione peccati conjuncta; sciunt, quod si eam adhibeant diligentiam, qualem in negotiis majoris momenti solent afferre, jure possint in misericordia Dei conquiescere, et quod etiam eorum, quae forte exciderint, veniam consequantur. Sufficit ergo illa confessionis integritas, quae formalis dicitur; haec autem nihil habet, quod conscientias excruciet. Sit jugum, sit onus, quod Christus nobis imposuit; non diffitemur; verum et hic impletur, quod Servator ait: *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* Vid. *Trident.* Sess. XIV. cap. V., ubi haec luculenter exponuntur. Inter alia ita habet Concilium: *Reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrant, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine.* Et *Concil. Lateran.* in Can. *Omnis utriusque sexus*, Sacerdoti, qui confessiones excipit, sollicite commendat, *ut sit discretus et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati.*

Neque comparatio institui potest inter tribunal poenitentiae et judicium civile; hoc enim institutum est ad vindictam scelerum, illud gratiae tribunal est; in hoc, qui confitetur condemnatur,

in illo, qui confitetur absolvitur. In judicio civili exacta requiritur culparum cognitio, ut tanta sit poena, quantam quis per culpam meritus est. Confessio judicium Dei est, ad curationem et salutem hominum institutum; in quo ea sufficit peccatorum cognitio, quam animus bene dispositus et vere poenitens dare potest.

Argum. II. Ut peccator posset peccata sua eo, quo dictum est, modo singillatim enarrare, necessario confessioni praemittendum esset examen: atqui hoc examen in Scripturis nullibi praescribitur, deinde illud est imprimis, quod anxias conscientias vehementer torquet. Ergo etc.

Resp. Examen confessioni praemittendum esse, ita in Scripturis continetur, ut confessio ipsa; nam ex praecepto confessionis necessario fluit. Sicut enim integra peccatorum declaratio necessaria est, ut Sacerdotes possint cognita causa judicium ferre; sic examen requiritur, ut possit homo integram confessionem facere. Verum nihil hic exigitur, quod non facile praestare possint homines, de sua salute, ut par est, solliciti. Neque exquisita, ut jam diximus, peccatorum, sed moralis, et cujusque statui accommodata cognitio requiritur. Nihil timendum, ubi cor rectum est coram Deo, et sincera adest bene agendi voluntas. Vid. Catechis. Concilii Trid. de Poenit. q. 24.

Argum. III. Dictum est, non tantum species peccatorum exprimendas esse, sed et numerum: verum et hic labor est nimius, et incredibiles angustiae. Quomodo enim peccator, qui longos annos in vitiis consumsit, ad confessionem accedens peccatorum suorum numerum inveniet? Ergo etc.

Resp. Valent hic omnia, quae jam ad priora Argumenta dicta sunt. Christus confessionem instituit, ut afflictis, et peccatorum pondere gravatis conscientiis hoc levamento succurreret. Multum ergo abest, ut a peccatore ultra id, quod potest, exigat. Hinc 1.° explicato genere peccati necesse non est, singillatim numerare omnia peccata ad hoc genus pertinentia, sed sufficit uno verbo numerum exprimere. 2.° Non oportet eos, qui saepe peccant, ad mathematicos numeros peccatorum multitudinem exacte redigere; sat erit adhibita debita diligentia numerum exprimere, quem putant vero propiorem. Sic qui consuetudinem habuisset, nec posset numerum inire peccatorum, satisfaceret,

si exponeret consuetudinem, et tempus quo duravit in illa, addens se semel aut bis per hebdomadam hoc peccatum commisisse. Aliud exemplum ex *Melchiore Cano* exscribimus *a)*. Sit prostibulum, ait, decem annos in lupanari; hanc non est opus sollicitam reddere, ut explicet, quot peccatorum millia commiserit, sed sat erit dicere: decem annos in hoc vitio fui, quoslibet homines admisi, qualibet hora paratus fui etc. Ex hoc tantam accipit confessor notitiam, quanta opus est ad finem quemcunque confessionis consequendum.

Argum. IV. Si distincta peccatorum declaratio esset jure divino necessaria, nunquam valeret absolutio, nisi ejusmodi confessio praemittatur. Atqui tamen valet: nam conceditur absolutio morti proximis, qui morbi vi oppressi confiteri non possunt. Conceditur etiam militibus, cum ad praelium se accingunt, aut quando proximi naufragii imminens sit periculum etc. Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Sufficit, ut jam diximus, confessio formaliter integra, id est, in quantum id fieri potest. Jam an absolvi possit aegrotus, qui omnino confiteri non potest, hoc aliquo tempore fuit inter Theologos controversum. Illi, qui totum Sacramentum in absolutione ponunt, nullam causam adesse dicunt, cur non detur absolutio, cum confessio non sit materia proprie dicta Sacramenti. Attamen et illi, qui communem sententiam sequuntur, et confessionem partem Sacramenti esse dicunt, nihilominus hodie passim docent, nihil requiri ultra id, quod fieri potest, et in casu necessitatis absolutionem dari posse aegroto, etsi nullum peccatum possit exprimere, si signis testetur se petere absolutionem, aut si sint qui testentur illum petivisse; sic enim aliquo modo et quantum potest confitetur. Haec sententia magnis et insignibus testimoniis innititur — ut Concil. *Carthag.* IV. Can. 76., Concilii *Araus.* III. Can. 13., *Innocentii* I., *Leonis* M. etc. Inter alios *Leo* M. in epist. ad Theodorum hac de re consultus respondit: *Quodsi aegritudine gravati* (illi, qui poenitentiam petunt) *quod ante poscebant, sub praesenti significare non valeant, testimonium eis fidelium et circumstantium prodesse debebit.* Vid. Rituale Rom. et alia multa. Jam facilis est responsio ad ea, quae in objectione addita sunt: illi enim, qui instante praelio,

a) Loco cit.

aut imminente naufragio absolvuntur, Ecclesiae clavibus se subjiciunt, se ipsos accusant, quantum id praesens periculum patitur, et absolutionis beneficium efflagitant.

Quaeritur I. *An ab integritate confessionis excusetur, qui peccatum integre confiteri non potest, quin consortem criminis infamet?*

Resp. S. Thomas opuscul. 12. q. 6.: *Si poenitens speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam, cum qua peccavit, puta, si cum sorore concubuit, necesse est, ut exprimendo peccati speciem, exprimat personam; sed si fieri potest, debet quaerere talem confessorem, qui personam sororis penitus non cognoscat.* Ratio est, quia, quamvis contra charitatem peccat, qui alteri creat infamiam, dentur tamen casus in quibus tuta conscientia alterius crimen detegere quis possit. Hoc autem cum de confessionis integritate agitur, eo magis valet, quod nulla diffamatio metuenda sit, et crimen complicis sub eodem cum crimine poenitentis sigillo claudatur.

Quaeritur II. *An cum poenitens ignorat idioma Sacerdotis, et e diverso poenitentis idioma Sacerdos, oporteat confessionem fieri per interpretem?*

Resp. Certum est, poenitentem ad id non teneri, nisi forte in mortis articulo. Nemo enim tenetur revelare secreta peccata nisi Sacerdotibus, hic autem revelaret etiam interpreti.

Quaeritur III. *An partitio confessionis fieri possit, ita ut una pars uni Sacerdoti fiat, et alia pars alteri?*

Resp. Confessio integra esse debet ex parte ministri, id est, uni et eidem dicantur omnia peccata; quia sicut Deus non remittit unum peccatum mortale sine alio, ita ejus minister non potest unum remittere, quin omnia remittat. Difficultas autem est, si poenitens habet peccata reservata, an interrumpere possit confessionem, et Sacerdoti inferiori confiteri, quae non sunt reservata, superiori autem reservata. Id certe rationi magis consentaneum est, ut qui habet peccata reservata, vel per se, vel per Sacerdotem prius petat facultatem a superiore, ut possit ab illis absolvi, et tunc suo Sacerdoti confiteatur simul omnia peccata; aut si hanc facultatem consequi a superiore non potest, hunc ipsum adeat, eique omnia confiteatur peccata. Jus enim divinum et naturale est, ut si fiat confessio, ea sit integra;

leges autem Ecclesiasticae intelligi debent, salvo jure divino et naturali.

Nota. Multae aliae moventur quaestiones, quae ad praxin confessorum, et instructionem fidelium pertinent: sed consulendi sunt Theologiae moralis tractatores.

§. II.

De confessionis administratione.

OBSERVANDA.

I. Superest, ut de iis, quae ad confessionis administrationem pertinent, pauca dicamus. Primum quidem de ipso ministro Sacramenti, de praeclaris, quibus eum instructum esse oportet, ingenii et animi dotibus, ampla esset materia disserendi. Magna certe debet esse animae integritas, ac solis radio purior, quae tot peccatorum sordibus non polluatur. At quanta laboris constantia, quantum severitati conjuncta mansuetudo, et semper sibi constans charitas! Quam fervens demum orationis studium, ne fractis viribus oneri cedat, animumque despondeat! Sed et scientia et eruditione, ac prudentia praeditum esse oportet virum, qui doctoris et judicis ac medici simul personam gerit; cui secreta conscientiarum, et curatio non corporum, sed animarum committitur.

Non possumus haec longa oratione prosequi; verum satis apparet, nihil esse hoc confessoris munere difficilius, at nihil etiam ad morum emendationem, et salutem animarum procurandam efficacius. Unde si multa ab hoc onere deterrent, multa etiam viros religiosos, et Dei amantes ad illud ultro suscipiendum invitant. Quid enim, si ii qui hoc ipso, quod magis timent, magis etiam caeteris ad hoc officium peragendum idonei sunt, illud a se abjicerent? Quanta quaeso ruina immineret populo Christiano, qui inter tot peccati illecebras, inter tot corruptionis et impietatis tendicula hoc praecipuo salutis remedio careret! Quod ergo formidat humana fragilitas, et humilis diffidentia, hoc suscipiat fervens charitas, et potentioris auxilii fiducia.

II. Quaeri etiam hoc loco posset, quis sit legitimus confessionis minister? Verum huic quaestioni jam fecimus satis. Minister confessionis est, qui est minister Sacramenti, qui est ju-

dex a Christo constitutus, qui habet claves, et potestatem ligandi et solvendi: atqui probavimus, cum de potestate clavium tractationem habuimus, solis Sacerdotibus hanc potestatem fuisse a Christo traditam; illi ergo soli ministri sunt confessionis. «*Idque etiam maxime consentaneum est*, ait Catechis. Rom. *a)*, *nam cum omne gratiae genus, quae hoc Sacramento tribuitur, a Christo capite ad membra derivetur, merito debent corpori Christi mystico, id est Fidelibus illud administrare, qui soli verum ejus corpus conficiendi potestatem habent, cum praesertim Fideles hoc ipso poenitentiae Sacramento ad sacram Eucharistiam sumendam apti idoneique reddantur.*»

Manet ergo, ut duplici quaestione inquiramus 1.° An valeat confessio per litteras aut internuntium facta? 2.° Quid tenendum sit de sigillo confessionis?

QUAESTIO I.

An valeat confessio per litteras aut internuntium facta?

Resp. In duas partes quaestio haec dispescitur; quaeritur enim 1.° An per se, et spectata rei natura valeat? 2.° An valeat post Decretum *Clementis* VIII.?

1.° Nobis videtur ejusmodi confessionem ex se, et spectata rei natura invalidam declarari non posse; non repugnat absolute nec ratione Sacramenti, quia Matrimonium etiam inter absentes contrahitur; neque ratione judicii, siquidem reus absens rite absolvitur, et Ecclesia absolvit excommunicatos, quamvis absentes. Sunt tamen inter Theologos nonnulli, qui ejusmodi confessionem et absolutionem contra naturam Sacramenti esse, ideoque etiam ante Decretum *Clementis* VIII. invalidam fuisse contendunt. Nituntur autem auctoritate divi *Thomae*, qui ait *b)*: *In extrema necessitate utilius est confiteri laico praesenti, quam Sacerdoti absenti.* Adjiciunt alias adhuc rationes, quae etsi absolutae non sint, id tamen in dubio relinquunt, an unquam in Ecclesia licitum fuerit, ejusmodi absolutionem dare, nisi forte in casu summae necessitatis.

---

a) Part. II. de Poenit. §. 71. *b)* In IV. dist. 27. q. 2. Art. 4.

2.° Quidquid sit de hac controversia, certum est *Morinum*, omnesque qui cum eo priori sententiae adversantur, de eo tantum tempore disputare, quod Decretum *Clementis* VIII. praecessit. Quid post Decretum juris sit, nulla potest esse inter Catholicos controversia. In hoc Decreto, quod 20. Julii Anni 1602 emissum est, S. Pontifex propositionem, quae dicit: *licere per litteras sive per internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere*, ad minus ut falsam, temerariam et scandalosam damnavit et prohibuit; et cum in Decreto simul prohibeatur, ne deinceps quovis modo ad praxin deducatur, sequitur absolutionem ejusmodi, etsi forsan antea valere potuisset, post Decretum certe non illicitam tantum fore, sed prorsus invalidam; omnes igitur consentiunt nunc non valere. Quam sapienter hoc fuerit a sancta Sede constitutum, cuilibet perspicuum est; nam si ita liceret confiteri, jam nullus fere esset peccandi pudor, nulla in confessione verecundia, nulla pene Sacramento reverentia. Accedunt multa alia incommoda, atque illud inter caetera, quod Sacerdos absens ignoraret, an poenitens post litteras non iterum peccaverit, aut mutaverit voluntatem recipiendi absolutionem. Deinde illud praecipuum, quod non insolitum modo, verum etiam inauditum sit in Ecclesia, judicium sacramentale unquam inter absentes exercitum fuisse, et exempla quae Morinus in contrarium attulit *a*), viris admodum perspicacibus decretoria visa non sint.

Sed existit hinc parvum illud dubium, an poenitens *coram Sacerdote* scripto confiteri possit, ut mutus, aut puella verecunda. S. *Thomas* fatetur *b*), de essentia sacramentalis confessionis non esse, ut sit vocalis; unde ejusmodi confessioni nullum aliud inesset vitium, nisi quod communi Ecclesiae consuetudini repugnaret; in tota enim Ecclesia hic usus est, ut confessio non admittatur, nisi poenitens peccata voce proferat. Esset tamen exceptioni locus, si aliter confiteri non posset poenitens nisi per scriptum, ut in multis contingit. *Melchior Canus* alias adhuc exceptiones admittit, ut si puella verecundiae plena voces edere non queat etc. Id autem caute retinendum, etiam

---

a) Lib. VI. cap. 25. *b)* Quodlib. 1. Art. 10.

ubi admitti posset exceptio, requiri, ut poenitens praesentem se sistat Sacerdoti, et coram eo reum se confiteatur illorum peccatorum, quae in scripto continentur, ac signa det verae contritionis.

QUAESTIO II.

Quid sit sigillum confessionis, et qua ratione obliget.

Resp. Secretum confessionis vulgo *sigillum* appellatur, metaphora ducta a sigillo, quo claudi solent et obsignari, quae secreta esse debent. Secretum autem confessionis non consideramus ex parte poenitentis, cum etiam publica esse possit confessio, et olim fuerit, maxime cum publica sunt et nota crimina: sed ex parte Sacerdotis, qui ea, quae in confessione excepit, secreta servare debet, quasi sacro obsignata sigillo. Communis sententia est, hoc sigillum necessarium esse jure Ecclesiastico, naturali et divino. Quod attinet ad jus Ecclesiasticum, illud perspicuum est ex canone: *Omnis utriusque sexus*, magni Concilii Lateranensis, in quo dicitur: *Caveat Sacerdos omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat; quoniam qui peccatum in poenitentiali judicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum....* Jus autem naturale et divinum ita probatur. 1.° Lex naturae praecipit, ut quae secreto nobis commissa sunt, ea non revelemus; ut depositum servemus illaesum; ut famae proximi consulamus; ut alteri non faciamus, quod nobis fieri nolumus. 2.° Jure divino positivo hoc sigillum sancitum est eo ipso, quod Sacramentum fuit institutum. Qui enim vult finem, vult et media ad finem necessaria; sed certum est, stare non posse confessionis praeceptum, si sigillum liceat violare.

Longe arctior est et major, quam quaelibet alia, sigilli confessionis obligatio, cum nullus omnino exceptioni locus sit. Hujus rei causae praecipuae sunt: 1.ª finis sigilli, qui est conservatio Sacramenti; haec autem tanti est momenti, ut nulla de causa liceat sigillum resignare, «quia inde periclitaretur conserva-

« tio Sacramenti. » 2.ª Est, quam S. *Thomas* docet, quod nempe ea, quae poenitens in confessione dicit Sacerdoti, non tantum illi dicat tanquam secreta humana, homo homini; sed tanquam secreta divina, peccator Deo. Nulla autem esse potest causa, quae exigat, ut quae homini, tanquam vices Dei gerenti, credita sunt, retegantur.

Quid ergo is faciet, qui in testimonium adductus jurare compellitur, an idipsum noverit, quod ex confessione accepit? Respondet S. *Thomas* posse eum respondere, se nescire. Nam ad testimonium vocatur ut homo, eo autem nomine nihil scit. Potest etiam hoc Maldonati consilium sequi: «Ne Sacerdos dicat, « se nescire, ait, sed consistat in jure suo, et fortiter dicat, se « nihil posse dicere, quod audierit in confessione, in unam aut « alteram partem, nam hac ratione et cavet mendacium, et magis « defendit jus Ecclesiasticum, et nullum relinquit locum suspi- « candi, aut cunctatione, aut modo respondendi. »

Hoc ergo secretum obligat, etiam quando alia secreta violare licet, ut cum grave ab Ecclesia aut republica malum averti posset. Praeterquam enim, quod rationes supra allatae, quae jus divinum probant, nullam omnino exceptionem patiantur, id etiam apertum est, quod si liceret ullo in casu sigillum violare, majus exinde immineret reipublicae detrimentum; nemo enim conceptum animo scelus aperiret, et ita spes omnis et via eriperetur hominem a scelere deterrendi. Quin etiam aliis rationibus poterit, citra sigilli violationem, aliquod impendenti malo adhiberi remedium, quibus sublato sigillo nullus jam locus esset.

Porro materia sigillo subjecta sunt peccata omnia mortalia et venialia, et quaecunque cum illis sunt conjuncta, et quae forte deteguntur, ut melius sciat Sacerdos de poenitentis statu judicare, quamvis peccata non sint, ut conditio, defectus naturales etc. — Vide majores Theologos, aut qui moralem doctrinam explicant.

CAPUT QUARTUM.

DE SATISFACTIONE.

Satisfactio tertia Sacramenti, poenitentiae pars est, et quamvis a Theologis pars integrans Sacramenti vocetur, quia hoc absque satisfactione actu impleta suum consequi effectum potest, tamen ad illam poenitentia ex natura sua tendit, non secus ac arbor ad producendum fructum. Unde etiam pene ubique, ubi in Scripturis et Patribus de vera peccatoris conversione fit mentio, ad hanc partem respicitur, a qua poenitentia ipsa nomen accepit. *Quid enim est poenitere aliud, quam poenam tenere a)*? Hac etiam ratione Sacramentum poenitentiae potissimum a Baptismo distinguitur. *Alius est Baptismi, alius poenitentiae fructus*, ait Conc. Trid. *b)*, *per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem et integritatem per Sacramentum poenitentiae sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus: ut merito poenitentia laboriosus quidam Baptismus a Patribus dictus fuerit.* Vide, quae ab initio hujus Partis de notione poenitentiae diximus. Quae ex hac materia Theologia dogmatica sibi vendicat, tribus articulis absolvemus. Examinabimus 1.° quid sit, et an necessaria sit satisfactio; 2.° qua ratione et quo modo fieri debeat; 3.° an possit Ecclesiae potestate relaxari.

ARTICULUS I.

De notione et necessitate Satisfactionis.

OBSERVANDA.

I. Satisfactionis nomen derivatur a *facere satis;* est enim actio justitiae commutativae, quae jus violatum restituit, sive in rebus, sive in aliqua actione fuerit violatum. Si quidem in rebus

---

a) August. sup. pag. 10. *b)* Sess. XIV. cap. II.

ipsis laesum est, tunc quae fit satisfactio, restitutionis nomen sibi vindicat, ut cum res furto sublata redditur: sed ubi in actione aliqua adversus jus alterius peccatum est, idque alia actione pensatur, commune satisfactionis nomen retinet. Jam quae conditiones ad plenam perfectamque satisfactionem requirantur, eo loco a nobis explicatum est, ubi de satisfactione Christi tractavimus. Haec Christi satisfactio *prima est et praestantissima*, ait Catech. Rom. *a)*, *qua pro scelerum nostrorum ratione, etiamsi Deus summo jure nobiscum velit agere, quidquid a nobis debeatur cumulate persolutum est.*

II. De humana satisfactione hic agimus, quam peccator Deo debet. Haec autem definiri potest: *Poenae temporalis acceptatio et voluntaria perpessio, tum ad compensandam injuriam per peccatum Deo illatam, tum ad redimendam poenam graviorem eodem peccato promeritam.* Quando de satisfactione hominis quaestio movetur, palam est, non agi de satisfactione perfecta; nam mortalis homo jus Dei a se laesum violatumque non potest compensare juxta aequalitatem, sed tantum juxta aliquam proportionem, et intuitu Salvatoris Christi, per quem actiones nostrae valent apud Deum, et sine quo nulla prorsus aestimatione digna haberentur.

III. Satisfactionis nomine omne genus poenae significatur, quam pro peccatis sustinemus, sive illa a Sacerdote sit injuncta, sive illam sponte nostra suscipiamus. Haec tamen ad poenitentiam, ut Sacramentum est, non pertinet; sed illa tantum pars Sacramenti dicenda est, quae ex praecepto Sacerdotis Deo pro peccatis dependitur. Iterum satisfactio alia antecedit Sacramentum, et meritoria dicitur de congruo; altera gratiam sacramentalem supponit, et dicitur meritoria de condigno.

IV. Novatores una cum confessione etiam satisfactionem sustulerunt; neque quidquam vehementius reformidant, quam opera poenitentiae. Negare equidem non possunt, poenas olim in Ecclesia statutas fuisse, a magnis peccatoribus subeundas: verum clamitant, haec ad temporum illorum disciplinam, et exteriorem Ecclesiae politiam pertinuisse: at nunquam credidisse Patres ejus-

a) De poenit. p. 53.

modi opera jure divino valere ad remissionem peccatorum, et per illa satisfieri Deo pro culpa aut poena peccati. Ita Apologia Confessionis August., in qua haec adjiciuntur: « Retinenda est « sententia de fide, quod fide consequamur remissionem pec- « catorum propter Christum, non propter nostra opera praece- « dentia, aut sequentia; et nos propter hanc causam praecipue « de satisfactionibus disputavimus, ne susciperentur ad obscu- « randam justitiam fidei, neque existimarent homines, se pro- « pter illa opera consequi remissionem peccatorum. » En ergo pestiferum fontem, ex quo tot errorum portenta de contritione, confessione et satisfactione, ac generatim de Sacramentis omnibus fluxerunt! Sed de hac fide justificante dictum est lib. de gratia cap. 1. Notandum tamen, in eadem Apologia dici, opera et afflictiones mereri non justificationem, sed alia praemia, ac praesertim de eleemosyna, quae vel praecipuum inter satisfactoria opera a nobis recensetur, asseri, quod mereatur multa beneficia Dei, quod mitiget poenas, et mereatur, ut defendamur in periculis peccatorum et mortis. Quae illustrissimo *Bossuetio* tam prope videntur ad dogma Catholicum accedere, ut edicere non dubitarit: Protestantes rejecta satisfactionis, quam universa antiquitas admisit, voce, tamen rem ipsam admittere. Fateor tamen, id mihi tam clarum et perspicuum non esse. Id autem libenter concedo, Protestantes recentiores a Patrum suorum rigore in multis discessisse, ac jam multo esse mitiores — in se ipsos: atque semper paratos, ad ea emollienda, quae in primorum Novatorum doctrina adhuc duriora videri possent hominibus delicatae vitae, et sensuum blandimentis servientibus. Poenitentiae ne nomen quidem sustinet saeculi nostri terrena et animalis sapientia.

Nunc de satisfactionis necessitate sermo instituendus est; ac primum de satisfactione pro culpa breviter agemus; deinde, quod in hac causa praecipuum est, de satisfactione pro poena temporali.

§. I.

De satisfactione pro culpa.

OBSERVANDA.

I. De satisfactione pro culpa Theologi Scholastici, ut *Maldonatus* observat *a*), nullam fecerunt mentionem; unde haec quaestio satis obscura adhuc est, et veluti in ambiguo posita; quanquam in Scripturis nihil aeque nobis commendetur, quam ut poenitentiae operibus peccata deleamus. Hoc Prophetae praedicant, hoc novi testamenti paginae loquuntur. Ubique ad peccatores sermo dirigitur, quibus nondum culpa remissa erat, ubique haec illis via ostenditur ad reconciliationem. Ita Joël II.: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu.* Sic Ninivitae, dum adhuc peccatores essent, poenitentiam egerunt, qua non poenae remissionem tantum, sed et culpae condonationem obtinuerunt. Quid de eleemosyna dicam? *Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras....* Tob. IV. *Facite eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Luc. XI, 41.

II. Veterum Patrum testimonia proferre superfluum ducimus. Notum est, eos fere semper de hac satisfactione loqui; passim enim a peccatoribus exigunt, ut per laboriosam poenitentiam ad gratiam reconciliationis se praeparent. *Quid tam ineptum*, ait *Tertull.* in lib. de poenit., *quam poenitentiam non explere, et veniam delictorum sustinere; hoc est pretium non exhibere, et ad mercem manum emittere.*

Huc et illa Scripturae ac Patrum loca pertinent, quae etiam poenam aeternam piis et satisfactoriis operibus expungi asserunt; non enim deleri potest poena aeterna, nisi deleatur culpa. Sic est illud Joan. Baptist. Matth. III.: *Quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentiae.* Sic et *Tertullian.* de poenit. cap. 9.: *Temporali afflictione aeterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat.*

III. Accedit his aliud, ut mihi videtur, non leve argumentum; videlicet, quod satisfactio sit pars Sacramenti poenitentiae.

---

a) De satisf. cap. II.

Sed hoc Sacramentum non extinguit poenam temporalem, quae suscepto Sacramento et dimissa culpa remanet. Sequitur ergo satisfactionem, eam saltem, quae ad Sacramentum proprie pertinet, non tam poenae temporalis quam culpae satisfactionem esse. Et certe in definitione satisfactionis non sine ratione dicitur, eam fieri *ad compensandam injuriam Deo illatam*, vel ut alii loquuntur, *ad reintegrandam amicitiam cum Deo per peccatum violatam.* Imo contritio ipsa, ut ad Sacramentum pertinet, definitur a S. Thoma aliisque Scholasticis: *Dolor de peccatis assumptus cum proposito confitendi et satisfaciendi.*

IV. Sed dicunt: Opera poenitentiae, quae absolutionem antecedunt, nullius meriti sunt apud Deum, quia fiunt ab homine adhuc peccatore; deinde si homo hac ratione satisfaceret pro culpa, mereretur remissionem peccatorum, et primam gratiam, quod asserere haereticum est. Ergo etc.

Sed facilis est responsio. Satisfactio, quae fit ab homine adhuc peccatore non habet rationem meriti stricte sumpti, et remissio peccatorum, quae hanc satisfactionem consequitur, non datur tanquam merces, quae debetur ex justitia, sed datur ex aequo et bono, quod Scholastici vocant meritum de congruo. Quod autem dicunt, nullius momenti esse apud Deum, quae fiunt ab homine nondum justificato, falsum est; alias oratio ipsa peccatoris, qui peccati vincula vult disrumpere, vana erit et inutilis, quod nemo nisi ab omni pietatis sensu alienus ausit asserere. Quin, si non prodesset satisfactio ad remissionem peccatorum, etiam non prodesset attritio; nam qui attritus est, non est justificatus. At prodest tamen attritio cum Sacramento; ergo et satisfactio a peccatore intuitu Sacramenti facta, atque cum Sacramento conjuncta potest valere ad remissionem culpae. Si addunt, neminem sine gratia boni aliquid vel cogitare posse, ergo multo minus satisfacere posse; non certe contradicimus: sic et attritionem, ad cujus proprietates imprimis pertinet, ut sit supernaturalis, sine gratia habere nemo potest. Verum hic non agitur de gratia gratum faciente, quae est ipsa gratia sanctificans, sed de gratia actuali, quae semper praecedit gratiam gratum facientem, qua homo justus efficitur.

V. Sed nunc aliud exoritur dubium: Si satisfactio facienda est pro culpa, ea debet antecedere absolutionem, quod tamen

praxi Ecclesiae contrarium est, et Sacerdotes passim poenitentes absolvunt, antequam actu satisfecerint. Equidem optandum esset quam maxime, ut graviorum criminum rei, antequam illis absolutionis beneficium impertiatur, ad poenitentiae opera perficienda adigerentur; et qui vere poenitentes sunt, utique, antequam ad Sacramentum accedant, seipsos probant, a peccatis abstinent, precibus gratiam et misericordiam Dei implorant, crebros actus contritionis eliciunt, eleemosynis, aliisque piis operibus viam sibi ad reconciliationem parant. Ipsa demum praeparatio proxima ad Sacramentum, ipsa humilis accusatio delictorum genus est satisfactionis. Fatemur tamen a multis saeculis usum invaluisse, ut detur absolutio etiam non praemissa saltem sufficienti satisfactione. Verum exinde non sequitur, non dari satisfactionem pro culpa. Exigitur enim voluntas sincera, et propositum satisfaciendi, ac libera acceptatio poenitentiae a Sacerdote impositae, de qua ait Concil. Trid. *a)*, eam dari non tantum *ad vitae novae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem.* Et certe, confessionem nemo negat ad remissionem culpae pertinere, quamvis in casu necessitatis votum sufficiat et voluntas confitendi postmodum.

Quid autem, si poenitens post acceptam absolutionem non satisfaciat? An irrita efficietur absolutio? — Quaero et ego: Quid si homo gravi morbo oppressus absolvatur cum voto confessionis, et postmodum iterum convalescat, nec tamen confiteatur? An irrita efficietur absolutio? Igitur, si sincerum non fuit confitendi aut satisfaciendi propositum, nulla, et ab initio statim irrita fuit absolutio. Si autem ea fuit peccatoris dispositio, ut solvi a peccatis potuerit, haec absolutio semel valida irrita fieri non potest. Sed peccat ille, qui turpiter a promissis discedit, et novis se criminum vinculis implicat, ac magis quam unquam vindictam Dei incurrit.

VI. Cum haec paulo fusius tractamus, mens nobis non est, satisfactioni, quae ad poenam temporalem refertur, aliquid detrahere: scimus enim in hac potissimum controversiae, quae nobis cum Protestantibus est, cardinem versari. Neque tantum est, ut primo intuitu videri posset, inter praesentem quaestionem,

---

a) Loco cit.

et eam, quam sequenti §. tractabimus, discrimen. Illa enim temporalis poena, quae manet post Sacramentum, propter peccatum imponitur, et ut Deo pro culpa fiat satis. Scilicet Deus, cum culpam condonat et poenam aeternam, exigit, ut poenitens temporalem poenam suscipiat, quam ni persolvat, multo graviorem in altera vita patietur in purgatorio. Excipienda tamen est ea pars satisfactionis, quae strictiori sensu pro culpa suscipitur, quae nempe proprie sacramentalis est, et cui se poenitens subjicere tenetur, cum absolutionis beneficium efflagitat: hanc enim si non perfecerit, non in purgatorio, sed in inferno poenas dabit, quia fidem fregit in Sacramento datam, et Sacramentum ipsum quantum in eo fuit, mancum et imperfectum reliquit.

§. II.

De satisfactione, quae dimissa culpa et poena aeterna in hac vita exsolvenda est.

OBSERVANDA.

I. Tridentina Synodus declarat Sess. XIV. cap. 8., falsum esse, quod Novatores dicunt, culpam in Sacramento poenitentiae nunquam remitti, quin universa etiam poena condonetur, et Can. XII. ejusdem Sess. contra eos, qui ita sentiunt, anathema pronuntiat. Vid. etiam Sess. VI. cap. XIV. et Can. 30. Ergo dogma Catholicae fidei est, per Sacramentum poenitentiae remitti quidem culpam, seu peccatum deleri, at poenam non totam semper dimitti, ut in Baptismo, sed pro aeterna poena imponi a Deo temporalem; quae poena si in hac vita a peccatore suscipitur et exsolvitur, *satisfactio* appellatur; si vero in alia vita in purgatorio infligitur, *satispassio* vocari potest. Quamvis nescio, an hoc non etiam sit proprie satisfacere; cum certum sit, animas justorum piaculares illas poenas cum summa patientia et plena in Dei voluntatem consensione tolerare. Nam etiam in hac vita satisfacere possumus flagella a Deo inflicta patienter tolerando.

II. Timeo, ne plurimi nondum satis claram et accuratam hujus satisfactionis notionem habeant. Quae est ergo illa poena temporalis, quam Concilium dicit manere solvendam? An sola poena purgatorii? An etiam poena in hac vita subeunda, quae

esset per opera satisfactoria redimenda? Nullibi eam expressam invenio, nulla lege stabilitam, neque certa proportione pro varietate criminum determinatam. Hinc, ne confuse de hac re loquamur, non est dicendum, manere in hac vita poenam temporalem per satisfactoria opera redimendam; nam poena in hac vita luenda sunt ipsa opera laboriosa et satisfactoria, quae divinae justitiae propter peccata offeruntur. Non potest autem dici satisfactionem redimi per satisfactionem. Verum haec Catholico dogmati nihil officiunt. Doctrina Concilii est: Post Baptisma Deum plerumque remissa culpa adhuc exigere satisfactionem, seu poenam, quae vel in hac vita a peccatore sponte suscipitur, cum opera poenitentiae peragit; vel coacte in altera vita luenda est in purgatorio. Potest etiam ita res exprimi: Remanent poenae temporales in purgatorio exsolvendae, quae tamen dilui possunt per pia et laboriosa opera, quae in hac vita pro expiatione peccatorum Deo offeruntur. Neque tamen ideo dici potest, poenitentiam hujus vitae institutam esse propter purgatorium, sed suscipitur ad satisfaciendum Deo. Quodsi Deo plene satisfactum est, dum ex hac vita excedimus, effugiemus poenas purgatorii; secus, quod deest satisfactioni, post mortem exsolvetur. Manet tamen exceptio superiori §. addita de iis, qui satisfactionem negligendo graviter peccant.

PROPOSITIO I.

Dimissa culpa et poena aeterna saepe remanet poena temporalis divinae justitiae persolvenda.

Concil. Trident. Sess. XIX. Can. XII.

Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentiam non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit.

Prob. I. Perspicua et illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus hoc dogma manifestissime probatur. 1.° Quidem exemplo est totum genus humanum; nam omnes miseriae et calamitates hujus vitae poenae sunt peccati originalis, et mors ipsa, ut Apost. ait ad Rom. V, 1. stipendium peccati est. 2.° Numer. XX. Moses et Aaron ab

ingressu terrae promissionis excluduntur, quod increduli fuissent ad aquas contradictionis, cum tamen id peccatum Deus ante illis condonasset. Vide, quae ejusdem libri cap. XII. de Maria Mosis sorore narrantur. 3.° Illustre est prae caeteris exemplum Davidis, II Reg. II, cui Deus culpam remiserat. *Transtulit*, ait Proph. Gad, *iniquitatem tuam Dominus.* Attamen gravi a Deo poena mulctatus est. *Verumtamen, quia blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur.* 4.° Exemplum ex novo testamento suppeditant illa verba ex Epist. I ad Cor. XI.: *Ideo inter vos multi imbecilles et dormiunt multi.* Hic videmus eos, qui indigne accesserant ad Eucharistiam, morbis et morte mulctatos, et quidem remissa culpa, ut haec verba indicant: *Dum judicamur autem a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

Prob. II. *Ex perpetua Ecclesiae fide.* Semper enim Ecclesia satisfactoria opera imposuit peccatoribus, sive ante, sive post remissionem culpae peragenda. Semper persuasum illi erat, peccata gravia post Baptismum commissa non ita dimitti, ut non plerumque poena temporalis subeunda maneat poenitentibus; ad hoc enim satisfaciendum erat Deo: omnis quippe satisfactio poena temporaria est. Unus hic sufficiat *Augustin.*, cujus plura sunt in hanc rem testimonia. Tract. 124. in Joan. verba haec Dominicae orationis: *Dimitte nobis debita nostra*, de culpae remissione, quae autem sequuntur: *Libera nos a malo*, de poenae condonatione interpretatur. *Cogitur homo tolerare*, inquit, *etiam remissis peccatis: quamvis ut in eam veniret miseriam, primum fuit causa peccatum. Productior est enim poena, quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena.* Et comment. in Psal. L.: *Impunita peccata, etiam eorum quibus ignoscis, non reliquisti.* Ibid. hanc veritatem exemplo Davidis confirmat.

Prob. III. Certum est, Ecclesiam semper credidisse, existere purgatorium, in quo animae justorum temporales poenas patiuntur, pro peccatis quoad culpam quidem dimissis, sed nondum conveniente satisfactione purgatis. Ergo semper

credidit, tolli posse culpam et poenam aeternam, manente poena temporali.

PROPOSITIO II.

Poena temporalis, quae remissa culpa luenda manet, in hac vita poenitentiae operibus exsolvi potest.

CONCIL. TRIDENT. Sess. XIV. Can. XIII.

Siquis dixerit, pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis; anathema sit.

PROB. I. Possemus hic longo ordine illa Scripturae et Patrum testimonia recensere, quae non poenitentiam tantum, sed fructus poenitentiae exigunt, et docent peccato etiam dimisso reliquias peccati superesse, per opera satisfactoria diluendas. Inde est, quod David clamat Psal. L.: *Amplius lava me ab iniquitate mea.* Inde Jeremiae XVIII, 7. 8. Dominus ait: *Repente loquar adversus gentem, et adversus regnum, ut eradicem, et destruam, et disperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo . . . agam et ego poenitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.*

PROB. II. Patres passim asserunt, poenitentiae compensatione impunitatem redimi, peccati poenas dissolvi, Deum peccatori se ipsum punienti ignoscere, et parcere etc. Sic *Tertullian.* de poenitentia cap. VI., de necessitate agendae poenitentiae disserens: *Hoc pretio*, inquit, *Dominus veniam addicere instituit, hac poenitentiae compensatione redimendam proponit impunitatem.* S. *Ambros.* lib. VII. in Lucam ait: *Compensatione charitatis, actuumque reliquorum, vel satisfactione quacunque peccati poena dissolvitur.* S. *August.* Enarrat. in Psal. L. Deum sic alloquitur: *Impunita peccata eorum, etiam quibus ignoscis, non reliquisti . . . ignoscis se ipsum punienti.*

SATISFIT CALVINI ET ALIORUM NOVATORUM ARGUMENTIS.

Objic. I. Nulla temporalis poena remanet suscepto Baptismo: ergo et in poenitentiae Sacramento nihil luendum manet.

Resp. I. In veteri Ecclesia, quando Baptisma adultis conferebatur, non minus ad poenitentiam adigebantur Catechumeni, quam baptizati, qui ad poenitentiae Sacramentum recurrebant. Atque Scriptura ipsa Baptismo praemittit poenitentiam. Id tamen libenter concedimus, Ecclesiam nunquam credidisse, remanere poenam Sacramento Baptismi accepto.

Resp. II. Magnum et obvium est, quod inter utrumque Sacramentum intercedit discrimen. Baptismus est Sacramentum regenerationis; qui autem generatur, ajunt Theologi, ad illud nihil confert; sufficit, ut nihil obsit. At poenitentia est Sacramentum regeneratorum, et sauciatorum ac graviter decumbentium, et adhibetur tanquam remedium; ideoque requirit in poenitente propriam operam, id est, contritionem, poenitentiam, satisfactionem; sicut medicina nihil prodest, nisi ipsa natura aliquid agat. Aliam et praecipuam discriminis rationem affert *Trident.* cap. 8.: *Sane divinae justitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam reciperentur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccato, et daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus sancti dono scienter templum Dei violare, et Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die irae....* Caeterum Sacramentorum vis omnis et efficacia a Dei voluntate pendet; Deus autem in Baptismo plenam esse voluit culpae et poenae remissionem, in Sacramento autem poenitentiae non voluit: atque haec est peremptoria ratio.

Objic. II. 1.° Scripturae veteris testamenti nominatim docent, ait *Calvin.*, nos ita in gratiam recipi a Deo, ut quidquid eramus poenae meriti remittat, culpam ignoscendo. Dicitur enim projicere post tergum, delere instar nubis, demergere in profundum maris omnia peccata nostra etc. Vid. inter caetera Ezech. 18.

et 33. Jerem. 31. etc. 2.° Quotiescunque legimus Christum remisisse peccata, non additur conditio, de nulla poena temporali fit mentio, ut cum paralytico dicitur: *Remittuntur tibi peccata tua.* Ergo etc.

Resp. ad I. Non negamus, quin fieri possit, ut una cum culpa omnis etiam poena dimittatur. Verum hoc semper aut plerumque fieri ex citatis textibus probari non potest. Deus oblivisci aut delere dicitur iniquitates nostras, cum de nobis tanquam de inimicis suis supplicia non sumit, sed castigat ut filios. *Calvinus* vim magnam ponit in his Ezech. verbis c. 18.: *Cum averterit se justus a justitia, morietur: et cum averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit.* Ergo ait, ita deletur iniquitas impii, si se converterit, sicut deletur justitia justi, cum averterit se a Deo: atqui haec omnino deletur. Verum non advertit *Calvinus* contra ipsum verti argumentum. Cum justus a justitia deflexerit, Deus justitiarum ejus non recordabitur, non quia non remunerabit temporali aliquo praemio, sed quia non remunerabit aeterna illa mercede, quam repromisit diligentibus se. Ita quemadmodum tunc justitia, cum aeternam mercedem amittit, non omni tamen fraudatur praemio temporali, sic et deleta iniquitate tollitur inimicitia Dei, et poena aeterna, sed non sequitur, quod ab omni omnino poena eximatur.

Resp. ad II. Jam diximus, quandoque contingere, ut cum culpa omnis etiam temporalis poena expungatur: ut cum vehemens admodum dolor est, et charitas valde intensa; quod utique locum habuit in muliere peccatrice, de qua ipse Salvator dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Praeterea Christus potestatem remittendi peccata plerumque insigni aliquo miraculo confirmabat; miraculum autem debuit esse omni ex parte perfectum, ut Christi potestatem ostenderet. Demum potestas remittendi peccata in Christo summa erat, et nullis legibus constricta; decuit autem supremum Dominum, ut plena esset gratia, quae ab ipso immediate emanabat.

Objic. III. Duo sunt poenarum genera, de quibus in Scripturis fit mentio; unum vindictae, quod Deus infligit inimicis suis; alterum admonitionis, quomodo Deus solet punire amicos, ut deinceps caveant sibi a peccato. Hoc sensu ait Propheta: *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.* Unde si

qua poena exigitur dimissa culpa, id fit ad emendationem, non ad satisfactionem.

Resp. Fatemur utrumque poenarum genus in Scripturis reperiri, sed negamus de nulla alia fieri mentionem. Quando peccatores ultro sibi poenas imposuerunt ad placandam iram Dei, an illas ad emendationem tantum susceperunt? Quando alii temporali morte mulctati sunt, ut Israëlitae in deserto, ut illi, de quibus *Paulus* ad Corinth. ait: *et dormiunt multi*, an haec poena ad emendationem data est? Et quando Davidi una cum culpae remissione poena annuntiatur a Deo ipsi reservata, non dicitur: *Ne iterum occidas insontem, filius qui natus est tibi morte morietur:* sed, *quia blasphemare fecisti inimicos Domini.*

Objic. IV. Fatemur, Veteres plerosque in ea opinione fuisse, ut satisfaciendum pro poena existimaverint; sed notandum est, eos de satisfactione locutos esse, quae fieret Ecclesiae, non Deo.

Resp. neg. ant. Inscita est, et universae Ecclesiae Traditioni contraria haec Calvini objectio. Nam, etsi aliqua ex parte Ecclesiae satisfaciendum erat, maxime pro publicis criminibus; illud tamen potissimum huic erat propositum, ut Deum placatum esse ex poenitentiae laboribus exploratum haberet. Qui haec ignorat, ait *Maldonatus*, ignorat penitus totam antiquitatem. Sic *Tertullian.* ait *a)*, *Quemadmodum mercatores examinant nummum, quo paciscuntur, ita Deum inire probationem poenitentiae.* Sic *Cyprian. b) Deus orandus est*, inquit, *et nostra satisfactione placandus.* Et *Pacianus c): Judicaturo Christo nemo praejudicet.* Quae quidem, et alia quamplurima non de ea, quae Ecclesiae, sed quae Deo fit, satisfactione loquuntur. Id praeterea notandum est, multum falli Calvinum, cum putat, Veteres omnes de satisfactione pro poena locutos esse; nam illi de satisfactione pro culpa potissimum mentionem faciunt.

Objic. V. Per doctrinam Catholicorum de humanae satisfactionis necessitate obscuratur beneficium Redemptionis, et Christi satisfactioni magna fit injuria; quasi ex meritis nostris omnis nostra satisfactio repetenda sit. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Jamdudum hujus generis calumnias depulimus, cum de meritis bonorum operum actum est *d)*. Constans

a) In lib. de poenit. *b)* Sermon. de lapsis. *c)* In ep. ad Sympron. *d)* De grat. Part. IV. cap. I.

Ecclesiae doctrina est, plenam fuisse et cumulatam Christi satisfactionem; nostra autem satisfactionis opera omnem sufficientiam et robur habere ex meritis Christi. Quod optime exponit Trident. Sess. XIV. cap. 8.: *Neque vero ita nostra est satisfactio haec, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Jesum Christum; nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.*

Objic. VI. Plures ex celeberrimis Ecclesiae Doctoribus vel excludunt satisfactionem, vel eam dicunt ad hoc tantum valere, ut excidantur radices peccatorum. Ergo etc.

Prob. S. *Chrysostomus* expresse ait *a*): *Ubi misericordia postulatur, judicium non saevit: ubi misericordia petitur, poenae locus non est.* S. *Ambrosius* de conversione S. *Petri* loquens *b*), *lacrymas video*, inquit, *satisfactionem non lego. Augustinus* autem *c)* idipsum docet, quod in argumento indicatum est, scilicet poenitentiae satisfactionem esse causas peccatorum excidere, nec eorum suggestionibus aditum indulgere. Ergo etc.

Resp. neg. arg. et prob. Pauca tantum Patrum testimonia proferre potuerunt Adversarii: sed etiam in his nullum errori suo praesidium inveniunt. 1.° S. *Chrysostom.* explicans illa verba Ps. L. *Miserere mei Deus*, miratur quod David misericordiam imploret, cum ei jam dimissa essent peccata, respondet autem, ablatum esse peccatum, sed non cicatricem; sanatum esse vulnus, sed primam non adesse pulchritudinem. Hinc citata verba hoc ipsum significant, etiam poenam remitti ei, qui post remissionem culpae implorat adhuc Dei misericordiam.

2.° S. *Ambrosius* loco citato satisfactionis vocabulum sumit populariter pro excusatione; et laudat Petrum, quod se reum agnoverit, nec quidquam ad defensionem suam locutus sit. Ibidem enim haec ait: *Recte sane Petrus flevit et tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari, et quod defendi non potest, ablui potest.*

---

a) Hom. III. in Ps. L. *b)* Serm. 46. *c)* De eccles. dogmat.

3.° Quae Calvinus ex S. Augustino citat, non sunt hujus Patris dicta, nam liber ille est Gennadii Massiliensis. In illo lib. C. praecedenti clare dicitur, non venialia tantum, sed etiam mortalia crimina solvi satisfactione. Quod satisfactione causae peccatorum excidantur, unus est ex satisfactionis effectibus, de quo qui loquitur, alios non excludit.

Objic. VII. Concil. Trid. Sess. VI. Can. 30. eos damnat, qui dicunt, quod *nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo, vel in futuro.* Ergo non est necessarium in hac vita satisfacere, ergo potest poenitens neque sponte poenitentiam agere, neque poenitentiam a Sacerdote injunctam acceptare, sed eligere satisfactionem futuri saeculi.

Resp. Duo sunt in hoc argumento probe distinguenda, scilicet poenitentia, quae a Sacerdote injungitur, et sponte suscepta satisfactio. Quod ad primum attinet, etsi Scotus et pauci quidam doceant, poenitentem posse sine peccato recusare satisfactionem a Sacerdote impositam; dicendum tamen contrariam sententiam non tutiorem tantum, sed et multo certiorem, atque ad institutionem Sacramenti, Ecclesiae usum, et Conciliorum decreta magis esse accommodatam. Hanc etiam post S. Thomam magna Theologorum pars sequitur. Sacerdos claves habet, quibus non tantum absolvat a culpa, sed etiam ut judex vice Dei liget ad poenitentiam; quam poenitens recusare non potest, nisi judici divinitus constituto ac proinde ipsi Deo resistat. Quis porro Sacerdos dignum absolutione judicabit ejusmodi peccatorem? quem dolorem de peccatis, quem animum emendandi vitam habere poterit is, qui poenitentiam justam et aequam injunctam a judice Dei locum tenente nec vult acceptare nec implere? Accedit et hoc gravissimum argumentum, quod satisfactio pars sit Sacramenti, et qui illam detrectaret, Sacramentum mancum et imperfectum relinqueret, adeoque crimen Sacrilegii committeret.

Sed neque illa poenitentia, quam sponte in nos suscipimus, sine magno salutis periculo negligi potest. Non equidem auderem asserere, eos novo peccato se obstringere, qui non plene satisfaciunt in terris pro poena temporali alterius saeculi. — Sed et hoc negare non possumus, Dei voluntatem esse, ut hic aganus poenitentiam. Et certe, qui diceret, nolle se hic agere poenitentiam, sed in purgatorio, et ita repelleret benignitatem Dei,

quae eum ad poenitentiam adducit, is immunis non maneret a gravioribus culpis, et magnam sibi Dei vindictam thesaurizaret pro futuro saeculo.

Objic. VIII. In negotio salutis illud imprimis curandum est, ut semper pacata sit et secura conscientia nostra. Quis autem securus esse poterit, si audiat peccata redimi satisfactionibus? An non semper horrescet, semper aestuabit, nesciens, an Deum habeat propitium? Quid tandem facient, qui tot peccatis obruuntur, quorum satisfactionibus centum vitae non sufficerent?

Resp. Haec aliaque hujus generis Calvini argumenta in multis deficiunt. 1.° Illa securitas, de qua loquitur, nihil aliud est, quam perversum illud Protestantium principium, quod homo certus esse debeat de sua justificatione. Verum de hoc jam disputavimus Parte I. de Gratia. 2.° Conscientiae pax non pendet a reatu poenae temporalis. Qui culpae remissionem accepit, et de mortis aeternae periculo liberatus in gratiam cum Deo rediit, magna sine dubio fruitur conscientiae pace. 3.° Fallitur Calvinus, cum existimat centum vitas non sufficere ad satisfactionem homini multis criminibus obruto. Siquidem, ut *Bellarminus* observat *a*), tanti aestimatur a Deo satisfactio, quae in hac vita sponte et cum charitate suscipitur, ut brevis hujus vitae labor facile compenset acerbissimos longissimosque cruciatus purgatorii. Sic Patres affirmant, poenas omnes purgatorii, etiam alioquin longissimas una martyrii passione purgari; et Theologi docent, tantum posse esse in poenitente contritionis fervorem, ut per eam peccata omnia quoad culpam et poenam plenissime deleantur.

Instant. Lex evangelica est lex libertatis, quae nihil amarum aut asperum patitur, neque vult, ut homo se poenis in hac vita conficiat. Ergo etc.

Resp. Egregia sane libertas, quae nihil patitur, quod posset vitae hujus jucunditatem turbare et fraenum imponere cupiditatibus; quae docet poenitentiam suaviter agere dormiendo ac potando. Ejusmodi hominibus aptissime convenit, quod *Tertull.* scribit in lib. de Poenitent.: *Num ergo in coccino et Tyrio pro delictis supplicare nos condecet? Cedo acum crinibus distinguen-*

a) De poenit. lib. IV. cap. 14.

dis, et pulverem dentibus elimandis, et bisulcum aliquid ferri vel aeris unguibus repastinandis; siquid ficti nitoris, siquid coacti ruboris in labia aut genas urgeat: praeterea exquirito balneas laetiores, hortulani maritimive recessus; adjicito ad sumptum, conquirito altilium enormem saginam, defaecato senectutem vini; cum quis interrogarit, cur animae largiaris; deliqui, dicito, in Deum, et periclitor in aeternum perire. Nos evangelicam libertatem aliam non cognoscimus, quam libertatem a peccato; hanc, qui vere poenitens est, non putat sat magno pretio emi. Inde fit, ut illi, qui ferventius poenitentiae operibus incumbunt, non tantum nihil amari in illis inveniant, sed etiam magnis consolationibus abundent; ita ut nollent poenitentiae lacrymas cum epulis et deliciis peccatorum commutare. Sciunt enim poenitentiam in deliciis non agi, et quae illa dura habet et corruptae naturae contraria, multis ex alia parte et exquisitis ejus effectibus compensari. Hos satisfactionis effectus ita exponit Trident. *a): Procul dubio magnopere a peccato revocant, et quasi fraeno quodam coërcent hae satisfactoriae poenae, cautioresque et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino poenam, quam ut haec poenitentiae opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad haec, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur — et conglorificabimur.*

ARTICULUS II.

De quibusdam ad satisfactionem pertinentibus.

Hic articulus in plures quaestiones dividitur, quas neque longiori sermone prosequi, neque omnino praeterire possumus. Quaeritur autem 1.° Quot modis et quibus operibus fiat satisfactio? 2.° Quae sint ejus proprietates? 3.° Quo

---

a) Sess. XIV. cap. 8.

tempore satisfactio peragi debeat? 4.° Cujusmodi satisfactiones a Sacerdote imponendae sint poenitentibus? 5.° De antiqua Ecclesiae disciplina circa poenitentiam.

§. I.

Quot modis et quibus operibus fiat satisfactio?

Respondet *Concilium Trident.* Sess. XIV. cap. IX.: *Tantam esse divinae misericordiae largitatem, ut non solum poenis sponte a nobis vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.*

Hanc doctrinam Synodus eadem Sess. Canone sancivit, in quo simul ea indicantur opera, quibus Deo fieri possit satis. Ita sonat Can. XIII.: *Siquis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.*

Quod ad satisfactionem attinet a Sacerdote injunctam, nullus est ambigendi locus, cum haec ad Sacramenti integritatem pertineat. Verum et illud, quod per poenitentiae opera sponte suscepta, aut per poenas a Deo inflictas satis fieri possit, innumeris exemplis et testimoniis tam Scripturae tam veterum Patrum confirmari posset, si necessarium esset probare, quod omnino est in aperto positum; nemo enim hoc negat, nisi qui ipsam satisfactionem negat. Hinc repetenda nobis essent, quae priore Articulo protulimus argumenta. Certe cum Ninivitae poenitentiam egerunt ad praedicationem Jonae, id poenis sponte susceptis egerunt. Et cum David panem suum fletu miscuit, aliisque poenitentiae operibus operam dedit, an non in se ipso punivit peccatum? At idem etiam poenis a Deo inflictis satisfecit, cum immissas sibi a Deo calamitates patienter sustinuit, tanquam poenam peccatis suis promeritam. Apostol. etiam I ad Cor. XI. de utroque hoc satisfactionis genere loquitur. 1.° De satisfac-

tione sponte suscepta: *Quodsi nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* 2.° De poena a Deo inflicta: *Dum judicamur autem a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

ELUCIDANTUR QUAEDAM AD HANC QUAESTIONEM PERTINENTIA.

I. Concilium Trident. loquens de poenis a Deo inflictis non sine ratione adjecit haec verba: *et patienter toleratis.* Nam si inviti patimur, non satisfacimus, nihil enim facimus nos, quod Deo gratum esse possit: at si poenas lubenti animo suscipimus Deoque offerimus pro peccatis, cum Propheta dicentes: *Quoniam ego in flagella paratus sum* (Psalm. XXXVII.)... valent ad satisfactionem, id enim ex nobis est, ut patienter toleremus. Cum multae et variae sint aerumnae et calamitates, quae homines in hac vita mortali premunt, frequens hoc argumentum versandi occasio erit Ecclesiae pastoribus. Hac ratione fiet, ut mala, quae nihilominus abjicere a nobis non possumus, in lucrum vertantur et solatium, cum cogitamus, quod *momentaneum hoc et leve tribulationis nostrae aeternum gloriae pondus operetur in nobis a).* Cf. Catech. Rom. de poenit. q. 60.

II. Iterum Trident. ait (Can. 13.), hominem posse satisfacere jejuniis, orationibus et eleemosynis: scilicet ad haec omne genus satisfactionis conferri potest, juxta illud *Tobiae* XII.: *Bona est oratio cum jejuniis et eleemosyna.* Quod etiam Catechismus Rom. optime explicat paucis his verbis *b)*: *Deum oratione placamus, proximo eleemosyna satisfacimus, nos ipsos vero jejunio castigamus.* Igitur sub *orationis* vocabulo comprehenditur, quidquid dirigitur directe ad Deum; omne genus orationis, Eucharistiae aliorumque Sacramentorum susceptio, SS. Sacrificii oblatio, et quidquid religiosa mente offertur ad Dei cultum et divini honoris augmentum. Ad jejunium pertinent omnes carnis afflictiones, malorum tolerantia, temperantia a jocis et voluptatibus etiam licitis, propriae voluntatis submissio, omnia demum genera mortificationis. Ad eleemosynam demum revocantur opera omnia, sive corporalia, sive spiritualia misericordiae.

---

a) II Cor. IV, 17. *b)* Loco cit. q. 59.

III. Perspicuum est satisfactionem fieri posse non per externa tantum, sed etiam per interna opera. Equidem laboriosa opera, ut olim in foro exteriori imponebantur, externa erant. Verum cum privatim peragitur poenitentia, non videtur cur non in actibus internis consistere possit, ut v. g. in meditatione rerum coelestium, cum haec sit aliquando multo utilior; melius est enim mente orare, quam libro et labiis.

§. II.

Quae sint proprietates satisfactionis.

I. Omnis actio, ut sit satisfactoria, debet esse 1.° *moraliter bona*, ideoque et libera. Satisfacere enim est actus virtutis poenitentiae, qui nisi esset liber, non esset moraliter bonus, et nisi esset moraliter bonus, actus virtutis esse non posset. 2.° Debet esse *supernaturalis*, hoc est ex fide per poenitentiam operante. Finis satisfactionis supernaturalis est, nemo autem finem supernaturalem consequitur per media naturalia. Porro opera nostra nec meritoria sunt, neque satisfactoria nisi per Christum, sine quo nihil possumus. Joan. XV. 3.° Debet esse *poenalis*, quia fit propter poenam temporalem, cui peccator supponitur obnoxius. Cf. *Catechis. Rom.* q. 58.

II. Nunc alia exoritur difficultas, an ad conditiones satisfactionis hoc etiam pertineat, *ut fiat in statu gratiae.* Non hic agitur de operibus, quae absolutionem antecedunt, de his enim jam quaedam dicta sunt superiore Art. De illis quaeritur operibus, quae homo post absolutionem in peccatum mortale relapsus perageret. Certum est hujusmodi opera ad poenae solutionem nihil valere, quamdiu manet reatus peccati. Attamen plerique existimant, non esse necesse, ut poenitentia in Sacramento imposita iteretur etiam in statu peccati cum recta intentione perfecta; quia opus bonum ab homine peccatore ex gratia elicitum est meritorium et satisfactorium de congruo. Et certe, si opera ante absolutionem peccatori injuncta id consequuntur virtute clavium, ut ex opere operato et vi Sacramenti reatum poenae excludant; cur non poenae in Sacramento injunctae, et post absolutionem exsolvendae, etiamsi supervenerit peccatum mortale antequam expletae fuerint, vim tamen satisfaciendi acquirant;

quando sublato per novam confessionem peccato, impedimentum tollitur?

III. Neque illud ad conditiones satisfactionis pertinet, ut fiat ex operibus aliunde indebitis. Nec dubium, quod Deo satisfacere possumus, cum afflictiones, quibus nos castigat, patienti animo toleramus; item per jejunia, orationes, aliaque hujus generis pietatis officia ex praecepto nobis injuncta. Si justus implendo praeceptum meretur, juxta illud II Tim. IV.: *Fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiae;* cur non et satisfacere poterit? Martyr, etiamsi praecepto divino teneatur martyrium in fidei defensionem sustinere, nihilominus per illud plene satisfacit Deo, omnique poena solvitur. Notandum tamen, ubi caetera paria sunt, majoris meriti esse et Deo gratiora ea opera, ad quae nullo praecepto adstringimur: et imprimis suadendum esse Sacerdotibus, ut in satisfactionem non injungant opera jam aliis titulis debita, ex gr. ut Sacrum audiant diebus Dominicis etc. — Aut si forsan poenitenti utile esse crediderint, si praeceptorum observatio novo hoc titulo urgeatur, adjungant alia opera non praecepta pro facultate poenitentis: quia Deus in Scripturis, et Ecclesia in Conciliis praeter mandatorum observationem poenas exigunt a peccatoribus.

IV. Huc et illa quaestio referri potest: *An satisfactio debeat esse personalis*, ita ut unus non possit pro alio satisfacere. Observat *Catech. Rom. a)*, aliam contritionis et confessionis, aliam satisfactionis esse rationem. *Ut enim, quod ad contritionem et confessionem attinet*, inquit, *nemo pro altero conteri aut confiteri potest; ita qui divina gratia praediti sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere.* Hoc evidenter probat Ecclesiae fides et doctrina circa indulgentias et communionem Sanctorum. Addit autem Catech. Rom.: *Satisfactionis opera etiam medicinae et curationes quaedam sunt, quae poenitenti ad sanandos pravos animi affectus praescribuntur: quo quidem utilitatis fructu eos, qui per se non satisfaciunt, prorsus carere perspicuum est.* Cave etiam, ne ea, quae dicta sunt, ad illam satisfactionis partem extendas, quae in poenitentia consistit a Sacerdote injuncta.

---

a) De poenit. q. 61.

§. III.

Quo tempore satisfactio peragi debeat.

I. Spectata natura et institutione Sacramenti poenitentiae perinde est, an absolutionem antecedat, an sequatur satisfactio. Nullum hac in re extat Christi praeceptum, et cum satisfactio pars tantum integrans sit Sacramenti, hoc confici potest sine satisfactione saltem actu completa. Praeterea jamdudum in Ecclesia tum Graeca tum Latina haec disciplina invaluit, ut peccatoribus contritis et confessis absolutionis beneficium impertiatur, antequam satisfactionem peregerint. At quaenam haec esset audacia et temeritas, Ecclesiam, quae Spiritu sancto regitur, hac in re culpare et accusare, quasi corruptelam et abusum introduxerit, contra Christi institutionem et naturam Sacramenti? An non ita in necessariis errasset? An non manum misisset in ipsam Sacramentorum substantiam, in quam jus illi nullum est? Merito igitur Sixtus IV. a. 1478 hanc Petri Oxoniensis propositionem damnavit: *Non sunt absolvendi poenitentes nisi peracta prius poenitentia ipsis imposita.* Idem error, cum Saeculo XVII. recrudesceret, et postmodum a Quesnello prop. 87. inter damnatas denuo doceretur, ab Alexand. VIII. et Clemente XI. novis censuris confixus est.

II. Sed dicunt, hodiernam praxin in Ecclesiam irruisse contra antiquorum Patrum exempla. — Fatemur equidem, antiquitus absolutionem lege communi datam non fuisse, nisi expleta poenitentia: quamquam non desint, qui contrarium affirmant et reconciliationem, quae post exantlatos poenitentiae labores fiebat, mere caeremonialem fuisse contendunt, qua poenitentes, qui a principio statim susceptae poenitentiae privatim absoluti fuerant, palam et solemniter communioni Ecclesiae restituebantur. Sed nolumus huic opinioni accedere, quam parum in antiquitatis monumentis fundatam credimus. Cf. *Morinum a)*, *Petavium b)*, *Selvaggio c)*.

Fatemur igitur, Ecclesiam in hac parte a veterum canonum institutis recessisse. Sed res de qua agitur ad disciplinam pertinet, et ex genere eorum est, de quibus *Trident.* ait *d)*: *Hanc*

a) Lib. IX. cap. 3. et seqq. *b)* In animadv. ad S. Epiph. haer. 59. *c)* T. V. p. 246. edit. Mog. *d)* Sess. XXI. cap. 2.

potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum administratione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, ac locorum varietate magis expedire judicaverit... Et vero, si natura et institutio Sacramenti exigeret, ut absolutio nonnisi expleta satisfactione daretur, tam parum liceret ante peractam satisfactionem absolvere, quam parum licere unquam potuit aliter baptizare, quam in aqua et verbis Christi: atqui tamen multis in casibus aliter se gessit etiam vetus Ecclesia; siquidem ante expletum poenitentiae stadium reconciliabantur poenitentes, 1.° propter libellos supplices Martyrum; 2.° cum in vitae discrimen veniebant; 3.° quando instabat persecutio; 4.° quando ex haeresi aut schismate alios secum ad Ecclesiam reducebant, ac in genere, quando insignis boni procurandi spes affulgebat; 5.° quando poenitens vehementem de peccatis suis dolorem et singularem in poenitentiae operibus peragendis fervorem demonstrabat.

III. Quamvis autem juxta recentioris disciplinae normam absolutio impertiatur ante expletam poenitentiam, sciant tamen Sacerdotes nullum existere Ecclesiae decretum, quo prohibeatur, ne unquam satisfactio poenitenti injungatur ante absolutionem implenda. Igitur si poenitentis emendationi et saluti id expedire judicaverint, possunt aliquando antequam absolutionem impertiant, satisfactionem injungere et injunctae solutionem exigere. Qui sacro tribunali frequenter assident, norunt graves ita agendi causas non raro occurrere; v. g. si poenitens vitiosa peccandi consuetudine sit implicatus, si poenitentiam in aliis confessionibus injunctam neglexerit etc.

§. IV.

Cujusmodi satisfactiones a Sacerdote imponendae sint poenitentibus.

I. Hoc primum observandum est, Sacerdotem non habere potestatem imponendi majorem poenitentiam, quam peccata mereantur; quamvis id aliquando fieri possit ex consensu poenitentis, ut non tantum agat poenitentiam a peccatis, sed assuescat bono in futurum. An autem possit minorem imponere, quam

peccator meretur, magis dubium est. Nonnulli putant, illud in Sacerdotis arbitrio positum esse; sed falso, ut praeter caeteros fuse demonstrat *Morinus*. Siquidem per omnes Ecclesiae aetates sanctorum Patrum et Conciliorum praescripta testantur, Sacerdotem praescriptas ab Ecclesia leges sequi oportere. *Vae his*, ait Ezech. VIII, *qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas*. Satis sit Concilii Trid. decretum afferre, ex quo, quae sit Ecclesiae sententia et voluntas, liquere possit. Ita ait Concil. Sess. XIV. cap. 8. versus finem. *Debent ergo Sacerdotes Domini quantum Spiritus et prudentia suggesserit, pro quantitate criminum, et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*. Bene advertat Sacerdos se in clavium usu non agere auctoritate propria, sed ministrum se esse et instrumentum Christi. Unde si potestate sua uti praesumat non divinae, sed suae voluntatis arbitrio, in culpam incurrit, et a divino recedit ordine.

II. Illud etiam praetermittendum non est, Sacerdotem confessarium judicis et medici personam gerere: ut *judex* debet crimini poenam convenientem infligere, ut *medicus* apta vulneribus sanandis medicamenta adhibere. In quo iterum magna prudentia opus est, nam ex hoc ipso, quod poenae satisfactoriae etiam medicinae rationem habere debeant, ita concludit S. *Thomas a): Sicut medicus aliquando prudenter non dat medicinam efficacem, quae ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturae majus periculum oriatur; ita Sacerdos divino instinctu motus non semper totam poenam, quae uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine poenae desperet, et a poenitentia totaliter recedat*. Nemo ergo sibi nimium confidat in tam difficili opere, sed multis precibus opem efflagitet a Patre luminum, ut sciat unicuique aptam et salutarem poenitentiam injungere. Facultates poenitentis, conditio ipsa, indoles aut vehemens aut tarda, vitae genus, criminis magnitudo,

---

a) In supplem. q. 18. art. 4.

et frequentes lapsus, et alia ejus generis sunt in consilium adhibenda, ne dum alium ducere caecus ipse praesumat, ambo in foveam cadant.

III. Id igitur Sacerdoti curandum, ut inter duos oppositos scopulos, mediam, quae sola tuta est, viam inveniat. Ferenda non est hominum illorum durities, qui peccatoribus spem salutis adimunt, aut certe, cum eorum humeris onera imponunt importabilia, eos in desperationem agunt, et a frequentando salutari Sacramento repellunt: diceres eos in hominum perniciem conjurasse. Quam longe haec sunt ab amantissimi Magistri exemplo, qui tam suaviter ad se vocavit omnes laborantes et oneratos, ut eos reficeret! Verum, si periculosa est inconsulta severitas, quae nervos disciplinae supra modum intendit, non minus periculi est in nimia facilitate et indulgentia, quae sine discrimine peccatores quoslibet ad reconciliationis gratiam admittit, et pacem promittit, ubi non est pax. Ut Deo accepta sit satisfactio et curandis animae morbis idonea, ante omnia necessarium est, ut peccati evitentur occasiones, siquidem peccatori, quamdiu in eis perstat, absolutionis beneficium concedi non potest. Conf. auctores, qui prolixius de hac re scripserunt. Prae caeteris commendamus S. *Caroli Borr*, *instructiones pastorum*, de modo imponendae poenitentiae, ubi monet Sacerdotes, ut ob oculos sibi ponant *canones poenitentiales*, quorum ibidem indicem attexuit.

§. V.

De antiqua Ecclesiae disciplina circa poenitentiam.

Christiani omnes in veteri Ecclesia (Catechumeni enim ad Ecclesiam proprie non pertinebant) in tres ordines dividebantur. Primus erat Clericorum, secundus laicorum, tertius poenitentium. Notandum tamen, ad hunc ordinem poenitentium eos solos pertinuisse, qui publice et ritu solemni poenitentiam agebant. Hi, etiamsi ea de causa, quod essent baptizati, Catechumenis anteponebantur, tamen alia in re censebantur illis esse inferiores, nimirum quod culpa sua essent expulsi ex commercio Christianorum. De hac poenitentia publica pauca dicenda sunt. Quaestio haec tota fere historica est, et multis difficultatibus consita propter

disciplinae pro temporum et locorum ratione diversitatem, quod etiam posteriorum temporum eruditos in varias traxit sententias. Nos leviter et brevissimo compendio quaedam delibabimus. Conf. praeter *Morinum* jam saepe citatum, *Natalem Alex.* in Saec. III. Dissert. VI. VII. VIII. IX. et X., *Selvaggio* Tom. V., *Maldonatum* de poenit. quaest. VIII. etc.

DE RATIONE AGENDI POENITENTIAM IN VETERI ECCLESIA.

I. De poenitentia publica agimus, et quidem de ea, quae solemnis vocatur, quia publice agebatur cum certis solemnitatibus per Canones praescriptis. Haec poenitentia varias subiit mutationes; nam a tempore Apostolorum usque ad Montani haeresin secundo Saeculo natam nullum certum tempus legimus poenitentiae publicae praefixum; imo ex Scripturis et vetustissimis Ecclesiae monumentis colligere licet, illam breviorem fuisse et minus severam. A Montano ad Novatianum, hoc est ad medium circiter tertii Saeculi, severior et prolixior esse coepit; at post Novati schisma severissima tandem instituta est poenitentiae disciplina. Volebant enim Patres Montanistis et Novatianis eripere locum incusandi, ut solebant, nimiam Catholicorum in concedenda lapsis venia facilitatem. Hinc, cum hactenus tota agendae poenitentiae ratio Episcoporum arbitrio et prudentiae permissa fuerat, creditur tunc certum et longius spatium pro conditione criminum praefixum et in solemnes poenitentium stationes fuisse divisum. Ab hac tamen severitate Ecclesia Orientalis post Saeculum quartum deflexit, ac sensim abrogatae sunt poenitentiae publicae stationes. Ab eo tempore poenitentiae canonicae a Graecis secreto imponebantur, ut inter caeteros testatur P. *Goarius* in notis ad Euchologium Graecorum, ubi sic loquitur: « Sacerdo- « tes sedentes, poenitentes pariter sedentes (pro antiquo Lati- « norum more) pro exomologesi audiunt: si leves et venia « dignas poenitentis culpas deprehenderint, nullam adhibent ab- « solutionem, sed de pio devotoque quodam opere exercendo « monitum amice remittunt. Si lethifera ... detegunt, illa in « nomocanone juxta se posito axaminant censurarumque distric- « tioni, prout legunt, cuncta subjiciunt, et tandem poenitenti « bene precantur.... Publica vero poenitentia nulli licet amplius

« imponatur . . . aliquos tamen confessione expiatos a sacra « communione per annum, vel plures quandoque arcent. » Ex quo patet, ex quatuor gradibus poenitentiae tres extinctos fuisse a tempore Nectarii, solo quarto retento, seu separatione ab Eucharistica communione. Ecclesia Latina tenacior quidem fuit veteris disciplinae: attamen post Saeculum septimum nulla amplius solemnium poenitentiae stationum mentio occurrit, et post undecimum Saeculum plane abrogata videtur poenitentia publica, cum usus invaluit poenas canonicas eleemosynis, expeditione terrae sanctae etc. redimendi. Confer. *Morin.* lib. X. cap. 16. et seqq.

II. Eo tempore, quo arctior poenitentiae disciplina viguit, quatuor, ut jam diximus, institutae sunt stationes, quas poenitentes percurrere debebant, antequam reconciliarentur cum Ecclesia et ad sacram communionem admitterentur. Horum quatuor graduum, quibus poenitentiae curriculum continebatur, primus meminit S. *Gregorius Thaumaturgus*, Neocaesariensis Episcopus, in sua epist. canonica, et deinceps alii Patres, imprimis S. *Basilius* in epist. ad Amphil. — Primum gradum *fletum* vocarunt, gr. *πρόκλαυσιν*; alterum *auditionem*, *ἀκρόασιν*; tertium *substrationem*, *ὑπόπτωσιν*; quartum denique *consistentiam*, *στάσιν*.

In prima statione poenitentes extra portam templi et sub dio, cilicio induti et cinere conspersi ad ingredientium genua advolvebantur, eorumque preces lacrymis expetebant, unde eis *flentium* nomen dabatur.

Secundus gradus *audientium* vocabatur. Hi quasi novum Catechumenatum inire cogebantur (nam etiam inter Catechumenos gradus erat *audientium*). Hinc, qui in hoc gradu erant poenitentes, Catechumenis permixti in vestibulo vel intra septa Ecclesiae stabant, ut audirent conciones, lectionem et interpretationem Scripturarum; qua finita dimittebantur. *Andiens*, ait Gregor. Neocaesar., *post Scripturas et doctrinam ejiciatur, et precatione ne dignus censeatur.*

Tertius gradus erat *substratorum;* qui in hac erant statione proprie poenitentes vocabantur. Flentes poenitentiam efflagitabant, audientes ad poenitentiam praeparabantur, substrati poenitentiam agebant. In hoc gradu diutius versandum erat, et

peccata diluenda per multos labores et varia poenarum genera quae ex Episcopi voluntate, aut Canonum statutis praescribebantur. *Substrati* intra Ecclesiae septa, sed in loco a fidelibus sejuncto stabant; diebus Synaxis et jejunii coram universo populo in faciem se prosternebant, et Episcopus una cum Sacerdotibus, manus ipsis imponebat, ac certas recitabat orationes precesque expiatorias, quibus auditis dimittebantur.

Poenitentes in tertio gradu jam purgati ad quartum ordinem admittebantur, qui *subsistentium* dicitur. Hi nullis amplius poenitentiae laboribus subjiciebantur, cum fidelibus Missae sacrificio interesse poterant, quod caeteris poenitentibus negatum. De iis ita Nicaen. Concil. cap. XI. decernit: *Sine oblatione populo communicent in orationibus.* Non tamen levis haec poena erat, quod neque offerre, neque, quod consequens erat, sacram Eucharistiam percipere poterant: omnes enim, qui oblationum privilegio carebant, etiam Eucharisticae communionis jure destituebantur.

III. Duplex adhuc hoc loco quaestio oritur. 1.° An Clerici fuerint a poenitentia publica immunes? 2.° Quo tempore reconciliatio concessa fuerit iis, qui poenitentiae stadium percurrebant? Quod ad primum attinet, auctores non consentiunt, et quidem minores Clericos immunes non fuisse apud omnes est indubitatum. Certum etiam est, majores Clericos, Presbyteros et Diaconos, post tertium saltem Saeculum poenitentiae publicae una cum laicis non fuisse subjectos. Aliam tribus primis Saeculis disciplinam viguisse contendit quidem *Morinus a)*, sed contra pugnat illustriss. et doctiss. *Albaspinaeus b)*, quem multi alii secuti sunt, qui probare conantur, Clericis majoribus graviorum criminum reis, non aliam poenitentiam impositam fuisse, quam depositionis poenam et laicam communionem. *Hujusmodi lapsis*, ait S. *Leo c)*, *privata est expetenda secessio, ut illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.* Quod secundo loco quaeritur, iterum diversis opinionibus occasionem dedit. Jam diximus, admitti non posse eorum opinionem, qui absolutionem statim ab initio poenitentiae datam fuisse contendunt. Attamen

---

a) Lib. IV. cap. 12. *b)* Observ. 6. et 7. in Optatum. *c)* Epist. 2. alias 92.

adhuc dubium est, an in fine substrationis, an nonnisi emenso integro curriculo concessa fuerit reconciliatio. Qui Veterum testimonia expenderit, facile sibi persuadebit, non unam fuisse poenitentium reconciliationem.

Plerique duplicem distinguunt, primam, seu *parvam*, et ultimam, quae etiam *maxima* vocatur. Prima, quam Patres *communionem sine oblatione* nominarunt, concedebatur *substratis*, quando poenitentiae laboribus in tertio gradu exantlatis ad *consistentiae* gradum admittebantur, in quo Fidelium societati denuo adscripti oblationis tamen et Eucharistiae beneficio carebant. Haec reconciliatio erat veluti absolutio quaedam ab excommunicatione majore. Illud autem, quod Patres *perfectionem communionis*, aut *plenam communionem* nominant, est ipsa major aut ultima reconciliatio, seu, ut hodie diceretur, absolutio ab excommunicatione minore; hac enim poenitentes in omnia Christianorum jura, praesertim in oblationem et Eucharistiae participationem restituebantur. Jam si tempus *Absolutionis sacramentalis* determinandum est, necesse est unam ex duplici reconciliatione indicare. Quidam putant, ultimam et majorem reconciliationem simul absolutionem fuisse a peccatis: *Albaspinaeus a)* et *Morinus b)* primam seu parvam assignant, quae in fine substrationis dabatur.

QUAE PECCATA POENITENTIAE PUBLICAE FUERINT OBNOXIA.

I. Primum quidem error illorum removendus est, qui putant, primis Ecclesiae saeculis tribus criminibus, quae capitalia vocabantur, idololatriae, homicidii et adulterii, poenitentiam quidem concessam fuisse, sed denegatam absolutionem. Dicunt autem, Zephyrinum Papam omnium primum veterem disciplinam mutasse, cum moechis veniam indulsit; atque ea de re a Tertulliano graviter fuisse reprehensum, qui lib. de pudicitia cap. 1. ita loquitur: *Audio edictum esse propositum, et quidem peremtorium; Pontifex scilicet maximus, quod est, Episcopus Episcoporum edixit: Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto.* Sed responderi potest, fuisse tunc

---

a) Obs. lib. II. 32. 33. *b)* Lib. VI. cap. 21.

forsan in Africa quasdam Ecclesias, quae moechis in exitu veniam negare solebant: Zephyrinum autem non novitatem induxisse, sed quid ea de re Romana Ecclesia censeret, hoc velut edicto declarasse. Forsitan etiam Zephyrinus constitutum moechis poenitentiae tempus contraxit, quod *Tertulliano*, duro illi Afro et jam Montanistae, Ecclesiam Romanam criminandi occasio fuit. Caeterum, jam alibi dictum et ex Tertulliano ipso probatum fuit, potestatem clavium Ecclesiae concessam ad omnia etiam gravissima peccata extendi. Ergo, si legitur, certis criminibus veniam negatam fuisse, dicendum est, id arctioris disciplinae causa factum fuisse in quibusdam Ecclesiis, et contra universalis Ecclesiae disciplinam. Hoc quoque adnotasse juvat, quod veteres quidam canones, cum ejusmodi criminum reis *communionem* etiam in exitu negandam esse decernunt, illud non de absolutione sacramentali, ut quidam volunt, intelligendum sit, sed de plena et perfecta reconciliatione per sacrae Eucharistiae participationem.

II. Acrior est inter eruditos concertatio, cum quaeritur: *Quae peccata poenitentiae publicae olim fuerint subjecta*, nempe sex primis Saeculis apud Latinos, et quatuor primis apud Graecos? Apud omnes concessum est, *peccata canonica, quoties publice innotuerunt, huic poenitentiae fuisse obnoxia.* Porro peccata canonica ea vocabantur, quibus nominatim certae poenae statutae erant per canones: erant autem idololatriae, homicidii et adulterii crimina, eorumque species manifestae. Sed manet duplex controversiae argumentum: scilicet 1.° *An omnia peccata mortalia*, 2.° *An saltem peccata canonica etiam occulta sub legibus fuerint poenitentiae publicae?* Primum affirmant quidem non exigui nominis Theologi, sed multo plures illud negant, et haec est communior sententia. Secundum versatur in difficili quaestione, ita ut magnus labor esset, si vellemus adversantium partium rationes examinare. Fatemur equidem, canones poenitentiales priorum saeculorum non distinguere inter peccata publica et occulta; neque deesse veterum Patrum testimonia, quae satis aperte indicant, peccata canonica etiam occulta luenda fuisse solemni et publica poenitentia. Sed clamant alii, moderanda haec esse et benigne exponenda: publica poenitentiae opera potissimum propter scandalum fuisse imposita: at non esse

scandalum, ubi crimen occultum est, imo tunc magis scandalo locum dari, quando peccatum poenitentiae publicae subjicitur. Accedit grave famae, aut etiam vitae periculum, cum occultum crimen in publicum producitur.

Mihi videtur inter oppositas sententias mediam viam patere. Veteres canones poenitentiae etiam ad peccata occulta pertinere, negari vix potest. Haec ergo jure poenitentiae publicae erant subjecta. At cum Ecclesia nullo non tempore summam cautionem adhibuerit, ne scandalo occasio daretur, aut poenitens periculo exponeretur infamiae, dubitari non potest, eam, ubi aliquid hujusmodi timendum fuisset, opportuna adhibuisse media, ne in detrimentum poenitentis verteretur salutis remedium. Illius enim erat, leges, quas ipsa tulerat, pro circumstantiarum ratione moderari, et poenitentiae modum poenitentis statui adtemperare. Praeterea tantum non aderat scandali aut infamiae periculum, quia non raro inter poenitentes conspiciebantur, qui solo pietatis ardore incitati poenitentiae stadium percurrebant.

III. Quaeritur adhuc: *Utrum poenitentia publica potuerit iterari?* Ex Veterum testimoniis perspicuum est, olim poenitentiam publicam semel tantum fuisse concessam: qui autem illa expleta in eadem, aut etiam graviora peccata incidebant, ii toto vitae tempore per secretam poenitentiam castigati, in mortis articulo absolutionem consequebantur; saltem juxta disciplinam Ecclesiae Romanae. Qui autem in peccatum grave relapsi sunt, quod poenitentiae canonicae non erat obnoxium, secreta poenitentia expiabantur.

ARTICULUS III.

De Indulgentiis.

De indulgentiis acerrima nobis est cum Protestantibus concertatio. Sicut enim opera satisfactoria ferre non possunt, ita et Ecclesiae potestatem in poenis condonandis explodunt. Ante Lutherum *Waldenses,* qui pauperes de Lugduno appellati sunt, inter alios errores docuerunt, indulgentias, quae a Summo Pontifice conceduntur, nihil prorsus valere. Waldenses secuti sunt *Wicleffitae,* deinde *Hussitae,* ac postmodum *Lutherus,* qui a reprehensione indulgentiarum initium

fecit sectae suae propagandae. Primum quidem in castigandis abusibus versari videbatur; at mox, ut erat homo violentus et sui impotens, in ipsam Ecclesiae doctrinam irruit, ac in libro de captivitate Babylonica docuit, indulgentias meras esse Pontificum imposturas. Deinde errorem ex errore trahens contendit, nullum esse purgatorium, nullam requiri satisfactionem culpa remissa, sola fide homines justificari, et animas peccatorum maculis adhuc sordidas ad coelum recta via perduci. Jam superfluum est aliorum Novatorum sententias recensere: inter alios *Calvinus* contra indulgentiarum usum multa congessit non tam argumenta, quam convitia et mendacia in lib. III. Instit. cap. V.

Haec de iudulgentiis controversia in multas quaestiones diffunditur, quarum aliae ad fidem Catholicam pertinent, aliae proxime ad fidem accedunt, aliae, quae etiam inter Catholicos dissensionis aliquid habent. Haec et non plura a *Concilio Trident.* proponuntur fide Catholica credenda (Sess. 25. decreto de indulg.): *Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.* Luculentam et luminosam hujus materiae tractationem scripsit doctiss. *Bellarmin.*, duobus libris comprehensam. Hoc duce possumus inoffenso pede progredi in hac satis difficili discussione. Primum ergo dogma Catholicum propugnabimus, deinde quae ad hoc dogma propius accedunt, demum ad varias circa hanc controversiam quaestiones respondebimus.

§. I.

Probatur dogma Catholicum.

OBSERVANDA.

I. *Indulgentiae* nomen ambiguum est, significat enim proprie poenae aut juris relaxationem: hoc loco designat quandam

remissionem poenarum, quae temporales sunt et ad forum conscientiae pertinent. Indulgentiae definitionem non omnes eandem habent; quia multi, praeter id quod certum est, etiam aliquid ex sua opinione in eam intulerunt. Potest autem ita definiri: *Indulgentia est remissio poenae temporalis extra Sacramentum facta ab eo, qui potestatem habet dispensandi thesaurum Ecclesiae.* Primum illud fundamenti loco ponendum est, indulgentiam non esse remissionem culpae, sed poenae: id enim Theologi omnes axiomatis loco habent, Ecclesiam non posse remittere culpam mortalem nisi per Sacramenta. Culpa enim mortalis tolli non potest nisi per infusionem gratiae; sed Ecclesia non potest conferre gratiam nisi per Sacramenta, alioquin posset etiam ipsa instituere nova Sacramenta. Porro qui dicit culpam, dicit etiam poenam aeternam, quia haec semper cum culpa remittitur. Additur: *extra Sacramentum;* quia etiam per Sacramentum, ut cum v. g. peccata jam dimissa iterum clavibus subjiciuntur, pro majori vel minori poenitentis praeparatione plus vel minus minuitur reatus poenae temporalis.

Dicunt quidem nonnunquam datas fuisse indulgentias, quibus poenitentes absolvebantur ab *omni poena et culpa.* Verum multi sunt optimae notae Theologi, qui putant, nunquam a SS. Pontificibus datas fuisse ejusmodi indulgentias, sed vocem, *a culpa* ab indulgentiarum praeconibus adjectam fuisse. Tametsi benigne eas interpretari licet: nam cum poena dimitti non possit, nisi dimissa culpa, sequitur, eum qui indulgentiam lucratur, esse a poena et culpa liberum.

II. Multiplices sunt indulgentiarum divisiones; nam aliae plenariae sunt, aliae partiales; aliae temporariae, seu ad tempus concessae, aliae perpetuae; iterum dantur personales, quae certis personis conceduntur, et aliae, quae locales vocantur, quia alicui Ecclesiae, altari etc. annexae sunt; et quae aut perennes esse possunt, ut singulis anni diebus, qui Ecclesiam visitaverit, servatis servandis indulgentiam consequatur; aut, ut potissimum usus fert, alicui solemnitati et diei festo affixae. Frequenter hodie indulgentiae aut plenariae aut partiales rebus etiam mobilibus annectuntur, ut rosariis, Christi crucifixi imaginibus etc., quem usum reprehendere minime possumus, cum ejusmodi indulgentiae ad nutriendam pietatem valeant, et eam semper ha-

beant imbibitam conditionem, ut eae adsint cordis dispositiones, quas scimus ad cujuslibet indulgentiae consecutionem requiri.

Inter omnes indulgentias etiam plenarias maxima et amplissima est illa, quae vocatur indulgentia Jubilaei. Quam uberes ex ea in universam Ecclesiam gratiae exundent, recenti nos experimento cognovimus: ut vere annus Jubilaei, annus Redemptionis vocari possit et tempus acceptabile. Qui de his, et de diversis indulgentiarum generibus plura nosse desiderat, consulere poterit auctores, qui diffusius de hac re scripserunt. Inter recentiores prae caeteris nominamus *continuatorem Tournelii* T. XII.

PROPOSITIO.

Ecclesia potestatem habet concedendi indulgentias, earumque usus populo Christiano est maxime salutaris.

Propositionis pars utraque expressis verbis continetur in Decreto Concilii Trid. supra relato.

Prob. nunc pars I.

1.° Ex *Script.* Matth. XVI. Christus ad Petrum ait: *Tibi dabo claves regni coelorum, quodcunque solveris super terram erit solutum et in coelis.* Ibidem cap. XVIII. ad omnes Apostolos dicitur: *Quaecunque solveritis super terram* etc. Haec promissio generalis est, et non culpam tantum complectitur, quae dimittitur per Sacramentum, sed et poenam temporalem, quae et ipsa vinculum est, quo impeditur consecutio vitae aeternae. — Joan. XX. conceditur Apostolis potestas remittendi peccata; et quidem potestas plena, nulla enim exceptione limitatur: atqui plena non esset, si non ad reatum etiam poenae temporalis se extenderet, quae ex peccato remanet. Ergo —

2.° Ex *usu perpetuo Ecclesiae.* Habemus in ipso Ecclesiae exordio insigne exemplum S. Pauli, qui incestuosum Corinthium, quem satanae tradiderat in interitum carnis, post annum in poenitentia peractum, a poena, quae supererat, liberavit. *Cui aliquid donastis,* ait II Cor. II., *et ego; nam et ego, quod donavi, siquid donavi, propter vos*

in persona Christi. Si in persona Christi indulget Apostolus, ergo a Christo derivatur potestas relaxandi per indulgentias poenam temporalem, quae post dimissam culpam luenda superest.

Post tempora Apostolorum ex vetustissimis Ecclesiae monumentis constat, poenas peccatis impositas aut martyrum precibus, aut plebis etiam votis magna ex parte interdum fuisse relaxatas. Testes habemus antiquissimos Patres *Tertullianum* et *Cyprianum.* Primus in lib. ad martyr. cap. I. ait: *Pacem quidem in Ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt.* Alterius plura sunt de hac re testimonia; ex quibus apparet, receptam fuisse ea aetate consuetudinem, ut poenitentibus ad preces martyrum poena relaxaretur; invehitur quidem *Cyprianus* in abusus, qui irrepserant; at usum ipsum agnoscit et confirmat. Ep. XI. ita scribit ad Confessores: *Ad me litteras direxistis, quibus lapsis dari pacem postulastis . . . et lapsis quidem potest in hoc venia concedi. Et ideo peto, ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum poenitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis.* In libro de lapsis sic habet: *Potest ille* (Episcopus) *indulgentiam dare, sententiam potest ille inflectere, poenitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quidquid pro talibus et pitierint martyres et fecerint Sacerdotes.*

Concil. Nicaenum I. anno 325 habitum in potestate Episcopi relinquit, ut benignius agat cum poenitentibus. *Licebit,* inquit Can. XII., *Episcopo de his aliquid humanius cogitare.* Similia habentur in Concilio *Ancyrano* Can. V. et *Laodiceno* Can. II. quorum alterum non diu ante Nicaenum, alterum non diu post celebratum est.

Ulterius hoc argumentum non prosequimur, ad haec enim priora saecula appellant Protestantes. Qui ex sequentibus saeculis exempla indulgentiarum desiderat, consulat *Bellarm.* lib. I. cap. 3.

Ex eodem auctore tertium argumenti genus depromimus, a praescriptione desumptum. Inter Catholica dogmata et haereses hoc praecipue interest, quod Catholicorum dogmatum non inveniatur origo, nisi ad Evangelium, vel Apo-

stolos ascendamus, haeresum autem semper designari possit certus auctor, et locus, et tempus. Jam vero nemo hactenus indicare potuit auctorem indulgentiarum, neque locum vel tempus, quo primum concessae fuerint: omnes enim, qui de indulgentiis mentionem faciunt, de illis ita loquuntur, ut de re usitata et recepta.

Probatur pars II.

Concilium Trid. contra Novatorum criminationes declaravit usum indulgentiarum populo Christiano maxime esse salutarem, eosque anathemate damnat, qui illas inutiles esse asserunt. Hinc certissima res est apud Catholicos, indulgentias populo Christiano esse utilissimas, et quidem non magnis tantum peccatoribus, quibus magna et diuturnior poena incumbit, sed illis etiam, qui perfectioni dant operam. Nam omnibus utile est liberari ab illis rebus, quae retardare possunt adeptionem summi boni; talis est autem reatus poenae temporalis, qui tollitur per indulgentiam. Quid utilius et optabilius debitori, qui solvendo non est, et tamen ad solvendum urgetur, alioquin acerbissima passurus, quam si inveniat quemquam, qui omnia ejus debita dissolvat? — Sed haec evidentius apparebunt, cum monstratum fuerit, indulgentias poenas relaxare non tantum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo debitas.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

Objic. I. Nihil probat, Apostolum II ad Cor. II. incestuoso Corinthio poenam temporalem relaxasse, nulla enim poenitentiae opera ei imposuerat. Dicendum potius, Corinthium per primam Epistolam fuisse excommunicatum et rescissum a communione Fidelium, ab hoc autem excommunicationis vinculo ab Apostolo solutum in Epistola II. — Ergo etc.

Resp. Ex verbis Apostoli constat, Corinthium illum in peccati vindictam a communione publice fuisse exclusum; quod omnibus contigit, qui poenitentiae publicae addicebantur. Sed hi, quamvis sub excommunicatione majore detenti, non ideo ab Ecclesia erant omnino rescissi, sed subjecti operibus poenitentiae

et objurgationibus Fidelium, donec persoluto poenitentiae stadio, aut obtenta poenarum relaxatione reconciliarentur, et in jura pristina restituerentur. Ab hac ergo excommunicatione Apostolus incestuosum solvit, donando ei, quod residuum erat poenitentiae. Ita textum Apostoli intellexit primitiva Ecclesia, ut patet ex *Tertulliano a)*, *Chrysostomo b)*, *Ambrosio c)*, *Paciano d)* etc. Vid. *Wiest e)*.

Objic. II. Diu salvae steterunt indulgentiae, ait *Calvinus*, quoniam tam alta errorum nocte immersi fuerant aliquot saeculis homines, ut cum viderent, per indulgentias sibi emungi pecunias, quae in scorta et lenones absumerentur, et a quaestuariis se palam deludi, tamen indulgentias summa veneratione exciperent, venerarentur, adorarent. Verum ubi orbis sibi sapere aliquid permisit, indulgentiae paulatim frigere et congelascere coeperunt.

Resp. I. Illa saecula, de quibus Calvinus loquitur, non tam obscura erant, ut plurimis videtur. Si tunc homines minus profecerunt in scientiis, quae inflant, non erant certe ea luce destituti, quae desursum descendit. Nunquam in Ecclesia et magna ingenia, et egregia virtutum exempla defuerunt; sed qui doctrina tum maxime claruerunt, non in novitatis venditatione gloriam quaerebant, sed in conservanda fidei integritate omne studium collocabant. Noscimus hanc Novatorum vocem, quod orbis tandem sapere sibi permisisset. Utinam sapere didicissent ad sobrietatem! Ita scilicet novae et clarissimae lucis jactatione, sicut et libertatis pollicitatione magnam turbam hominum credulorum et mente corruptorum in partes suas traxerunt. Nullo non tempore solenne hoc erat divinae Religionis oppugnatoribus. Habemus novissima exempla. Nam et nostra hac aetate sapere sibi aliquid permisit genus humanum; atque in hac sapientia ita profecerunt Calvinianae lucis sectatores, ut jam non indulgentiae tantum, sed tota Christi Religio frigere, et congelascere coeperit.

Resp. II. Non negamus abusus irrepsisse in dispensatione indulgentiarum. Sed iniquum est, illos abusus in Summos Pon-

---

a) Lib. de pudicit. cap. 13. *b)* Hom. 4. in II Cor. *c)* Lib. VI. de poenit. cap. ult. *d)* Lib. III. contra Novat. *e)* Tom. VI. pag. 726.

tifices referre; a quibus constat eos semper fuisse damnatos, ut patet ex Decretis *Innocentii* III. in Concilio Lateran., *Innocentii* IV. in Concilio Lugdunensi, et *Clementis* V. in Concilio Vienensi. Demum in Concilio Trid. Sess. 25. ita statuerunt Patres *a*): *In his* (indulgentiis) *concedendis moderationem juxta veterem, et probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit; ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt, et quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab Haereticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens praesenti decreto generaliter statuit, pravos quaestus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse* . . . etc.

Objic. III. Indulgentiae nihil aliud sunt, quam sanguinis Christi profanatio. Quo enim foedius profanari posset Christi sanguis, quam dum negatur sufficere ad peccatorum remissionem et perfectam peccatoris reconciliationem? Ergo etc.

Resp. neg. ant. Nullus Catholicorum unquam scripsit, Christi sanguinem non sufficere ad remissionem peccatorum: imo omnes constanter affirmarunt tanti pretii esse sanguinem Christi, ut vel una ejus gutta sufficeret, ad omnia totius mundi crimina expianda. Caeterum jam dilutum est hoc argumentum, cum de satisfactionis necessitate ageretur. Eadem hic est satisfactionis et indulgentiarum ratio; nam sicut opera poenitentiae ex meritis Christi vim habent satisfaciendi, sic Ecclesia, cum indulgentias largitur, pretium sanguinis Christi dispensat. Unde necesse non est in hoc argumento morari. Si Protestantes crederent manere post absolutionem poenam temporalem, pro hac poena per opera poenitentiae satisfaciendum esse, credo, ab indulgentiis non abhorrerent. Imo ipsi cum in indulgentias Catholicorum invehuntur, longe majorem sibi tribuunt auctoritatem: nam omni poenitentiae actu sublato, non culpae tantum, sed omnis etiam poenae plenariam indulgentiam promittunt, dummodo vel uno fidei actu Christum cum omnibus suis meritis mente concipiamus.

Inst. Ecclesia non potest dispensare a jure divino; atqui ita dispensaret, si poenas relaxaret justitiae divinae debitas. Ergo etc.

---

a) Decret. de Indulg.

Resp. neg. maj. generaliter sumptam. Utique Ecclesia id potest, si hanc potestatem a Christo accepit. Sic nemo potest peccata dimittere nisi solus Deus; attamen Ecclesia peccata dimittit nomine Christi, et potestate ab ipso accepta: *Quod donavi siquid donavi, propter vos in persona Christi.*

Argum. IV. Sacerdos in tribunali poenitentiae judicans nullum in terris superiorem habet, a quo posset ejus sententia irritari: ergo nequidem Summus Pontifex potest per indulgentias solvere, quae ille ligavit.

Resp. dist. conseq. Non potest solvere directe irritando sententiam Sacerdotis, *conc.* Non potest indirecte tollendo debitum et reatum poenae, *nego.* Qui mulctam pecuniariam alicui per judicium impositam proprio aere exsolvit, is debitorem indirecte eximit a poena ipsi imposita, quamvis auctoritatem nullam habeat in judicem, qui eam tulit. Ne tamen exinde concludas peccatorem eo nomine, quod indulgentiam lucratus sit, posse se a poenitentia a Sacerdote injuncta eximere. Praeterquam enim, quod nemo certus sit sine speciali revelatione, quod indulgentia effectum suum sit consecuta, et satisfactio pars sit Sacramenti; id etiam observandum est, quod poenitentiae injungantur non tantum in vindictam peccati, sed etiam tanquam remedia ad coërcendas cupiditates, et curandam animi infirmitatem ex peccatis contractam. Sed ab hac medicinali poenitentia non eximunt indulgentiae.

Contra II. partem Argum. I. — 1.° Perfectorum hominum non est fugere poenas, sed eas potius quaerere tum ob exercitium patientiae, tum ob imitationem Christi patientis. 2.° Utilius est homini propriis operibus satisfacere, quam alienam satisfactionem quaerere. Ergo etc.

Resp. ad I. Perfectorum equidem est poenas hujus vitae non fugere, in quantum juvant ad promerendum Deum, et salutem certius acquirendam; sed perfectorum etiam est, fugere debitum poenae, atque omnia removere, quae possent eos ab ingressu coelestis patriae retardare. Imo propterea poenas suscipiunt in hac vita, et severam poenitentiam agunt, ut ab illo reatu liberentur, et non cogantur post mortem diutius in purgatorio poenas dare; atque propter eandem causam libentissime etiam suscipiunt indulgentias.

Resp. ad II. Utilius certe est et tutius, propriis operibus satisfacere, quam quaerere indulgentias. Verum non sunt haec sibi opposita, ut necesse esset, inter utrumque eligere. Hinc multo adhuc utilius est, unum facere, et aliud non omittere.

Argum. II. Opera satisfactoria, quibus, ut Catholici dicunt, poena temporalis in hac vita exsolvitur, sunt bona opera, ut eleemosynae, jejunia, preces etc. Ergo indulgentiae salutares non sunt, sed noxiae, quia homines abstrahunt a bonis operibus.

Resp. neg. conseq. Indulgentiae poenitentiam remittunt in quantum debitum eam implendi retardaret ingressum in vitam aeternam, si forte, antequam impleta fuit, nos ex hac vita migrare contingeret. Itaque Ecclesia, dum largitur indulgentias, non tantum non prohibet studium poenitentiae, sed ad illud nos hortatur et excitat.

Inst. Frequens indulgentiarum usus peccatorum in expiandis peccatis negligentiam fovet, peccati horrorem minuit, spiritum poenitentiae extinguit, facilemque reddit ad peccata reditum: ergo falso dicitur, eum populo Christiano esse salutarem.

Resp. neg. ant. Ecclesia ideo tantum largitur indulgentias, ut vere poenitentium infirmitati et impotentiae subveniat, non autem, ut ignavis, otiosis et negligentia torpentibus patrocinetur. Hoc sensu accepta indulgentia vere poenitentes erigit et solatur ac fortius exstimulat, ut dignos poenitentiae fructus faciant. Res magis patebit hac similitudine. Supponatur aliquis fundum ditissimum Reipublicae legasse ea conditione, ut ex eo pauperum civium debita solvantur. Jam si indiscriminatim omnes accurrerent, qui debitis onusti sunt, atque inter illos etiam viri, qui lautius vivendo et facultates suas dilapidando aes alienum contraxerunt, neque labore et industria creditoribus satisfacere curant; an non, si fideles adsint fundi administratores, homines hujusmodi repellent, tanquam tanto beneficio indignos? Procul dubio illis tantum succurret prudens et discreta charitas, qui, cum nihil non agant ut se solvendo liberent, tamen illud nimia penuria laborantes, morbis aut aliis calamitatibus oppressi efficere non valent. Sic Ecclesiae in elargiendis indulgentiis nunquam ea mens fuit, ut peccatores ab omni satisfaciendi onere eximeret. Sed de hoc adhuc occurret dicendi occasio.

§. II.

Quaedam cum dogmate Catholico proxime conjuncta.

I. Ad doctrinam indulgentiarum hoc prae caeteris quam maxime pertinet, quod indulgentiae peccatorem liberent a reatu poenae non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo. Qui enim id negaret, in gravissimam Ecclesiae offensionem incurreret, et eum indulgentiarum usum, quem Ecclesia a pluribus jam saeculis servat, in contemptum adduceret et ludibrium. Fuerunt tamen olim nonnulli, quorum sententiam S. *Thomas* aliique veteres Theologi refutarunt, qui asserebant, indulgentias non valere in foro Dei. Procul tamen illi erant ab Haereticorum pervicacia, et innocenter errasse censendi sunt in controversia nondum satis eliquata. Non ita, qui postea secuti sunt Saeculi XVI. Novatores; qui, cum usum indulgentiarum apud Veteres extitisse negare non possent, responderunt, has indulgentias nihil fuisse aliud, quam relaxationes poenarum, quas Ecclesia magnis quibusdam criminibus imposuerat, non ut per eas Deo satisfieret, sed exempli tantum et disciplinae causa. Inter propositiones Lutheri a Leone X. damnatas, haec legitur: *Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent pro remissione poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam.* Catholici omnes magno consensu in hanc sententiam concedunt, quod indulgentiae valeant in foro Dei, et *Suarez a)* existimat eam ad fidem pertinere, utpote satis expresse definitam a Concilio Tridentino. Surrexerunt tamen posteriori saeculo etiam inter Catholicos viri liberioris doctrinae sectatores, qui Protestantium errorem et damnatam Lutheri sententiam recoquere non sunt veriti. Homines isti se cordatos dicunt, cum deposita omni verecundia insulsa et absurda effutiunt, et tanto plus se sapere existimant, quo propius ad damnata ab Ecclesia dogmata accedunt.

II. Alia est communis et recepta Theologorum sententia, existere in Ecclesia thesaurum aliquem meritorum, qui sit indulgentiarum fundamentum. Hunc thesaurum ex meritis Christi constare extra dubium est, et communiter Theologi docent eadem illud fide tenendum esse, qua certum est, datam Ecclesiae potes-

---

a) In III. part. S. Thom. disp. 50. Sect. 11.

tatem concedendi indulgentias. Hoc quoque apud omnes concessum est, ad thesaurum Ecclesiae pertinere merita Beatae Virginis et Sanctorum. Verum, si quaeritur, qua ratione Sanctorum merita ad thesaurum Ecclesiae pertineant, dividuntur opiniones; quidam per modum tantum suffragii et intercessionis ea valere asserunt; alii autem per modum solutionis et satisfactionis. Quidquid sit de hac sententia, illud pro certo tenendum, merita Christi fontem nobis suppeditare gratiarum, ex quo haurire Ecclesia semper potest, quem autem exhaurire nunquam potest. Ita etiam dubitari non potest, ob communionem Sanctorum, Beatae Virginis Mariae, et aliorum Sanctorum merita commune quoddam bonum esse, de quo et alia Ecclesiae membra participant.

PROPOSITIO I.

Indulgentiae liberant hominem a reatu poenae, non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo.

Prob. I. Scripturae loca, quibus probatum est, Ecclesiam habere potestatem concedendi indulgentias, hoc etiam evincunt, eas valere in foro Dei. Cur enim additur Matth. XVIII.: *erunt soluta et in coelis*, si non solvitur vinculum, nisi humanum? Cur Apostolus, cum incestuoso Corinthio partem poenae dimittit, ait: *Quod donavi, siquid donavi, propter vos in persona Christi*, . . . nisi ut ostenderet ratum esse apud Deum, quod donavit?

Prob. II. Quoniam Adversarii veteris Ecclesiae praxin objiciunt, probabimus, Patres in hac semper sententia fuisse, quod per poenas injunctas aut sponte susceptas satisfiat Deo. *Tertullian.* in lib. de poenit. loquens de iis, qui dum poenitentiam agunt, redeunt ad peccata, ita inquit: *Qui per delictorum poenitentiam instituerat Deo satisfacere, diabolo per aliam poenitentiae poenitentiam satisfaciet. Cyprian.* in serm. V. de lapsis: *Dominus orandus est*, inquit, *Dominus nostra satisfactione placandus.* Ex eodem Patre discimus, martyres non alia mente lapsis libellos indulgentiae dedisse, quam ut etiam coram Deo a poenis in altera vita luendis liberarentur: *Ut cum pace a martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur* . . . ait Ep. 14. S.

Pacianus in paraenesi ad poenit.: *In quantum poenae vestrae non peperceritis, in tantum vobis Deus parcet.* S. *August.* serm. 351, alias 50, int. 50.: *Non sufficit mores in melius commutari, nisi etiam de his, quae facta sunt, satisfiat Deo.* Ex his, aliisque testimoniis manifestum est, ut *Bellarminus* observat, etiam per injunctas poenitentias satisfieri Deo, ac per hoc indulgentias, quae ab ejusmodi poenitentiis absolvunt, poenae temporalis reatum etiam coram Deo expiare. Et certe hoc Protestantes ipsi non negarent, nisi in eo versarentur errore, quod post remissionem culpae nihil in foro Dei supersit luendum.

Prob. III. *Rationibus Theologicis,* quas potissimum contra Doctores quosdam Catholicos proponimus, qui a communi sententia recedentes, dum ab Haereticis favorem ambiunt, in propriam Ecclesiam iniquiores se ostendunt.

1.° Humanae satisfactiones, vel a Sacerdote, vel a jure injunctae, vel ab homine sponte susceptae vim et efficaciam habent coram Deo; ergo et relaxatio poenae temporalis, quae per indulgentiam conceditur.

2.° Concilium Trident. decretum suum de indulgentiis condidit contra Novatores, qui potestatem concedendi indulgentias Ecclesiae denegabant: sed Novatores nunquam negarunt Ecclesiam posse remittere poenas, quas ipsamet propter disciplinam et externam politiam statuerat.

3.° Decretum Concilii anathemate damnat eos, qui indulgentias inutiles esse asserunt: atqui si non valerent in foro Dei, non tantum inutiles essent, sed et perniciosissimae, quia ut S. *Thomas* ait *a), remitterent ad graviores poenas, scilicet purgatorii, absolvendo a poenitentiis injunctis.*

4.° Quando Concilium in eodem decreto declaravit, usum indulgentiarum, utpote populo Christiano maxime salutarem, in Ecclesia retinendum esse; jamdudum cessaverat usus canonicae satisfactionis; ex quo consequitur, si indulgentia nihil est aliud, quam poenae canonicae relaxatio, sensum decreti ridiculum esse et absonum, et summos Pontifices,

---

a) In Supplem. q. 25. art. 1.

Episcopos totamque Ecclesiam voluisse piae Fidelium credulitati illudere.

5.° Indulgentiae fundantur in potestate clavium, ut supra probatum est: sed clavium effectus futurum saeculum respicit, et ideo dicuntur: *claves regni coelorum.*

6.° Si indulgentia tantum valeret coram Ecclesia, non possent concedi indulgentiae pro defunctis; quippe qui non ligantur jam Ecclesiae praeceptis, neque aut ipsi disciplina indigent, aut aliis exemplo esse possunt.

Confirmatur sententia nostra auctoritate SS. Pontificum. Sixtus IV. proscripsit istam propositionem *Petri Oxoniensis: Romanus Pontifex poenas purgatorii remittere non potest.* Leo X. damnavit propositionem Lutheri supra relatam.

PROPOSITIO II.

Datur in Ecclesia thesaurus indulgentiarum constans ex meritis Christi et Sanctorum.

Prob. pars I. Passio Christi pretii fuit infiniti, quia persona, quae passionem sustinuit, infinitae fuit dignitatis, Verbum videlicet incarnatum. Certum etiam est Christum sanguinis sui pretium pro omnium salute obtulisse: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris,* ut Joan. Ep. I. cap. 2. ait, *non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi....*

Existit ergo infinitus et inexhaustus meritorum Christi thesaurus, ex quo omnis generis gratiae in humanum genus exundant: *Propter vos egenus factus est,* inquit Apostolus II Cor. 8., *cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* In his meritis omnis spes salutis fundatur, et quidquid in Ecclesia pro aeterna hominum felicitate agitur, ex illis valorem suum habet et efficientiam. Ergo cum Ecclesia potestatem a Deo habeat concedendi indulgentias, necesse est, ut possit ex infinito thesauro meritorum Christi aliquid applicare ad solutionem poenae a peccatore debitae.

Hoc ita explicat *Clemens* VI. in Extrav. *Unigenitus* Tit. de poenit. etc.: *In ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem*

ad Verbum pro redemptione totius generis humani sufficisset; sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse. Quantum ergo exinde . . . thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit! Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum coeli clavigerum ejusque successores suos in terris vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum.

Prob. pars II. 1.° Ex eadem Clementis VI Epist., ubi post verba mox citata additur: *Ad cujus quidem thesauri cumulum beatae Dei genitricis omniumque electorum a primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum praestare noscuntur . . . de cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita, quam pro eo, quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.*

2.° Sponte hoc fluit ex Art. Symboli de communione Sanctorum. Constat Sanctos quam plurimos magis satisfecisse in hac vita, quam necesse fuisset ad diluendum reatum poenae temporalis, cui obnoxii fuerant. Quis enim id neget de B. Virgine, de Joanne praecursore Domini, de tot martyribus, qui statim post acceptam Baptismi gratiam, proinde ab omni culpa et poena liberi, atrocia quaeque supplicia, ac mortem ipsam pro Christo perpessi sunt? Jam non possunt ejusmodi satisfactiones otiosae manere et inutiles, cum sit inter omnia Ecclesiae membra bonorum operum et meritorum communio: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Rom. XII. — et I Cor. XII.: *Idipsum pro invicem sollicita sint membra; et siquid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Quid autem vehementius desiderant Sancti, quam ut ex eorum abundantia suppleatur inopia eorum, quibus adhuc manent debita, vel in hac vita, vel in purgatorio exsolvenda? Et quomodo, si unum membrum alteri fert opem, id Christus recusabit, qui caput est corporis? Et cum justi adhuc in terris viventes possint poenae relaxationem aut mitigationem obtinere, ut demonstrat exemplum

martyrum tempore S. Cypriani, cur id Sancti in coelo non poterint, quorum merita jam sunt in tuto posita?

RESPONDETUR CONTRADICENTIBUS.

Objiciunt contra I. propos. Tales esse indulgentias credendum est, quales ex sacris litteris et antiquo Ecclesiae usu nobis innotescunt. Atqui ex illa origine prima nihil aliud indulgentias esse intelligimus, quam relaxationem poenae ab Ecclesia impositae; ergo liberant tantum a reatu poenae coram Ecclesia.

Resp. I. neg. min. Etsi hoc concedatur, Ecclesiam priscis illis temporibus largiendo indulgentias partem poenae canonicae remisisse, non sequitur eas effectum non habuisse coram Deo: ipsa enim poenitentia publica, ut supra adnotatum est, non ad reparationem scandali tantum et ad externam politiam instituta fuerat, sed imprimis, ut poenitentes Deum sibi per opera laboriosa propitium redderent, et peccata in se puniendo promeritam apud Deum poenam effugerent. Itaque Ecclesia poenas canonicas relaxando simul mediate saltem a satisfactione liberabat, qua poenitentes erga divinam justitiam erant obstricti. Hinc licet hoc tempore poenae canonicae non amplius injungantur, Ecclesia nihilominus indulgentias largitur plurium annorum vel dierum aut quadragenarum, retento scilicet antiquo usu. Valent autem hoc modo, ut tantum remittatur poenae temporalis, quantum peccatores ipsi exsolvissent, si tot annis vel diebus praescriptam per Canones poenitentiam egissent. Ita etiam explicari deberent, quae olim datae fuisse dicuntur indulgentiae decem aut viginti millium annorum, id est, tantum remissum fuisset poenae, quantum exsolvisset peccator, si potuisset per tot annorum millia operibus poenitentiae publicae incumbere. Quamquam multo melius dicitur fictitias et fabulosas esse ejusmodi indulgentias. Nam ut *Bellarm.* ait *a)*: *Pontifices non solebant indulgentias concedere, nisi tot annorum, quot annorum poenitentiae injungebantur.*

Resp. II. *Nego majorem generaliter sumptam.* In iis, quae ad essentialia Catholici dogmatis pertinent, a Scripturae et antiquitatis regula discedere summum nefas esset: non item in iis, quae necessaria non sunt, et quae pro temporum ratione mutan-

a) De indulg. lib. I. cap. 9.

tur. Ex sacris litteris, et veteris Ecclesiae usu probavimus, esse in Ecclesia potestatem divinitus concessam relaxandi poenas temporales post peccatum superstites, non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo. Haec doctrina nulli unquam mutationi fuit obnoxia. Verum Ecclesiae judicio relictum est, ut quoad modum hanc potestatem exercendi temporum indigentiis sese accommodet. Quamdiu poenitentiae canonicae in usu erant, poenam coram Deo debitam ut plurimum indirecte remisit, remittendo poenas a Sacerdote vel a jure injunctas: at, quam a Deo habet potestas non est huic regulae adstricta. Potest enim, cum illud utile judicat, immediate et directe poenas relaxare in hoc vel in futuro saeculo obeundas.

Inst. Plures sunt magni nominis Theologi, qui docent indulgentias esse tantum relaxationes poenae *injunctae*, non autem poenae *injungendae*. Imo Ecclesia id semper in usu habuit, ut indulgentiis hanc particulam adderet: *de poenitentiis injunctis*. Ita *Alexander* II. in Epist. ad Eccles. Cantuar. Ita Concilia Lateranensia, Constantiense, Basiliense. Adhuc Saec. XVI. *Leo* X. in Concilio Lateran. V. ait: *De omnipotentis Dei misericordia, ac de beatorum Apostolorum ejus Petri et Pauli auctoritate confisi* 100 *dies de injunctis poenitentiis relaxamus.* Ergo per indulgentias non relaxantur poenae a Deo injungendae in purgatorio, ergo non valent in foro Dei.

Resp. neg. conseq. 1.° Illi Theologi per poenam injunctam non tantum poenitentiam intelligunt a Sacerdote in Sacramento impositam, sed etiam a Canone praescriptam. Indulgentiae sunt tantum relaxationes poenae, ait *Maldonatus a)*, aut injunctae in Sacramento poenitentiae, aut decretae a jure Ecclesiastico. Vanae enim essent indulgentiae, si poenam solum relaxarent a Sacerdote injunctam, cum hodie levissimae poenitentiae imponantur, et illas, positis etiam indulgentiis, exsolvere necesse sit tum propter Sacramentum, tum quia plerumque medicinales sunt, tum etiam quia quandoque indulgentia cum hac conditione conceditur, ut poenitentibus salutaris poenitentia injungatur.

2.° Illi Theologi omnes confitentur, dimissa culpa non raro poenam superesse vel in hoc, vel in futuro saeculo luendam:

---

a) De Indulg. quaest. I. part. II.

opera poenitentiae a Sacerdote, vel a jure injuncta, ab hac poena liberare coram Deo; hinc et omnes confitentur indulgentias, cum ab hac poenitentia liberant, indirecte et mediate poenas relaxare coram Deo debitas.

3.° Haec quidem in hac nostra controversia sufficerent; sed praeterea observandum, paucorum esse sententiam illam, et Theologos passim cum Bellarmino docere, indulgentias solvere a poenis sive injunctae sint, sive injungendae. Haec sententia solidis momentis nititur, et consuetudine fulcitur nostrorum temporum; id enim tum illis qui indulgentias largiuntur, tum Christianis omnibus persuasum est, hominem per indulgentias a poenis liberari a Deo infligendis. Haec Ecclesiae potestas a jure clavium dimanat, quod sine exceptione concessum est: *Quaecunque solveritis*. Eccur a poenis purgatorii directe solvere non poterit Ecclesia per indulgentiam, quae a reatu poenae aeternae solvit per absolutionem?

4.° Quod in objectione additur, in jure reperiri iudulgentias cum hac particula: *De poenitentiis injunctis*, ultro concedimus: sed dicimus plures etiam proferri posse absque hujusmodi formula, atque in Bullis legimus SS. Pontifices largiri indulgentias plenas et plenissimas, hoc est, quantum claves se extendunt. Quod autem ad illas indulgentias attinet, in quibus haec apponuntur: *De poenitentiis injunctis*, *Bellarm.* existimat, concedi tantum relaxationem poenae in Sacramento injunctae; Theologi, de quibus supra, addunt: *vel decretae a jure*. Verum S. *Thomas* et alii bene multi contendunt, formulam illam non obesse, quominus poenae a Deo injungendae solvantur, et sensum esse, poenitentes liberari non tantum a poenis non injunctis, sed etiam ab illis, quae fuerunt a Sacerdote in Sacramento injunctae.

Contra II. propos. *Argum. contra primam partem.* Quidquid Christus meruit, remuneratum est cumulatissime: ergo nihil reliquum fuit, quod deponeretur in thesauro.

Resp. neg. ant. Haec opinio, ait *Maldonatus*, proxime videtur accedere ad haeresin. Si intelligitur de praemio essentiali, hoc vi unionis hypostaticae Christo debitum fuit, ac connaturale; si de accidentali, adhuc falsa est, quia merita et satisfactiones Christi valoris sunt infiniti, quae semper excedunt quodcunque praemium accidentale. Deinde si verum esset, quod objicitur,

jam non esset thesaurus in Ecclesia, non remitterentur peccata ex meritis Christi, ac Sacramenta ipsa non continerent gratiam, non enim alia ratione illam continent, quam quia continent merita Christi.

Objic. *contra secundam partem.* 1.° Sancti omnes plenam mercedem laborum suorum acceperunt. 2.° Nemo potest satisfacere pro alio, nisi intentionem habeat pro eo satisfaciendi; atqui Sanctis, cum bonis operibus incumbebant, ea mens et intentio non fuit, ut satisfacerent pro aliis, vix enim se pares putabant pro suis peccatis satisfaciendo. Ergo etc.

Resp. ad I. dist. ant. Sancti omnes plenam mercedem acceperunt, quatenus opera eorum erant meritoria, *conc.;* quatenus erant satisfactoria, *neg.* Vide, quae in probat. dicta sunt.

Resp. ad II. neg. min. Quamvis Sancti de hoc expresse non cogitarint, habuerunt tamen et adhuc habent generatim intentionem, qua volunt aliis prodesse, quantum possunt, juxta mentem ac intentionem Ecclesiae, quae sub capite suo Christo per indulgentias Sanctorum superfluas satisfactiones sub certis conditionibus applicat.

Instant. Injuriosum est Christo, si ad merita ejus infinita adjungantur Sanctorum merita; ac si hoc subsidio egerent, nec essent per se satis abundantia. Ergo etc.

Resp. Merita Sanctorum non ideo reponuntur in thesauro Ecclesiae, ut ex illis ditior efficiatur, et ea sint velut complementum meritorum Christi; sed potius ad honorem Sanctorum, quos Christus sibi voluit in gloria sociare, et qui propter communionem, quam nobiscum habent, libenter sua nobis merita communicant. Ex quo certe honor Christi magis augetur, cum honor servorum redundet in Dominum, et Sanctorum merita nonnisi ex meritis Christi habeant, quod nobis prodesse possint. Cfr. *Schwarzhueber* tom. III. de Indulg. Sic Deus universum hoc causarum secundarum ope administrat, quamvis iis non egeat, neque omnipotentia divina, cujus nutu omnia reguntur, ex illis vim et incrementum capiat.

§. III.

Quaedam solvuntur quaestiones circa indulgentias.

Quaestio I. *An indulgentia sit solutio, aut absolutio?*

Resp. « Convenit fere inter omnes, » ait *Maldonatus a)*, « in- « dulgentiam simul esse solutionem et absolutionem: quid autem « sit principaliter, et per se, de eo est disceptatio. » Sufficit nobis dicere, quod sit utrumque; et libenter subscribimus huic conclusioni Tournelii, quam ex Bellarmino desumsit: *Indulgentia proprie est absolutio judiciaria, annexam habens solutionem ex thesauro.*

Quod indulgentia sit absolutio judiciaria, hoc ipso manifestum est, quod omnium sententia, e potestate clavium dimanet. Praeterea antiquissima Concilia et Patres, qui olim de hac materia scripserunt, constanter loquuntur de absolutione ab aliqua parte mulctae impositae. *Alexand.* III. in Epistola ad Episcopum Cantuar. docet, neminem posse indulgentias concedere, nisi propriis subditis, et rationem addit, *quia non potest nisi proprius judex absolvere, vel ligare.*

Dicitur autem: *annexam habens solutionem ex thesauro:* quia, cum peccator virtute clavium a poena liberatur, debet aliquid pro eo solvi, quo justitiae divinae fiat satis. Hoc autem facit Ecclesia, cum ex thesauro satisfactiones Christi et Sanctorum applicat. Ergo praeter absolutionem requiritur solutio ex thesauro; ut etiam Clemens VI. in Extrav. *Unigenitus* manifeste docet.

Quaestio II. *Unde repetenda sit vis indulgentiarum?*

Resp. Quidam dixerunt, indulgentias tantum valere, quantum est boni affectus et studii in recipiente; sed falsum est, nam si non aliud quid indulgentiis tribuimus, nullam Ecclesiae poenas relaxandi potestatem relinquimus, et nihil erit discriminis inter indulgentias et caetera opera bona; nam omnia bona opera tantum valent, quantum est boni affectus in agente. Alii respondent juxta commune Theologorum effatum, *indulgentias tantum valere, quantum sonant.* Sed hoc effatum intelligi debet cum hac conditione, si adsint, quae ad valorem requiruntur, vel ut dicitur: *clave non errante.* Clavis autem non errat, si adsit dantis potestas et

---

a) De indulg. 1. quaestionis pars V.

legitima causa; ad haec duo capita valor omnis indulgentiarum revocatur.

1.° Cum thesaurus, ex quo indulgentiae dispensantur, commune ac publicum bonum sit, patet eum posse ab iis solis dispensari, qui Ecclesiae praesunt, id est a Romano Pontifice et Episcopis; et cum indulgentias concedere ad potestatem jurisdictionis pertineat, sequitur hanc solam ad eas elargiendas requiri. Haec potestas in Romano Pontifice praecipuo quodam jure residet, atque ille solus potest indulgentias plenarias omnibus Christi fidelibus largiri. De jure Episcoporum quaeritur, an possint indulgentias in suis Dioecesibus jure divino concedere, an non. Sed haec quaestio ab alia pendet, quam dirimere hic locus non est, an nempe Episcopi jurisdictionem accipiant a Deo immediate, an vero per Summum Pontificem. Id porro inter omnes convenit, Episcopos in iis, quae ad spiritualem Dioecesis administrationem pertinent, Ecclesiae auctoritati subesse, et agere non posse, *nisi secundum limitationem Canonum:* statutum est autem, ut Episcopi unius tantum anni indulgentias in dedicatione Ecclesiae, et 40 dierum in aliis causis impertirent. Ita praecipit Concil. Lateran. IV., eamque rationem affert: *Quia per indiscretas et superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiae Praelati facere non verentur, et claves Ecclesiae contemnuntur, et poenitentialis satisfactio enervatur.*

2.° Jam illud quoque necesse est, ut legitima sit causa, cur indulgentia concedatur. Ante bellum sacrum contra Saracenos non legitur generales indulgentias fuisse concessas, sed causa perspecta singulis dari solebant. Verum et illae generales indulgentiae ideo reprehendi non possunt, si causa legitima subest. De hac igitur quaedam dicenda sunt. Omnes consentiunt causam justam requiri, ut indulgentiae valeant, nam S. Pontifex thesauri spiritualis dispensator est, non dominus, a dispensatore autem exigitur, ut sit fidelis et prudens; quid autem per justam causam intelligendum sit, non convenit inter omnes. Nonnulli existimant causam quamlibet etiam levissimam sufficere; sed apertum est, eos, qui ita sentiunt, abuti vocabulis, cum enim dicunt, requiri justam causam, simul contendunt pro opere quocunque etiam levissimo posse dari indulgentiam maximam. Hinc communior sententia est, cui etiam *Bellarmin.* favet, quod de-

beat esse aliqua proportio inter indulgentiam, et opus, quod praescribatur.

Si dicitur requiri proportionem, illud non ita est intelligendum, quod opus requiratur in se ita difficile et satisfactorium, ut plane compenset debitum poenae; in hac enim hypothesi superflua esset indulgentia. Sed neque hoc necessarium est, ut opus injunctum sit in se valde meritorium et satisfactorium, aut valde laboriosum, sed sufficit, ut sit medium aptum et utile ad consequendum finem Deo gratissimum. Sic, ut *Maldonat.* ait, durius et molestius est diu jejunare, quam eleemosynam paulo uberiorem largiri, et tamen haec interdum magis prodest Ecclesiae et ad gloriam Dei, ut cum hostes Christiani nominis sunt repellendi.

Caeterum, utrum sit causa legitima, utrum justa sit inter opus injunctum et indulgentiam proportio, subditorum non est judicare. Licet tamen ex sincero Religionis zelo, et cum ea, quae animis vere Christianis propria est, submissione et reverentia, votum emittere, ut in indulgentiarum largitione omnes semper adhibeantur cautiones, quae possint hostibus Ecclesiae obloquendi et criminandi occasionem praescindere. Ita nullo non tempore senserunt sapientissimi et religiosissimi viri; et *Bellarmin.* laudat *a)* Clementem VIII., qui tunc temporis Petri cathedram tenebat, quod Decretum Conc. Later. sub Innocentio III. de moderandis indiscretis indulgentiis, et Decretum Trident. Sess. 25. de revocandis indulgentiis ad veterem et probatam Ecclesiae consuetudinem, executioni mandare statuerit. Adhuc Saecul. XIII. S. Thomas scripsit *b)*, venientibus ad limina Apostolorum ex regionibus ultramarinis indulgentiam dari quinque annorum, ex regionibus ultramontanis trium annorum, ex aliis locis vicinioribus unius anni duntaxat.

Quaestio III. *Quid requiratur in subjecto indulgentiarum?*

Resp. In subjecto, seu recipiente, omnium sententia duo requiruntur, status gratiae et executio eorum, quae in litteris indulgentiarum praescribuntur. 1.° Non remittitur poena, nisi prius remissa et sublata culpa, ergo evidens est, non valere indulgentiam, nisi recipiens sit in statu gratiae. Notandum ta-

---

a) Lib. I. cap. 12. *b)* In IV. dist. 20. q. 1. art. 3.

men, quod si plura praescripta sunt opera, sufficere, ut ultimum in statu gratiae impleatur, quia tunc indulgentia suum sortitur effectum; caetera autem fiant animo vere poenitenti, nisi aliter fuerit in Pontificis diplomate expressum. Requiritur confessio, quotiescunque id litterae dicunt; si non exprimitur, posset, qui in statu gratiae est, indulgentiam lucrari sine confessione, sed non est suadendum. Id quoque extra dubium est, neminem posse plenam omnis poenae temporalis remissionem accipere, nisi liber sit ab effectu cujusque peccati etiam venialis. Ratio est, quia poenae remissio necessario supponit remissionem culpae, quae remitti non potest, nisi displiceat. Ergo quibus religio non est, quominus peccata venialia committant, semper cupidi, elati, prompti ad iram, nimium sui et rerum terrenarum amantes, etiam post largissimam Jubilaei indulgentiam multis nominibus debitores manent justitiae divinae.

2.° Quod ad opera attinet in litteris indulgentiarum injuncta, sufficiat illud, quod S. *Thomas* docet *a*), quod non percipiatur indulgentia, nisi ab iis, qui integre omnia opera injuncta perficiunt: porro res satis patet per se. Sunt, qui alias dispositiones requirunt, ut propositum satisfaciendi propriis laboribus. De hac sententia Bellarminus ait *b*), quod sit utilis et pia, sed fortassis non vera, praesertim cum sit contraria communi aliorum doctrinae.

Quaestio IV. *An indulgentiae possint mortuis applicari?*

Resp. Ecclesia ejusmodi indulgentias largiri potest, non quidem per modum judicii et absolutionis, quia mortui clavibus Ecclesiae non sunt subjecti, sed per modum suffragii, seu per modum solutionis tantum, quomodo prosunt suffragia, quae vel publice vel privatim pro defunctis fiunt. Hinc est, quod SS. Pontifices, cum indulgentias ad mortuos extendunt, ordinarie clausulam istam adjiciant: *per modum suffragii.* Scilicet Ecclesia cum indulgentiam pro defunctis largitur, offert Deo ex thesauro satisfactionum, quod necesse est ad liberandas animas: neque dubitandum, ejusmodi suffragia, quae non a privata persona, sed ab Ecclesia ipsa dimanant, plus habere roboris, quam alia privati cujusque bona opera aut orationes.

---

a) Loco cit. *b)* Loco cit. cap. 13.

His adde 1.° quod, etiamsi indulgentiae pro defunctis non dentur per modum absolutionis, requirant tamen in dante jurisdictionem, quia solutio ex thesauro dari non potest, nisi ab eo, qui habet claves. 2.° Indulgentias defunctis non tribui directe et primario, ut S. *Thomas* docet, sed indirecte, ac mediate, per homines viventes, quibus conceditur ut pro defunctis illas obtineant, cum pro iis opera injuncta perficiunt. Cfr. *Veronii* regulam fidei de indulg., ubi cum Catholicam doctrinam adstruit circa indulgentias defunctis concessas, addit: « Quis Protestantium non facile admittet indulgentias sic explicatas per modum suffragii, seu per modum orationis, si concedat purgatorium?»

Quaestio V. *An peccator per indulgentias eximi possit ab omnibus laboriosis operibus?*

Resp. Jam quaedam tractavimus, quae hanc quaestionem attingunt. Constat, nunquam dari indulgentiam, quae poenitentem ab omni prorsus poenitentia eximat; nulla enim est, quae non opus aliquod pium et satisfactorium praescribat: neque Ecclesiae mens unquam fuit, Christianorum socordiam fovere, et eos ab omni onere agendae poenitentiae eximere, contra id quod dictum est: *facite fructus dignos poenitentiae.* Hinc antiquitus indulgentiae iis concedebantur, qui poenitentiae laboribus ferventius incumbebant. S. Cyprianus tract. de lapsis valde redarguit eos, qui libellaticis ad preces martyrum pacem dederunt, antequam poenitentiam egissent. *Irrita, et falsa pax*, ait, *periculosa dantibus, et accipientibus nihil profutura.* Inter recentiores unum citabimus *Baronium* T. XI. ubi ad aliquam *Gregorii* VII. epistolam adnotat: «sedis Apostolicae indulgentias illis communicari, qui « quantum suppetunt vires bene operari non praetermittunt, non « autem ignavis, otiosis, et negligentia torpentibus.»

Verum, dicunt alii, an nostrum est indulgentiarum vim et valorem restringere: aut limites ponere potestati Ecclesiae sine exceptione concessae? et si indulgentia plenaria emittitur, quis asserere audebit, eam plenam non esse, neque ab omni poena eximere, etiam in Sacramento injuncta? Sed responderi potest, indulgentias ideo plenarias dici, quia poenam remittunt, quantum claves se extendere possunt: ita ut ad plenam remissionem nihil desit ex parte indulgentiae; atque remittatur, quidquid remitti potest spectato poenitentium fervor

Nolumus tamen in hac controversia aliquid decidere; sunt enim plures magni nominis Theologi, qui poenitentem ab omni non medicinali poenitentia per indulgentias omnino eximi opinantur. Quidquid autem sit de hac sententia, certum est non posse fidelibus satis commendari et pium indulgentiarum usum, et continuum in poenitentiae et satisfactionis operibus laborem. Gravissimum est quod nobis incumbit salutis negotium; qui sapit, eliget, quod tutius est. Est autem procul dubio tutius, poenitentiae laboribus ita incumbere, ac si nullum adesset ex indulgentiis remedium, et ita studiose captare indulgentias, ac si nihil esset ex propriis operibus sperandum. Certissima haec est ad salutem via.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

De Sacramento Poenitentiae diximus paulo uberius forsan, quam operis hujus mensura pateretur, sed coëgit nos rerum tractandarum multitudo et gravitas. Scimus enim in hujus Sacramenti explicatione magnam et satis difficilem institutionis Christianae partem consistere. His nunc brevem de Extrema Unctione tractationem adjungimus, vestigia sequentes sacrosancti Concilii Tridentini, quod eadem Sessione XIV. utriusque Sacramenti doctrinam complectitur, ut ostenderet, Extremam Unctionem esse veluti poenitentiae supplementum et consummationem: *Visum est sanctae Synodo*, inquit *a)*, *praecedenti doctrinae de Poenitentia adjungere ea, quae sequuntur de Sacramento Extremae Unctionis, quod non modo poenitentiae, sed et totius Christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus.* In hoc ergo novum nobis inexhaustae bonitatis suae pignus reliquit clementissimus Redemptor noster, qui, ut Baptismi Sacramento aditum nobis ad veram vitam patefecit, ita etiam, ut ex hac mortali vita decedentes expeditiorem ad coelum viam haberemus, Extremae Unctionis Sacramentum instituit.

---

a) De Ext. Unct. prooem.

Extrema Unctio definiri potest: *Sacramentum, quo aegrotis per inunctionem sacri olei cum certa orationis formula coelestis virtus, ad animae et quandoque etiam ad corporis salutem adplicatur. — Hoc Sacramentum ideo Extrema Unctio appellata est*, ait Catech. Rom. *a), quod haec omnium sacrarum unctionum, quas Dominus Salvator noster Ecclesiae suae commendavit, ultima administranda sit. Quare haec ipsa unctio a majoribus nostris Sacramentum etiam Unctionis infirmorum, et Sacramentum exeuntium dicta est: quibus vocabulis fideles in memoriam novissimi illius temporis facile redire possunt.* Latini alia adhuc vocabula adhibent, ut: *oleum benedictionis, olei sacrati unctio, unctio infirmorum etc.* Apud Graecos vocatur ἅγιον ἔλαιον, sacrum oleum, vel εὐχέλαιον, voce ex duabus composita, quod est, *oleum cum oratione*, juxta illud Jacobi V.: *Orent super eum, ungentes eum oleo.* Duae erunt hujus tractationis partes. Primo probabimus contra Novatorum sectas, Extremam Unctionem verum esse novae legis Sacramentum. Secundo quaestiones varias, quae circa hoc Sacramentum institui possunt, quantum necesse est, exponemus.

ARTICULUS I.

De Sacramenti Extremae Unctionis existentia.

OBSERVANDA.

I. Solenne est Theologis, ut cum Lutheri et Calvini errores recensent, semper Waldenses, Wicleffitas et Hussitas praemittant tanquam Novatorum Saeculi XVI. praecursores. In hac tamen controversia, quid hi senserint, certum non est. Proprius ergo Protestantium error est, quod Extrema Unctio non sit Sacramentum proprie dictum a Christo Domino institutum.

Lutherus in lib. de Captiv. Babyl. ita loquitur: «Hoc Unc-« tionis extremae Sacramentum non damno, sed hoc esse, quod « ab Apostolo Jacobo praescribitur, constanter nego. Numera-« bimus tamen ipsum inter ea Sacramenta, quae nos constitui-

a) De Ext. Unct. q. II.

« mus, ut sunt salis et aquae consecratio et aspersio. » *Calvinus* de hoc Sacramento petulanter pro more suo loquitur *a)* illudque vocat *fictitium Sacramentum et histrionicam hypocrisin.*

II. *Arcudius* narrat *b)*, Graecos posteriorum temporum poenitentes, quamvis bene valeant, satisfactionis loco inungere, adhibita eadem forma, qua infirmis Unctionis Sacramentum ministratur, quem abusum ille valde improbat. Notat tamen *Goarius c)*, hanc poenitentium Unctionem a Graecis pro mera caeremonia haberi, non pro vero Sacramento Extremae Unctionis. Catholici omnes consentiunt Unctionem infirmorum veri Sacramenti rationem habere; sed disputant, quo sensu intelligenda sint verba Trident. Synodi, cum ait *d)*, hoc Sacramentum fuisse *apud Marcum insinuatum*, per Jacobum autem Apostolum promulgatum. Plurimorum sententia est, illam unctionem, qua Marci VI. Apostoli aegros sanabant, vere sacramentalem fuisse, atque eandem, cujus mentio habetur Jacob. V. Ita sentit inter caeteros *Maldonatus* insignis Theologus. Sed profecto multo probabilior est sententia eorum, qui dicunt, Unctionem illam typum et figuram fuisse Sacramenti nostri, quod idcirco non dicitur a Tridentino institutum apud Marcum, sed *insinuatum*, seu adumbratum. Et certe, Unctio, de qua *Marcus* loquitur, curandis tantum corporibus fuit adhibita; multis etiam non baptizatis datam fuisse ambigi non potest; neque Apostoli tunc erant sacerdotio initiati. Haec sententia Patronos habet viros inter Theologos principes, ut *Magistrum sentent.*, S. *Thomam*, *Bonavent.* pluresque alios veteris Scholae; item *Bellarmin.* et recentiores plerosque. *Bellarminus* inter alia de hac sententia ait *e)*: « Mihi certe eo etiam « nomine gratior est, quod videam Lutherum, Calvinum et « Chemnitium esse in priore opinione: existimant enim illi, ean« dem esse unctionem *Marci* VI. et *Jacobi* V. » Sed nota, diversam omnino esse rationem, cur Theologi illi Catholici in hanc cum Novatoribus sententiam concedant. Hi enim ita concludunt: unctio Marc. VI. sacramentalis dici nullo modo potest, ergo nec illa Jacobi V., cum eadem sit. Illi econtra Theologi ex unctione

a) Inst. lib. IV. cap. 19. n. 18. *b)* Lib. V. de Extr. Unct. cap. 3. *c)* In notis ad Euchol. graec. pag. 432. *d)* Lib. V. de Ext. Unct. cap. 3. *e)* De Ext. Unct. cap. 2.

sacramentali Jacob. V. inferunt, etiam, quae Marci VI. leguntur, de Unctionis Sacramento esse intelligenda, eo quod de utraque unctione agatur in utroque textu.

PROPOSITIO.

Extrema Unctio est verum et proprie dictum Sacramentum novae legis.

Concil. Trid. ita definit Sess. XIV. Can. I. de Extr. Unct.:

Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.

Prob. I. Quod extremae Unctioni propria Sacramenti ratio conveniat, Tridentini Patres probant *a)* ex ipsis illis verbis, quibus S. Jacobus Apostolus hujus Sacramenti legem promulgavit: *Infirmatur quis in vobis,* inquit cap. V., *inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei.*

Revera in hoc S. Jacobi testimonio habemus, quidquid ad verum et proprie dictum Sacramentum requiritur; videlicet symbolum externum, efficax et perpetuum gratiae sanctificantis a Christo institutum. Et quidem unctionem signum esse oculis expositum, per se manifestum est: adjunctam autem esse promissionem gratiae ex his patet, quae subjiciuntur: *Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus* etc. His nunc positis necessaria consecutione sequitur Christi institutio: non enim ab alio, quam a Christo ipso vis gratiae effectrix signo cuivis dari potest. Quod autem hic ritus stabili lege, tanquam ordinarium remedium institutus sit, satis indicant verba Apostoli: *Inducat Presbyteros Ecclesiae. Et oratio fidei salvabit infirmum* etc.

---

a) De Extr. Unct. cap. 1.

Prob. II. Optime observant Theologi, quod, si ritus aliquis in Scriptura continetur, atque eum esse proprie dictum Sacramentum declarat Ecclesia, dubitari non possit, eum veram habere Sacramenti rationem; secus neque Baptisma, neque Eucharistia legis novae Sacramenta essent: atqui ritus ille, quem Extremae Unctionis nomine designamus, primo in Jacobi verbis diserte exprimitur, deinde ab Ecclesia semper in Sacramentorum numero habitus est: quod etiam *Tridentinum* docet, cum cap. I. post citatum Apostoli textum ita prosequitur: *Quibus verbis, ut ex apostolica Traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum et effectum hujus salutaris Sacramenti.*

Continua haec Ecclesiae Traditio probari potest luculentissimis testibus. Praeter Origenem *a)*, Chrysostomum *b)*, Cyrillum Alexandr. *c)*, ex Latinis 1.° est S. *Augustinus* Sermon. 215. de temp., quem tamen alii S. *Caesario* attribuunt, qui adhuc Saeculo V. vixit. *Si aliqua infirmitas supervenerit*, inquit, *corpus et sanguinem Christi, ille qui aegrotat, accipiat, et inde corpusculum suum ungat; ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur aliquis etc.* 2.° *Innocentius* I., qui in epist. ad Decentium Eugubinum Episcop. hoc de unctione infirmorum argumentum tranctans inter alia habet: *Poenitentibus* (nondum reconciliatis) *istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Quod dicitur: *genus Sacramenti*, non significat Unctionem esse tantum quodammodo Sacramentum, sed, illam vere in numero Sacramentorum habendam, quod manifestum est ex his, quae sequuntur: *Nam quibus reliqua Sacramenta negantur* etc. Libenter adjicimus hanc *Bellarmini* animadversionem cap. IV.: « Ex « hoc (Innocentii) testimonio colligimus, cur non extent « multa hujus generis testimonia, id est, tam antiqua et « tam expressa, quia videlicet non habuerunt occasionem

a) Hom. II. in Levit. *b)* Lib. III. de Sacerdot. cap. 6. *c)* Lib. VI. de adorat. in Sp.

« de hac re scribendi: nam nec Innocentius de hac re « scripsisset, nisi Episcopo Eugubino dubitatio illa in mentem « venisset, utrum Episcopus possit dare Sacramentum Ex- « tremae Unctionis, an solus Presbyter. Alioquin enim de « Sacramentis, quae in usu quotidiano erant, non scribe- « bant Patres, nisi coacti aliqua occasione, vel nisi Hae- « reticis respondendum esset. » Vide etiam Gregorii M. Sacramentarium, quod data opera modum et formam praescribit, qua oleum ab Episcopo benedici et infirmis administrari debeat. Concilium Mogunt. anno 847. refert et approbat, quae Theodorus Cantuar. Episcop., qui septimo Sacculo vixit, in lib. poenitentiali decernit: ut infirmi post peccatorum confessionem *secundum auctoritatem canonicam . . . sacra Unctione olei inuncti, communione viatici reficiantur.* *Eugenius* IV. in celebri decreto ad Armenos Extremam Unctionem caeteris Sacramentis quinto loco annumerat. Demum Concil. Tridentinum totius Ecclesiae fidem circa hoc Sacramentum et dilucide exponit, et apposito anathemate sancit. Vide can. supra cit.

Accedit totius Ecclesiae Graecae et omnium Ecclesiarum, quae per Orientem sparsae sunt, consensus; quod non exigui ponderis est, cum constet Graecos, et omnes Orientis sectas a tempore factae discessionis nihil accepisse ab Ecclesia Romana. Verum hoc argumentum jam supra expositum est, cum de septenario Sacramentorum numero ageretur.

Prob. III. Ex ratione convenientiae, quo argumento utitur quoque *Trident.* Cum Dominus Sacramenta instituerit, quibus velut divinis subsidiis juvaremur, in ingressu in hanc vitam, et in progressu vitae nostrae mortalis; certe nullo modo credendum est, defuisse nobis divinam providentiam in egressu et transitu ab hoc saeculo ad vitam futuram sempiternamque. Hinc Deus, ut Trid. ait, *quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis praeparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint: ita Extremae Unctionis Sacramento finem vitae tanquam firmissimo quodam praesidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quaerat et captet, ut devorare animas*

nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes versutiae suae nervos intendat, ad perdendos nos penitus et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitae perspicit.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM DISSOLVUNTUR.

Objic. contra Argum. ex script. petitum. 1.° Epistola S. Jacobi non est canonica. 2.° Si a Jacobo Apostolo esset epistola illa, ait Lutherus, dicerem, non licere Apostolo sua auctoritate Sacramentum instituere. 3.° Jacobus ex Marci Evangelio recepit, quae docet de unctione olei; illa autem unctio, de qua Marcus loquitur, non erat Sacramentum, sed ad curationem corporis adhibebatur. Ergo etc.

Resp. ad I. Epistola S. Jacobi ab Ecclesia inter canonicas Scripturas numeratur, neque locus hic est, de hac re plura disputare. Videantur, quae Tom. II. hujus operis de Scripturarum canone in genere, et speciatim de libris deuterocanonicis N. T. dicta sunt.

Resp. ad II. En dignam Luthero sententiam, quem non puderet Apostolum temeritatis insimulare, quasi sibi arrogasset, quod ei minime conveniebat. Cui autem unquam in mentem venit, Apostolos sua auctoritate instituisse Sacramenta? *Concilium Trident.* expressis verbis docet, Extremam Unctionem esse *Sacramentum a Christo Domino institutum, et a B. Apostolo Jacobo promulgatum.* Cfr. quae supra de Sacram. in genere Cap. III. Art. 1. dicta sunt.

Resp. ad III. Quod Jacobus non loquatur de Unctione, quae corpus sanaret ex dono miraculorum, sed quae sanaret animam, et quandoque etiam corpus virtute sacramentali, ex omnibus ejus verbis elucet. Cur enim *infirmos* ungendos diceret, et non etiam caecos, surdos, aliosque miseros homines? Cur Presbyteros juberet induci, cum certum sit, nec solos, nec omnes Presbyteros gratiam curationum habuisse? Cur materiam praescribit cum oratione, cum donum miraculorum non sit ita alicui ritui alligatum? Quomodo illa absoluta promissio: *Et oratio fidei salvabit infirmum* etc. ad corporalem sanitatem referri poterit? An

ergo semper sanati fuerunt, qui ita ungebantur? Demum omnem tergiversationi locum adimunt, quae sequuntur: *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Ex his jam manifestum est, non esse eandem unctionem Marci VI. et Jacobi V., nisi eo modo, quo dicuntur idem figura et figuratum. Cfr. superius dict. observ. II.

Urgent I. Jacobus effectum unctionis fidei tribuit: *et oratio fidei salvabit infirmum:* ergo non est Sacramentum, hoc enim non pendet ab fide Ministri. 2.° Jacobus jubet vocari Presbyteros, Catholici autem non multos vocant, sed unum tantum. 3.° Apostolus vult inungi quoslibet infirmos, sed Sacramentum Catholicorum solis ministratur moribundis. Ergo etc.

Resp. ad I. neg. conseq. Si oratio, quae fit super infirmum in extrema Unctione, oratio fidei dicitur, id non fit propter fidem Ministri, sed quia est dictata a fide et sola fide intelligitur, quomodo verbum sacramentale, quod cum elemento conjunctum facit Sacramentum. Ergo *oratio fidei* dicitur, 1.° quia fides tropice sumitur pro omnibus donis Spiritus sancti, quae ex ea nascuntur, sicut rami ex arbore. Sic Apostol. ad Rom. XII. ait: *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei*, id est Charismata Spiritus sancti, seu ut v. 6. dicitur: *Donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes...* 2.° quia est forma Sacramenti, efficacia autem Sacramenti nec in vi materiae physica, nec in verbis consistit, quatenus soni quidam sunt voce expressi, sed in fide, id est in virtute supernaturali, quae ex institutione Christi externo ritui inhaeret et fide comprehenditur. Hoc sensu illud intelligendum est, quod S. *August.* dicit *a*): *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum; non quia dicitur, sed quia creditur.*

Resp. ad II. neg. cons. 1. S. *Jacobus* non de numero, sed de qualitate fuit sollicitus; ac si diceret: inducat Presbyteros, hi enim soli possunt hoc Sacramentum administrare. 2.° Verba Apostoli non ita intelligi debent, quasi ad singulos aegrotos multos Presbyteros vocari voluerit; sed Presbyteros vocandos esse ad aegrotos, ut cum dicimus nos confiteri Presbyteris; nemo enim confitetur multis, sed uni.

---

a) Tractat. 80. in Joan.

Resp. ad III. neg. ant. Quis hoc credat, eam Apostolo mentem fuisse, ut ob quamlibet infirmitatem Presbyteri ad aegrotos excurrerent? Quamvis etiam inungantur aegroti, ut sanentur, si id expedit aeternae saluti; recte tamen Extrema Unctio, et Sacramentum exeuntium vocatur, et graviter tantum discumbentibus administrari debet. Et certe, quod Jacobus hoc voluerit, ex eo patet, quod utatur voce τὸν κάμνοντα, κάμνοντες enim dicuntur graece, qui morbo oppressi, et pene exanimati sunt. Nolumus tamen ex his concludere, non esse praebendum hoc Sacramentum, nisi iis, de quorum vita plane desperatum est, et qui in extremo agone luctantur: potius suadendum est, ut ministretur graviter decumbentibus, antequam animi et corporis vires penitus deficiant. « Cui enim datur, « dum viget ejus animus, is ex eo uberiores gratiae effectus « potest consequi. Prosunt, solantur Sacramenta nostra, non « occidunt: hoc saepe saepius pastor mentibus fidelium in- « culcet *a*). »

Opponunt II. contra argum. ex patribus. Unctio, de qua *Innocentius* I. scribit, non est ea, quam Catholici inter Sacramenta numerant. Nam 1.° Innocentius de oleo chrismatis loquitur; sed Catholici simplex oleum adhibent. 2.° Innocentius eam unctionem dicit fieri posse ab omnibus Christianis, in sua aut suorum necessitate; sed Catholicorum Extrema Unctio a Presbyteris tantum fieri potest. Ergo etc.

Resp. ad I. Nemo est tam peregrinus in Scriptura et Patribus, ut nesciat vocem *chrisma* generatim sumi pro unctione. Sic Joan. II. dicitur: *Unctionem, quam accepistis a Deo.* Graece χρίσμα; et cum nos vocis *Christus* significationem explicamus, quid aliud dicimus, quam: Christus, id est: Unctus?

Resp. ad II. Innocentius, cum docet Unctionem ab Episcopis et Presbyteris ministrari, addit, eodem oleo ab Episcopo benedicto ipsos fideles uti posse in sua et suorum necessitate: verum ejusmodi unctio Sacramenti non habebat rationem. Siquidem laici, cum cernerent Sacramento Unctionis multos sanitati restitui, illo sacro oleo utebantur, quemadmodum ad curandos morbos aquam baptismalem adhibebant.

---

a) Rit. Arg. de Extr. Unct. §. 1.

Dicunt III. Veteres de Sacramento Extremae Unctionis altum silent, etiam in illis libris, in quibus ritus omnes Ecclesiae et disciplinam quam diligentissime sunt persecuti. Imo per sex priora saecula, qui Sanctorum vitas et exitus litteris consignarunt, eos oleo inunctos fuisse non commemorant, quod magno indicio est, unctionem infirmorum tunc non fuisse in Ecclesia usitatam. Ergo etc.

Resp. 1.° Argumenta haec negativa sunt, et vim non habent contra positiva Patrum testimonia, quae in probatione indicavimus. 2.° Mirum non est, si auctores illi de Extrema Unctione sileant, cum neque Viatici, neque ullius ritus, qui ad infirmos pertinet, meminerint: cum tamen nemo negaverit, Viaticum Eucharistiae praeberi solitum fuisse morituris; quod utique ut veterem Ecclesiae regulam *Concil. Nicaenum* praecipit, Can. 13. 3.° Hinc etiam illud diluitur argumentum, quod per sex saecula non legatur, viros sanctos in extremis sancto oleo inunctos fuisse. Nam quae in communi usu versantur, tanquam res notissimae non scribuntur. Sic omnes pene ne Viaticum quidem a Sanctis perceptum fuisse tradunt. Deinde cum Extrema Unctio sit quoddam Poenitentiae complementum, forte consuetudo obtinuit in quibusdam Ecclesiis, ut non daretur iis, qui poenitentia non indigerent, vel qui, ut Pontifices, ad poenitentiae statum deprimi non solebant. Adde hoc Sacramentum intelligi debere, quando de Viatico fit mentio. Nam et hodie, ubi dicimus aliquem decessisse Viatico munitum, id intelligitur factum conscientia antea per poenitentiam emundata; sed olim Unctio dabatur cum poenitentia, cujus erat consummatio, et ante sacrae Eucharistiae communionem. Sic S. *Augustinus*, referente Possidio, dicere consueverat, *post perceptum Baptisma etiam laudatos Christianos et Sacerdotes absque digna et competente poenitentia exire de corpore non debere, quod etiam ipse fecit ultima, qua defunctus est, aegritudine.* Ex quo satis appareret, S. Augustinum nihil eorum neglexisse, quae ad plenam et perfectam poenitentiam pertinebant, ideoque etiam sacro oleo fuisse inunctum.

Pergunt. Quae ad Doctrinam Sacramentorum pertinent, certa esse debent, et ab omnibus concessa: atqui de Unctione

infirmorum tot sunt Theologorum dissidentes sententiae, ut, quid credendum sit, non inveniatur.

Resp. dist. maj. Certa esse debent in necessariis, iis nempe, quae ad existentiam et substantiam Sacramentorum spectant, *conc.*. In omnibus, quae circa Sacramenta moveri possunt quaestionibus, *nego*. Nulla est dissensio circa substantiam Sacramenti Unctionis; verum certant Theologi de iis, quae eorum disputationi permittuntur, ut de multis aliis circa Baptismum et Eucharistiam. Nec mirum, quod apud Veteres eae quaestiones non occurrant, id enim omnibus fere mysteriis commune est.

ARTICULUS II.

Varia ad hoc Sacramentum pertinentia.

§. I.

De Materia et Forma Extremae Unctionis.

MATERIA.

I. Materiam hujus Sacramenti *remotam* S. Jacobus clare indicat, cum ait: *Ungentes eum oleo. . . . Quibus verbis*, ait Trident., *ex Apostolica Traditione per manus accepta . . . intellexit Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum (nam unctio aptissime Spiritus sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegroti inungitur, repraesentat)*. Quod pluribus verbis ita explicat Catech. Rom. *a*): *Aptissime haec materia significat, quod vi Sacramenti interius in anima efficitur; nam, ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita Sacramenti virtus animae tristitiam et dolorem minuit. Oleum praeterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, et lumini tanquam pabulum praebet; tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est.*

II. Illud ergo perspicuum est, materiam hujus Sacramenti esse oleum, et quidem ex olivis expressum, quod solum proprie oleum nuncupatur. Verum disputant auctores, an necessario

---

a) De Extr. Unct. q. 5.

debeat esse benedictione aliqua consecratum. Equidem Florentinum et Trident. de oleo loquuntur ab Episcopo benedicto; sed non explicant, an haec benedictio necessaria sit ad veritatem Sacramenti, an tantum propter praeceptum et disciplinam Ecclesiae. Oleum consecratur a solis Episcopis in Occidentali Ecclesia, uti ex Tridentino, ac multis testimoniis colligitur. In Orientali Ecclesia Presbyteri et oleum benedicunt, et Sacramentum administrant, ut ex eorum Euchologiis constat.

Observandum est porro, duplex esse oleum in usu Ecclesiae. 1.° Oleum balsamo mixtum, quod vocatur chrisma, et quo inungi solent, qui baptizantur, in vertice: et qui confirmantur, in fronte: et qui ordinantur, in manibus. 2.° Simplex oleum, sed ab Episcopo per benedictionem sacratum, quod iterum dividitur in oleum Catechumenorum et oleum infirmorum.

III. Materia *proxima* hujus Sacramenti est ipsa unctio, cujus ritus in Occidentali Ecclesia non multum differt ab eo, qui in Oriente observatur. Orientales ungunt frontem, genas et manus, ut Simeon Thessalonicensis in lib. de Sacramentis refert. Sed testatur *Arcudius a)*, Graecos ungere frontem, mentum, ambas genas, deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte, postremo pedes. — Apud Latinos non una reperitur praxis et disciplina. *Gregor.* in Sacramentario praescribit, ut quinque sensus ungantur. Nunc passim fit etiam unctio in pedibus, quin et in pectore. Quaedam ritualia addunt unctionem colli et scapularum, quaedam adeo renes in viris inungi praecipiunt. Iterum quaeritur: An plures Unctiones sint necessariae? Multo probabilius est, unicam sufficere ad essentiam Sacramenti; idque maxime observatur in morbis epidemicis; tunc vero ea facienda est in capite, ubi vigent sensus. Neque necesse est, ut Sacerdos manu tangat infirmum, sed uti potest virgula in pestilenti morbo.

FORMA.

I. Forma hujus Sacramenti a pluribus jam saeculis *deprecatoria* est apud nos, et his verbis continetur: *Per istam sanctam unctionem* etc. Deprecatoria forma optima est et antiqua, con-

---

a) Lib. V. de Ext. Unct. cap. 7.

venit enim cum verbis Apostoli: *orent super eum, et oratio fidei* etc.; quamquam forma indicativa etiam orationis nomine donetur, et ubi pro infirmorum Unctione praescripta est, plerumque in orationem desinat. Unde irritum non est hoc Sacramentum cum forma indicativa administratum, quando haec est ab Ecclesia praescripta. Et revera dubitari non potest, hanc formam fuisse in nonnullis Ecclesiis usurpatam. *Albertus Magnus* testatur *a)*, se plurimos vetustos Germaniae rituales libros legisse, qui Sacramenti, de quo agitur, formam indicativam complectebantur; eamque disciplinam ab ipsis Gregorianam appellari refert. Apud *Morinum b)* plures diversarum Ecclesiarum formulae leguntur, quae vel simpliciter indicativis verbis conceptae sunt, vel precibus intermixtae.

Graeci forma deprecatoria utuntur, eamque semper habuerunt, nihil enim in eorum Euchologiis, cum de hoc Sacramento sermo est, habetur, quod indicativum loquendi modum prae se ferat. Atque hinc est, quod Sacramentum hoc, ut supra diximus, εὐχέλαιον ab ipsis vocetur, hoc est, *oleum precum.*

§. II.

De auctore et ministro Sacramenti.

I. Auctor Sacramentorum Christus est; neque audiendi sunt, qui dicunt, quaedam ab Apostolis ex instinctu Spiritus sancti et potestate a Christo accepta instituta fuisse post Christi a terris discessum. Hanc sententiam confutavimus, cum de Sacramentis generatim ageretur. Constat ergo, Extremam Unctionem alium praeter Christum auctorem non habere. Nunc, quando illam instituerit, quaeritur. An Marci sexto? Id contendunt omnes, qui volunt unctionem, de qua ibi sermo est, fuisse sacramentalem. Verum non possumus in hanc sententiam concedere. Probabilius videtur, hoc Sacramentum, quod perfectio et consummatio Poenitentiae est, tum a Christo institutum fuisse, cum ligandi atque solvendi potestas Apostolis concessa est.

II. *Jam vero*, ait Concil. Trident. *c)*, *quod ad praescriptionem eorum attinet, qui ministrare hoc Sacramentum debent, haud*

---

a) Lib. IV. dist. 23. art. 4. q. 2. *b)* Loc. cit. cap. III. *c)* Sess. XIV. de Extr. Unct. cap. 3.

obscure fuit illud etiam in verbis praedictis (Jacobi V.) traditum; nam et ostenditur illic, proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiae Presbyteros; quo nomine eo loco non aetate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati. Eadem Sess. Can. IV. de Ext. Unct. contrasentientes anathemate damnantur.

Addit *Catech. Rom. a)*: *Sacerdoti igitur hujus Sacramenti administratio commissa est: neque tamen ex sanctae Ecclesiae decreto cuivis Sacerdoti, sed proprio Pastori, qui jurisdictionem habeat, sive alteri, cui ille ejus muneris fungendi potestatem fecerit, hoc Sacramentum administrare licet.* Nota, haec ultima non pertinere ad valorem Sacramenti, sed ut administrare liceat.

III. Apud Graecos mos viget, ut septem Sacerdotes vocentur ad ungendum infirmum, iique in hoc numero mysterium comprehendi docent. Quis olim Latinorum usus fuerit, non potest certo definiri. Sunt quaedam priorum temporum monumenta, quae plurium Sacerdotum mentionem faciunt. Sic in Sacram. *Gregorii* M. legitur: *Multi Sacerdotes infirmos perungunt in quinque sensibus corporis....* Scriptor vitae *Caroli* M. refert, *illum oleo sancto inunctum esse ab Episcopis.* Idem colligitur ex querelis *Waldensium*, quos Extremae Unctionis Sacramentum reprobasse ait Raynerus, *quia tantum divitibus datur, et propter plures Sacerdotes ibi necessarios.* Sed haec ab usu pendent et disciplina Ecclesiae. Ad valorem satis est, ut unus tantum Sacerdos unctionem ministret. Argumentum, quod ex verbis Jacobi desumitur: *inducat Presbyteros*, jam supra dilutum est.

§. III.

De effectis Extremae Unctionis.

I. *Concilium Trident.*, qui sint hujus Sacramenti effectus, ita definit Can. II.: *Siquis dixerit sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim fuerit gratia curationum; anathema sit.* Hos Unctionis effectus cap. II. plenius explicat sacra Synodus. Operae pretium est, propria ejus verba afferre: *Res*

---

a) De Extr. Unct. q. 13.

porro, ait, *et effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur: Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etenim haec gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animum alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatur: et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit; et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.*

II. In his sic generatim positis omnes consentiunt. Si in explicanda Concilii doctrina aliqua occurrit opinionum discrepantia, illud ad praxin et salutem fidelium parum refert. Dummodo infirmus effectum percipiat Sacramenti, nihil interest, an Sacramentum illum primario et per se, an secundario et per accidens producat. Nobis videtur, primum Extremae Unctionis effectum esse gratiam sanctificantem et auxilia, quae fini hujus Sacramenti sunt accommodata; et quae Apostolus his verbis complectitur: *Et alleviabit eum Dominus*, graece, *eriget*, aut *suscitabit*, ut legit Innocentius I. Alleviat autem Deus et confirmat infirmum, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, ut Trident. docet, animumque confirmando ad perferenda facilius morbi incommoda, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus. Unde et Sacramentum *spei* dicitur, sicut Eucharistia *amoris*, Baptismus et Confirmatio *fidei* Sacramenta sunt. Hac spe erectus et confirmatus animus mortis terrores vincit, et spiritu magno aspicit ultima.

III. Alius huic Sacramento proprius effectus est remissio peccatorum, et reliquiarum peccati abstersio. At qua ratione hoc fiat, non est definitum. Nobis videtur, 1.° in textu Apostoli non de venialibus solis agi; 2.° mortalia dimitti non per accidens tantum, qua ratione etiam Eucharistia v. g. remittit peccata; sed hunc esse proprium Sacramenti effectum, quamvis forsan secundarium tantum. Absolute quippe et simpliciter dicitur: *Si in peccatis sit, remittentur ei* . . . idque et verba formae clare significant: *Quidquid per visum deliquisti* etc. Quomodo ergo dimittit? An non poenitentia praecedere debet in remissionem peccatorum? Quomodo si remittit peccata etiam mortalia, inter Sacramenta vi-

vorum computari potest? Sacramentorum vivorum est, quia requirit in suscipiente statum gratiae, quem Baptismus et Poenitentia, quae Sacramenta mortuorum sunt, non requirunt. Attamen dimittit peccata; scilicet S. *Thomas* censet *a*) deleri peccata post confessionem facta, quae infirmus vel ignorat, vel prae infirmitate confiteri nequit, in quo casu adesse debet confessionis propositum. Addi potest, quod, si in Confessione ex incuria oblita fuerint peccata, hic defectus Sacramenti per Extremam Unctionem suppleri possit, quando homo in extremis positus, vero peccatorum suorum dolore commovetur. S. *Carol. Borrom.* in instructione de Extrema Unctione haec habet *b*): *Potest fieri, ut ignorante eo, qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat: in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut fieri possit, eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioquin fuisset damnandus.*

Dicit *Trident.* peccatorum reliquias abstergi, quod ita intelligi potest: 1.° Quod reatus poenae temporalis deleatur juxta suscipientis dispositionem. 2. Quod quaedam ad peccatum propensiones vel tollantur penitus praesertim in ipso exitu, vel infringantur. 3.° Quod quaedam animi debilitas ex peccatis contracta vi Sacramenti et ex voluntate Christi imminuatur, quod parum aut nequaquam est ab illo effectu distinctum, quem primo loco indicavimus.

IV. Postremus hujus Sacramenti effectus est, *sanitas corporis, ubi saluti animae expedierit*, ut Trid. ait. Hujus effectus omnes pene Veteres meminerunt, quamvis secundarius tantum dici possit, et non semper producatur, cum non semper sit animae utilis: Sacramentum enim effectum producere non potest, qui esset saluti nocivus, quod S. *Thomas* ita explicat *c*): *Extrema Unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiae, sed ex virtute divina, quae rationabiliter operatur. Et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem: ideo ex hoc Sacramento non sequitur corporalis sanatio semper, sed quando expedit ad spiri-*

---

a) Lib. IV. cont. gent. cap. 73. *b*) Acta Mediol. Eccl. Tom. I. pag. 449. *c*) In IV. dist. 23. q. I. art. 2.

tualem sanationem: et tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.

Nota, quod verbum *salvabit*, vel *servabit* (σώσει), generalem significationem habeat, et tam animae, quam corporis salutem complectatur; quapropter ita posset exponi: Oratio fidei salvabit infirmum, dando gratiam, quae aegrum vel per mortem transmittat ad salutem aeternam, vel eundem ad vitam revocet, eique salutem et sanitatem corporalem restituat. Sed dicunt: multos videre est, qui sanitatem recuperarunt accepta Unctione sacra, et, postquam convaluerunt, pejores facti sunt. Non negamus; at certum est, qui ejusmodi sunt, sanitatem non recuperasse virtute Sacramenti, sed naturae et medicinae viribus.

§. IV.

De suscipientibus Sacramentum.

I. Extremam Unctionem *infirmis* ministrandam esse, et verba Apostoli edicunt, et SS. Patres, ritualia, et Tridentinum confirmant. *Eugenius* IV. in instructione ad Armen. ait: *Hoc Sacramentum nonnisi infirmo, de cujus morte timetur, dari debet....* Manet tamen adhuc dubium; an iis tantum, qui morti proximi sunt, adhibenda sit, an omnibus, qui periculose decumbunt? Haec ultima opinio probabilior est et tutior; cum enim Sacramentum hoc etiam corporis remedium sit, non videtur expectandum, usque dum sanitas non possit nisi per miraculum restaurari; operatur enim hoc remedium virtute ordinaria quidem, sed causas naturales adjuvando; sicut cum Deus ad preces Fidelium causas naturales ita dirigit et temperat, ut aut pluviam producant, aut aëris serenitatem. Habet tamen etiam contraria consuetudo rationes suas: nam, cum Sacramentum in exitu tantum ministratur, tunc neglecta corporis sanitate unius fere animae habetur ratio, ut nempe aegrotus magis sit ad vitae aeternae aditum comparatus; imprimis quando metuendum est, ne si citius inungatur, aliquid postea accideret, quod regni aeterni consecutionem retardaret. Verum perpensis omnibus optimum videtur, non differre usque ad ultimum quasi spiritum; facile enim contingere potest, ut mors Sacramentum praeveniat, aut,

cum illud suscipitur, sensus jam pene intermortui sint, et mens non amplius sibi constet. Vid. Art. 1. in solutione object.

II. Unctionis Sacramentum aliquando ante Viaticum ministrabatur, aliquando post acceptam Eucharistiam. In praxi standum est disciplinae locorum. Ante Viaticum datum fuisse discimus ex *Gregorii* Sacrament., ex *Theodoro* Cantuar., ex *Ivone* Carnotensi, et multis insuper Veterum monumentis. Ut olim cum Baptismo, Confirmatio et Eucharistia, sic gravi morbo decumbenti et morituro Poenitentiae, Extremae Unctionis, et Viatici Sacramenta conferri solebant; est enim Poenitentia alter Baptismus, cujus ultima perfectio est Unctio, sicut Baptismi Confirmatio.

Adsunt etiam contrariae consuetudinis argumenta. Sic in illo S. *Augustini*, aut Caesarii loco, quem supra citavimus *a)*, dicitur: *Corpus et sanguinem ille, qui aegrotat, accipiat et inde corpusculum suum ungat, ut impleatur in eo: Infirmatur quis* etc.... *Martenius* Tom. II. alia in idem monumenta collegit, quae tamen dicit pauca esse, prae infinita ritualium multitudine, auctorumque turba, in quibus Unctio Viatico praemittenda decernitur. Rationes, cur Sacra Unctio nunc plerumque post Viaticum administretur, has affert citatus auctor: Falsae quaedam vulgi persuasiones, Extremam Unctionem esse certae mortis indicium, semel unctos testamentum condere non posse, neque posse, si convaluerint, ad opus conjugale reverti, neque vesci carnibus. Inde factum, ut nonnisi in extremo periculo ad hoc remedium confugeretur.

III. Quaeritur, an hoc Sacramentum sit necessarium ad salutem? Equidem necessarium non est absolute, vel, uti dicunt, necessitate medii: credimus autem illud omnibus Fidelibus, qui gravi et periculoso morbo decumbunt, necessarium esse ex praecepto divino et ecclesiastico. Haec verba Apostoli: *Inducat Presbyteros* etc. non tam consulentis sunt, quam praecipientis, et *Concilium Trid.* expresse ait Sess. XIV. cap. III.: *Nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam et dilucidam Apostoli Jacobi sententiam docent, hanc unctionem nec mandatum Dei habere, nec promissionem gratiae.* Et certe, qui insigne hoc salutis

---

a) In prob. propositionis.

remedium parvi penderet, neque eo uti vellet eo tempore, quo in summo non vitae praesentis tantum, sed aeternae salutis discrimine versatur, pessimam animi dispositionem proderet et verum Sacramenti contemptum. Caeterum, quae Ecclesiae mens sit, in dubio esse non potest. Scimus enim, quanta illa sollicitudine Fidelium saluti invigilet; quam impense autem hoc Sacramentum nullo non tempore illis commendaverit, innumera testimonia ostendunt.

Nota. Quae porro ad hoc Sacramentum pertinent, qui in ejus administratione adhibendi sint ritus, quae in recipiente requirantur dispositiones, et alia ejusmodi facile quisque ex libris ritualibus et catecheticis ediscere poterit.

LIBRI SEXTI

DE SACRAMENTIS

PARS QUINTA.

DE ORDINE ET MATRIMONIO.

SACRAMENTUM ORDINIS.

Hoc Sacramentum primo aspectu videtur ad eos tantum pertinere, qui ad sacra munia in Ecclesia assumuntur, ut eis et potestatem conferat ministrandi, et bene ministrandi gratiam. At, *siquis*, ut apposite observat Catechismus Rom. *a)*, *aliorum Sacramentorum naturam et rationem diligenter considerarit, facile perspiciet, ea omnia ab Ordinis Sacramento ita pendere, ut sine illo partim confici et ministrari nullo modo queant; partim solemni caeremonia et religioso quodam ritu ac cultu carere videantur.* Ex quo intelligitur, non in quorundam tantum gratiam, sed in communem omnium Fidelium utilitatem Sacramentum hoc a Christo fuisse institutum. Mirum, quam uberes ex eo gratiae in universam Ecclesiam redundent! Ab hac enim sacra Ministrorum inauguratione Sacerdotium legis Evangelicae, Sacrificium, caeteraque salutis subsidia dependent; in hac Ecclesiastici Ordinis dignitas, clavium potestas, publici Ministerii auctoritas fundatur.

Magnam hujus argumenti partem jam pertractavimus in secundo harum institutionum volumine, cum Ecclesiae a Christo institutae formam describeremus. Nam quae ad divisionem Ecclesiae in *docentem* et *discentem*, in *Cleri* a

---

a) De Ord. quaest. I.

communi *Laicorum* numero distinctionem pertinent, et ad potestatem spiritualem a Christo in Clericorum Ordine depositam, eo loco jam a nobis exposita sunt. Diximus etiam de diversis Ministrorum gradibus, de Presbyterorum et Episcoporum discrimine, atque suprema horum in regendis Ecclesiis auctoritate; de Primatu a Christo instituto, quo omnes ubique Ecclesiae tanquam in communi centro colligantur. Ostendimus exsurgentem ex divinis his institutis admirabilem illam Hierarchiam, per quam Ecclesia insigni splendore coruscat, atque terribilis hostibus efficitur sicut castrorum acies ordinata *a)*.

Praeter haec, quae a nobis jam exposita sunt, multa a Theologis quibusdam in hanc tractationem conjecta reperimus, quae partem Theologiae moralis, aut juris Canonici efficiunt. His pariter praetermissis, nunc quae hujus loci propria sunt, explicanda suscipimus; ac duplici capite totum hoc argumentum complectimur, tractantes primo de existentia Sacramenti Ordinis, secundo de iis, quae huic sunt necessario conjuncta.

CAPUT PRIMUM.

DE SACRAMENTI ORDINIS EXISTENTIA.

Haec quaestio duas iterum partes habet, unam generalem, an Ordo sit Sacramentum; alteram specialem, qui Ordines sint Sacramenta.

ARTICULUS I.

An Ordo sit Sacramentum.

OBSERVANDA.

I. Notandum est, differre inter se *Ordinem* et *Ordinationem*. *Ordo*, ait Catech. Rom. *b)*, *si propriam ejus vim et notionem accipiamus, est dispositio superiorum et inferiorum rerum, quae*

---

a) Demonst. Cathol. part. I. cap. I. Art. III. et IV. *b)* Quaest. IX.

inter se ita aptae sunt, ut una ad alteram referatur. Hoc loco vocari potest distinctio graduum et officiorum Ecclesiasticorum. Est igitur Ordo aliquid fixum et permanens, et bene dicitur, aliquem ad *talem Ordinem* pertinere, imo siquis *Ordinem exercere* dicatur, sensus est, quod functiones peragat proprias illis, qui ad talem Ordinem pertinent. Per Ordinationem juxta *Morinum a)*, intelligitur actio, qua homo in aliquem Ordinem allegitur et coaptatur, estque benedictio et consecratio verbis et caeremoniis praescriptis concepta; consistit itaque in actione fluente et transeunte consecrantis, seu ordinantis. Cum autem Ordinatio illud sit, per quod homo in aliquo ordine ministrorum collocatur, et ad exercenda ordinis officia aptus efficitur, factum est, ut Ordinis vocabulum ad hanc ipsam inaugurandi actionem fuerit translatum.

II. Ordinem novae legis Sacramentum esse, ante *Waldenses* negavit nemo. Ex recentioribus Haereticis primum *Lutherus* illud inficiari ausus est, qui lib. de captivitate Babyl. petulanter pro more suo in Catholicos debacchatur: « Sacramentum hoc, « inquit, Ecclesia Christi ignorat, inventumque est ab Ecclesia « Papae. » Quid eum ad impugnandum hoc Sacramentum impulerit, his verbis indicat: « Nisi fallor, si ruat hoc Sacramentum « et commentum aliquando, vix subsistet ipse Papatus. » *Calvinus*, qui plerisque in locis duo tantum Sacramenta ponit, Baptismum et Coenam, tamen lib. IV. instit. cap. 19. inquit: « Superest « manuum impositio, quam in veris legitimisque ordinationibus « Sacramentum esse concedo. » Notatu digna sunt, quae *Melanchthon* habet in Apologia Confess. Aug.: « Sacerdotes vocantur non « ad ulla sacrificia velut in lege ... sed ad docendum Evangelium « et Sacramenta porrigenda populo; nec habemus nos aliud Sa« cerdotium. Si autem ordo de ministerio verbi intelligatur, non « gravatim vocaverimus ordinem Sacramentum: nam ministerium « verbi habet mandatum Dei, et habet magnificas promissiones. »

III. Vide, ad quam inopiam Christi Religionem haec secta deducat, et quam impie grassetur in animarum perniciem! Nam cum Sacerdotium una cum sacrificio novae legis e medio tollit, quid aliud agit, quam quod gratiarum canales obstruat, et vitam adimat Religioni: quod cultui divino dignitatem omnem maje-

---

a) Part. III. Exercit. I. cap. 2.

statemque auferat, et terram a coelo dividat, sanctissimum, quo colligantur, vinculum abrumpens? Jam parum interest, an Sacramentum appellent illam inaugurationem, qua nullo charactere induuntur ministri, neque quidquam acquirunt, quod eos a Laicorum ordine separet; ita, ut in illos cadat, quod *Tertullian.* temporis sui Haereticis exprobravit *a)*: *Alius hodie Episcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector; hodie Presbyter, qui cras Laicus; nam et Laicis sacerdotalia munia injungunt.*

PROPOSITIO.

Ordo, vel Ordinatio, qua Ministri sacri inaugurantur, verum est ac proprie dictum novae legis Sacramentum.

Concil. Trident. Sess. XXIII. Can. III. ita definit:

Siquis dixerit, Ordinem, seu sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum; vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quemdam eligendi Ministros verbi Dei et Sacramentorum; anathema sit.

Prob. I. *ex Script.* In Ordinatione omnes veri Sacramenti characteres reperiuntur. I. Ritus externus. Actor. VI. legimus, septem Diaconos ab Apostolis fuisse ordinatos per orationem et manuum impositionem: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.* Ibid. cap. XIII. de Ordinatione Pauli et Barnabae dicitur: *Tunc jejunantes et orantes imponentesque eis manus, dimiserunt illos* . . . et cap. XIV., ubi Vulgata habet: *Cum constituissent illis per singulas civitates Presbyteros,* Graece impositio manuum exprimitur . . . χειροτήσαντες.

II. Eundem ritum, et simul conjunctam cum ritu externo gratiam exprimit Apostolus I Timoth. IV.: *Noli negligere gratiam, quae est in te, quae data est tibi per Prophetiam, per impositionem manuum Presbyterii* . . . et II ad Timoth. II.: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.*

---

a) De poenit. cap. XLI.

III. Habemus etiam mandatum Dei, seu institutionem divinam. Nam 1.° ipse Spiritus sanctus jussit Actor. XIII. segregari sibi Saulum et Barnabam, et Ephes. V. dicitur: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores et Doctores.* 2.° Nullus mortalium gratiam signis sensibilibus alligare potest; ergo cum certum sit Apostolos ordinasse Diaconos, Presbyteros et Episcopos, eisque spiritualem potestatem et gratiam contulisse, liquet, eos mandatum accepisse a Christo juxta illud Tertulliani effatum *a)*: *Ecclesiae ab Apostolis accepere, Apostoli a Christo, Christus a Deo.*

Prob. II. Idipsum ex constanti Traditione colligitur, quod 1.° probant testimonia summae antiquitatis. *Hieronym.* in dialogo contra Luciferianos probat, Episcopos haereticos, cum redeunt ad Ecclesiam Catholicam, non magis esse iterum ordinandos, quam Laicos iterum baptizandos, indicans nimirum Ordinationem aeque esse Sacramentum, ac Baptismum: *Si in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit, et in fide sua Sacerdotem constitutum constituens non inquinavit.* Simili ratiocinio S. Augustin. utitur contra Donatistas, lib. III. contr. Parmenian. cap. XIII.: *Ipsi explicent*, inquit, *quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, et Sacramentum ordinati possit amitti . . . Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda est.* Clara haec sunt, et explicatione non indigent. Plura alia videri possunt apud *Bellarmin.* aliosque Theologos. Unum adhuc audiamus *Ambrosium*, qui libro de dignitate sacerdotali cap. V. haec habet: *Homo imponit manus, Deus largitur gratiam; Sacerdos imponit supplicem dexteram, et Deus benedicit potenti dextera; Episcopus initiat Ordinem, et Deus tribuit dignitatem.* Post veterum Patrum et Conciliorum testimonia, longa serie afferri possent omnes, qui unquam in Scholis floruerunt, Theologi; sufficiat nominare S. *Thomam*, qui in IV. dist. 24. affirmat, communem esse omnium sententiam, Ordinationem unum

a) Loc. cit cap. XXI.

esse ex septem Sacramentis: *Ab omnibus enumeratur inter septem Ecclesiae Sacramenta.* Neque alia est Graecorum omniumque Orientalium fides, qui eadem ac nos et numero et specie Sacramenta admittunt; et ab hac doctrina, quam perpetua omnium saeculorum Traditione acceperunt, divelli se nunquam passi sunt, ut alio loco uberius explicatum est. Unde certe hic valet illud *Tertulliani: Quod apud multos* (imo apud omnes) *unum invenitur, non est erratum, sed traditum.*

Prob. III. Quod ex verbo Dei probavimus, hoc ratio ipsa aliquo modo ostendit. Nam 1.° Christus ipse Apostolis potestatem contulit Sacrificii et Sacramentorum, illamque contulit signo quocunque visibili, quo voluntatem suam eis declaravit. Dedit quoque Spiritum sanctum: *Accipite Spiritum sanctum* etc., ut sua potestate bene fungerentur. 2.° Christus voluit, ut quidquid ab eo Apostolis ad bonum Ecclesiae commendatum fuit, omnibus in posterum saeculis perduraret, et semper essent Sacerdotes, et mysteriorum dispensatores: quod necessario exigit, ut de medio provideretur, quo Apostoli acceptam a Christo potestatem et gratiam in alios transmitterent; quod in visibili societate aliter, quam visibili signo fieri non potest.

REFELLUNTUR QUAEDAM CONTRARIA.

Objic. I. Christus non legitur Apostolis manus imposuisse, cum eos ordinavit; neque ullum extat Christi mandatum, quo Ministri certo ritu ordinentur. Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Christus Apostolis sacram potestatem conferendo, necessario uti debuit signo aliquo sensibili, ut ipsi Apostoli intelligerent, se hac potestate donari. Non legitur quidem, quod manuum impositionem adhibuerit, sed neque contrarium in Scripturis invenitur. Caeterum potestas Christi summa erat, nec ullis legibus adstricta; quid autem ipse jusserit ab Apostolis faciendum, ex iis discimus, quae ab his facta leguntur.

Inst. Manuum impositio communis quaedam caeremonia erat, qua Apostoli more Judaeorum frequenter utebantur, juxta illud Marc. XVI.: *Super aegros manus imponent, et bene habebunt.* Ergo non est ritus sacramentalis.

Resp. dist. conseq. Ergo non omnis manuum impositio est Sacramentum, *conc.* Ergo illa, qua Ministri Ecclesiae ordinantur, Sacramentum non est, *nego.* Non omnis impositio manuum Sacramentum dici potest, sicut non omnis ablutio est Baptismus. Videndum est, an cum ritu externo stabili lege connexa sit gratia. Sed in Ordinatione Ministrorum gratiam veluti affixam esse impositioni manuum, ex Apostolo et continua Traditione accepimus.

Objic. II. Quae Apostolus ad Timoth. scribit: *Resuscites gratiam Dei etc.* et: *Noli negligere gratiam etc.* non debent intelligi de gratia sanctificante, quae per Sacramenta confertur; sed de ea, quae datur ad aliorum salutem, *et gratia gratis data* dicitur. Nam 1.° utitur Apostolus voce χάρισμα, quod gratiam gratis datam significat. 2.° Additur: *quae data est tibi per Prophetiam:* vel ut alii exponunt: *in Prophetiam:* sed Prophetia est gratia gratis data. Ergo etc.

Resp. I. ad argum. Apostolus loquitur de gratia gratum faciente, qualem confert Eucharistia, quae per se primam non impertit gratiam, sed eam tuetur et fovet. Illud imprimis perspicuum est ex iis, quae II ad Timoth. I. leguntur: *Ut resuscites gratiam, quae in te est.* Gratia *gratis data* ab homine non pendet, est quasi extrinseca homini; resuscitari autem non dicitur, nisi quae est in homine, et in eo habitat, quod gratiae sanctificanti magis proprium est. Idipsum confirmant verba, quae sequuntur, ubi Paulus explicans, quae sit illa gratia, quae per impositionem manuum datur, addit: *non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, dilectionis, et sobrietatis.* Gratia autem dilectionis et sobrietatis, seu moderationis, est gratia sanctificans, seu charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum.

Resp. II. ad prob. argum. 1.° Nomen Graecum χάρισμα significat quidem gratias gratis datas, sed quatenus conjunctae sunt cum gratia sanctificante: quod manifestum est ex I ad Corinth. XII., ubi Apostolus, postquam varia enumeravit χαρίσματα, ita concludit 31.... *aemulamini charismata meliora.* Sed dona gratis data, quaecunque illa sint, desiderare nemo debet, nisi comitem habeant gratiam sanctificantem. Hoc sensu sumpta vox χάρισμα optime sacrae Ordinationi attribuitur, quae duo

continet, nempe potestatem conficiendi et ministrandi Sacramenta, quae gratia est in aliorum utilitatem data, et gratiam internam, qua homo ad digne ministrandum idoneus efficitur.

2.° Calvinus ipse in commentario non inscite observat, verba illa: *Quae data est tibi per Prophetiam*, non significare, gratiam Timotheo collatam fuisse ad prophetandum; sed sensum esse: per revelationem mihi factam, vel per Prophetiam de te factam, quae me impulit, ut te ordinarem in Episcopum. Hic sensus optime cohaeret cum aliis Apostoli verbis ad eundem (I Tim. I, 18.): *Hoc praeceptum commendo tibi secundum praecedentes in te Prophetias* (id est revelationes de te factas), *ut milites in illis bonam militiam.*

ARTICULUS II.

Qui Ordines sint Sacramenta.

OBSERVANDA.

I. *Sacerdotium*, ait S. *Chrysostomus a*), *in terra quidem perficitur, sed ordinem tamen coelestium illarum legionum obtinet, idque adeo jure meritissimo: etenim non homo, non Angelus, non Archangelus, nec alia quaepiam creata virtus, sed ipsemet Spiritus sanctus hanc totam seriem ordinavit, et manentes adhuc in carne angelicum ministerium animo concipere persuasit.* Vides plures esse in sacro ministerio ordines, gradusque diversos, quorum omnium Sacerdotium et principium est et fons. Haec fuit perpetua Ecclesiae fides, quam Tridentinum Sess. XXIII. Can. VI. sancivit: *Siquis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris et ministris; anathema sit.* Concilium de ministris, seu Diaconis tantum loquitur, nulla facta mentione inferiorum Ordinum; tum quia de illis duntaxat ordinibus agitur, qui divinae institutionis sunt; tum quia generale vocabulum ministrorum aliqua ratione omnes alios ordines complectitur, qui ex Diaconatu tanquam rivi e fonte defluunt.

II. Antequam de diversis Ordinibus singillatim agamus, illud removendum est dubium, quod, si plures sint Ordines, qui Sa-

---

a) Lib. III. de Sacerd.

cramenti rationem habent, jam non unum sit Ordinis Sacramentum, sed plura: ex quo et illud sequeretur, plura esse quam septem Sacramenta. Sed non valet consequentia; nam Ordo unum Sacramentum est, quia est aliquod totum, cujus singuli Ordines quasi partes sunt. Quod Scholastici ita explicant: *Dicendum est*, ait S. *Thomas a)*, *quod distinctio Ordinis non est totius integralis in partes* (siquidem ejusmodi totum ex partium conjunctione componitur, nec potest totum enuntiari de parte quacunque; sic nec pes, nec caput, nec ulla alia pars corporis humani corpus vocari potest); *neque totius universalis* (nam Ordo non enuntiatur de singulis, ut genus de suis speciebus), *sed totius potestativi; cujus haec est natura, quod totum secundum completam naturam est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius, et ita est hic. Tota enim plenitudo hujus Sacramenti est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio; sed in aliis est quaedam participatio Ordinis, et ideo omnes Ordines sunt unum Sacramentum.*

III. De Hierarchia, quae *Jurisdictionis* vocatur, jam, quantum ad Theologiam dogmaticam pertinet, disseruimus, cum de Ecclesiae constitutione egimus. Copiosius in hac materia versantur Juris Canonici tractatores. Ordinum gradus semptem numerantur a Concilio Trid. Sess. XXIII. cap. II., quos Concilium ait institutos fuisse, ut *Sacerdotii ministerium dignius, et majori cum veneratione exerceri posset.* Tum addit: *Non solum de Sacerdotibus, sed et de Diaconis sacrae litterae apertam mentionem faciunt. Et ab ipso Ecclesiae initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistae, Lectoris et Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur.* Horum Ordinum rationem ita explicat S. *Thomas b)*: *Dicendum, quod Ordinis Sacramentum ad Sacramentum Eucharistiae ordinatur, quod est Sacramentum Sacramentorum. Sicut enim templum, et Altare, et vasa, et vestes, ita et ministeria, quae ad Eucharistiam ordinantur, consecratione indigent; et haec consecratio est Ordinis Sacramentum. Et ideo distinctio Ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam; quia potestas Ordinis aut est ad consecrationem Eucharistiae, aut ad ali-*

---

a) In IV. dist. 24. q. 2. art. 1. *b)* In IV. dist. 24. q. 2. art. 1.

quod ministerium ordinatum ad hoc. Verum de his plura occurrent, quando de singulis Ordinibus agetur.

IV. Ex Veterum monumentis constat, septem Ordines, quos memorat Tridentina Synodus, jam antiquitus fuisse in Ecclesia Latina constitutos. Medio Saeculo III. *Cornelius Papa* testatur *a)*, ea aetate Romae fuisse Presbyteros 44, Diaconos septem, totidemque Subdiaconos, Acolythos 42, Exorcistas et Lectores cum Ostiariis 52. Apud Graecos multis abhinc saeculis quatuor tantum esse Ordines, nimirum Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi et Lectoris, ex eorum Euchologiis apertum est. An olim plures fuerint, disputant Theologi. Vide inter alios Hyacinth. *Drouin* de re sacrament. T. II.

Ordines alii vocantur *majores* et *sacri*, scilicet Presbyteratus, Diaconatus, et Subdiaconatus; alii minores, et non sacri; non quod etiam suo modo sacri non sint, sed quod non ita proxime ad Eucharistiam accedant.

Agemus nunc 1.° de Sacerdotio, 2.° de Diaconatu, 3.° de Subdiaconatu et minoribus Ordinibus generatim, 4.° de Subdiaconatu et minoribus Ordinibus singillatim.

§. I.

De Sacerdotio.

OBSERVANDA.

I. Tridentinum, cum Ordines numerat in Ecclesia constitutos, a Sacerdotio initium ducit; Sacerdotium autem ponit tanquam genus, sub quo continentur primi et secundi ordinis Sacerdotes, id est Episcopi et Presbyteri. — De Presbyteratu non est nobis disputandum; nam argumenta, quibus priore Articulo confecimus, Ordinem esse Sacramentum, ad Presbyteratum imprimis pertinent; hic enim unus Ordo est, de quo non, an Sacramentum sit, ab aliquibus fuerit dubitatum.

II. De Episcopatu major quaestio est inter Theologos. Ut autem certa ab incertis sejungamus, sciendum est, a Trident. definitum fuisse, Sess. XXIII. cap. IV. et Can. VII., et a nullo Catholico in dubium vocari, quod Episcopi sint Presbyteris ex

a) Apud Euseb. Hist. lib. VI. cap. 43.

divina institutione superiores. Hoc enim nomine *Aërius* inter Haereticos habitus est, quod Episcopos aequaret Presbyteris, ut testantur *Epiphan. a)* et *Augustin. b)*. In eo posita est controversia, an Episcopatus sit Ordo et Sacramentum a Presbyteratu distinctum, an non. Veteres Theologi bene multi, quos citat *Morinus c)*, atque inter caeteros, qui principem inter Scholasticos locum obtinent, in ea fuerunt sententia, quod Episcopatus non aliud a Presbyteratu Sacramentum sit, neque novum characterem imprimat, sed ampliorem tantum contineat potestatem. Ita Magister sentent., S. *Bonaventura*, S. *Thomas*, etc. Ex adverso stant *Bellarmin.*, *Maldonat.* multique alii insignes Theologi, qui docent, Episcopatum verum esse Sacramentum, a Presbyteratu distinctum. Inter has extremas opiniones mediam videntur viam insistere, qui non unum et eundem characterem esse dicunt, nec etiam duos plane distinctos, sed ejusdem Ordinis extensionem, qui in Presbyteris est inchoatus, in Episcopis completus. Atque eam characteris extensionem non instar augmenti in eadem re, sed instar extensionis ad plures res objectas concipiunt. « Character sacerdotalis, ajunt, qui prius non poterat « ordinare, vel conficere et absolvere, adhibita Episcopali con- « secratione non potest plus conficere, ungere et absolvere quam « prius, sed ordinare et confirmare, quod non prius. »

III. Episcopus, si graeci nominis etymologiam spectes, idem est ac latine *inspector*, *superintendens.* — Sic lib. I. *Machab.* cap. 1. dicitur: *Secundum omnia verba haec scripsit Antiochus, et praeposuit principes populo* ... graece ἐπισκόπους. Hinc merito S. *Augustin.* ait: *Episcopatus nomen est oneris, non honoris; graecum est enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille qui praeficitur, eis quibus praeficitur, superintendit, curam ipsorum scilicet gerens.*

IV. Ordines singulos separatim decurrentes, ab Episcopatu merito initium ducimus; hic enim Ordo alios omnes complectitur, atque ut origine primus est, sic omnium fons est et caput. Siquidem Christus non ita Sacerdotio suo initiavit Apostolos, ut nunc fit in iis, qui per gradus singulos ad culmen Sacerdotii

---

a) Haeresi 75. n. 3. *b)* Lib. de haeres. cap. LIII. *c)* De sacris Ord. part. III. exercit. III. c. I.

ascendunt. Sed quemadmodum Deus principem et parentem generis nostri statim omni ex parte perfectum condidit; ita Christus, quando hunc mundum instaurare voluit, et formare Ecclesiam, Apostolis, quos satores et parentes novae suae gentis esse voluit, omnem statim Sacerdotii plenitudinem contulit. Et sicut nunc nasci hominem necesse est, et per varios vitae gradus ad perfectam aetatem pervenire; ita etiam ad Apostolicae potestatis fastigium necesse est per diversos Ordinum gradus assurgere. Vid. *Thomassin.* de Eccl. discipl. lib. I. cap. I.

PROPOSITIO.

Ordinatio Episcoporum verum est Sacramentum a Presbyteratu distinctum.

Prob. I. pars. Ordinatio Episcoporum omnia habet, quae ad verum Sacramentum requiruntur: habet ritum externum, quem describit Concilium Carthag. IV. Can. II. — Habet gratiam ritui annexam, ut patet ex verbis Apostoli supra relatis ad Timoth. — Haec utique de Episcopatu potissimum intelligi debent, cum nemo nesciat, Timotheum Episcopum ordinatum fuisse ab Apostolo. Id quoque verba illa significant, quae ad Episcopum ordinandum simul cum impositione manuum pronuntiantur: *Accipe Spiritum sanctum.* Porro haec duo, ritus exterior, et gratia ritui annexa necessario supponunt institutionem divinam; quam etiam haec Apostoli verba satis exprimunt ad Ephes IV.: *Ipse dedit quosdam Apostolos.* Concessum enim est ab omnibus, Episcopos esse Apostolorum successores.

Hoc praeterea observandum est, argumenta, quibus generatim probavimus, Ordininem esse Sacramentum, speciali quadam ratione ad Episcopos pertinere: ut sunt illa, quae Actor. XIII. leguntur de Ordinatione Pauli et Barnabae. Sic et Patrum testimonia potissimum de Episcopis loquuntur; et Concilium Trid. inaugurationem Episcoporum aeque ac eam Presbyterorum *Ordinationem* vocat, cui ait specialem annexam esse virtutem et potestatem: cum Episcoporum sit, Sacramentum Confirmationis conferre et ministros Ecclesiae ordinare.

Prob. II. pars. Haec pars prioris consectarium est. Nam si Episcopatui nihil deest eorum, quae ad constituendum Sacramentum requiruntur; profecto non est, cur non Sacramentum esse dicatur a Presbyteratu distinctum. Ergo non est mera Presbyteratus extensio, cum hic potius dici possit ex Episcopatu, tanquam ex suo fonte, manasse. Melius quippe, quod minus est, a majore, quam majus a minore per extensionem profluere concipitur.

RESPONSIO AD OBJECTA.

Argum. I. Si Episcopatus esset Ordo et Sacramentum a Presbyteratu distinctum, octo essent Ordines et Sacramenta; atqui utrumque doctrinae Concilii Trident. repugnat, quod 1.° Sess. XXIII. c. III. septem Ordines numerat, et Sess. VII. c. I. anathema pronuntiat contra eos, qui dicerent, plura esse aut pauciora Sacramenta quam septem. Ergo etc.

Resp. cum *Bellarm.* Episcopatus unus est Ordo cum Presbyteratu genere, non specie. Unus est Ordo sacerdotalis eorum, qui Eucharistiam consecrare possunt, nec supra hunc potest fingi alius Ordo major vel superior; quia tamen hanc potestatem vario modo participant Presbyteri et Episcopi, inde sunt duo gradus Sacerdotii. Presbyteri in consecranda Eucharistia saltem quoad usum pendent ab Episcopis; neque ita habent hanc potestatem, ut possint eam aliis communicare: Episcopi autem et habent et communicare aliis possunt.

Eodem modo ad illud respondetur, quod plura essent quam septem Sacramenta. Praeterea hoc argumentum aeque ferit Adversarios, qui Presbyteratum et Diaconatum duo distincta Sacramenta esse dicunt.

Inst. I. Episcopatus ex sua consecratione non habet, ut possit Eucharistiam consecrare; sed tantum ut possit confirmare et ordinare. Ergo non convenit genere cum Presbyteratu.

Resp. Episcopus illud non habet ex sua ultima consecratione, ut possit Eucharistiam conficere; sed illud habet ex Presbyteratu, qui non potest ab Episcopatu separari. Hinc character episcopalis integer et perfectus est aliquod compositum ex duplici charactere; proinde etiam duo Sacramenta requiruntur ad Episcopum constituendum.

Inst. II. Si character episcopalis esset alius et distinctus a charactere Presbyteri, esset hoc etiam major et perfectior: atqui non datur character major sacerdotali, quia nihil datur majus potestate consecrandi Eucharistiam.

Resp. Eadem fere responsio est; character episcopalis integer et perfectus major est presbyterali, quia illum includit et aliquid illi superaddit.

Argum. II. Si Episcopatus distinctum a Presbyteratu Sacramentum esset, sequeretur 1.° posse ordinari Episcopum eum, qui non esset ordinatus Presbyter; quemadmodum siquis Presbyter ordinaretur, qui non esset Diaconus, vere tamen ordinatus esse censeretur, quia sunt duo distincta Sacramenta. 2.° Sequeretur characterem Episcopi comprehendere in se characterem Presbyteri; quam ob rem, qui absque Presbyteratus Ordine Episcopus consecraretur, eo ipso etiam Presbyter ordinatus esset, et posset Eucharistiam conficere, quod est absurdum.

Resp. ad I. Si valet Presbyteri Ordinatio in eo, qui nondum Diaconus factus est, id non fit, quia sunt duo Sacramenta, sed quia illud nulla lege divina prohibetur. Jus autem Ecclesiasticum, quo illud vetatur, non irritat Ordinem. Verum quod non possit fieri Episcopus, nisi qui sit Presbyter ordinatus, ad jus divinum pertinet. Presbyteratus non includit necessario Diaconatum, sicut Episcopatus Presbyteratum includit.

Ad II. Argumentum versatur in falso supposito. Ordo episcopalis sine Presbyteratu nullus esset, et merum figmentum. Neque illud ex objectione sequitur, quod Episcopatus, si esset a Presbyteratu distinctus, characterem Presbyteratus includeret: imo sequitur contrarium; quia non includit illum, est Ordo distinctus.

Argum. III. Si Episcopatus esset proprium Sacramentum a Presbyteratu distinctum, nemo posset episcopalia jura exercere, nisi esset consecratus Episcopus; atqui tamen non raro contingit, ut simplices Sacerdotes ejusmodi jura exerceant; ergo non requiritur novus character.

Resp. dist. min. Jura quaedam, quae ad potestatem jurisdictionis, et regimen Ecclesiae pertinent; *conc.;* quae Sacramento propria sunt, et characterem episcopalem exigunt, *nego.* Presbyter, ut de reliquis taceam, nunquam potest, quae ipse vi Ordinis

sui habet, in alios transfundere; id solus potest Episcopus, qui Sacerdotii principatum, adeoque et fecunditatem sortitus est. «Non potest,» ut eleganter *Thomassin.* ait *a)*, «Presbyter Presbyteros « creare, quod precario Sacerdotium adeptus sit, et tam parce, « ut vix illi sua copia sufficiat, effundi in alios haud possit. At « Episcopus de venae suae plenitudine locupletans, quoscunque « probarit dignos, eo satis documento probat totam Sacerdotii « opulentiam a se obtineri.» Sed et illa Episcopalia jura, quae Presbyteri subinde exercent, non sunt cum Presbyterorum Ordine connexa; precaria sunt, et a nutu Episcoporum et Ecclesiae pendent, atque ab his aut limitibus circumscribi, aut auferri omnino possunt.

§. II.

De Ordine Diaconatus.

OBSERVANDA.

Diaconatus recte definitur: *Ordo per quem datur potestas ministrandi Episcopis, vel Presbyteris sacra solemniter perficientibus.* Palmare hoc Diaconi officium est, Sacerdoti ministrare, et ideo Διάκονος, id est Minister κατ' ἐξοχήν dicitur. Hoc Diaconorum ministerium a Levitarum institutione et officiis veteris testamenti repetunt auctores fere omnes; quemadmodum qui secundo loco constituti sunt Presbyteri filios Aaron exprimunt. Prima in nova lege Diaconorum mentio fit Actor. VI., ubi tamen observandum est, Apostolos primae Diaconorum creationis occasionem desumsisse ab officio illorum secundario, a cura scilicet habenda viduarum, pauperum et personarum miserabilium. Verum alia erant multo excellentiora eorum officia ab ipso Ecclesiae exordio. A Conciliis vocati sunt manus, oculi, pedes Episcoporum: hi enim omnia prope Ecclesiastica negotia per Diaconos gerebant; et, quod proprie ad naturam Ordinis pertinet, in solemni Missarum celebratione, omnibusque Ecclesiasticis officiis, maximam illi post Sacerdotes partem habebant. *Ipsi*, ait *Isidorus b)*, *clara voce in modum praeconis admonent cunctos, sive in orando, sive in flectendo genua etc. Sine ipsis Sacerdos nomen habet, officium non habet, nam*

---

a) Part. I. lib. I. cap. II. n. 13. *b)* Lib. II. de offic. Eccles. cap. VIII.

sicut in Sacerdote consecratio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti. Ipsis enim Sacerdotibus propter praesumptionem non licet de mensa Domini tollere calicem, nisi eis traditus sit a Diacono. Vide *Morin.* Exercit. IX. cap. 3. *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare,* ait Pontif. Rom. Haec tamen munia a Diaconis non pleno jure exerceri possunt, sed, quod ministrorum ratio exigit, jubente aut annuente Episcopo vel Presbytero, et juxta regulas Dioecesium usu receptas.

II. Si Ordinis nomen tantum usurparetur pro deputatione ad certa officia, non recusarent Novatores Diaconatum Ordinem appellare. Verum totis repugnant viribus, cum dicimus esse Sacramentum, quod certo ritu, seu consecratione conferatur, et annexam habeat gratiae sanctificantis promissionem. Etiam inter Catholicos Theologos fuerunt aliqui, qui Diaconatum verum Sacramentum esse inficiati sunt. Unde consequitur contrariam sententiam, quamvis communis sit Theologorum, non tamen esse de fide. « De Diaconis probabile, et omnino tenendum est, inquit *Bel-* « *larmin. a),* eorum Ordinationem Sacramentum esse; licet id « non sit certum ex fide... quia non potest id evidenter deduci « ex verbo Dei scripto vel tradito; neque extat ulla Ecclesiae de « hac re expressa determinatio. »

PROPOSITIO.

Diaconatus est verum novae legis Sacramentum.

Prob. Diaconatus habet, quidquid ad verum Sacramentum requiritur. Habet 1.° *signum externum*, manuum scilicet impositionem cum oratione. Ita enim septem primi Diaconi inaugurati fuerunt Actor. VI.

2.° Habet *institutionem Christi,* tum quia gratiam confert, ut mox videbitur, nemo autem gratiam ritui externo alligare potest, quam Deus; tum quia Apostoli nihil fecerunt, nisi quod edocti fuerunt a Christo; tum quia Veteres Diaconos ex mandato Christi institutos fuisse declarant. Sic *Clemens Roman.,* qui Petri et Pauli socius fuerat, Ep. I. ad Cor. ait: *Apostoli acceptis a Christo mandatis.... Episcopos*

---

a) De Sacram. Ord. cap. VI.

et Diaconos constituerunt ... et S. *Ignatius Martyr* Ep. ad Smyrnaeos: *Diaconos revereamini*, inquit, *ut Dei mandatum;* vel ut alii legunt: *velut mandatum Dei exsequentes ministerio suo.* Accedit jam laudatum decretum Concilii Tridentini Sess. XXIII. Can. VI, quo definitur Ministros, id est Diaconos, ad Hierarchiam pertinere divina ordinatione institutam.

3.° *Confert gratiam.* 1.° Id jam indicat manuum impositio cum oratione, juxta illud Tertulliani lib. de resurrect. cap. 8.: *Caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur.* 2.° Dispositiones, quas Apostoli postularunt Actor. VI. ab iis, qui Diaconi ordinandi erant, scilicet ut essent *viri boni testimonii, pleni Spiritu sancto et sapientia*, probant majus aliquid impertiri, quam officium profanum. 3.° I ad Timoth. III, ad Titum I. et ad Philipp. I. Apostolus semper conjungit Diaconos cum Episcopis, id est cum Sacerdotibus primi et secundi Ordinis; et easdem in Diaconis dotes requirit, ac in Episcopis. 4.° Demum *Trident.* cit. loco can. IV. sic pronuntiat: *Siquis dixerit per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum; anathema sit.* Atqui in Ordinatione Diaconi Episcopus haec verba profert: *Accipe Spiritum sanctum.*

OPPOSITIONES QUAEDAM.

Opponunt I. Per Sacramentum Ordinis datur potestas ad conficienda Sacramenta, sicut per Baptismum datur potestas ad ea recipienda: atqui per Diaconatum nulla confertur potestas Sacramenta conficiendi. Ergo etc.

Resp. 1.° neg. maj. Falsum est, quod omnis character sacramentalis detur vel ad conficienda, vel ad suscipienda Sacramenta, ut patet ex Sacramento Confirmationis.

2.° Dist. min. Per Diaconatum non datur potestas conficiendi Sacramenta proprie et immediate, *conc.:* non datur potestas dispensandi Sacramenta, et ad eorum confectionem ex officio concurrendi, *nego.*

Oppon. II. Per characterem datur potestas aliquid faciendi, quod esset irritum, si fieret ab alio hunc characterem non ha-

bente. Sic Presbyter accipit potestatem consecrandi, quod facere nullo modo potest, qui Presbyteratum non habet; atqui Diaconatus nullam ejusmodi potestatem confert; nam si alius, qui Diaconus non est, baptizaret, praedicaret, sacram Eucharistiam dispensaret, non esset irritum, quod faceret. Ergo Diaconatus non dat characterem; ergo non est Sacramentum.

Resp. Nego ad characterem hoc necessario pertinere, quod in majore dicitur. In Sacerdotio quidem id locum habet, sed non est universaliter verum, ut patet ex charactere Confirmationis, qui datur ad profitendam fidem; quam tamen sine Confirmatione multi ad sanguinis effusionem usque professi sunt, quamque alii, quamvis confirmati, profiteri cum aliquo periculo non auderent.

Oppon. III. 1.° Plurimi Veterum dicunt, Diaconos non a Christo, sed ab Apostolis esse institutos. 2.° Actor. VI. Petrus eligendos proponit Diaconos ob murmur Graecorum, ut ministerio mensarum essent addicti. Ergo etc.

Resp. ad I. Ex illis Veterum testimoniis hoc solum sequitur, quod Christus per seipsum Diaconos non elegerit, sicut elegit Apostolos; non autem sequitur, Diaconatum non fuisse institutum a Christo, facta Apostolis potestate, quos dignos judicarent, ad hoc officium promovendi.

Ad II. Murmur illud Graecorum, ut jam observatum est, occasionem quidem dedit Diaconorum creationi, sed ex Scripturis et antiquissima Traditione patet, eos ad alia et nobiliora munia fuisse destinatos, quam ut mensis deservirent. Vid. quae supra dicta sunt Tom. II. de constit. Eccles. pag. 110. Nisi velis per mensas Actor. VI. mensam Eucharisticam intelligere, et, quae hanc eo tempore comitabatur, Agapen seu convivium commune in signum Charitatis. Conf. Corn. a Lapide in hunc locum.

§. III.

De Subdiaconatu et minoribus Ordinibus generatim.

I. Ut in Episcopis Sacerdotii, sic in Diaconis Ministerii plenitudo inest, adeo, ut inferiores Ordines ex eo tanquam rivi ex fonte effluere videantur. Antequam de his nunc singillatim agamus, gravis occurit quaestio, quae ad omnia generatim spectat, an nempe Ordines illi Sacramenta sint, et characterem im-

primant. Id negant plures insignes Theologi, inter alios *Morinus*, qui ita sententiam suam exprimit *a)*: « Cum ego examino anti- « quorum Patrum de Subdiaconatu, et minoribus Ordinibus tes- « timonia, propositionem illam, qua asseritur, et Subdiaconatum, « et quatuor Ordines non esse Sacramenta, judico tam esse « certam et evidentem, ut qui ea consideraverit, ire contra vix « possit. » Sunt tamen, qui contra eundum esse putant non pauci; plures tamen, qui Subdiaconatum tantum Sacramentum esse docent, quam qui idem etiam de minoribus Ordinibus praedicant. Omnes autem in hoc consentiunt, quod suam sententiam absolute certam non esse fateantur. Sic *Bellarmin.* de Subdiaconatu loquens ait *b)*: « De Subdiaconatu (an sit Sacramentum) « non est tanta certitudo, quanta de Diaconatu. » Et sequenti capite de minoribus Ordinibus disserens: « De minoribus Ordi- « nibus, inquit, minus probabile est, quod Sacramenta sint, « quam de Subdiaconatu. »

II. Ex his satis apertum est, difficile omnino esse, aliquid certum in hac quaestione definire. Fatemur tamen Morini sententiam valde nobis probabilem videri, idque plurima non exigui ponderis momenta persuadent. Primum est, quod Antiqui minores Ordines ab Apostolis non esse institutos dixerint, sed ab Ecclesia crescente Fidelium multitudine adjectos. Sic *Amalarius*, noni Saeculi Scriptor *c)*, postquam asseruit, duos esse in Ecclesia Ordines necessarios, quos S. Paulus appellavit, Presbyterorum nempe et Diaconorum, haec addit: *Caeteri Ordines his adjecti sunt. Crescente Ecclesia crevit officium Ecclesiasticum, ut multitudini Ecclesiae subveniri posset, adjiciuntur inferiores in adjutorio Praepositorum.* Amalarius in sententiae suae confirmationem affert testimonium S. *Ambrosii*, quem ait idipsum iisdem fere verbis docere in tractatu Epistolae ad Timoth.

Aliud Argumentum ex eo efficitur, quod non iidem sint in omnibus Ecclesiis inferiores Ordines. Quidam olim habebantur, qui posterioribus saeculis fuerunt abrogati, et alii sunt inducti Veteribus incogniti; quod manifeste evincit, illos Ordines esse institutionis ecclesiasticae, et sicut alia ad disciplinam pertinen-

---

a) Part. III. exercit. XI. cap. I. *b)* De Sacram. Ord. cap. VII. *c)* Lib. II. de officiis Eccles. cap. VI.

tia, mutabilitati obnoxios. Ecclesia Orientalis a 1200 saltem annis nec Ostiarios habet, nec Exorcistas, nec Acolythos, si tamen unquam habuit. Attamen nemo Latinorum ideo Graecos aut alios Orientales unquam redarguit, aut mutilum esse apud eos Sacerdotium conquestus est. Econtra Graeci et Syri praeter Subdiaconos et Lectores etiam *Cantores* habent, seu *Psalmistas*. Imo neque apud Latinos hic Ordo Cantorum antiquitus ignotus fuit, ut patet ex antiquo ordine Romano, et Concilio Carthagin. IV. Can. 10. Reperitur et *Fossariorum* Ordo in quibusdam Ecclesiis. S. *Ignatius*, in Epist. ad Antiochenos, eos vocat *Laborantes*, quod S. *Epiphan.* ita exponit *a*): *Sequuntur Laborantes, qui mortuorum corpora curant.* Non sunt ergo juris divini nec vera Sacramenta, quae ab initio Christianae Religionis nec fuerunt semper, nec ubique eadem.

Tertium Argumentum est, quod apud antiquos non necessario praemitterentur isti Ordines in promotione altiorum Ordinum; adeo ut Diaconi interdum ordinarentur, nullo inferiori Ordine prius insigniti. In vita S. Chrysostomi narratur, quod primum Lector creatus fuerit, dein Diaconus, ac postmodum Presbyter, nulla Subdiaconatus aut aliorum Ordinum facta mentione. Plura hujus rei exempla vide apud Morinum loc. cit.

Quarto loco notandum est, minores Ordines in veteri Ecclesia magis officia fuisse, quam Ordines, eumque in iis constituendis finem sibi proposuisse Ecclesiam, ut impediret repentinam in majores Ordines irruptionem, non posito ante in minori gradu tyrocinio; quare necesse non erat, omnes Ordines nullo excepto decurrere, sed in eo quisque exercebatur, ad quem magis videbatur idoneus. Quod ita declarat S. *Ambros.* lib. I. de Officiis: *Alius distinguendae lectioni aptior, alius Psalmo gratior, alius exorcizandis, qui malo laborant spiritu, sollicitior, alius sacrario opportunior habetur. Haec omnia spectet Sacerdos, et quid cuique congruat, id officii deputet.*

Jam si praxis consideretur, quae ab aliquot saeculis in usu Ecclesiae est, patet, non posse istos Ordines, praesertim quatuor minores in Sacramentorum numerum referri. Hodie ab omnibus quidem suscipiuntur Ordines illi, sed vix unquam ab

---

a) In Expositione fidei.

iis, qui eos suscipiunt, exercentur. Nemo jam Ostiarii officio fungitur, nisi viles personae mercede conductae; nulla est Lectoris functio, nullus Exorcistarum in Ecclesia usus. Acolythi functio manet quidem, sed eam exercent Laici aut simplices Clerici; quod magno argumento est, hos Ordines non esse Sacramenta, nec characterem imprimere. Subdiaconorum quidem melior videtur conditio, sed an non saepe illorum etiam officium homines implent nullis prorsus Ordinibus initiati? Hoc quidem illis proprium est, quod manipulum sinistro brachio gerant, sed manipulus ille non aliud quidquam erat, quam sudarium, sive mappula brachio illigata, qua faciem abstergebant.

III. Diversae tamen Theologorum sententiae aliqua ratione conciliari possunt, si dicatur, minores Ordines divinae institutionis esse, quatenus in Diaconatu includuntur, et ex eo tanquam rivuli scaturierunt. Nam in hos Ordines crescente Ecclesia Diaconatus se diffudit: omnes Ministerii sacerdotalis quasi partes sunt et segmenta, quod totum et plenissimum est in Diaconatu. Hoc sensu Sacramenta quaedam vocari possunt, sed imperfecta et incompleta. Illud tamen non probamus, quod quidam asserunt, a minoribus Ordinibus, quamvis Sacramenta perfecta et integra non sint, tamen imprimi characterem, eo quod non iterentur. Sed nulla est haec ratio, nam etiam Ecclesiae consecratio non iteratur, et tonsura, quamvis non iteretur, omnium tamen consensu characterem non habet.

§. IV.

De Subdiaconatu et minoribus Ordinibus singillatim.

I. Subdiaconatus est Ordo, per quem datur potestas proxime serviendi Diacono solemniter ad altare ministranti. Qui hoc Ordine insigniti sunt, a Graecis appellantur Hypodiaconi, vel Hyperitae, quasi Subministri. Primi inter Latinos Subdiaconorum mentionem faciunt *Cyprianus a*) et *Cornelius b*). Apud Graecos nihil de illis legitur ante Concilium *Laodicenum*, quod anno 320 celebratum est. Illud quoque adnotandum, Subdiaco-

---

a) Epistolis 8. 20. 29. etc. *b*) Epist. ad Fab. Antioch. apud Euseb. lib. VI. cap. XLIII.

nos semper, saltem in Ecclesia Latina, sine manuum impositione fuisse ordinatos, quo etiam confirmari videtur, quod jam diximus, Subdiaconatum ab Apostolis non fuisse institutum; hi enim in omni Ordinatione χειροτονίαν adhibuerunt. In Concilio Carthagin. IV. (398) ritus Ordinationis sic exprimitur: *Subdiaconus, qui ordinatur, quoniam manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, et calicem vacuum: de manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua, et mantile, et manutergium.*

Subdiaconatus ab initio, et per plura deinceps saecula inter sacros Ordines non fuit numeratus; neque hodie numeratur apud Graecos. Credunt ab Innocentio III. ad hanc dignitatem fuisse evectum. Adhuc anno 1091 Urbanus II. in Synodo Beneventina ita statuit: *Nullus in Episcopum eligatur, nisi qui in sacris Ordinibus religiose vivens inventus est, sacros autem Ordines dicimus Diaconatum et Presbyteratum.* Accedit et hoc, antiquitus Subdiaconatum et minores Ordines apud Latinos, non secus ac etiam nunc apud Graecos, collatos fuisse non in Sanctuario et ad Altare, sed in Secretario, aut ad portam, qua de navi Ecclesiae in chorum est ingressus, et quae vocatur speciosa. Conf. *Morin.* Exercit. XI.

Quae hodie in Ecclesia Latina Subdiaconorum officia sint, satis ex Pontificali Rom. et ipsa praxi Ecclesiae notum est. Non eadem tamen semper fuerunt eorum munia. In Concilio Laodiceno prohibetur Diaconis, ne coram Presbytero nisi jussi sedeant; eundem honorem Subdiaconi aliique Clerici Diaconis habere jubentur. Vetatur Can. 21., ne Subdiaconi in Secretarium seu διακονικὸν intrent, et ne vasa sacra, cum panem et vinum ad Sacrificium continent, a mensa propositionis ad Altare deferant. Quando sacra Communio celebrabatur, Subdiaconi ad portam Sanctuarii stabant, quae speciosa vocabatur, eamque custodiebant, ne quis profanus Sanctuarium ingrederetur. Caeterum vasa sacra contrectare semper fuit Subdiaconis attributum.

II. Ex quatuor minoribus Ordinibus, qui apud Latinos extant, Graeci unum retinuerunt *Lectorum*, tametsi, uti dictum est, et Cantores ordinent iisdem plane verbis, quibus Lectores. Reliquorum Ordinum ministeria inter Subdiaconos et Lectores partiuntur. Primi post Subdiaconos veniunt *Acolythi.* Horum

munus est Ministros majores, Subdiaconos et Diaconos, in Altaris ministerio assectari, eisque operam dare. Praeterea lumina deferunt, et asservant cum Missae Sacrificium celebratur, praecipue vero cum Evangelium legitur. Antiquitus non raro ut fidi Episcoporum ministri eorum epistolas perferebant (Epist. 43. S. Cypr.). Eulogias etiam seu Eucharistiam ad absentes deportabant (ex Innocent. I. Epist. 29. ad Decent.). — Ex Acolythorum officiis facile intelligitur, eorum Ordinem caeteros minores Ordines dignitate praecellere, eo quod celebrandae Eucharistiae, a quo singuli Ordines decus suum habent, propius inserviat. Hinc *Innocent.* I. Epist. ad Felicem ait, cavendum, *ne cito quilibet Lector Acolythus fiat.* Studeant igitur, ut alios etiam vitae sanctitate praecellant. *Pensate quod suscipitis*, ait Pontifex, *non enim Deo placere poteritis, si lucem Deo manibus praeferentes operibus tenebrarum inserviatis.*

III. *Exorcistarum* officium apud Judaeos sacrum fuisse conjicere licet ex Actor. 19. Primis Ecclesiae temporibus is erat fidei fervor, ut Christiani omnes daemones expellerent, ut ex *Justino*, *Tertull.* et aliis multis colligitur. Deinde cum in Ecclesiis sicut Catechumenorum ita etiam Energumenorum greges essent, creatus est Ordo Clericorum, qui Energumenorum curam haberent, pro ipsis quotidie impositis manibus precarentur, eisque, ubi domo Dei adsiderent, quotidianum victum procurarent. Plures volunt, Exorcistarum hoc quoque munus fuisse, ut Catechumenos ante Baptismum exorcismis adjurarent. Quales autem esse debeant, qui hoc Ordine insigniti sunt, declarat haec Episcopi hortatio: *Studete, ut, sicut a corporibus aliorum daemones expellitis, ita mentibus vestris omnem immunditiam et nequitiam ejiciatis, ne illis succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis* . . . etc.

IV. *Lectoris* munus est, veteris et novi Testamenti libros distincte in Ecclesia recitare, praesertim eos, qui inter nocturnam psalmodiam legi solent; saepe etiam illam Scripturae partem populo praelegebat, quam Episcopus erat explicaturus. Deinde ejus partes erant, Catechumenis et Neophytis prima fidei rudimenta tradere. Lectorum jam suo tempore meminit *Tertullian.*, imo Ignatius Martyr, in Ep. ad Antiochenos, eos primo post Subdiaconos loco nominat. *Saluto Hypodiaconos, Lectores, Can-*

tores, Janitores, Laborantes, Exorcistas. S. *Cyprianus* Aurelium juvenem, qui pro Christi nomine tormenta perpessus fuerat, in gloriosae confessionis praemium Lectorem ordinavit. (Lib. 2. Ep. 5.). Saeculo potissimum IV. frequentius juniores pueri Lectores ordinati sunt. Julianus Apostata, dum junior esset, Lectoris gradum in Ecclesia habuit.

V. *Ostiariorum* vel Janitorum prima mentio occurrit in Cornelii Papae epistolis. Horum munus erat, templi claves et januam custodire, et aditu templi arcere eos, quibus ingredi interdictum erat. Ad sanctum etiam Missae Sacrificium assistebant caventes, ne quis propius quam par esset, ad sacram mensam accederet. Ac demum sacrorum vasorum et Ecclesiae supellectilis curam habebant, unde etiam thesaurarii munus, quod praestantissimum habitum fuit, olim ad Ostiarios pertinuit.

VI. *Tonsura* est caeremonia, qua Laicus a vita sacculari segregatur, et Clero adscribitur. Antiquitus nemo Clericus fiebat sine Ordine aut officio ecclesiastico; hodie Tonsura est aliquid a minoribus Ordinibus distinctum: ait enim Trid. XXIII. cap. 2. plures ac diversos Ordines ita esse distributos, *ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.* Plura suadent, Clericos quinque prioribus saeculis capillos in modum coronae tonsos non habuisse; *Optatus Milevit. a)* hoc crimini vertit Donatistis, quod Episcopis, Presbyterisque Catholicis, qui in eorum manus incidissent, capita raderent, et S. *Hieronymus b)* capitis tonsuram detestatur tanquam propriam sacerdotum Isidis et cultorum Serapidis. Verum quamvis Clerici tunc temporis a Laicis nulla peculiari tonsura distinguerentur, semper tamen prohibuit Ecclesia, ne, qui Dei servitio essent mancipati, in crinium ornatu saecularem fastum profiterentur. Concil. Carthag. IV. vetat Can. 44., *ne Clericus comam nutriat, aut barbam radat*, ad Clericos imprimis applicans, quae Apostolus omnibus promiscue fidelibus commendat *c*): *Vir quidem si comam nutriat, ignominia est ei.* Est enim inanis et muliebris animi indicium.

---

a) Lib. II. cont. Parmen. *b)* Lib. XIII. in Ezech. cap. XLVI. *c)* I Cor. XI. 4.

Exeunte quinto Saeculo praeter modestam capillorum brevitatem, corona etiam clericalis invaluit, qua deraso vertice Clerici insigniuntur. Hanc Tonsuram putant a Monachis ad Clericos pervenisse; eo tamen cum discrimine, quod Monachi, poenitentium adinstar, praesertim in Hispania totum caput tonderent nulla coronae forma retenta, Clericis autem capillorum circulo inferiore caput veluti corona cingeretur. — Clerici, cum comas portant in coronae similitudinem, cogitent se hoc facere ad imitationem Christi, cujus capiti impii homines coronam ex spinis textam imposuerunt. Multi dicunt hac nota etiam regiam dignitatem declarari, quae iis maxime, qui in sortem Domini vocati sunt, videtur convenire. Alii iterum volunt externarum rerum contemptum, animique a superfluis curis vacuitatem per hoc significari, quod comae, quae aliquid superfluum in corpore sunt, tondantur. Omnes has rationes probamus, imo et alias, quae adjici possent, dummodo sint ex genuino Religionis sensu depromptae.

APPENDIX.

De coelibatu Clericorum.

Locus hic opportunus se offert, de illa continentiae lege agendi, qua Clerici in majoribus Ordinibus constituti tenentur. Novatores statim ab initio suae Religionis hanc legem coelibatus, quam Ecclesia Christi ab antiquissimis saeculis tanquam pupillam oculi custodivit, proterve impugnarunt; utpote carnali suae sapientiae contrariam, quae magnum novae Religioni successum ex morum corruptione sperabat. Neque eos haec sua spes fefellit: convolavit enim ad eorum castra Clericorum, Monachorumque turba, qui fraeni impatientes, et coelibatus pertaesi nuptias anhelabant. Novatores secuti sunt recentis Philosophiae alumni, qui, quidquid ab Ecclesiae Catholicae hostibus unquam contra coelibatum temere et petulanter effusum est, tanquam legitimam haereditatem collegerunt; quod quidem nemo mirabitur. Illud magis dolendum, etiam inter Ecclesiae ministros, viros reperiri, qui centies repetita, et toties refutata Haereticorum et Incredulorum argumenta recoquunt, et ex veterum

temporum annalibus cum amore colligunt quidquid probrosum et foetidum inveniri potest. Certe, cum ita hostibus Ecclesiae operam suam locant, et calumniando ac convitiando legem aggrediuntur, qua ipsi constricti sunt, parum propriae famae consulunt. Quem enim non statim subit haec cogitatio, eos, cum coelibatum tanquam tyrannicum et intolerabile jugum accusant, propriae corruptionis causam agere?

Duo nobis hic agenda sunt: primum, ut, quid de hac lege coelibatus sentiendum sit, dicamus; secundum, ut ad praecipua, quibus Adversarii eam impetunt, argumenta respondeamus. Sed haec omnia necesse est brevissimo sermone complecti; tanta quippe se offert rerum copia, ut si vellemus diffusius hanc materiam tractare, integer liber conscribendus esset.

§. I.

Quid de coelibatu sentiendum sit.

I. Primum est, quod etiam Protestantibus non potest esse ignotum, maximam semper fuisse apud omnes gentes virginitatis existimationem, cujus rei plura exempla affert *Hieronym.* lib. I. adversus Jovinianum. Fatentur iidem Adversarii nostri, eam a primis Ecclesiae initiis tanquam praeclarum aliquid ac quasi divinum habitam fuisse, ac summis laudibus celebratam ab antiquissimis Patribus; multos etiam utriusque sexus majoris perfectionis desiderio ultro se Deo continentiae sponsione dicasse. Ita alte animo imbiberant, quae in Evangelio et Apostolorum scriptis dicta sunt ad hujus virtutis commendationem. Hanc ergo Scripturae ac omnium Ecclesiarum, omniumque temporum Traditionem colligens Concilium Trid. ita statuit Sess. XXIV. Can. X.: *Siquis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel coelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut coelibatu, quam in matrimonio; anathema sit.* Sed si magna aliqua et Deo gratissima res est castimonia, neminem magis hac virtute conspicuum esse decet, quam divinorum mysteriorum ministros. Mirum, hanc persuasionem hominum mentibus ita esse naturaliter inditam, ut etiam gentilium testimonio convincere possemus nostros novi prorsus generis Evangelicos. Unde illud

Tibulli a): *Casta placent superis;* et *Ciceronis b)*: *Ad divos adeunto caste!* Scimus in veteri lege *c)* Davidi et pueris ejus, quamvis fame confectis, datos non fuisse panes propositionis, nisi cum affirmassent, mundos se esse a mulieribus. Et Sacerdotes, cum in ordine vicis suae sacerdotio fungerentur, a domo et uxore separati vivebant *d)*. Ad haec merito observant *Hieronym. e)* et *Innocent. f)*, perpetuam in Sacerdotibus novae legis requiri continentiam, utpote quorum ministerium sine successione est, et qui corpus Christi, quod illis figurabatur, quotidie conficiunt, edunt, aliisque tradunt.

II. Illud ergo primo constat, Sacerdotibus Christianis convenire quam maxime, ut coelibatum, aut, si jam matrimonio juncti fuerint, continentiam profiteantur. Atque optime *Origenes* ait *g)*: *Videtur mihi, quod illius solius sit offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti et perpetuae se devoverit castitati.* Quam ob rem a primis statim temporibus Ecclesia in id summo studio incubuit, ut ad sacros promoti ordines ab uxoribus, quas antea sibi conjunxerant, abstinerent. Habemus hujus rei testes luculentissimos *Hieronymum* et *Epiphanium*, quibus non latinae tantum, sed etiam orientalis Ecclesiae disciplina optime perspecta erat. Primus, qui partem vitae longe maximam in Oriente egit, lib. adversus Vigilantium disertis verbis ait: *Quid facient Orientis Ecclesiae? Quid Aegypti, et sedes Apostolicae, quae aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt?* S. *Epiphan.* Graecae Ecclesiae Pater expresse docet, legem continentiae clericalis non consuetudine tantum niti, sed per canones esse sancitam, et ex instituto apostolico originem habere. Sic enim ait Haeres. 39.: *Quin eum, qui adhuc in Matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit Ecclesia, sed eum duntaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus; quod in illis locis praecipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur.*

---

a) Lib. II. Eleg. I. *b)* De legib. lib. II., 8. *c)* I Reg. 21. *d)* I Paralip. 24. et Luc. I. *e)* In cap. I. ad Tit. *f)* Epist. III. ad Exuperium. *g)* Hom. 23. in Num.

III. Patet ergo, continentiae ecclesiasticae legem originem ducere ab Apostolis, atque per eos fuisse Ecclesiis commendatam. Ecclesia Occidentalis ab hac regula nunquam deflexit, eamque, cum videret in quibusbam Ecclesiis negligentius observatam, novis decretis sancivit. Concilii Eliberitani Can. XXXII. sic sonat: *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris et Diaconibus, vel omnibus Clericis positis in ministerio abstinere se a conjugibus suis, et non generare filios: quicunque vero fecerit, ab honore Clericatus exterminetur. Siricius* Papa in Epist. ad Himerium Tarraconens. data anno 395 Presbyteris et Diaconis praecipit, ut se ab uxoribus jam pridem ductis continerent, simulque, ne nova inducere videretur, ad sanctiones jam ante se latas appellat: *Quarum sanctionum*, inquit, *Sacerdotes omnes, atque Levitae indissolubili lege constringimur, ut a die Ordinationis nostrae sobrietati ac pudicitiae et corda nostra mancipemus et corpora.* Eandem legem novis decretis confirmarunt *Innocent.* I., *Leo* M., Concilia Carthag. II. et V., Toletan. I., *Arausicanum* etc. Cfr. *Thomassin.* p. I. lib. II. cap. LXI. — Carthag. II. in haec addit Can. II.: *Ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, et nos custodiamus.* Quae *Siricius* et *Innocentius* I., atque antiquiora Concilia de Episcopis, Presbyteris et Diaconis statuunt, ea *Leo* M. ad Subdiaconos extendit: *Nec Subdiaconibus*, ait *a), carnale conjugium conceditur, ut et qui habent, sint tanquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares.* Ratio procul dubio haec est, quod Subdiaconi ad altare propius accedant, et Sacerdoti sacra facienti inserviant. Ad majores Ordines Subdiaconatus eo tempore non pertinebat, credendum autem eum postmodum sacris Ordinibus ideo potissimum fuisse adscriptum, quia eadem ac illi continentiae lege tenebatur.

IV. In Ecclesia Orientali sensim a rigore primaevae disciplinae descitum est. Jam anno 314 in Concilio Ancyr. cap. IX. statutum est, ut Diaconi a lege coelibatus eximerentur, si Ordinationis tempore aperte edixissent: *velle se conjugio copulari, quia sic manere non possent.* Quod ad uxores attinet ante susceptos Ordines ductas, extra dubium est, antiquitus eam etiam Graecae Ecclesiae disciplinam fuisse, ut ab iis Ministri sacri ab-

---

a) Ep. 8. et 72. ad Anastas. Thessal. cap. I.

stinerent. Idque non tantum ex S. *Hieronymo* et *Epiphanio* apertum est, quos supra citavimus; sed ex aliorum etiam Graecorum Patrum testimoniis, quae legi possunt apud majores Theologos. Verumtamen cito invaluisse videtur in multis locis liberior agendi ratio. *Epiphan.* jam observat, viguisse legem illis in locis, ubi ecclesiastici canones servabantur; atque ibidem objiciens sibi eorum exemplum, qui licet in majoribus Ordinibus constituti ab uxoribus non abstinerent, respondet: *illud non ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quae certis temporibus negligenter agere et connivere solet.* Nondum tunc creata fuerant Clericorum Seminaria, et saepe ad majores etiam Ordines necesse erat viros laicos assumere, quos juncta scientiae morum integritas commendabat: ab his autem, cum jam in matrimonio viverent, difficilius obtineri potuit, ut omne conjugale commercium abrumperent. — Id quoque mihi videtur non parum ad hanc pristinae severitatis immutationem contulisse, quod Ecclesia Graeca a tempore exortae Arianae haereseos continuis fuerit dissensionibus agitata: notum autem est, inter bella silere leges, et abusus impune serpere. Quae ergo jam in consuetudinem versa erant, ea Concilium *Quinisextum* anno 692 CP. congregatum novo decreto firmavit, Can. XIII. sic statuens: *Siquis dignus inventus fuerit, qui Subdiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet; sed neque Ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur se a legitima cum uxore consuetudine abstenturum.* En famosum Canonem, qui adhuc hodie in usu est apud Graecos!

Quamvis non parum hic Canon Ecclesiae Romanae displiceat, quia coelibatus ecclesiastici legem infringit, haec tamen ministros Graecos, qui rei uxoriae operam dant, patienter tolerat: et quotiescunque de restituenda inter utramque Ecclesiam unione actum est, pacis studio indulsit, ut, qui matrimonium ante susceptos Ordines inierant, a conjugum consortio non removerentur. Id quoque praetereundum non est, etiam in Ecclesia Graeca haec semper fuisse ex antiqua disciplina retenta, 1.° quod Episcopis non liceat uxores ante Ordinationem ductas retinere, aut cum illis aliquid habere commercii; 2.° quod majoribus Clericis prohibeatur nuptias contrahere suscepto Ordine.

RESPONDETUR ADVERSARIIS.

Dicunt I. 1.° Apostol. I Tim. III. et ad Titum I. inter dotes, quas in Episcopo desiderat, hanc ponit: *Sit unius uxoris vir.... Filios habens subditos cum omni castitate.* 2.° I Cor. VII, 2. generatim pronuntiat: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat.* 3.° Ipsi Apostoli matrimonii usum cum sacri ministerii functionibus sociasse videntur; nam I Cor. IX. Apostolus ait: *Nunquid non habemus potestatem, mulierem sororem circumducendi, sicut et caeteri Apostoli?* Ergo etc.

Resp. ad I. Optime observat *Chrysost. a)*: *Non hoc veluti mandans dixit Apostolus, quasi non liceat absque uxore Episcopum fieri, sed modum definiens.* In illis Religionis Christianae initiis, cum rudibus ex gentibus constituebatur Ecclesia, non aderant, qui ad sacrum ministerium assumi poterant, nisi viri jam matrimonii vinculis implicati. Voluit autem Apostolus continentiae legem, quantum tunc fieri potuit, commendare, prohibens, ne ad Episcopatum accerserentur, qui aut plures haberent uxores, aut secundo illigati essent conjugio. Porro, qui ita uxorati ad Episcopatum assumebantur, a jure conjugali deinceps abstinebant: hanc enim constantem Ecclesiae disciplinam fuisse, supra probavimus. Hinc etiam S. *Ambrosius* observat *b)*: *Apostolum dixisse, eligendum Episcopum, habentem filios, non facientem* ... id est, posse quidem eligi eum, qui filios habeat, modo in posterum abstineat.

Ad II. Apostolus ibi loquitur ad fideles ex paganismo conversos et conjugatos, suadetque, ut unusquisque uxorem suam retineat, utque conjugale debitum invicem reddant. Ita interpretatur *Hieronym.* lib. I. contra Jovinian. Si vis, ibi matrimonii commendationem reperiri, necessario cum exceptione sumenda sunt verba illa; alioqui secum pugnaret Apostolus, qui eodem capite virginitatis praestantiam extollit, ut cum ait: *Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego* ... et v. 38.: *Qui matrimonio jungit virginem suam bene facit: et qui non jungit melius facit.*

Resp. ad II. S. *Hieronym.* lib. I. contra Jovinian. ad illa verba Apostoli ait: *Loquitur Apostolus de sanctis mulieribus, quae*

---

a) Comment. in illum Apost. locum. *b)* Epist. 63. ad Vercell. Eccles.

juxta morem judaicum Magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum. Caeterum communis Patrum doctrina est, Apostolos, si unum Petrum excipias, uxoribus semper caruisse, omnes autem certe uxoribus nuntium remisisse, ut Christum sequerentur, quod ex his S. *Petri* verbis constat: *Ecce nos relinquimus omnia, et secuti sumus te.* Huc et ea S. *Hieronym.* pertinent *a*): *Christus Virgo, Virgo Maria, utriusque sexus virginitatem dedicavere. Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes. Assumpti in Apostolatum reliquerunt officium conjugale.*

Dicunt II. Habentur exempla Episcoporum ex primis Ecclesiae saeculis, qui post Episcopatum filios ex legitimis uxoribus habuisse leguntur: antiquissima quoque Concilia, ut *Ancyranum, Neocaesarense, Gangrense, Nicaenum* nihil statuunt de perpetua et inviolabili Clericorum majorum continentia. Ergo etc.

Resp. Exempla illa, quae a Centuriatoribus, et eorum expilatore Calixto referuntur, satis clara et expressa non sunt; ostendunt quidem Episcopos nonnullos, aliosque sacros ministros suas post Ordinationem uxores retinuisse; at non ostendunt illis usos fuisse ad opus conjugale, neque enim illud asserunt auctores citati. Deinde fatemur cum *Epiphanio*, propter hominum ignaviam in quibusdam Ecclesiis non satis accurate semper observatos fuisse ecclesiasticos canones. Argumentum ex Conciliorum silentio deductum mere negativum est, neque vim habet contra expressissima *Epiphanii* et *Hieronymi* testimonia. Quid enim habent illa Concilia? Prohibent ad nuptias usquam post Ordinationem convolari; et nihil praeterea addunt. Caeterum hoc argumentum nimium probaret; sequeretur enim etiam Episcopis indultum fuisse cum conjuge ante Ordinationem ducta copulari, quod etiam indulgentiores Orientales non permittunt. De ipso *Joviniano* infensissimo continentiae hoste ait *Hieronymus: Certe confiteris, non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat.*

Dicunt III. Clerici majores Orientis consentiente Romana Ecclesia in matrimonio vivunt: ergo justum videtur, ut illud Occidentis etiam Ecclesiis concedatur.

---

a) Apol. cont. Jovin.

Resp. I. Vix non crederes de privilegio agi, de insigni quadam Ecclesiae Orientalis praerogativa; nos potiori jure maculam dicimus, quam Ecclesia Romana tolerat: quippe, si abstergere vellet, non tantum operam perderet, sed et nova mala, novas discordias sereret. An, si Ecclesia viros aliquos, quibus oculus erutus, quamvis deformes et minus idoneos, ad opus ministerii admitteret, velles et caeteris omnibus oculum erui, ut et ipsi possent hac indulgentia gaudere?

Resp. II. Non video quid auxilii ex hoc argumento petere possint, qui hac nostra aetate coelibatum impugnant. Qui ex nostris sunt, an non sunt in sacerdotali gradu constituti? Meminerint ergo Graecis non minus ac Latinis sanctam semper fuisse hanc totius antiquitatis regulam: non posse uxorem ducere, qui semel majorem Ordinem suscepit. Quid, quaeso, miseros juvaret Graeca coelibatus reformatio? Sed neque Protestantibus illud sufficeret, quod Graecis permissum est; nam eorum candidati, nisi jam in ministerio collocati sint, et habeant, unde familiam sustentent, vix possunt animum ad nuptias appellere. Deinde si vita uxoris periclitaretur, quantae angustiae! et si morte abriperetur, quanti luctus! quae in tanta amissione desperatio! Nam ad secundas nuptias transire non liceret.

Resp. III. Ratio discriminis, quod Graeci inter Episcopos, et alios sacros ministros quoad continentiam statuunt, haec forsan dari potest; quod nempe, cum apud illos Episcopi fere soli sacerdotalia munia obirent, Presbyteri autem raro, aequum ipsis visum sit, Episcopos ad perpetuam continentiam obstringere, non vero Presbyteros, nisi quo tempore sacris operam dare volunt. Sic illud ipsum Concilium Trullanum, ad quod Adversarii appellant, jubet, ut quo tempore offerre debent Sacerdotes et alii ministri altari inservire, abstineant ab uxoribus. Exinde clarius adhuc efficitur, cur in Ecclesia Latina Presbyteri a lege coelibatus eximi non possint, cum multo frequentior apud nos sit incruenti Sacrificii celebratio, et Presbyteri quotidianae virginalis hostiae immolationi sint mancipati. Ad hos ergo imprimis pertinet illud *Innocentii* I. Ep. ad Exuper., ubi ex Apostoli verbis I Cor. VII.: *Nolite fraudare ad invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*, sic concludit: *Multo magis Sacerdotes, quibus et orandi et sacrificandi juge officium est, sem-*

per debebunt ab hujusmodi consortio abstinere. Diaconis autem et Subdiaconis, qui apud nos eadem lege constringuntur, illud persuasum est, quod non tantum Sacerdoti inserviendi frequens occurrat occasio; sed quod jam propriores sint Sacerdotio, atque ad illud tanquam ad propositam sibi metam tendant.

Dicunt IV. Lex Evangelica plena est amoris et indulgentiae, eosque reprehendit, *qui alligant onera gravia et importabilia, et imponunt super humeros hominum.* Et Apostolus I ad Cor. VII. de castitate disserens vult, ut ii nubant, qui donum non habent continentiae: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* Ergo lex coelibatus legi Evangelicae et Apostoli doctrinae est contraria.

Resp. neg. conseq. Lex Evangelica procul dubio lex amoris est, at non amoris carnalis, qui impuros ignes in animo excitat et fovet; sed illius, quo homo a carnalibus desideriis abstrahitur, et omnem felicitatem suam in Deo quaerit et coelestium bonorum possessione. Procul id quoque est a mente Ecclesiae, ut onera importabilia imponat super humeros hominum, aut ut velit sub legem coelibatus cogere eos, qui dicunt se donum continentiae non habere a Deo. Nemini vis infertur, neque onus, si quod est, imponitur, sed libere suscipitur. Unde qui putat se donum continentiae non habere, procul maneat ab aris, procul a ministerio. Nemo ergo illa Apostoli verba: *unusquisque proprium donum habet*, male interpretetur in suam perniciem, ac si ille, qui coelibatus lege jam ligatus est, posset ad matrimonium transire, causam praetexens, quod virginitatis donum non habeat. Non possumus illis melius respondere, quam verbis Concilii Trident. Sess. XXIV. Can. 9., ubi anathema pronuntiat contra eos, qui dixerint, Clericos majores et Regulares professos posse sub praetextu, quod castitatis donum non habeant, matrimonium contrahere non obstante lege ecclesiastica vel voto: haecque addit notatu digna: *Cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.*

Dicunt V. Lex coelibatus in ipsam naturae legem impingit, maris enim cum foemina conjunctio ad humani generis propagationem prorsus est necessaria; inde quoque est, quod homo ad illam naturali quodam et a Creatore ipso indito instinctu feratur. Ergo etc.

Resp. Lex coelibatus humani generis propagationem non impedit, cum paucis tantum posita sit, et per exceptionem a communi regula. Si ita urgeri posset hoc argumentum, sequeretur ne liberum quidem esse homini, a mulierum commercio abstinere se. Tot ergo Christiani omnium Ordinum, etiam Laici, qui nullo non tempore incorruptae castitatis laude floruerunt, imo et Apostoli, ac Christus ipse in naturae legem impegissent! Sed clamant, inditum esse naturae instinctum, quem expellere impossibile est homini. At, bone Deus! quam ergo viri illi propriae continentiae opinionem ingerunt? Nam forsan, qui ita clamant, in coelibatu vivunt, eumque fideliter semper a se servatum fuisse affirmant. Verum si ita res est, an non Clericus quisque recte sibi dicet: Potuerunt hi et illi, potuit *Fridolinus* et alii coelibatus perpetui criminatores, cur non et ego? Sed dicamus aptiora. An ergo rem impossibilem suaserunt Apostoli? An Christus rei impossibili vitam aeternam promisit, dicens: *Qui reliquerit... uxorem propter nomen meum, vitam aeternam possidebit?* Deinde si lex naturae imperat usum conjugii, quid facient illi, qui multis ex causis impediti, nunquam, aut sero admodum ad nuptias perveniunt? Quid mariti, quos officia aut negotia cogunt a thoro conjugali abesse? Aut quos aliae rationes, velut uxor praegnans, infirma, morbosa etc. ab usu matrimonii impediunt? An forsan hi omnes necessitate naturae impelluntur in luxuriam et adulteria? Verum si viris in saeculo inter prava exempla et vitiorum illecebras viventibus, atque usum matrimonii habentibus, tamen saepe necesse est abstinere, et quia necessarium, etiam possibile: quanto illud erit facilius viris, qui a juventute sanctioris vitae disciplinis eruditi, libere et diu probata ad statum claricalem vocatione hanc in se legem susceperunt: viris, quos tota, cui mancipati sunt, vitae ratio ad sublimiora attollit, atque contra hostium incursus, et propriae infirmitatis pericula confirmat?

Dicunt VI. Innumera sunt mala, quae ex coelibatus lege scaturiunt; cum, qui illa constricti sunt, quasi desperatione aguntur in nefarias libidines. Ejusmodi enim exemplis plenae sunt omnium saeculorum historiae.

Resp. Non diffitemur, etiam inter Ecclesiae ministros fuisse homines vitiosos, et corruptos moribus, imo tempora illa dole-

mus prorsus infelicia, ubi foeda morum depravatio magnae Ecclesiae parti incubuit. Quamvis illud quoque latere neminem possit, multa ab Adversariis congeri aut falsa, aut ad rem non pertinentia, aut certe valde exaggerata. Hic ea valent, quae jam alio loco ex Domino *Montesquieu* attulimus, ubi de Religione Christiana loquens, ait: « C'est mal raisonner contre la reli-« gion, que de rassembler dans un grand ouvrage une longue « énumération des maux qu'elle a produits (ou qu'on veut bien « lui attribuer) et si on ne fait de même de celle des biens « qu'elle a faits. Si je voulais raconter les maux qu'ont pro-« duits dans le monde les loix civiles, je dirais des choses « effroyables. » Facilis est ad praesentem quaestionem applicatio. Nous pouvons dire de même: « Si je voulais raconter « les désordres commis dans le mariage, je dirais des choses « effroyables. » Caeterum abusus, quos ignorantia, temporum calamitates, et humani cordis perversitas genuerunt, non possunt legi attribui, quae sancta est et tota in Scripturae et Traditionis doctrina fundata. Neque tacenda essent infinita prope bona, quae ex hac continentiae lege in Ecclesiam et totum genus humanum redundant. Haec bona proprii et genuini coelibatus effectus sunt; neque illud ignorant Adversarii nostri, qui eum impugnant, non ut mala auferant, sed ut Religionem hoc ornamento ac singulari praesidio spolient, ac in summam ignominiam deducant.

Dicunt VII. Illud saltem inficiari nemo potest, statum civilem non exiguum detrimentum pati ex Clericorum coelibatu. Hi enim Reipublicae nec officiis, nec prolium educatione inserviunt; et cum sint a conjugali societate segregati, animum induunt durum et asperum, ab omni affectione et sensu humanitatis alienum. Ergo etc.

Resp. Tam absona haec sunt, et tam aperte ex odio Religionis conficta, ut nemini, cui non impietas sensum communem abstulit, fucum facere possint. Vis florere rempublicam? Vis civitatem abundare numerosa et incorrupta progenie? Fac ut vigeant boni mores, ut vagae libidines Religionis fraeno coërceantur; ut sua stet conjugio sanctitas, et thorus servetur immaculatus. Fac exulare fraudes, odia, vexationes; fac ut quilibet, quod sui muneris est, integre et sancte perficiat ad legis divi-

nae praescriptum. Haec autem cum ita sint, procul dubio non parum prosunt reipublicae, qui ex officio bonis moribus invigilant, sanctissimae legis observationem urgent, et eradicandis ex intimo corde pravis cupuditatibus continuo occupantur. Nemo certe, nisi ab omni Religionis sensu alienus, asserere potest, animum durescere puritatis et continentiae amore. An non magis dilatantur spatia charitatis? An non ratio aeque ac experientia docent, viros ecclesiasticos hoc ipso, quod divisi non sint, multo liberius, et ferventius aliorum bono et saluti inservire? Praeclare in hanc rem *Eusebius* ait *a)*: *Doctoribus et praedicatoribus verbi divini maxime in praesentia, ut melioribus studiis vacent liberius, sejunctus a re uxoria victus adamatur; velut iis, qui divina et incorporea sobole propaganda occupati teneantur, et non unius, neque duorum liberorum, sed acervatim innumerabilis multitudinis educationem, sanctamque disciplinam, ac reliquae instituendae vitae curam susceperint.*

Dicunt VIII. Quis non indignetur, miseram sortem cogitans tot hominum, quos lex dura et immitis in perpetuum bonis conjugii privat, ac procul esse jubet a paternis gaudiis, cum valetudinis saepe et vitae detrimento.

Resp. Nisi nosses homines, vix non diceres nihil magis ipsis curae esse, quam ut Ecclesiae ministri nulla hujus vitae dulcedine careant. At nihil ponderis habent, quae garriunt. Nam qui de eligendo statu deliberat, si sanus est, se decipi non sinet vanis imaginibus e cerebro confictis, sed statum conjugalem, qualis inter homines est, considerabit. Si vellemus nos, quae in hoc statu occurrunt, mala recensere, eaque non e longinquo deducta, aut parce per saecula sparsa, sed ubique obvia, eheu! ante animus tantae foeditatis totque miseriarum ac calamitatum horrore deficeret, quam finem inveniremus. — Sed praestat cum Apostolo dicere *b)*: *Ego autem vobis parco.* Quod valetudinis et vitae jacturam attinet, nemo nescit continentiam matrem esse vitae, et juventutis florem usque ad provectam aetatem plerumque vigere in iis, qui mentem castam conservant in corpore casto. Multi in matrimonio praematuram mortem inveniunt, multo plures sunt, quos incontinentia metit, aut in

a) Demonst. Evang. lib. IX. cap. IX. *b)* I Cor. VII, 28.

morbos et infirmitates conjicit inextricabiles. Sed haec hominibus dicta sint, qui nonnisi, quae corporis sunt, aestimant. Verum si viros conspicimus divinis ministeriis mancipatos, qui ad altiora mentem erigunt, et, quo aptiores tanto muneri evadant, matrimonii bono, si quod est, juvante Deo renuntiant, an eos miserandos dicemus? An non potius ad eos pertinebit, quod Apostol. ait *a)*: *Beatior erit, si sic permanserit?* An non possumus iis, qui contradicunt, iterum cum Apostolo respondere *b)*: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinantur?*

Confer *Bellarminum*, de Clericis cap. XVIII.; *Thomassin.* part. I. lib. II. cap. LX. et seq.; *Tournel.* de Sacr. Ord. Quaest. ult.; *Natalem Alexand.* in IV. Saec. Diss. XIX.; *Selvaggio* de Coelib. Cler. Tom. II.; Com. *de Maistre*, *du Pape*, Tom. II. etc.

CAPUT SECUNDUM.

DE IIS, QUAE NECESSARIO CONJUNCTA SUNT SACRAMENTO ORDINIS.

ARTICULUS I.

De Materia et Forma Sacramenti.

§. I.

De Materia et Forma Ordinis generatim.

1. Tota haec quaestio proprie in assignanda materia versatur, nam perspicuum est, formam in illis verbis reponendam esse, quae ab Episcopo proferuntur, cum materiam applicat: v. g. cum manus imponit, vel cum instrumenta porrigit. Quaeritur igitur, quae sit materia Sacramenti Ordinis? Qua de re tres sunt opiniones inter Theologos. Una est, solam impositionem manuum materiam esse necessariam et essentialem, porrectionem autem instrumentorum accidentalem tantum, et integralem. Secunda aliam non agnoscit essentialem materiam, quam

a) Ibid. v. 40. *b)* I Cor. III.

instrumentorum porrectionem; ipsam autem manuum impositionem vel cum porrectione confundit, aut si distinguit, caeremonialem tantum vult esse, et accidentalem. Tertia demum materiam essentialem tum in impositione manuum, tum in traditione instrumentorum constituit. Non possumus Theologorum tum veterum tum recentiorum, qui pro una aut alia opinione pugnarunt, nomina recensere. Confer *Tournelium* de Sacr. Ord. et imprimis doctiss. *Morinum* in praeclaro opere de sacris Ecclesiae Ordinationibus. Video autem, eos imprimis, qui maxime eruditionis laude floruerunt, et in perscrutandis Graecorum ritibus, ac veteris Ecclesiae monumentis diligentius versati sunt, pro prima sententia stare, his imprimis rationibus inducti: 1.° Quod Scripturae de sola manus impositione loquantur; 2.° Quod vetus Ecclesia, etiam Latina, per decem saecula semper ordinaverit per manus impositionem; traditionis autem instrumentorum nulla fiat mentio. 3.° Quod apud Graecos sola manuum impositio in usu sit, semperque fuerit. Ad haec observat *Morinus a)*: « Nemo « dubitare potest, antiquos Latinos, a quibus accepimus Ordi- « nationes et quod Sacerdotes sumus, legitime et valide Sacer- « dotes consecrasse. Certissimum est, neminem Ordinationes « Graecas criminari posse, quin crimen in Latinos redundet, cum « utrique mutuo alterius Ordinationes probaverint. Inde neces- « sario sequitur, id esse ad materias et formas notandas ex riti- « bus Graecis et Latinis eligendum, quod est semperque fuit « utriusque commune » ... id est manuum impositio cum oratione.

II. Qui traditionem instrumentorum pro necessaria Sacramenti materia assumunt, sententiam suam hoc potissimum argumento tuentur, quod *Eugenius* IV. in instructione Armenorum, ubi singulorum Sacramentorum materias et formas recenset, de sola porrectione instrumentorum loquatur, nulla facta mentione manuum impositionis. Sed respondent alii, Eugenii mentem fuisse, ut Armenos Ecclesiae Romanae ritus doceret, unde impositionis manuum non meminit, quia haec ex Scriptura et antiquis Patribus erat satis cognita, et in usu posita omnium saeculorum. Vide *Menardum* in notis ad lib. Sacr. Gregorii M. Multi Theologi, ut explicent, qua ratione traditio instrumentorum, quam fatentur

a) Loc. cit. Ep. III. exercit. I. cap. I.

olim non fuisse usurpatam, nunc possit saltem conjunctim cum manuum impositione ad Sacramenti substantiam pertinere, dicunt, Christum quorundam Sacramentorum materiam et formam in genere tantum instituisse: earum vero determinationem Ecclesiae auctoritati et prudentiae reliquisse, ita quidem, ut nullum sit Sacramentum et irritum, nisi cum illa materia et forma administretur, quam Ecclesia adhibendam censuit. Ita, ajunt, materiarum et formarum diversitas nullum potest negotium facessere; Ecclesia enim potest, ubi illud opportunum judicaverit, unam materiam aut formam alteri substituere. *Morinus* de hac sententia loquens *a)* ait: « Sic sentientes facile feram, eo quod ista « sententia viros magnos habeat auctores. » Attamen longe abest, ut eam veriorem esse existimet. Quid enim? An non *Concilium Trid.* manifeste ait, Ecclesiam nihil posse in substantiam Sacramentorum, cum Sess. XXI. cap. II. declarat: *Potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret* etc.

Objiciunt Sacramentum Confirmationis, quod omnes Catholici concedunt irritum esse sine unctione Chrismatis, quamvis ab initio sola manuum impositione fuerit collatum. Sed falluntur. Nam Christum unctionem praecepisse, et Apostolos usurpasse, ex eo certum est, quod Ecclesiae Apostolicae totusque Oriens et Occidens eam a primo Religionis exordio habuerint. Quantum hoc differt a traditione instrumentorum in Ordine, quam totus Oriens nunquam habuit, quam Occidens per decem saecula ignoravit!

III. Ex his jam satis apertum est, quae in hac controversia sententia nobis prae caeteris probabilior videatur. Illud credimus ad Sacramenti essentiam pertinere, quod omnes Ecclesiae semper et ubique tenuerunt. Traditionem instrumentorum judicamus quidem omnino adhibendam, tanquam partem integralem Sacramenti; at persuadere nobis non possumus, eam ad ejus essentiam pertinere, ita ut sine hac porrectione instrumentorum jam irritum esset Sacramentum, quod in Latina Ecclesia per decem saecula sine hoc ritu integrum fuit et validum; et quod apud Graecos hodie adhuc cum sola manuum impositione perficitur. Sed dicunt, etiam apud Graecos aliquam reperiri instru-

a) Loco cit.

mentorum traditiouem. Fatemur aliquid ejusmodi reperiri non valde antiquum, et quod videtur ad Latinorum imitationem institutum. Sed notandum 1.° illud in Ordinatione Episcopi et Presbyteri non occurere. 2.° Si Lectoribus et Cantoribus, si Diaconis et Subdiaconis apud Graecos instrumentum aliquod traditur, id non fieri sicut apud Latinos, ut bene Morinus observat *a)*. Scilicet apud Latinos instrumenta dantur initio ritus Ordinationis, et signa sunt potestatis, quae conceditur: apud Graecos peracta Ordinatione porriguntur, et sunt signa potestatis per Ordinationem concessae. Cui accedit, quod Graeci, cum instrumenta porrigunt, nullis utantur verborum formulis; econtra Latini.

§. II.

De materia et forma sacrorum Ordinum separatim.

I. Episcopatus materiam in impositione manuum sitam esse, unanimi Patrum et ritualium librorum consensu statuitur. Reliqua, ut sunt, Evangelii impositio super caput consecrandi, et capitis unctio, et porrectio instrumentorum, veluti sunt annulus, baculus pastoralis etc. non sunt ejusmodi, ut iis adhibendis abstineri nequeat. 1.° *Unctionem* nusquam apud Graecos reperimus. Constat quidem ex *Leone b)*, et *Gregorio* M. *c)*, eam ab antiquis saeculis usurpatam fuisse a Latinis, attamen nec ab his quidem ubique. De ea silet *Isidorus* Hispalensis, Saeculi septimi Scriptor, qui ritus omnes Ordinationis diligenter persequitur *d)*. 2.° Quando annulus et baculus pastoralis porrigitur, Episcopus in Pontificali jam dicitur *consecratus;* et certe, hic ritus non est potestatis collatio, sed acceptae potestatis significatio. 3.° *Evangelii impositio* super cervicem et scapulas ordinandi vetustissima quidem est, et a sanctis Patribus celebrata, nemo tamen ex illis Episcopatus rationem in ea constituit. *Alcuinus e)* et *Amalarius f)* eam neque in veteri, neque in nova Traditione reperiri

---

a) Exercit. XI. cap. VII. *b)* Serm. VIII. de passio. Dom. *c)* In I Reg. cap. X. *d)* De div. Offic. lib. II. cap. V. *e)* De div. Offic. *f)* Lib. II. de div. Officiis cap. XIV.

docent, et Isidorus eam penitus videtur ignorasse. Superest igitur manuum impositio, quam perpetua Ecclesiae Traditio et Scripturarum auctoritas commendant.

Formam Ordinis quidam satis imperite in his verbis ponunt, quae Episcopus pronuntiat, cum Evangelium clausum tradit consecrato: *Accipe Evangelium* etc. Novus est hic ritus, et, ut diximus, Episcopo jam consecrato adveniens. Plerique ergo pro forma verba illa assumunt, quae conjuncta sunt cum impositione manuum. Nota tamen, formae rationem inesse non brevi illi formulae, quam consecrator et assistentes Episcopi pronuntiant: *Accipe Spiritum sanctum;* et quae vix ab annis quingentis usurpari coepit; sed Orationi, qua Spiritus sanctus super illum invocatur, qui ad Episcopatus gradum evehitur: antiqui enim Patres passim de Orationibus et Spiritus sancti invocatione loquuntur.

II. Quae ad Presbyteratus materiam et formam pertineant, jam prope videntur soluta ex iis, quae universim de materia et forma Sacramenti Ordinis explicata sunt. Jam vidimus, traditionem calicis et hostiae recentioris esse disciplinae. Argumentis jam supra expositis hoc unum adjicimus, ex Carthaginensi IV. Can. 5., ubi dicitur, Subdiacono instrumenta tradi oportere, eo quod nulla facta sit manus impositio. Unde illud effati adinstar videtur receptum fuisse a Veteribus, Ordines illos, qui per manus impositionem conferuntur, nullam habere instrumentorum traditionem, et vice versa. Manet ergo manus impositio, et quae eam comitatur oratio.

Advertendum autem, in ritu Ordinationis presbyteralis triplicem fieri manus impositionem: I.ª statim fit post litanias, cum Episcopus nihil dicens manus imponit singulis ordinandis, quod et faciunt, qui praesentes sunt, Presbyteri; II.ª hanc excipit, quando tum Pontifex, tum Sacerdotes manus extensas habent supra ordinandos, et Pontifex orationem simul pronuntiat; quae est antiquissima; III.ª in fine Ordinationis fit ab uno Episcopo dicente: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris* etc. Hanc tertiam ad substantiam Sacramenti non pertinere, jam inde clarum est, quod recens omnino sit, et Graecis tum olim, tum in praesens ignota. Sed et apud Latinos vetustiores rituales libri, qui minutissimos quoque ritus describunt, eam silentio omnino

praetereunt. Veteres eam tantum manus impositionem memorant, quam enixae Episcopi preces comitantur. Unde et illa prima manus impositio, quae nullam annexam habet verborum formam, non potest ad Ordinis essentiam pertinere, nisi eam velis alterius esse initium, hancque illius veluti continuationem.

III. *Diaconatus* per manus impositionem confertur, annexa oratione; atque in hoc Sacramenti essentiam sitam esse, vix dubitari est. Sola est libri Evangeliorum traditio, quae in quaestionem adduci posset; sed haec recentis institutionis est. *Concilium Carthag.* jam saepe citatum de ea silet, cum tamen Subdiaconatus ritum exponens instrumentorum porrectionem apertis verbis memoret. Praeterea notum est, lectionem Evangelii in quibusdam Ecclesiis olim Lectoribus, aut Subdiaconis fuisse commissam; quamvis negari non possit, usum, ut lectio Evangelii solemnis inter Missarum solemnia a Diaconis fieret, jam pridem in plerisque Ecclesiis invaluisse. Verum hoc non probat ritus, quo Evangeliorum liber ipsis traditur, antiquitatem; siquidem apud Graecos codicis traditio in Diaconi Ordinatione nunquam obtinuit, tametsi Evangelii lectio ipsis semper fuerit propria.

Oratio, quae manus impositionem comitatur, forma est hujus Sacramenti essentialis. Per orationem autem non intelligimus verba illa: *Accipe Spiritum Sanctum, ad robur* etc., quae imperativo loquendi genere concepta sunt; haec enim in nullis Ritualibus, vel Sacramentariis antiquioribus habentur; sed illa, quae hanc formam praecedunt et sequuntur, et quae sunt ex antiquissimo Ordinationis ritu desumpta.

IV. De Subdiaconatu et minoribus Ordinibus non est cur anxie inquiramus, qua materia, et qua forma constent. Nam cum institutionis ecclesiasticae sint, quae ipsa praecipit Ecclesia in Pontificali, omnino servanda sunt. Ecclesia varios ritus potuit variis temporibus inducere. Graeci adhibent manuum impositionem, quae materiae, et orationem, quae formae locum habet. Si temporis successu aliquam addiderunt instrumentorum traditionem, id fit, ut jam observatum est, completa Ordinatione, ut ordinatus potestatis acceptae quasi possessionem adeat. *Morinus* putat, Romanos in inferiorum Ordinum collatione ritum illum prae oculis habuisse, qui Romae in Magistratuum creatione adhiberi solebat, quibus aliquod insigne dignitatis, ut fas-

ces, gladius etc. tradebatur, cum certa verborum formula. Sic Dio narrat, Trajanum, cum Praefectum Praetorio crearet, nudum ei gladium porrexisse cum his verbis: *Accipe hunc ensem, quo, si recte imperavero, pro me uteris; sin minus, contra me vertes.*

ARTICULUS II.

De Subjecto et Ministro Sacramenti Ordinis.

OBSERVANDA.

1. A Subjecto Ordinis initium facimus, quoniam paucis complecti licet, quae de hac materia dicenda sunt. Equidem si vellemus in ea excurrere, quae in Ecclesiae ministro requiruntur, ut possit digne et cum animarum fructu sacri Ministerii munia obire, in longam tractationem extenderetur praesens argumentum. Dicendum esset de vocatione ad statum ecclesiasticum, ad quem accedere nemo debet, nisi vocatus sit a Deo tanquam Aaron. Dicendum esset de praeclaris dotibus, quibus instructos esse oportet viros, qui pro Christo legatione funguntur et Ministri sunt mysteriorum Dei; quippe non ad propriam salutem tantum Ordinis Sacramentum percipiunt, sed ut eorum ministerio Ecclesiae atque adeo omnium hominum saluti consulatur. Dicendum esset de ecclesiasticis regulis, quae, ut major Ordinibus reverentia concilietur, multa praecipiunt tum circa eos, quos arceri convenit a sacra Ordinatione; tum ut ii, qui assumuntur, nonnisi probati accedant, neque temere ad superiores gradus eleventur, nisi inferioribus praescripta spatia percurrissent. Verum haec omnia non sunt nostri instituti. Hoc unum nobis examinandum est, quid requiratur in subjecto, ut valeat Ordinatio si detur. Omnium consensu haec requiruntur necessaria: 1.° ut qui ordinatur, sit homo viator, 2.° ut sit baptizatus, 3.° ut sit sexus virilis, 4.° ut non sit plane et absolute invitus. Diximus: *Non sit absolute invitus;* hinc valet utique Sacramentum iis collatum, qui, ut olim non raro contigit, ob Sacerdotii reverentiam omni modo Ordinationem declinare conati sunt. Ii quidem, ut manus illis imponerentur, reluctantes passi sunt, at passi sunt tamen, et tandem votis Ecclesiae et populi cedentes consenserunt. — Difficilior est haec

alia quaestio: An ordinari possint amentes, aut pueruli nondum rationis usum adepti? Omnes quidem fatentur, id fieri non posse sine insigni scandalo, et gravi Ecclesiae et Sacramento illata injuria: at putant tamen plurimi graves Theologi, sic collatam Ordinationem irritam non fore, quamvis et alii sint, qui contra sentiunt. Unde in medio relinquimus controversiam.

II. Circa Ministrum Sacramenti duo iterum sunt probe distinguenda; videlicet quis sit Minister Ordinis necessarius, quis legitimus. Necessarius est, qui potestatem habet administrandi Sacramentum; legitimus, qui ordinandi jus habet. Prima requiritur, ut valeat Sacramentum, secundum, ut illud licite et juxta praescriptas ab Ecclesia regulas administretur. Ex his regulis praecipua haec est, ut qui ordinatur, a proprio Episcopo Ordinem suscipiat. Jam quis sit proprius Episcopus, quae disciplina hac de re in Ecclesiis Galliae vigeat, et alia hujusmodi juris Canonici tractatoribus examinanda relinquimus. Nobis hoc unum inquirendum est, quis sit ex Christi institutione Sacramenti Ordinis Minister.

III. Primus hic occurrit Protestantium error magnus et perniciosus: hi enim nullum admittunt Ordinem Clericorum a communi turba distinctum, et jus eligendi ac constituendi Ministros populo, aut Magistratui attribuunt. Verum non est, cur haec nos morentur; quid enim mirum, quod haec populo adscribant, qui nihil supra populum agnoscunt. Neque etiam video, cur de Ministro Sacramenti quaerendum sit, ubi nullum est Sacramentum. Catholici omnes summo consensu docent, solum Episcopum ordinarium Sacramenti Ordinis ministrum esse: de ministro autem extraordinario non consentiunt. Alii existimant, omnes Ordines, solo Episcopatu excepto, a simplici Sacerdote ex Ecclesiae concessione conferri posse: ita *Morinus* de sacris Ordinationibus *a)*, ubi plures in hanc sententiam appellat Scholae Theologos. Verum quamplurimi, ac hodie pene omnes contradicunt, saltem quod ad Presbyteratus, et Diaconatus Ordines attinet. Nam minorum Ordinum collationem a Summo Pontifice Presbytero delegari posse, et Ecclesiae praxis, et com-

---

a) Part. III. Exercit. IV. cap. 3. et 4.

munis Theologorum sententia docet. Atque eadem prope Subdiaconatus ratio est.

PROPOSITIO.

Episcopi, iique soli, Sacramenti Ordinis ministri sunt.

Prob. I. pars. Nempe *Episcopos institutos esse Sacramenti Ordinis ministros.* 1.° In Scripturis Ecclesiae ministros non ab aliis, quam ab Apostolis et consecratis ab ipsis Episcopis ordinatos fuisse legimus. Apostoli primos Diaconos ordinarunt Actor. VI. cap. XIV. Paulus et Barnabas per singulas civitates ministros constituerunt. Timoth. ab Apostolo ordinatus est. II Tim. I. Idem Apostolus Timotheo et Tito tanquam Episcopis praescribit *a)*, quibus manus imponere, quos in Episcopos, Presbyteros et Diaconos ordinare deberent.

2.° Ex constanti et perpetua Ecclesiae Traditione et fide. Hanc primum evidentissime proclamant omnes Latinorum rituales libri, omnes Graecorum Euchologiae. Accedunt antiquorum Conciliorum decreta, et innumera Veterum testimonia. S. Epiphanius Haeres. 75. probans contra Aërium, Episcopos esse Presbyteris superiores, hoc praecipue argumento utitur, quod Episcopi Patres Ecclesiae generent per Ordinationem, Presbyteri vero filios duntaxat per Baptismum. Omittimus Hieronymum, Chrysostom., Theodoretum, aliosque multos. Hanc Saeculorum fidem Concilium Trident. solemni decreto sancivit Sess. XXIII. Can. 7.: *Siquis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; anathema sit.*

Prob. II. pars. *Episcopos solos esse Sacramenti Ordinis ministros.* Scriptura et Traditio potestatem ordinandi Episcopis ita attribuunt, ut nullam unquam de Presbyteris faciant mentionem, imo ut simplices Presbyteros excludant: *Quinam fieri potest*, ait *Epiphan. b)*, *ut is Pres-*

---

a) I Timoth. III. et V. ad Tit. I. *b)* Loco cit.

byterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habet? Idem probant omnes rituales libri Latinorum, Graecorum et Orientalium: omnes solis Episcopis ordinandi potestatem faciunt. Inde etiam est, quod in tota historia ecclesiastica nullum occurrat exemplum Presbyteri, aut Diaconi a simplici Presbytero ordinati; quod autem ab Apostolis et deinceps semper observatum fuit, id divinae institutionis esse censendum est. Et certe, si Christus Ecclesiae potestatem reliquisset dispensandi cum simplici Presbytero, ut alios posset Presbyteros ordinare, qui fit, ut per tot saecula otiosa manserit haec potestas, cum tamen toties ea utendi fuisset occasio, ut cum Episcopi latere cogebantur, aut exulare a propria Ecclesia?

DIFFICULTATES QUAEDAM DILUUNTUR.

Dicunt I. Apostolus ad Timoth. scribit ep. I. cap. IV.: *Noli negligere gratiam, quae data est tibi cum impositione manuum Presbyterii.* Ergo facultas ordinandi Presbyteris et Episcopis communis est.

Resp. neg. cons. Illa manuum impositio, quae fit a Presbyteris in Ordinatione, non est sacramentalis, sed mera caeremonia. Nam 1.° ritus ille a Graecis et Orientalibus non observatur. 2.° Presbyteri, cum manus imponunt, Ordinationis formam non pronuntiant. Deinde verborum Apostoli hic sensus esse potest, quem ipse Calvinus admittit: *cum impositione manuum Presbyterii*, id est, qua Presbyter factus es; notum autem est, eo tempore communia fuisse et promiscua nomina Presbyteri et Episcopi.

Dicunt II. Chorepiscopi olim Presbyteros et Diaconos ordinare potuerunt ex licentia proprii Episcopi, ut patet ex Can. X. Concilii Antioch. (341): atqui Chorepiscopi erant simplices Presbyteri. Ergo etc.

Resp. Multum jam de Chorepiscopis disputatum est inter Eruditos. Quidam cum *Morino a)* contendunt, eos meros fuisse

---

a) Loc. jam. cit.

Presbyteros. Alii asserunt cum *Binghamo a*), omnes fuisse episcopali Ordine donatos. Nobis eorum sententia magis placet, qui, ut contraria Veterum de Chorepiscopis testimonia concilient, alios dicunt Presbyteros tantum fuisse, alios veros Ordinatione Episcopos. Patet ergo ad Argumentum responsio. Presbyteros et Diaconos ordinare poterant illi, qui charactere episcopali erant insigniti, non item, qui simplices erant Presbyteri.

In genere omnes Chorepiscopi vicarii erant Episcopi, quem cura et sollicitudine parochiarum ruralium levabant. Unde et illorum nomen ortum est; erant enim oppidorum aut regionum inspectores, veluti, qui hodie ab Episcopis instituuntur Archipresbyteri aut Decani capitulorum ruralium; vel si, divisa in certos tractus Dioecesi, cuilibet parti Vicarius generalis praeficeretur, qui nomine Episcopi Ecclesias et Presbyteros regionis curaret. Dubitari non potest, inter hos Vicarios Episcopi aliquos fuisse, qui Ordinem episcopalem habebant. Nam 1.° non raro contigit, ut Episcopus, ad Ecclesiam aliquam consecratus, quam ob graves causas adire non poterat, in alia Ecclesia sub auctoritate proprii Episcopi ministraret. 2.° Quando Episcopus ex aliqua Schismaticorum aut Haereticorum secta Ecclesiae Catholicae se recolligebat, in potestate Episcopi civitatis illius erat, ut novo huic collegae nomen permitteret Episcopi, aut eum *Chorepiscopi* munere fungi sineret. Sic de Novatianorum Episcopis statuit Concilium Nicaenum Can. 8. 3.° Valde probabile est inter Chorepiscopos fuisse, qui a suo Episcopo, cujus nomine partem Dioecesis administrabant, Ordinem episcopalem acceperunt; quemadmodum et hodie magnarum sedium Episcopi saepe titulares Episcopos adsciscere solent, quos Suffraganeos, aut Vicarios in Pontificalibus nominant.

Constat ergo, aliquos saltem Chorepiscopos ordine et charactere episcopali fuisse insignitos; idque manifestum est ex ipso canone X. Concilii Antioch., ad quem appellant Adversarii; ita habet Canon ille: *Si qui sunt in vicis vel pagis, qui dicuntur Chorepiscopi, etiamsi Episcopi Ordinationem, manuumve impositionem acceperint, visum est, ut suum modum sciant . . . constituant autem Lectores, Hypodiaconos et Exorcistas, et eorum*

---

a) Lib. II. cap. XIV. §. 4.

promotione contenti sint. Nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant, absque urbis Episcopo, cui subjicitur ipse et regio. Cfr. *Selvaggio*, Tom. I. edit. Mogunt. pag. 254. *Thomassin.*, part. I. lib. II. cap. I. et II. *Bellarmin.*, de Cleric. lib. I. cap. XVII. *Petrum de Marca*, lib. II. cap. XIII. et canonistas passim.

Dicunt III. Simplex Sacerdos, accedente summi Pontificis dispensatione, minores Ordines et Subdiaconatum conferre potest: ergo Episcopus non est solus Ordinis minister.

Resp. dist. conseq. Non est solus minister illorum Ordinum, qui ecclesiasticae institutionis sunt, et Sacramenti dignitatem non habent, *conc.* Non est solus minister Sacramenti Ordinis, *nego.* Ecclesia de facto Presbyteris aliquando privilegium indulsit, ut Ordines inferiores et non hierarchicos conferrent. Abbates id possunt relate ad Religiosos sibi subditos, vel ad alios ex commissione proprii Episcopi. Vid. Conc. Trid. de ref. cap. X. At nusquam legitur, simplicem Presbyterum aliquem ex illis Ordinibus contulisse, qui omnium consensu ab ipso Christo instituti sunt, et veri Sacramenti rationem habent. Infirmum prorsus argumentum est, quod a quibusdam profertur, ex Bulla Innocentii VIII. anno 1489, qua Abbati Cisterciensi facultas conceditur, Diaconatum et Subdiaconatum monachis suis conferendi. Valde enim incertum est illud privilegium, aut si fictum non sit, illud dubiae admodum auctoritatis esse omnes confitentur. Non potest ex unico facto obscuro et dubio contra jus certum et constantem Ecclesiae Traditionem concludi.

ARTICULUS III.

De effectibus Sacramenti Ordinis.

I. Effectus Sacramenti Ordinis duplex est, Gratia et Character. Gratia, quae confertur, est 1.° gratiae sanctificantis augmentum; non potest cum fructu percipi Sacramentum, nisi ab iis, qui nulla peccati lethalis labe maculati accedunt. In illis autem, qui bene dispositi sunt, ac debite praeparati, augmentum gratiae sanctificantis operatur, ut non ex malis boni fiant, sed ex bonis meliores, imo non meliores tantum, sed, si effectum Sacramenti plenum con-

sequuntur, veluti plenitudine gratiae sanctificantis perfundantur. 2.° Gratia sacramentalis, seu jus ad gratias actuales, quibus initiatus illustratur et accenditur ad ea, quae sunt muneris sacerdotalis, sancte et utiliter peragenda. Haec clara sunt, tum ex dictis de Sacramentis in genere; tum quia superius jam probatum est, Ordinationem esse novae legis Sacramentum. Optime ergo S. Leo ait Epist. 18.: *Intelligamus quanta et dantium et accipientium devotione curandum sit, ne tantae benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.*

II. Quae ad Characterem pertinent, jam exposuimus, cum generatim de Sacramentorum effectibus ageretur. Quapropter huic quaestioni non immorabimur. Hoc unum adjicimus: Ordinatio semper inter illa Sacramenta numerata est, quae semel accepta etiam in Haereticis permanent. Unde autem illud habet, ut permaneat? An ex ritu, quo confertur? At hic transiens est, et statim atque celebratus fuit, evanescit. An ex gratia? Sed haec etiam Ordinatorum negligentia amitti potest: *Penes nos enim est*, ait S. *Chrysostomus a), illam vel extinguere, vel accendere.* Superest ergo, ut perpetuo maneat ratione characteris, quem imprimit.

Appendiculae duae ad Art. II. et III.

QUAESTIO I.

De sacrarum Ordinationum iteratione.

1. Hoc argumentum primo aspectu parum difficultatis habet. Pendet enim a duplici quaestione, quam facile est ex principiis Catholicae fidei definire. Primum quidem illud fundamenti loco ponendum est, quod Tridentina Synodus decrevit *b*), in Sacramento Ordinis, sicut et in Baptismo et Confirmatione characterem imprimi, unde fit, ut ea iterari non possint: tum et illud tenendum, quod alio loco probavimus *c*), Sacramenta a fide et

---

a) Hom. I. in Epist. II. ad Timoth. *b)* Sess. XXIII. can. 4. et Sess. VII. cap. 9. *c)* De Sacram. in gen. III. Art. II. §. 3.

probitate ministri non pendere. Exinde fluit haec generalis regula: Ordinationes cum legitima materia et forma factas a ministro characterem episcopalem habente, quamvis intruso, haeretico, degradato, vera esse Sacramenta, characterem imprimere, ac proinde nulla ratione posse iterari. Hanc constantem Ecclesiae doctrinam fuisse, multis ex historia ecclesiastica argumentis probari potest. Pauca haec sufficiant: 1.° S. *Leo* M. *Anatolium* in locum Flaviani Episcopi Const. ab impio Dioscoro et Pseudoephesina Synodo *intrusum* ad preces Marciani Augusti et Pulcheriae suscepit, probatis singulis ejus Ordinationibus *a*). *Photius* a Gregorio Syracusano *degradato* ordinatus, tum et omnes, qui a Photio Ordines susceperunt, in Catholicam communionem recepti sunt a Joanne VIII. anno 879, quin ulla iterata fuerit Ordinatio. 2.° Idem dicendum de Ordinationibus *Schismaticorum.* Omnes qui ex Donatistis ad Ecclesiam Catholicam reversi sunt, *non sunt iterum ordinati*, ut S. Augustin. testatur *b*), *sicut in eis Baptisma, ita Ordinatio mansit integra.* Et cum *Melchiades* Papa ad Ecclesiae unitatem redeuntes suo gradu consistere passus est, licet fuerint a Majorino *schismatico* ordinati, *Augustinus c)* hanc sententiam vocat *innocentem, providam, integram et pacificam.* 3.° Eadem est *Haereticorum* ratio. Nunquam auditum est, iteratas fuisse eorum Ordinationes, qui a Novatianorum, Arianorum, aut alia Haereticorum secta ad Catholicos transierunt. Vide *Athanas.* Ep. ad Rufinian., *Hieronym.* contra Luciferianos. — *Concilium Ephes.* anno 431 in definitione contra Messalianos statuit: *Si quidem anathematizaverint, juxta ea, quae in praedicta Synodo scripto pronuntiata sunt, in scriptis, si Clerici fuerint, maneant Clerici, si Laici, ad communionem admittantur.* Eadem oeconomia usi sunt Patres Ephesini erga Nestorianos, et *Gregorius* M. de iisdem Haereticis agens haec praecipit *d*): *Nestorium cum omnibus sequacibus suis, et reliquas haereses anathematizent, venerandas quoque Synodos, quas universalis Ecclesia recipit, se recipere, et venerari promittant; et absque ulla dubitatione eos sanctitas vestra, servatis eis propriis Ordinibus, in suo coetu recipiat.* 4.° Demum exploratum est, Ecclesiam *Simoniae*

---

a) Ep. 78. al. 54. *b*) Lib. II. adv. Parm. *c*) Ep. 43. ad Gloriam. *d*) Lib. II. Ep. 67. al. 9.

crimen semper exhorruisse, et gravissimis poenis fuisse insectatam. Nusquam tamen legimus, irritas habitas fuisse simoniacas Ordinationes. Imo habemus summorum Pontificum *Nicolai* II., *Alexand.* II., *Gregorii* VII. constitutiones, quibus simoniace ordinatis, si vere poenitentes sint, permittitur, ut expleta poenitentia, in acceptis Ordinibus ministrent. Vid. S. Petrum Damiani in opusculo, quod nomen habet: *gratissimus.*

II. Haec tam clara sunt, ut vix dubio locus esse videatur. Attamen res in controversiam adducta est a plurimis tum veteris, tum recentioris Scholae Doctoribus. Et quidem apud veteres Theologos et Canonistas haec opinio, quod Haereticus ab Ecclesia praecisus sacros Ordines conferre non possit, ita invaluerat, ut Magister sententiarum nihil ausus sit in hac controversia decidere: *Hanc quaestionem*, ait *a)*, *perplexam ac pene insolubilem faciunt doctorum verba, qui plurimum dissentire videntur.* Accedit, quod historiae monumenta pervolventi plura occurrant, quae videntur probare, iteratas fuisse Ordinationes extra Ecclesiam factas. In exemplum adduci possunt, quae a Stephano IV. contra Constantini, a Stephano VI. contra Formosi Papae, ab Hincmaro Rhemensi contra Ebbonis, et a Synodo octava contra Photii Ordinationes decreta sunt. Haec cum perspiceret *Morinus*, vir in rimandis antiquitatis ritibus peritissimus, et persuasum haberet, Conciliorum et Pontificum decretis revera Ordinationum iterationes praescribi, in id totis viribus incubuit, ut haec cum Ecclesiae doctrina, quam praecedentibus Articulis exposuimus, conciliaret. Docet autem, inconcussum semper stare Catholicum dogma, quod Sacramentum Ordinis, ubi semel constat illud valide fuisse administratum, iterari non possit; sed quaestionem totam in eo consistere, an Ordinationes Haereticorum, cum ea observant, quae ad materiae et formae substantiam pertinent, sint validae. Putat autem vir doctissimus, id admitti non posse, nisi cum certis conditionibus, neque aliter posse ad allata superius argumenta responderi *b)*.

III. Palmare *Morini* principium est, in Ordinatione esse quaedam institutionis divinae, et alia, quae, utpote ab Ecclesia constituta, pro temporum et locorum diversitate variari possunt;

---

a) Lib. IV. dist. 21. *b)* Vid. de sacris Ordinat. P. III. Exercit. V.

quae autem, quando ab Ecclesia tanquam necessaria statuuntur, ipsam materiam Ordinis ita afficiunt, ut si defuerint, non amplius sit idonea Sacramento. Simile aliquid asserit in Poenitentia et Matrimonio fieri. Aliud conciliationis medium in eo constituit, quod distinguat inter characterem, ejusque virtutem, quam existimat Ecclesiae auctoritati esse subjectam; ita ut si haec suspendatur, character quidem maneat quoad substantiam, sed nihil agat, nec agere possit. Sed apertum est, haec gratis conficta esse, neque aliquod in Scriptura aut Traditione fundamentum habere. 1.° Ecclesiae, ut supra jam vidimus, semper persuasum fuit, nullam sibi potestatem esse in substantiam Sacramentorum. Sacramenta autem Poenitentiae et Matrimonii in exemplum adduci non possunt: primum enim jurisdictionem requirit in Ministro, cui pro libitu limites figere potest Ecclesia; Matrimonium autem essentialiter includit rationem contractus, contractus vero, ut valeat, iniri debet juxta leges a legitima auctoritate positas. Si *Morino* objiciuntur evidentissima Conciliorum et Romanorum Pontificum decreta, quae volunt, ut Haeretici et Schismatici, cum ad Ecclesiam redeunt, in eo, quem habent, gradu permaneant sine nova Ordinatione, respondet, id utique in Ecclesiae potestate esse, ut, quos ipsa condidit canones, revocet, aut ab illis propter majus Religionis bonum dispenset. Sed captiosa haec sunt; qua enim ratione fieri potest, ut Ordinatio, quae ab initio et in sua origine nulla fuisset, accedente postmodum Ecclesiae dispensatione, valida fieret et legitima? Quae de charactere somniat *Morinus*, nova quoque sunt, ac nullius roboris. Si Ecclesia credidit, se posse characteri vim suam virtutemque adimere, cur illud nunquam edixit? Cur nullum reperitur statutum, quo in illis, qui ab Ecclesia praecisi sunt, vis Sacerdotalis characteris suspenditur? Cur non aeque virtutem illis abstulit consecrandi, si potest characterem ineffícacem reddere, ac pene mortuum?

IV. *Morinus*, ut jam diximus, ad haec distinctionum inventa confugit, ut sacrarum Ordinationum iterationes explicaret, quas ille putat ecclesiasticis monumentis luculentissime probari. Verum tantae molis non est, haec cum antiquissima et communiter a Theologis recepta sententia conciliare, quae docet, Ordinationes, modo omnia adfuerint, quae ex divino institutionis

praecepto necessaria sunt, nullatenus esse iterandas. Si apud veteres Scholasticos aliqua occurrit opinionum diversitas, id movere neminem potest; multae enim quaestiones olim dubiae fuerunt et ancipites, quae postea decisae sunt, et consensu omnium Doctorum firmatae. Qui secuti sunt viri inter Theologos principes, ut *Thomas*, *Bonaventura*, *Scotus* ac caeteri omnes uno ore in eam, quam mox indicavimus, sententiam concesserunt.

Quod ad facta historica attinet, seu Ordinationes, quas *Morinus* contendit auctoritate Ecclesiae fuisse iteratas, tanquam falsas et irritas, impossibile est in hac compendiaria tractatione ad singula respondere. Adeantur, qui copiosius de rebus theologicis scripserunt. Haec tantum generatim adnotamus. 1.° Vocabulorum sensum tunc non fuisse tam accurate determinatum, ut non latiorem saepe significationem admiserint. Sic *irritum* aut *nullum* vocatur Sacramentum, quod effectum gratiae non consequitur, et nihil prodest ad salutem. 2.° Manuum impositio non semper est sacramentalis, sed saepe pro ritu reconciliationis usurpatur. Unde cum dicitur de Haereticis, qui ad Ecclesiam Catholicam veniebant: *Accepta manus impositione maneant in Clero*, illa manuum impositio intelligenda est, qua Ecclesia uti consueverat, quando Haereticos resipiscentes excipiebat. 3.° Saepe Ordo sumitur pro exercitio Ordinis, et ita non Sacramentum tantum indicat, sed etiam jus munia Ordinis obeundi; vel gradum hierarchicum et honores ac insignia huic gradui convenientia. Hinc non raro *degradati* Ordine exuti dicebantur; illi autem, qui ad Ecclesiam reversi jus exercendi Ordinem una cum insignibus accipiebant, Ordine donari. Sic Toletan. IV. Can. 28. ait: *Episcopus, si injuste a gradu suo dejectus, in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram Altari de manu Episcoporum; si Episcopus est, orarium, annulum et baculum.*

V. Neque illud omittendum, quod potuerint ad Ecclesiam accedere, qui se dicebant ab Episcopis haereticis ordinatos, de quibus, an characterem Episcopalem habuerint, non constabat; quippe fortassis seipsos multitudinis tumultuantis impetu intruserunt. Aut incertum erat, an legitima forma, aut cum debita materia administratum fuerit Sacramentum. Ejusmodi Ordina-

tiones dubiae iterabantur, et quidem sine conditione: id enim per mille et ducentos annos in usu Ecclesiae non erat, ut conditio adjiceretur.

Sunt demum quaedam, quae fatemur imprudenter et exulceratis animis contra omnes Evangelicas et canonicas regulas facta esse. Haec cum odii et contentionis opus sint, ad juris probationem adduci non possunt. Huc pertinet exemplum *Stephani* VI., qui cunctos, quos *Formosus* Papa ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordinavit. Hic Stephanus sedem Romanam per vim occupaverat; nihil mirum igitur, quod male parta auctoritate pessime usus sit. *Baronius* de hoc facto loquens ad an. Christi 897, ait: *Furore percitus homo* (Stephanus) *non quod jure liceret, sed quod exaestuans rabies suasit, implevit, non enim fuit error in fide, sed violenta tyrannis in facto.*

QUAESTIO II.

An valida haberi possit Ordinatio Episcoporum in Anglia.

I. Notum est Anglos, etiam postquam Schisma Henrici VIII. sub Eduardo VI. in apertam haeresin degeneraverat, formam aliquam Hierarchiae retinuisse. Habent adhuc hodie Metropolitas et Episcopos, qui sedes antiquas occupant, et cum fidem deseruerunt, reditus et honores cupidissime retinent. Si probari posset Episcoporum Ordinationes nunquam fuisse interruptas, ita ut ii, qui nunc sunt Episcopi, dici possent characterem saltem mediate et per continuam successionem ab illis habere, qui adhuc fuerant in Ecclesia Catholica ordinati: si praeterea constaret, in forma Sacramenti nullam factam fuisse essentialem mutationem: procul dubio validae essent eorum Ordinationes: quemadmodum Ecclesia Latina Graecorum et Orientalium Ordinationes ratas habet, nec iterari permittit, cum ad Ecclesiam redeunt. Verum hoc ipsum est, quod in controversiam adducitur, an illae, quas diximus, necessariae conditiones in Anglorum Ordinationibus reperiantur. Ineunte Saeculo XVIII. doctissimus Renaudot commentarium de Anglorum Ordinationibus scripsit, easque nullas et irritas esse declaravit. — Econtra P. le Courayer earum defensionem suscepit in dissertatione in hanc

rem edita: sed parum profecit homo multiplici jam suspicione notatus. Exinde enim viris doctissimis occasio nata est, hanc materiam clariore in luce collocandi, quod prae caeteris egregie praestiterunt *Harduinus* ex Societ. Jesu, et P. *le Quien* ex Dominicanorum familia.

II. Haec quaestio in duas iterum dividitur, quarum una est quaestio facti, altera juris. Factum, in quo controversia volvitur, hoc est: Regnante Elisabetha *Matthaeus Parker* Cantuariensis Archiepiscopus ordinatus est; a quo omnes, quae postea factae sunt, Anglorum Ordinationes originem ducunt. Unde si hujus invalida fuit Ordinatio, jam nullae necessario sunt, quae ab illo exierunt. At certum est, ab initio statim et deinceps communem Catholicorum tum Anglorum, tum exterorum sententiam fuisse, *Parkerum* episcopalem consecrationem non accepisse, eo quod consecratorem habuerit *Barlowium*, qui ipse characterem episcopalem non habuit. Dicunt autem, nunquam testimonium authenticum proferri potuisse consecrationis a Barlowio acceptae: constare econtra, illum eo tempore, quo ab Anglis consecratus fuisse dicitur, in Scotia fuisse. Addunt, Ordinationem Parkeri a Barlowio in taberna peractam fuisse; hoc an verum sit, an commentitium, non inquirimus; ejusmodi enim Ordinatio, si nihil essentiale deesset, invalida haberi non posset, quamvis illicita certe esset et sacrilega. Caeterum fatemur hanc partem controversiae valde obscuram esse et implicatam; verum si haec argumenta Anglorum Ordinationes non pene evertunt, dubias tamen esse probant et incertas, quod utique sufficeret, ut in conversis et reconciliatis iterarentur.

III. Praecipuum controversiae pondus in *quaestione juris* est. Certum est, Parkerum a Barlowio ordinatum fuisse juxta formam Ritualis ab Eduardo VI. editi. Videndum igitur est, an hic ritus ea habeat, quae ad substantiam Sacramenti pertinent. Imprimis de *Forma* Ordinationis quaestio instituitur. Notandum ergo, secundum Anglicanae Ecclesiae doctrinam Regem supremam habere potestatem in spiritualia; ab eo omnem ecclesiasticam potestatem tanquam ex suo fonte derivari; ab eo Episcopos non praesentari tantum, sed proprie institui et creari; ita quidem ut in potestate ejus sit, institutos deponere omnique spirituali potestate exuere. Sequitur ergo, eum qui consecrat, non am-

plius nomine Christi agere et Ecclesiae, sed nomine Regis. Haec necessario sensum formae determinant, ideoque Ordinationem intrinsece afficiunt.

Ordinationis ritus hic est: Primum legitur mandatum Regis de consecratione electi Episcopi. Deinde exigitur juramentum, quo Regis suprema potestas in rebus spiritualibus agnoscitur. Tum fiunt interrogationes: An electus persuasum habeat, se ad hanc administrationem vere vocatum esse juxta voluntatem D. N. J. C. et *constitutionem regni?* An credat Scripturas sacras ad salutem sufficere? An paratus sit ad extirpandam omnem peregrinam doctrinam? Quaenam haec est doctrina, nisi Romana? His praemissis sequuntur, quae formae locum habent; consecrans ita precatur: *Deus omnipotens, Pater noster coelestis, qui hanc tibi voluntatem concessit, concedat insuper vires ac facultatem ad haec efficaciter praestanda, ut opus istud suum, quod incepit in te, absolvat, teque integrum, et inculpabilem inveniat in illo supremo die, per J. C. D. N.*

Manifestum est, hanc orationem unum aliquid efficere cum iis, quae praemissa fuerunt: *Qui hanc voluntatem concessit, concedat insuper vires ad haec efficaciter praestanda:* id est, ad extirpandam Romani Pontificis auctoritatem, omnemque doctrinam, quam Romana Ecclesia docet contra constitutionem regni; omnes haereses a Rege et Parlamento sancitas pro viribus defendendi; omnem ecclesiasticam jurisdictionem exercendi tanquam a Rege emanantem. Quis sibi persuadeat ejusmodi Orationem validam esse Sacramenti formam, quae, ut loquitur *Pius* V., ad impia mysteria confirmanda profertur?

Fatetur Courayerus, Episcopos omnes, qui sub Henrico VIII. juxta ritum Romanum ordinati fuerant, novam, quae sub Eduardo VI. confecta fuit, formam rejecisse; hancque ab illis tantum novis Episcopis fuisse admissam, qui in priorum locum suffecti fuerant. Fatetur, etiam regnante Elisabetha, Parkerum, et qui ab eo ordinati sunt, nunquam a Catholicis habitos fuisse pro Episcopis. « Il est constant, dit-il, que sous Elisabeth les Catholiques Anglais refusèrent de reconnaître Parker pour Evèque, aussi bien que ceux qu'il avait consacrés: Sanderus, Stapleton, Harding, et tous ceux, qui ont écrit contre les Anglais, en fournissent des preuves authentiques. »

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Pervenimus nunc ad ultimum novae legis Sacramentum, non minus aliis omnibus sacrosanctum, non minus ac caetera benignissimae in humanum genus providentiae argumentum. Postquam enim Servator noster, ut sanguinis sui pretium largissime in nos effunderet, singulorum saluti consuluisset, omnia salutis media praeparans, quae cuilibet ab introitu in vitam hanc, usque ad exitum abunde sufficerent, postquam sapientissima ordinatione mysteriorum dispensatores instituisset, qui ovibus suis praeessent, et in eos coelestis gratiae thesauros effunderent: nihil videbatur ad generis nostri reparationem, et aedificationem corporis Christi superesse, quam Sacramentum, quo primaeva illa et individua maris et foeminae societas, ex qua totum humanum genus propagatur, coelesti benedictione consecraretur; ut ex radice sancta melior sanctiorque pullularet soboles, et ex honorabili conjugio, ac thoro immaculato populus Christianus ad veri Dei et Salvatoris nostri J. C. cultum augeretur.

Quis porro non videt, quam haec sint sapienter instituta, ut in hoc septenario Sacramentorum numero omnium generationum ordo volvatur, et quod ultimum est omnium, sit iterum primo proximum: cum parentes fructus casti conjugii Deo offerunt, atque tunc tantum parentes se esse gaudent, cum ii, quos carnaliter genuerunt, per Baptismum ad meliorem vitam renascuntur.

Difficile est, quod aggredimur, argumentum et molestis valde quaestionibus implicatum, idque non dissimulat ipsemet S. *Augustin.*, qui lib. I. de adulterinis conjugiis ait: *Quaestionem de conjugiis obscurissimam et implicatissimam esse non nescio: nec audeo profiteri, omnes ejus sinus vel in hoc opere, vel in alio me adhuc explicuisse, vel jam posse, si urgear, explicare.* Non possumus igitur satis viris ecclesiasticis commendare, ut ad addiscenda, quae ad hoc Sacramentum pertinere noscuntur, summam diligentiam adhibeant. Nos, ne limites operi nostro praefixos egrediamur, multa ad alias disciplinas remittimus, ea tantum,

quae pars Theologiae dogmatica sibi vendicat, qua poterimus accuratione tractaturi.

Agemus autem 1.° de natura et institutione Matrimonii generatim; 2.° de ejus dignitate in novo testamento; 3.° de quibusdam ejus proprietatibus.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA ET INSTITUTIONE MATRIMONII GENERATIM.

§. I.

De natura Matrimonii.

I. *Matrimonium ab eo dicitur*, inquit Catech. Rom. *a), quod foemina idcirco maxime nubere debet, ut mater fiat: vel quia prolem concipere, parere, educare, matris munus est.* Solet etiam conjugii, et nuptiarum aut connubii nominibus signari. Conjugii voce exprimitur illa individua vitae societas, qua maritus et uxor veluti communi cuidam jugo se subjiciunt. Connubii sicut et nuptiarum vocem a velando ductam esse volunt; quod virgines, quae nubebant, in pudoris seu subjectionis argumentum tegi solerent: quo simul innuitur, debere conjuges modestia et pudore, quasi obducto quodam velo, ea inter se tegere et obvelare, quae christianam modestiam et pudicitiam offendunt.

Matrimonium sub triplici ratione considerari potest, ut est officium naturae, ut est contractus civilis, et ut est Sacramentum. Ut officium naturae ad propagationem et conservationem generis humani ordinatur; ut contractus civilis reipublicae paci et perennitati consulit; ut Sacramentum novae Legis conjuges gratia exornat, et Ecclesiam ditat pia et fideli progenie.

II. Matrimonium ut est officium naturae ex communi Theologorum sententia definitur: *Viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens.* Potest etiam definiri: *Societas maris et foeminae legitime inita ad procreandam et educandam prolem, mutuumque vitae adjutorium.*

---

a) De Matrim. q. II.

Haec quippe conjugalis societas omnium in orbe prima fuit, et ex ea reliquae omnes tum domesticae, tum publicae societates originem et incrementum cepere. Quod additur: *ad procreandam et educandam prolem*, probat hunc proprie finem esse matrimonii, quod, quamvis existere possit sine corporum commixtione, tamen hunc sua natura et radicali jure ordinem poscit. Inde etiam est, quod matrimonium existere non possit inter homines ejusdem sexus, quamvis illi societatem inire possint ea pactione, ut sibi mutuam operam praestent, et individuam vitae consuetudinem retineant.

III. Theologi disputant, in quo natura ipsa et ratio Matrimonii proprie consistat. Multa sunt, quae in perfecto Matrimonio inesse noscuntur: consensus videlicet interior, et pactio externa, seu contractus; vinculum, quod ex hac pactione efficitur, quemadmodum et mutua obligatio, ac jus mutuum petendi ac reddendi debitum; denique conjugum copulatio, qua matrimonium consummatur. Ex his nunc quaeritur, quid proprie essentiam Matrimonii constituat. *Augustinus* refert *a)*, *Julianum b)*, Pelagii discipulum, eam posuisse in usu, seu carnali conjunctione: *Nihil aliud dicis esse nuptias, quam corporum commixtionem.* Ab hoc errore non satis recedunt Theologi quidam, qui, licet existiment Matrimonium contrahi antequam consummetur, illud tamen dicunt non esse verum et perfectum Matrimonium sine copula. Alii copulam non quidem ut partem essentialem habent, sed ut partem integralem. Ita *Bellarminus c)*. Sunt iterum, qui essentiam Matrimonii collocant in mutuo contrahentium consensu exterius manifestato; at minus bene, ut nobis videtur. Hic consensus quidem omnino ad contrahendum Matrimonium est necessarius, et quidem, ut valeat, liber esse debet ac mutuus, et verbis expressus, quae praesens tempus designant; nam quae futurum indicant, Matrimonium non conjungunt, sed promittunt. Verum exinde non sequitur, essentiam Matrimonii in hoc contractu consistere; non potest esse proprie Matrimonium, quod illius est causa effectrix; et actus transiens non potest esse essentia rei stabilis et permanentis. Docendum igitur est, Matrimonii

---

a) Lib. V. cont. Julian. cap. XVI. Nro. 62. *b)* Lib. I. de Matr. cap. V. ad Argum. 6. *c)* Lib. I. de Matr. cap. V. ad Argum. P.

naturam et vim in mutuo nexu et vinculo sitam esse, quo conjuges uniuntur. Potest tamen haec postrema opinio cum priore conciliari, si dicatur, Matrimonium *in fieri* consistere quidem in consensu interno, et pactione externa contrahentium; Matrimonium vero *in facto esse*, ut dicitur, consistere in illo nexu, seu vinculo, quod permanet. Eodem modo Catechismus Romanus utramque opinionem conciliat: *Cum dicunt*, inquit *a)*, *conjugium esse consensum maris et foeminae, hoc ita accipiendum est, consensum ipsum Matrimonii causam effectricem esse, quod Patres in Concilio Florentino docuerunt. Etenim obligatio et nexus oriri non potest, nisi ex consensu et pactione.*

IV. Nunc ad illud revertendum, quod jam supra insinuatum est, videlicet, Matrimonium proprie non exsurgere ex mutua corporum traditione et obligatione ad actus conjugales; siquidem jus petendi aut reddendi debiti sequitur ex Matrimonio jam constituto, illiusque est effectus. Quin, cum Matrimonium proprie in ipso vinculo, et individua vitae societate consistat, sequitur, firmum stare conjugium, etsi copula non sequatur; imo, quando contrahentes libere et mutuo se obligant ad continentiam. Unde laudat Ecclesia Matrimonia quorundam Sanctorum: ut Henrici et Cunegondis etc., et quam maxime illud S. *Josephi* et B. Virginis, de quo S. *Augustin.* ait *b)*: *Hoc exemplo magnifice insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servata continentia posse permanere conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.* Vid. *Ambros.* in lib. de institutione Virginum cap. VI. Innumera sunt in hanc rem testimonia. Unum adhuc ex S. *Augustino* adjicimus, qui supra memoratam Juliani sententiam impugnans inquit *c)*: *Numquid negas, sibimet etiam adulteros . . . corporum commixtione conjungi? Non est ergo ista definitio nuptiarum; aliud est enim quod nuptiae sunt, et aliud est, sine quo etiam nuptiae filios propagare non possunt: nam et sine nuptiis possunt nasci homines, et sine corporum commixtione possunt esse conjuges.*

---

a) Quaest, IV. *b)* Lib. II. de consens. Evang. *c)* Loc. cit.

§. II.

De Matrimonii institutione.

OBSERVANDA.

Post Apostolorum tempora prodierunt Haeretici, qui nuptias damnarunt, et quos Paulus Apostolus futuros praedixerat I Tim. IV.: *In novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum ... prohibentium nubere. Simon Magus* Haereticorum omnium princeps turpitudinem introduxit indifferenter utendi foeminis, teste August. de Haeres. cap. I. — *Saturninus* Simonis discipulus asseruit, nubere, et liberos gignere a Daemone esse; teste Irenaeo lib. I. cap. XXII. Hieronym. scribens adversus Jovinianum docet, *Marcionem* nuptias prohibuisse tanquam illicitas. *Epiphan. a)* et *August. b)* tradunt, *Tatianum*, Justini quondam auditorem, in eadem haeresi fuisse, et *Hieronymus c)* advertit, ex illo loco Apostoli: *qui seminat in carne, de carne et metet corruptionem ...* a Tatiano perperam conclusum, prolem ex Matrimonio natam esse corruptionem, eosque seminare in carne, qui liberos procreant. Eandem erroris labem *Manichaei* ex Marcione expressam longe lateque diffuderunt. Observat tamen *Augustin.* adversus *Faustum* disputans, hos Haereticos, quamvis nuptias damnarent, tolerasse ex suis eos, qui naturae necessitate superati nubebant: *Illud habetis in doctrina vestri erroris*, ait, *illud in necessitate societatis.* Protestantes longe sunt ab errore Haereticorum *prohibentium nubere.* Econtra nuptias commendant et extollunt, atque Matrimonium a Deo institutum esse et ipsi affirmant; sed negant esse Sacramentum, quod hoc loco non est discutiendum.

PROPOSITIO.

Matrimonium a Deo ipso institutum est.

Prob. I. Deus est auctor naturae: atqui Matrimonium est a natura; ergo est a Deo.

Prob. minor. Matrimonium, ut est officium naturae, non est ab hominibus inventum, sed a natura, ait Cat. Conc.

---

a) Haeres. 46. *b)* Lib. de haeresib. cap. XXV. *c)* In cap. VI. Ep. ad Galat.

Trid. *a*). Et certe, ut observat *Estius b*), natura etiam secluso peccato, inclinat hominem ad prolis generationem; et ad eum finem sexuum diversitas est ordinata, utpote quae alium finem non habet, praeter humani generis propagationem. Deinde natura humana ita est a Deo condita, ut proles, cum in lucem edita est, longissimis curis indigeat, et per nutritionem et educationem ad perfectum perduci debeat secundum corpus et animam. Haec autem officia certos requirunt parentes, eosque nexu stabili colligatos: ergo requirunt Matrimonium.

Prob. II. Ex cap. I. et II. libri Genesis. — Cap. I. v. 27. et 28. dicitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam ... masculum et foeminam creavit eos, benedixitque illis, et ait: crescite et multiplicamini.* Jam quae cap. II. sequuntur, probant, Deum hominem fecisse non tantum ad officium generandi, sicut fecerat bestias, sed ad arctiorem et maritalem conjunctionem, in qua Matrimonium proprie consistere supra ostendimus. 1.° Mutuam vitae et officiorum societatem clare exprimunt haec verba v. 18.: *Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sibi* ... et illa ab Adamo prolata cap. III.: *Mulier, quam dedisti mihi sociam.* Deinde mysterio non vacat, quod Deus mulierem ex costa viri formaverit. Nam et ossis firmitate societatis vinculum significavit, et simul docuit foeminae esse virum sequi, et continuo ejus quasi lateri adhaerere. 2.° Hoc ipsum inspirante Deo intelligens primus homo a sopore expergefactus in haec verba prorupit v. 23.: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Quam ob rem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

Prob. III. ex cap. XIX. Matth., ubi Christus Pharisaeis interrogantibus, num liceat uxorem dimittere, sic respondet: *Non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos? Et dixit: propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. ... Quod ergo Deus conjunxit, homo non*

---

a) Quaest. IX. *b*) In IV. dist. 26. §. 1.

separet. His verbis Christus Pharisaeos ad primam Matrimonii institutionem revocat, et verba ab Adamo pronuntiata, interpretatur dicta esse a Deo; ex quo intelligimus, Adamum fuisse Dei interpretem, dum verba illa recitaret.

Corolл. *Matrimonium licitum est et honestum.*

Prob. I. *ex Propositione;* quomodo enim posset non esse licitum et honestum, cujus Deus ipse auctor est?

Prob. II. *Scripturae testimoniis.* Joan. II. Christus nuptias sua praesentia probavit et cohonestavit. Apostolus, I Cor. VII, quamvis multa dicat in continentiae commendationem, tamen de Matrimonio semper tanquam de re bona et honesta loquitur: veluti v. 28.: *Si acceperis uxorem, non peccasti, et si nupserit virgo, non peccavit...* et v. 38.: *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit.* Idem Apostolus I Tim. IV. docet eos, qui prohibent nubere, a fide discedere, eorumque sententiam vocat doctrinam Daemoniorum. Et ad Hebr. XIII. ait: *Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus.* Denique plenae sunt historiae exemplis sanctissimorum virorum, qui nuptiis implicati Deo placuerunt. Unde non potest Matrimonium tanquam turpe aliquid, aut inhonestum haberi, *nisi,* ut S. *Thomas* inquit *a), ponatur secundum quorundam insaniam, quod res corruptibiles creatae sunt a Deo malo.*

CONTRARIA DISSOLVUNTUR.

Dicunt I. Si Matrimonium in ipsa hominis natura fundatur, et a Deo ab ipso humani generis exordio fuit institutum: ergo habendum est ut res necessaria et praecepta: atqui contrarium docent Catholici. Ergo etc.

Respond. S. *Thomas b)*, naturam ad aliquid inclinare dupliciter; vel in quantum illud necessarium est ad perfectionem cujusque hominis; vel quatenus illud est necessarium ad perfectionem multitudinis, aut communitatis; primum obligat singulos, non secundum; alias quilibet homo etiam obligaretur ad agriculturam, aut alias artes, quae humanae societati sunt necessariae. Ergo et illa verba: *crescite et multiplicamini*, praeceptum non

a) In Suppl. q. 41. art. 3. *b)* Loc. cit. art. 2.

continent, sed institutionem tantum; aut certe praeceptum illud tantum ad genus humanum in communi pertinet, non autem ad singulos homines; idque inprimis in nova Lege, ubi Christus Castitatem commendat, et Apostolus tum verbis, tum proprio exemplo alios ad hanc virtutem cohortatur.

Dicunt II. Si valent argumenta Propositionis, sequeretur Matrimonium in paradiso institutum fuisse ante peccatum: atqui falsum consequens; siquidem Theologi omnes consentiunt, Matrimonium institutum fuisse in remedium peccati: ergo post peccatum.

Resp. Theologi triplicem Matrimonii finem distinguunt. Primus est procreatio, et cum ea connexa educatio prolis: *crescite et multiplicamini.* Quo et illud refertur *Tob.* VI.: *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abrahae benedictionem in filiis consequaris.* Secundus est mutuum adjutorium et vitae societas: *Non est bonum homini esse solum.* Tertius, ut esset remedium contra rebelles concupiscentiae motus: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque virum suum habeat.* 1 Cor. VII. — Matrimonium ante peccatum institutum est, quatenus est officium naturale, ad primum et secundum finem assequendum. Post peccatum alius finis accessit, nimirum ut sit in remedium concupiscentiae: non ulla nova constitutione, ut ait *Maldonatus a*), sed sola mutatione rerum. Quod ita explicat *Concilium Coloniense* an. 1549 *b*): *Matrimonium*, inquit, *ante lapsum Adae propter procreandos liberos institutum, ac benedictione Dei firmatum, qua dixit: crescite et multiplicamini, et replete terram; peculiariter autem homini: erunt duo in carne una. Nec ratio conjunctionis, seu benedictionis post lapsum deficit; sed tantum, quod sanis potuit esse officium, id aegrotis etiam factum est remedium.*

Dicunt III. Apostol. I ad Cor. VII.: *Bonum est homini mulierem non tangere.* Verum, ut observat S. *Hieronym. c*), *si bonum est, mulierem non tangere, malum est, eam tangere; nihil enim bono contrarium est, nisi malum.*

---

a) De Matr. ad IV. Arg. p. 434. *b*) Part. VII. cap. 41. *c*) Lib. I. contra Jovin.

Resp. Non certe concluderet Hieronymus, nisi malum improprie sumeret pro eo, quod est minus bonum. Optime enim dicitur bene agere, qui relicto minori bono, eligit, quod est melius. Sic bene facit, qui divitias abjicit, ut animum ad rerum coelestium studium transferat; et tamen non sequitur malum esse, possidere divitias. Porro *Hieronym.* ipse mentem suam explicat in Apologia pro lib. adversus Jovinian.: *Neque vero nos*, inquit, *Marcionis et Manichaei dogma sectantes, nuptiis detrahimus. Non ignoramus honorabiles nuptias, et thorum immaculatum . . . sed ita nuptias recipimus, ut virginitatem, quae de nuptiis nascitur, praeferamus.*

Dicunt IV. Catholici Matrimonium immunditiem, pollutionem et carnales sordes appellant: ergo non possunt illud habere ut aliquid licitum et honestum.

Resp. Hoc argumentum mera est Calvini calumnia; nusquam enim Catholici legitimum Matrimonium, aut rectum Matrimonii usum pollutionem aut immunditiem vocant. Quamvis, ut *Bellarminus* ait *a)*, si in statu naturae lapsae in actu Matrimonii turpitudinem et immunditiem aliquam esse diceremus ratione concupiscentiae et rebellionis membrorum, nihil diceremus divinis litteris repugnans; nam I Reg. XXI. interrogavit Sacerdos a Davide: *Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus?* et Apocalyps. XIV. de Virginibus dicitur: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* Hoc ergo observandum: 1.° Juxta Theologos etiam conjugalem actum saepe sine peccato non esse, saltem veniali; cum nempe homo cupiditatis aestu abripi se sinit, et praescriptos sanae rationis, et casti conjugii limites excedit. 2.° De illa voluptate, quae cum usu Matrimonii conjuncta est, non raro dici, quod mala sit, et legi mentis repugnet, sicut concupiscentia mala dicitur, quia ad malum inclinat, pro ea, quae in nobis est, naturae depravatione. Unde malum poenae potius est, quam culpae. Huc pertinet illud *Augustini b): Quid concubitus conjugalis, qui . . . procreandorum fit causa liberorum, nonne et ipse, quamvis sit licitus et honestus, remotum ab arbitris cubile requirit? Unde hoc? Nisi quia sic geritur, quod deceat ex natura, ut etiam quod pudeat, comittetur ex poena.*

a) De Matr. lib. I. respons. ad IV. arg. *b)* Lib. XIV. de civit. Dei cap. 18.

Caeterum manifesta res est, Ecclesiam Catholicam, sicut virginalem statum non cessat maximis laudibus celebrare, ita semper Matrimonio suam servasse dignitatem. Egregie in hanc rem loquitur *Cyrillus Jerosolym. a)*: *Neque vero, si perfectum castitatis officium adimples, efferri te decet adversus illos, qui inferiorem vitae statum Matrimonio copulati sectantur. Honorabile enim est connubium, et cubile immaculatum, ut ait Apostolus. Et tu, qui castitatis dignitatem habes, nonne ex hominibus conjugatis natus es? Non ergo quod aurum possideas, argentum reprobes. Verum spei bonae pleni sunt et ii, qui in conjugio legitime nuptiis utuntur.*

Sequitur ergo, nuptias non esse malum, sed minus bonum. Idque S. *Augustin.* brevi hoc et aptissimo sermone expressit *b*): *Non ergo duo mala connubium et fornicatio, quorum alterum pejus; sed duo bona sunt connubium et continentia, quorum alterum est melius.*

CAPUT SECUNDUM.

DE MATRIMONIO, UT EST NOVAE LEGIS SACRAMENTUM.

I. Protestantes, quamvis bona Matrimonii amplissimis suavissimisque verbis celebrent, illud tamen negant esse Sacramentum: « Matrimonium, ait *Lutherus c*), novae legis Sacramentum « non est, cum ipsi desit divina promissio. » Et *Calvinus* inquit *d*): « Postremum est Matrimonium, quod, ut a Deo insti« tutum fateamur omnes, ita pro Sacramento datum nemo us« que ad Gregorii tempora viderat. » Dissimulare non possumus, etiam Theologos quosdam ante Concilii Trid. tempora non satis accurate de Matrimonio scripsisse; eique, si non nomen, tamen vim et virtutem Sacramenti detraxisse. Docuerunt enim, Matrimonium Sacramentum esse improprie dictum, quatenus est signum rei sacrae; sed non esse signum practicum gratiae sanctificantis. Hos utique in eandem cum Novatoribus Saeculi XVI. classem referre non possumus; nunquam enim in animo habebant, con-

---

a) Catech. IV. n. 25. *b*) Lib. VI. de bono conjugii cap. VIII. *c*) Lib. de capt. Babyl. *d*) Lib. IV. instit. cap. IV. §. 24.

tra dogma ab Ecclesia decretum pertinaciter certare. Errabant in re nondum clare definita. Atque hinc est, quod S. *Thomas*, *Bonaventura*, *Scotus*, et alii, qui veram et Catholicam sententiam tuebantur, illam tamen non proposuerint tanquam necessario fide divina credendam.

II. Alia movetur quaestio inter Theologos, eaque libere agitari potest, cum nihil sit ab Ecclesia hac de re definitum. Quaeritur nempe, an Matrimonium ante Christum vim et dignitatem Sacramenti habuerit. *Maldonatus* illud prorsus affirmat *a*) ac pluribus argumentis evincere conatur. *Launojus* in lib. de regia in Matrimonium potestate eandem sententiam amplectitur, quam putat causae suae magis accommodatam. Verum communis sententia est, Matrimonia in lege naturae et scripta veri nominis Sacramenta non fuisse. Qui ita sentiunt, non tantum ad argumenta prioris sententiae respondent, sed et suam stabiliunt gravissimis rationibus. Sic, ut caetera taceam, S. Thomas claris verbis docet *b*): *Matrimonium institutum fuisse in officium naturae in statu innocentiae; deinde in statu naturae corruptae fuisse illi additum, ut esset in remedium; et tandem in lege nova a Christo institutum fuisse in Sacramentum.*

III. Nostrum non est, hanc controversiam dirimere, neque tanti momenti res est. Miror tamen illos, qui Matrimonium ante Christum Sacramentum fuisse negant, hoc imprimis argumento uti, quod ad Sacramentum necesse sit, ut habeat promissionem gratiae, quam efficiat ex *opere operato*. Ita Tournel. Ac etiam video Bellarminum semper in hac idea haerere, quod Matrimonium in veteri lege non fuerit signum efficax gratiae. At nemo nescit, omnia veteris legis Sacramenta in hoc differre a nostris, quod illa vim non habuerint producendi gratiam, haec autem gratiam producant; et si dicitur Matrimonium Sacramentum fuisse ante Christum, utique intelligitur, fuisse Sacramentum, ut tunc erant, non ut sunt novae legis Sacramenta. Unde quaecunque sententia assumatur, semper manet, magnam Matrimonio dignitatem accessisse, quod Sacramentum novae legis factum sit, et vim producendi gratiam ex Christi institutione acceperit.

---

a) Ad IV. Arg. secundae sent. pag. 434. *b*) In IV. dist. 26. q. 2. arg. 2.

IV. Illud quoque facile ab omnibus conceditur, quod Adami et veteris legis connubia Sacramenta vocari possint laxiori significatu, eo quod essent signa rei sacrae; nam unionem Christi cum Ecclesia, quam praesentem exprimunt Matrimonia Christianorum, illa significabant futuram. Illud innuere videtur Tertullianus, Hieronymus et alii plures: *Adam*, inquit *Tertullian. a), statim prophetavit magnum illud Sacramentum in Christum et Ecclesiam dicens: Hoc nunc os ex ossibus meis etc....* et S. *Hieronym. b): Primus homo et primus vates Adam hoc de Christo et de Ecclesia prophetavit.* Hujus certe Prophetiae objectum et finis non alius fuit, quam Christi cum Ecclesia futura conjunctio, tum naturalis per Incarnationem, tum moralis et spiritualis per caritatem et influxum gratiae. Quod autem Matrimonio, praeter humanum contractum, aliquid divinum inhaereat, quod ad Religionem pertinet, id vel ipsi gentiles agnovisse videntur, qui non sine sacrificiis ac religiosis caeremoniis nuptias celebrabant. Multo distinctius hoc in veteri testamento exprimitur. Sic Raguel tradens filiam suam Tobiae in Matrimonium apprehensa utriusque manu dixit *c)*: *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis.* Quamquam autem ejusmodi conjunctio per se gratiam non produxerit; credendum tamen, gratiam non defuisse illis, *qui*, ut Angelus apud Tobiam ait *d)*, *conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente non excludant, nec libidini suae ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.*

Probabimus 1.° Matrimonium novae legis Sacramentum esse. 2.° De hujus Sacramenti materia et forma, 3.° de ejus Ministro, 4.° de Subjecto tractabimus.

---

a) Lib. de anim. cap. II. *b)* In cap. V. ad Ephes. *c)* Tob. VII, 15. *d)* Cap. VI, 17.

ARTICULUS I.

Quod Matrimonium novae legis Sacramentum sit.

PROPOSITIO.

Matrimonium proprie dictum novae legis Sacramentum est.

CONCIL. TRIDENT. Sess. XXIV. Can. I.

Siquis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre; anathema sit.

Prob. I. Ex Scrpt. — Ad Sacramentum novae legis requiritur 1.° ut sit signum rei sacrae. 2.° Ut sit signum gratiae sanctificantis. 3.° Ut sit institutum a Christo. — 1.° Quod Matrimonium sit signum rei sacrae, evidenter colligitur ex Apostolo ad Ephes. V. Nam cum Apostolus de intima conjugum unione dixisset: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una:* statim haec addit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Quod explicat Estius *a*): « Per hoc, quod homo relictis « parentibus adhaeret uxori suae, et cum ea una caro « efficitur, mystice significatur, Filium Dei e sinu Patris, « et quasi relicto Patre in terras descendisse, ut Ecclesiae « conjungeretur, unumque cum ea corpus per Incarnationem « efficeretur. » Porro Matrimonium non tantum naturalem illam Christi cum Ecclesia unionem significat, quae per Incarnationem facta est, sed et spiritualem per gratiam et caritatem; illamque mysticam ac prorsus ineffabilem, per quam in sacra Eucharistia unum cum eo corpus et unum os efficimur, ut dixerunt antiqui autores.

2.° Gratiam quoque hoc Sacramento significari et tribui, in quo maxime Sacramenti ratio inest, haec Trid. Synodi verba declarant, Sess. XXIV. cap. unico: *Gratiam, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus,*

---

a) In IV. dist. 26. §. 5.

venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. Et certe, cum Apostol. ad Ephes. docet, Matrimonium esse signum unionis Christi cum Ecclesia, non de illa tantum unione loquitur, quae facta est in Incarnatione per naturae conformitatem, per hanc enim Christus non soli Ecclesiae jungitur, sed toti generi humano; sed magis illam intelligit, qua Christus proprie jungitur Ecclesiae, ut sponsus sponsae spirituali dilectione. v. 25.: *Sicut Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret . . . et exhiberet ipsi sibi gloriosam* etc. Jam vero hoc significare non potest conjugium, nisi inter virum et mulierem sit unio spiritualis animorum, et mutuae charitatis vinculum sanctum et immaculatum, ad exemplum illius intimae et indissolubilis dilectionis, qua Christus Ecclesiae suae copulatur. Inde et illae Apostoli adhortationes: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam. . . . Sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.*

Accedunt alia Scripturae loca, quae non obscure indicant, Matrimonio annexam esse gratiam. Ut I Tim. II.: *Mulier salvabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide et dilectione . . . cum sobrietate.* I Cor. VII.: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.* In eadem Epist.: *Cui vult nubat, tantum in Domino.* Ad Colos. III.: *Mulieres subditae estote viris, sicut oportet, in Domino.* Addit *Maldonatus a)*: « Graeca phrasis prae se fert hunc sensum: Sicut decet eas mulieres, quae contraxerunt Matrimonium, non ut gentiles, sed in Domino, id est, rite, sancte, sacramentaliter. » Notum est, *in Domino*, idem esse ac in Christo, qui conjuges Christianos gratia sua fovet ac nutrit, tanquam membra corporis sui, id est Ecclesiae.

3.° Quod Matrimonium novae legis dignitatem suam et vim producendi gratiam a Christo habeat, necesse non est novis argumentis asserere. *Ipse* enim, ut Trident.

---

a) Ad 5. cap. IV. sententiae p. 428.

ait, *venerabilium Sacramentorum institutor est atque perfector.* Non alia ratione Matrimonium ab Apostolo magnum Sacramentum esse dicitur, quam quia respectum habet ad Christum, ejusque cum Ecclesia unionem significat. Ideo etiam admonentur Fideles, ut si nubere velint, in Domino nubant, id est, eo modo quo illud fuit a Christo institutum.

Probat. II. Conciliorum et Patrum auctoritate.

Optime *Trident.* ait *a*): *Cum igitur Matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet, merito inter novae legis Sacramenta numerandum sancti Patres nostri, Concilia, et universalis Traditio semper docuerunt.* Haec non sunt a priori argumento divellenda. Nam si, quae ex Scriptura depromuntur, non satis expressa videntur et peremptoria, ad verbum Dei traditum confugiendum est. Hoc autem argumentorum genere tam evidenter assertio nostra comprobatur, ut nullus dubio locus superesse possit.

I. Canonem Concilii Tridentini supra citavimus. Ante Tridentinum *Eugenius* IV. ad Armenos Matrimonium nominat inter septem novae legis Sacramenta. Constantiense Concil. Sess. XV. damnavit Joannem Huss, quod de Sacramento Matrimonii male sentiret. *Lucius* III. an. 1181 *b*) anathemate damnat eos, *qui de Baptismate ... Matrimonio vel reliquis ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sancta Romana Ecclesia sentit et observat.* In Concilio Lateran. III. an. 1179, cui interfuerunt Episcopi 302, vetitum est, *ne pro benedictionibus nubentium, sive aliis Sacramentis conferendis aliquid pretii exigatur.*

II. Quoniam *Calvinus* incredibili audacia affirmavit, ante *Gregorium* Papam neminem vidisse Matrimonium esse Sacramentum; juvat aliqua veterum temporum testimonia producere. 1.° Ex antiquissimis Patribus, ut *Ignatio* viro Apostolis coaevo, *Justino* Mart., *Tertulliano, Clemente* Alexandr., *Basilio,* aliisque pluribus constat, Matrimonium

a) Loc. cit. *b*) Cap. ad abolendum tit. de Haeret.

semper in Ecclesia celebratum fuisse cum sacris ritibus et benedictione Sacerdotis. Inter alios unum citabimus *Tertull.: Unde sufficiamus*, ait *a), ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater ratum habet.* Ex his merito colligitur, Ecclesiam Matrimonium Fidelium semper habuisse ut rem sacram, et divinum Sacramentum ad gratiam nubentibus impertiendam destinatum. 2.° Alii Patres agnoscunt, Matrimonio annexam esse gratiae promissionem. Sic *Innocentius* I. illegitimum declarans Matrimonium priore conjuge adhuc superstite contractum, ita ait *b)*: *Statuimus fide Catholica suffragante, illud esse conjugium, quod primitus erat divina gratia fundatum.* 3.° Demum Patres expressis verbis Matrimonium Sacramentum appellant. Inter hos sunt *Ambrosius, Chrysostomus, Leo* I. atque imprimis *Augustinus* multis in locis. Sic lib. de bono conjugali cap. 18.: *In Christianorum nuptiis*, inquit, *plus valet sanctitas Sacramenti, quam foecunditas uteri.*

Probat. III. Ex universali Ecclesiae tum Graecae, tum Latinae consensione.

Rem totam penitus conficit argumentum, quod ex consensu Orientalis et Occidentalis Ecclesiae desumitur. Hoc argumentum omnino idem est cum eo, quod alio loco evolvimus, cum de septem Sacramentis in genere ageretur. Antequam Novatorum error prorupit, totus orbis Christianus summo consensu tenuit, Matrimonium Fidelium verum esse N. L. Sacramentum, neque aut in Oriente, aut in Occidente inveniebatur, qui huic doctrinae contradiceret. Graecos cum Latinis in hoc dogma conspirasse probatur ex *Simone Thessal.* viro inter Graecos celebratissimo, ex *Florentina Synodo*, ex censura *Jeremiae* Patriarchae cap. 7, ex Conciliis contra *Cyrillum Lucarem* habitis. Valet igitur et hic illud *Tertulliani* de praescript. cap. 28.: *Ecquid verisimile est, ut tot ac tanta in unam fidem erraverint. Variasse*

a) Lib. II. ad Uxorem versus fin. *b)* Epist. IX. ad Probum.

debuerat error Doctrinae Ecclesiarum. Caeterum, quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Et certe, nemo non videt, si recti animi et sanae mentis est, ab Apostolis esse derivanda, quae constanti Traditione in omnibus ubique Ecclesiis servata et credita reperiuntur; imprimis si Ecclesiae Graecae cum Latinis in eandem fidem conspirent.

ARGUMENTA CONTRARIA CONFUTANTUR.

Objic. I. 1.° Haec verba Apostoli: *Sacramentum hoc magnum est*, non referuntur ad Matrimonium Adami et Evae, sed ad unionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem, quod revera magnum est pietatis Sacramentum; ut I Tim. II. dicitur. — 2.° Catholici decepti sunt ex versione Vulgatae, quae habet *Sacramentum*, cum in Graeco legatur *Mysterium*. 3.° Ex illo loco Apostoli ad summum concludi posset, Matrimonium primorum parentum, de quo uno Apostolus loquitur, signum fuisse unionis Christi cum Ecclesia, non autem quodvis aliud Matrimonium etc.

Resp. ad I. neg. ant. Haec Novatorum interpretatio omni remota contentione est absurdissima, quod ipsa verborum consequentia aperte probat. Siquidem per pronomen *hoc* verba illa referuntur ad praecedentia: *Relinquet homo patrem et matrem etc. Sacramentum hoc magnum est.* Deinde si Apostolus voluisset appellare Sacramentum conjunctionem Christi cum Ecclesia, non dixisset: *Sacramentum hoc magnum est, in Christo et Ecclesia;* sed: Sacramentum Christi et Ecclesiae magnum est. Adde, quod Graece dicitur: εἰς χριστὸν καὶ ἐκκλησίαν, *in Christum et Ecclesiam;* quibus verbis clare indicatur, mysterium esse in conjugio, cujus significatio refertur ad Christum et Ecclesiam. Ita Ambros., Chrysostom., Hieronym., Augustinus, caeterique Patres hunc Apostoli locum interpretati sunt.

Ad II. Inepta prorsus cavillatio! Quis enim ignorat, idem apud Graecos significari per mysterium, quod apud Latinos per Sacramentum? Neque potuit Apostolus, qui Graece scripsit, Sacramentum nominare nisi Graeco vocabulo.

Ad III. Resp. neg. ant. Adamus eo loco non loquitur de se, sed de omni alio conjugio. Alias non diceret: *relinquet homo*, sed *relinquam;* neque diceret: *relinquet Patrem et matrem*,

ipse enim Patrem et matrem non habebat. Caeterum Christus Matth. 19. verba illa refert ad omne legitimum conjugium.

Objic. II. 1.° Si Matrimonium propterea est Sacramentum, quod rem sacram, nempe Christi et Ecclesiae conjunctionem significet, sexcenta erunt Sacramenta; sic enim thesaurus, semen, granum sinapis, et alia multa in Evangelio regnum coelorum aut res divinas adumbrant. 2.° Etiamsi detur, Matrimonium fuisse institutum a Deo, non probatur esse Sacramentum; nam etiam agricultura et ars sutoria a Deo est, nec tamen est Sacramentum. 3.° Res naturales non sunt Sacramenta; sed Matrimonium non minus est naturale, quam edere aut bibere: ergo non habet rationem Sacramenti.

Resp. ad I. Non ideo tantum Matrimonium Sacramentum est, quia est signum rei sacrae; sed quia est signum a Christo institutum, cui annexa est gratia. Deinde S. *Paulus* nusquam utitur Matrimonio tanquam similitudine Christi et Ecclesiae; alias dixisset: Christus dilexit Ecclesiam, sicut viri diligunt uxores suas; sicut dictum est: *Simile est regnum coelorum thesauro.* At non ita dixit, sed e contrario: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam*, quod est argumentum a re significata ad rem significantem. Quapropter inepta sunt exempla a Calvino prolata.

Ad II. neg. suppos. Nos non appellamus Matrimonium Sacramentum propterea, quod a Deo sit institutum, sed quia institutum est tanquam mysterium ad significandam rem sacram, et conferendam gratiam.

Ad III. 1.° Falsa est major propositio, si ita intelligatur, quod nullae res naturales possint esse Sacramenta. Quid enim homini magis naturale est, quam edere et bibere et aqua abluí? Et tamen ab Adversariis Baptismus et Eucharistia inter Sacramenta numerantur, eo quod edant et bibant et abluantur alio animo et alio ritu, quam fit in usu quotidiano.

2.° Illud quoque absurdum est, Matrimonium ita esse homini naturale, quam edere et dormire; hoc enim esset totum Evangelium evertere. Etsi haec maritalis conjunctio necessaria sit humano generi, non est tamen necessaria singulis hominibus. Neque naturalis dici potest hac ratione, quod naturam consequatur, quo pacto somnus est homini naturalis; secus sanctissimi

viri, qui uxores non duxerunt, reprehensione non carerent. At forsan Matrimonium naturale dicitur ex parte materiae seu carnis, quae plerumque rationi adversatur. Verum hortatur Apostolus, ut non secundum carnem vivamus, sed secundum spiritum. Et homini, cum sit rationis particeps, naturale est, ad rectam rationem mores et vitam exigere.

Objic. III. 1° Matrimonium semper extitit, et ab infidelibus etiam legitime contrahitur; ergo non est Sacramentum. 2.° Sacramenta novae legis operantur, quod significant: atqui Matrimonium, quod unionem Christi cum Ecclesia significat, illam nullo modo efficit.

Resp. ad I. dist. conseq. Ergo non fuit Sacramentum ante Christum, nec est Sacramentum apud infideles, *conc.* Ergo non est Sacramentum Christianorum. *neg.* Hoc disertis verbis docet *Augustinus*, qui lib. de bono conjugali cap. XXIV. ait: *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes in causa generandi est, et in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est, etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit.*

Ad II. Effatum illud Theologorum: Sacramentum id efficere quod significat, alium sensum non habet, quam Sacramenta N. L. vim habere conferendae gratiae. Nam, ut nihil dicam aliud, corpus mysticum Ecclesiae et mors Christi significantur per Eucharistiam; sed neque corpus Ecclesiae, neque mors Christi per Eucharistiam efficiuntur. — Non dissimili ratione illud intelligendum est, Sacramenta N. L. adjunctam habere promissionem; id est, conferunt gratiam promissam in Evangelio. Notandum autem, illud praenuntiatum non a Theologis esse usurpatum, sed a Calvinianis, qui putant jam expletam Christi promissionem a Sacramentis tantum obsignari.

Objic. IV. 1.° In omni Sacramento est materia, forma et Minister: atqui nihil tale assignari potest in Matrimonio. 2.° Sacramentum omne sacro ritu continetur; atqui in Matrimonio nihil est ejusmodi, sed tantum viri et uxoris societas. 3.° Omnia Sacramenta Evangelica gratiam conferunt; at Matrimonium non confert gratiam. Et quidem non primam; hanc enim duo tantum Sacramenta Baptismus et Poenitentia producunt: neque secundam, alias enim melius esset nubere, quam non nubere,

contra illud, quod ait Apostolus: *Qui matrimonio jungit virginem suam. bene facit; et qui non jungit, melius facit.*

Resp. ad I. De hac quaestione agemus postea. Caeterum non quaeritur inter Theologos, an hoc Sacramentum materiam, formam, aut Ministrum habeat; sed quae sit materia aut forma, et quis sit Minister Sacramenti.

Ad II. 1.° Ex probatione patet, semper in Matrimonio adhibitas fuisse caeremonias, benedictionem imprimis, et oblationem; quod ex *Tertull.* lib. II. ad Uxorem ostendimus. Concilium Carthag. IV. C. XIII. sic habet: *Sponsus et sponsa, cum a Sacerdote benedicendi sunt, a parentibus suis vel paranymphis offerantur; qui, cum benedictionem acceperint, ipsa nocte pro reverentia benedictionis in ipsa virginitate permaneant.* 2.° Possumus et ipsi vicissim quaerere a Calvinistis, quas ipsi in Eucharistia sacras caeremonias adhibeant, cum edant tantummodo et bibant panem et vinum; et tamen sacram caeremoniam esse dicunt, et Sacramentum, quia hoc ipsum faciunt eo animo, ut significent, quod Christus instituit, idque externo aliquo signo declarant. Sic, etsi in Matrimonio nullae adhiberentur caeremoniae, ipsa consociatio maris et foeminae, quando fit animo et fine Religionis, et haec intentio signo exteriore declaratur, jure potest sacra caeremonia appellari.

Ad III. Jam probavimus, Matrimonium in nova lege gratiam conferre, idque satis ex eo evincitur, quod sit Sacramentum; cum notum sit, Sacramenta novae legis esse signa gratiae sanctificantis, eaque, ut dicitur, practica. Ad probationem, quae mera argutia est, respondet *Bellarmin. a)*: « Per Matrimonium « conferri gratiam, quae prima et secunda dici potest. Nam « etsi hoc Sacramentum non sit principaliter institutum ad re- « mittenda peccata, illa tamen remittere potest eo modo, quo « a Sacramentis Eucharistiae, Confirmationis, et Extremae Unc- « tionis remittuntur: et siquidem id fiat, erit prima gratia; sin « autem, erit secunda. Neque obstat, quod continentia sit ex- « cellentior Matrimonio; nam aliud est comparare statum cum « statu, aliud statum cum Sacramento. » Procul dubio melius est continentem esse, quam nubere; sed etiam est melius nu-

---

a) Cap. V. respons. ad argum. 12.

bere quam uri; et melius est nubentibus Sacramentum suscipere, quam Sacramenti gratia carere. Sic melius est aegroto habere malo suo remedium, quam non habere; sed non est melius esse aegrotum quam sanum.

Objic. V. 1.° Sacramentum non potest Sacramento opponi; atqui Matrimonium opponitur Sacramento Ordinis: Ergo etc. 2. Non potest dici, quando Sacramentum Matrimonii fuerit institutum: Ergo etc.

Resp. ad I. nego min. Nam 1.° qui conjugium iniit, cum consensu uxoris ordinari potest, quemadmodum ambo ex consensu mutuo continentiam vovere possunt, quin ideo solvatur Matrimonium, quod potissimum in conjunctione animorum, et obligationis vinculo consistit. 2.° Si Ordo Matrimonio opponitur, illud non oritur ex natura Sacramenti; sed quia, qui sacris Ordinibus sunt initiati, jure ecclesiastico ad contrahendum Matrimonium sunt inhabiles. Hinc pugnat, ut mox dictum est, non Sacramentum cum Sacramento, sed status cum statu. Clericum enim Deo militantem non decet implicare se negotiis saecularibus (II Tim. II.). Status autem conjugalis variis curis et sollicitudinibus animum distrahit, hominemque minus expeditum facit ad vacandum Deo.

Resp. ad II. nego conseq. Sufficit, ut Sacramentum hoc a Christo institutum fuisse sciamus, quamvis incertum sit, quando illud instituerit: id enim in aliis etiam Sacramentis contingit, ac speciatim in Baptismo, ut suo loco ostensum est. — Nihil in hac re certi ex Evangelio scimus, atque in diversas opiniones abeunt Theologi. Nonnullis placet Incarnationis momentum definire. Verum etsi Incarnatio sit aliquid, quod per Matrimonium significatur, ejus tamen institutio idcirco dici non potest. Alii Sacramentum institutum fuisse arbitrantur, quando Christus nuptias in Cana Galilaeae praesentia sua cohonestavit. Adducunt autem Veterum quorundam testimonia, qui dicunt, Christum tunc nuptiis benedixisse: sed forsan haec praeparatio tantum fuit Sacramenti, non institutio. Neque illud sat firmum fundamentum habet, quod tum institutum fuerit Sacramentum, quando Christus hoc pronuntiavit oraculum Matth. XIX.: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Haec enim conditionem tantum et proprietatem aliquam Matrimonii exprimunt. Nobis propius

ad verum accedere videntur, qui dicunt, nuptiarum Sacramentum post resurrectionem institutum fuisse a Christo, et deinde ab Apostolo Paulo apertius promulgatum ad Ephes. V.: quemadmodum Tridentina Synodus Extremam Unctionem a Christo institutam et ab Apostolo Jacobo promulgatam fuisse declarat.

Scholion. Plura adhuc hoc loco tractari solent, quae brevissime indicare potius, quam exponere possumus.

I. Inter eos, qui baptizati non sunt, contractus conjugalis juxta leges initus verum quidem est et legitimum Matrimonium, at Sacramenti non habet rationem.

II. An, cum alter conjugum est baptizatus, ille Matrimonium ut Sacramentum suscipiat dubitatur. Affirmantibus tamen nihil potest satis firmum certumque opponi. Caeterum Ecclesia ejusmodi Matrimonia Fidelis cum Infideli nunquam probavit; toleravit tamen aliquando prioribus Ecclesiae saeculis, imprimis ubi non aderat perversionis periculum. Sic mater Augustini S. Monica viro ethnico nupserat, et Clotildis Clodovaeo. Nunc irritum est ejusmodi Matrimonium jure ecclesiastico, quod fundamentum saltem in lege naturali habet.

III. Matrimonia Orthodoxorum cum Haereticis, si legitime contrahantur, non sunt quidem irrita, sed illicita, nisi accedat dispensatio. Vehementer porro monendi sunt animarum Pastores, ut ab ejusmodi Matrimoniis, quantum fieri potest, comissos sibi fideles absterreant; cum fere semper pars catholica et suam et prolium salutem in magnum discrimen abducat, et vix fieri possit, ut firma sit inter conjuges concordia, ac ille mutuus amoris affectus, qui vere imago esse possit unionis Christi et Ecclesiae. Pulchre hoc explicat S. *Ambros.* lib. II. de Abrah. cap. IX.: *Quomodo autem poiest congruere charitas, si discrepet fides? Ratio docet, sed amplius exempla movent. Saepe illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, et a Religione fecit discedere; et ideo vel tu amori consule, vel errorem cave. Primum ergo in connubio Religio quaeritur.*

IV. Quaeritur, *an si infideles Matrimonio juncti baptizentur, eorum Matrimonium accedente Baptismo fiat Sacramentum?*

Resp. Discrepant auctores. Theologi Matrimonia infidelium secundum leges naturae inita vocant *vera* et *legitima;* at Matrimonia fidelium *vera* et *rata.* Jam multi contendunt, Sacra-

mentum fidei, id est Baptismum, hunc effectum habere in baptizatis, ut eorum *vera* Matrimonia efficiat *rata*, et efficiat Sacramenta. Omnes autem concedunt, Matrimonia infidelium accedente Baptismo dissolvi amplius non posse. An non ideo forsan, quia hoc ipso Sacramenti rationem induunt? Quid juris sit, quando una pars Christi fidem amplectitur, altera in infidelitate remanente, alio loco dicemus.

V. Quaeritur iterum: *an Matrimonia inter absentes per procuratorem contracta valeant, et vera sint Sacramenta?*

Vera esse Matrimonia fatentur omnes: at non omnes Sacramenta esse concedunt. Illud inter caeteros negat *Melchior Canus*, insignis Theologus, quem deinde plures alii secuti sunt. Sed patet consilium; siquidem auctores isti toti sunt in tuenda illa nova et Veteribus incognita sententia, quod Matrimonii contractus aliquid sit a Sacramento distinctum, et quod Christiani possint legitimum Matrimonium contrahere et tamen non suscipere Sacramentum. Video tamen alios plures doctissimos viros, etiamsi Matrimonii contractum a Sacramento dividant, hoc ut certum assumere, quod Matrimonium inter absentes per procuratorem initum valeat et verum sit Sacramentum. Et certe nihil deest, quod ad Sacramentum requiritur; neque valet comparatio cum aliis Sacramentis, quae absentibus ministrari non possunt; Matrimonium enim rationem contractus non amittit, contractus autem etiam inter absentes valet, si caetera, quae requisita sunt, observentur. Tutius tamen est, ejusmodi Matrimonia iterare inter praesentes, quod etiam fieri solet, ut omnes eximantur scrupuli.

ARTICULUS II.

De materia et forma Sacramenti Matrimonii.

I. « In materia et forma Matrimonii statuenda, » inquit *Melchior Canus a)*, « Theologi adeo sunt inconstantes et varii, « adeo incerti et ambigui, ut ineptus futurus sit, qui in tanta « illorum varietate et discrepantia rem aliquam certam, con- « stantem, exploratam conetur efficere. » Facile concedam, *Ca-*

a) Lib. VIII. de locis Theol. cap. V.

num hanc rem pro sua dicendi copia paululum exaggerasse; nam cum sententiam de Sacramenti ministro tuendam suscepisset, cui tunc communem Scholarum doctrinam obstare non ignorabat, hac ratione voluit ab omni se difficultate expedire. Negandum tamen non est, nihil in praesenti quaestione ab Ecclesia esse definitum, atque ideo Theologos in diversas sententias distrahi. Sed nihil haec officiunt Catholico dogmati, ac immerito prorsus hoc argumento utuntur, qui negant, Matrimonium novae legis Sacramentum esse. Notum est ex iis, quae de Sacramentis in universum sunt explanata, Scriptores antiquos nihil fere de materia et forma Sacramentorum tradidisse, ac ne Magister quidem sententiarum, et qui primi eum commentariis illustrarunt, materiae et formae mentionem fecerunt. Quamvis autem haec explicandi ratio nunc passim in Scholis recepta sit, nemo tamen est, qui Sacramenta concipiat ut res physicas ex materia et forma compositas: neque necesse est, ut in omni Sacramento, sicut in Baptismo, sit elementum, quod materiae, et verba, quae formae habent rationem. Satis est, si in omni Sacramento duae sint res exteriores, quarum una sit minus determinata, quaeque adeo sit instar materiae; et altera magis determinata, quae forma dicitur: vel, ut verius dicam, ad essentiam Sacramenti aliud nihil requiritur, quam signum externum, et invisibilis gratia signo ex Christi institutione annexa.

II. Disputatio potissimum instituitur circa materiam Matrimonii; qua in re, qui vellet omnes Theologorum sententias recensere, ingratum opus susciperet. Igitur, ne plus aequo diffundatur oratio, statim, quid nobis probabilius videtur, indicabimus. Primo notandum est, duplici ratione considerari posse Matrimonium, uno modo, *dum fit*, altero *dum permanet:* est enim Matrimonium simile Eucharistiae, quae non tantum efficitur per consecrationem, sed etiam permanet sub speciebus panis et vini. Jam si Matrimonium consideratur ut aliquid permanens, apertum est, ipsos conjuges simul cohabitantes esse symbolum externum repraesentans Christi et Ecclesiae indissolubilem conjunctionem; atque ita corpora, seu personae contrahentium quasi materia sunt, societas autem et vinculum ex mutua obligatione ortum forma dici potest ac debet. Verum in eo maxime controversia est, quae sit Materia Matrimonii, cum fit, seu cum

vinculum conjugale nectitur. Tunc autem mutua contrahentium traditio materia merito dici potest, ex qua contractus componitur, sicut mutua acceptatio quandam formae habet rationem; contrahentes autem jam materia esse non possunt, nisi, ut vocant Theologi, materia *circa quam*. Nam in omni contractu est materia quaedam, cujus traditione et acceptatione contractus perficitur. Porro, cum materia illud dicatur, quod est minus determinatum, forma autem illud, quod materiam determinat et perficit, merito *traditio* materia dicitur, cum sit aliquid indeterminatum, cujus perfectio ab acceptatione proficiscitur; nihil enim fit ipsa traditione, nisi eadem acceptetur.

III. Hactenus de materia et forma Matrimonii tractantes abstinuimus consulto a voce Sacramenti. Nam illi, quibus persuasum est, apud Christianos nihil differre Sacramentum a Matrimonio, atque omne fidelium conjugium semper esse etiam Sacramentum, illi materiam habent et formam Sacramenti hoc ipso, quod sciant, quae sit materia et forma Matrimonii. Verum alii sunt complures et magni nominis Theologi, qui oppositam huic sententiam tuentur, et Sacramentum ita dividunt a Matrimonio, ut dicant, primum esse Matrimonium, deinde superaddi Sacramentum; non posse quidem Sacramentum cogitari sine Matrimonio, sed posse esse etiam inter Christianos verum legitimumque Matrimonium, etiamsi non recipiatur Sacramentum. Hi quidem facile concedunt, materiam et formam Matrimonii eam esse, quam assignavimus, si Matrimonium spectetur, ut est contractus. Si autem de Sacramento quaeritur, tunc hunc ipsum contractum, aut mutuam conjugum de praesenti factam promissionem pro materia assumunt, formam autem dicunt esse verba Sacerdotis. Sed de hac quaestione, an Christianorum Matrimonium possit a Sacramento separari, nunc quaedam dicenda sunt breviter; est enim fundamentum illius controversiae de Ministro Sacramenti, quam sequenti Articulo tractabimus.

QUAESTIO.

An ratio Sacramenti possit separari a contractu Matrimonii, ita ut a fidelibus iniri possit Matrimonium legitimum, quin sit Sacramentum?

Resp. Ne certa cum incertis confundamus, animadvertendum est, etiam illos, qui contractum Matrimonii a Sacramento separari contendunt, illud tamen constanter affirmare, quod sine gravi peccato et contemptu Sacramenti ea separatio studio fieri non possit, et quod Matrimonium inter fideles etiam ut contractus sit indissolubile. Jam libenter *Melchiori Cano*, iisque omnibus, qui cum eo sentiunt, concedimus, hanc quaestionem, utrum omne Matrimonium a fidelibus legitime contractum Sacramentum sit, an non sit, ad fidem non pertinere; neque necesse fuisset, hac de re tam multa vociferare. Neque nos latet, sententiam, quae Sacramentum a contractu dividit, post *Canum* complures nactam esse patronos, atque inter hos magni nominis Theologos reperiri, virosque incorruptae omnino fidei, ac nulla mala suspicione aspersos. In illis imprimis regionibus, ubi potestas politica libentius in jura Ecclesiae involat, multis visum est hac ratione facilius exiri posse ex multis difficultatibus, quibus causae matrimoniales ultimis his saeculis fuerunt implicatae.

Verum et illud diffiteri non possumus, *Cani* sententiam, cum ab eo in lucem prolata est, novam fuisse et singularem, atque vix in Scholis cognitam; huic autem opinioni postmodum se adjunxisse omnes ecclesiasticae potestatis osores, omnes, qui Jansenii sectam secuti sunt, aut Janseniano fermento turgebant, omnes, qui se curiarum civilium partibus addixerunt, aut quocunque modo assentatores facti sunt politicae potestatis. Nolumus tamen his, quae ab extrinseco petita sunt, majorem vim attribuere, quam oportet, neque de iis, qui bono ac sincero animo hanc opinionem sequuntur, aliquid detrahere. Liberum est cuilibet, illam sententiam sequi, quam ipse putat esse veriorem, aut nullam amplecti, cum res in medio relicta sit ab Ecclesia.

Liceat tamen, quid in hac controversia mihi videatur, sine omni contentione edicere. Habet *Cani* sententia primo aspectu

aliquid, quod eam commendet; verumtamen si res propius inspiciatur, et argumenta sine praejudicata opinione ponderentur, fateor me multo magis in oppositam sententiam propendere, quam non ita difficile esset argumentis stabilire, et contra Adversariorum oppositiones defendere. Ac miror imprimis, quod *Canus* Concilii Florentini, et S. *Thomae*, et veterum Theologorum auctoritatem in causae suae patrocinium advocet, et testimonia ad rem non pertinentia per conclusiones ex arbitrio positas ad suam sententiam cogat. Inter alia hoc etiam argumento utitur: « Concilium Florentinum, enumeratis septem N. L. Sa« cramentis, haec omnia Sacramenta, inquit, tribus perficiuntur, « videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et « persona Ministri conferentis Sacramentum: idque Theologi « omnes docent. » Optime quidem! quis hanc Concilii et Theologorum omnium sententiam esse dubitavit unquam? Verum, quid per materiam et formam intelligendum sit, jam saepius dictum est; et bene *Maldonatus a)*: « Si materiam et formam « propriam requiramus, amittemus multa Sacramenta. » At Concilium Ministrum requirit! — Imo et nos requirimus. Verum quis Minister sit Sacramenti, ne verbo quidem indicatur.

Sed omissis his tam vagis et incertis, videamus an non oppositam sententiam melius possemus ejusdem Concilii, et S. Thomae, et veterum Theologorum auctoritate confirmare. *Florentinum* ita loquitur: *Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiae secundum Apostolum. Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.* En Concilium de Matrimonio loquitur, ut est Sacramentum; hoc enim clare indicat, cum dicit: *Septimum est Sacramentum Matrimonii.* Hujus autem Sacramenti causam efficientem assignat mutuum consensum; non Sacerdotem, non verba Sacerdotis.

S. *Thomas* sententiam suam pluribus in locis perspicuo declarat. Docet formam Sacramenti esse verba conjugum *b)*, ex quo colligit, Sacerdotis benedictionem non esse de essentia Matrimonii. Alio loco *c)* dicit, clandestina Matrimonia esse vera

---

a) Resp. ad arg. I. et II. tert. sent. pag. 439. *b)* In IV. dist. 26. q. 2. Art. 1. *c)* Ibid. dist. 28. q. unica, Art. 3.

Sacramenta, etiamsi non adsit Sacerdos, qui illa ministret, quia in clandestinis omnia inveniuntur, quae sunt de essentia Sacramenti. Quae autem in universum veterum Theologorum sententia fuerit, testatur *Dominicus a Soto*, qui suos in IV. Sententiarum libros edidit paulo ante, quam sua loca Theologica ediderit *Canus*. Is autem affirmat *a*), suo tempore fuisse aliquos, qui disputare inciperent, formam essentialem Sacramenti Matrimonii esse illa verba Sacerdotis: *Ego vos conjungo:* sed tamen nullum adhuc fuisse, qui eam sententiam scriptis mandare ausus fuisset.

Haec, puto, satis clara sunt, et bene observat *Bellarminus b)*: « Si *Cani* opinio vera esset, errassent Theologi omnes, qui « docebant, Matrimonia clandestina, et alia sine Sacerdote cele« brata, ut vera Sacramenta habenda esse. Errantibus autem « omnibus Theologis, errassent omnes Parochi et Episcopi, et « ipsorum populi: judicium enim Theologorum in rebus sacris « Pastores ut plurimum sequi solent. » — Unum adhuc adjicimus ex eodem auctore, qui loco citato ita ratiocinatur: « Aut « Matrimonia inter legitimas personas, easque Christianas, sine « nova illa forma a Sacerdote prolata continent vinculum inso« lubile unius cum una, vel non continent. Si continent, ergo « sunt vera novae legis Sacramenta, nam illud vinculum est « res Sacramenti, ut *Augustinus* docet lib. de bono conjugali « cap. VII. Et illa est causa, cur Matrimonia infidelium etiam « legitima et consummata solvi possint per conversionem alte« rius conjugis, I Cor. VII. Si non continent, ergo solvi pos« sunt saltem in aliquo casu, quod inauditum est in Eccle« sia » . . . atque ita inauditum, ut etiam illi, qui cum *Cano* sentiunt, illud inficiari non audeant, et ideo in illam inciderint sententiam, quod infidelium Matrimonia, quamvis per Baptismum Sacramenti dignitatem non acquirant, tamen indissolubilia fiant, quod qua ratione defendi possit, ipsi viderint. Plura legi possunt apud *Bellarminum* loc. cit. et cap. VIII., ubi *Melchioris Cani* argumenta solvuntur.

---

a) Ibid. dist. 26. q. 2. Art. 5. *b)* De Matrim. lib. I. cap. VII.

ARTICULUS III.

De Ministro Sacramenti Matrimonii.

Haec quaestio illi, quam mox tractavimus, conjuncta est quam maxime, ac pene eadem: nam, qui docent, omne legitimum baptizatorum Matrimonium Sacramentum esse, ii omnes volunt, contrahentes Ministros esse Sacramenti; qui autem Sacramentum a contractu conjugali dividunt, hoc ipso Sacerdotem Ministrum assignant. Habes ergo circa hanc quaestionem duas sententias, quarum utraque, cum nihil sit ab Ecclesia definitum, libere propugnari potest, et revera propugnatur a viris religiosissimis, et magna doctrinae laude conspicuis. *Canus*, qui causam suam non sine acerbitate et animi contentione agit, sententiam oppositam falsam appellat, et commentitiam; econtra *Vasques*, *Dominicus Soto* et alii, eos qui Sacerdotem pro Ministro assignant, temeritatis incusant; immerito utrumque. Audiamus, quid de hac controversia scribit *Benedict.* XIV. *a)*: *Utriusque opinionis solidiora fundamenta innuimus, non animo quemquam inducendi ad unam aut alteram amplectendam, sed ut Episcopis sit persuasum, utramque esse probabilem, suosque habere magnae auctoritatis patronos. Atque inde non decere, ut ipsi judicis partes assumant, quaestionemque definiant, de qua Ecclesia nihil hactenus pronuntiavit, sed Theologorum disputationi reliquit.* Absit ergo a nobis, ut in hac re judices agamus; indicabimus potius utriusque sententiae momenta, pauca hinc inde addentes, ubi non satis accurata nobis videtur concludendi ratio.

1. Sententia, quae contrahentes Ministros esse dicit Sacramenti.

Primum hujus sententiae argumentum petitur ab auctoritate omnium fere Theologorum, qui ante *Melchiorem Canum* floruerunt, ut *Magistri sententiarum*, *S. Thomae*, *Scoti*, *Durandi* etc. In hoc argumento magnam vim ponit Bellarminus. Vid. prior. Art. Sed opponunt alii 1.° plurima loca Summorum Pontificum et Patrum ex jure Canonico desumpta, quae ad rem nihil faciunt, ut postea videbimus. 2.° Producunt Guilielmum Pari-

a) De Synod. Dioeces. lib. VIII. cap. XIII. §. 9.

siensem et paucos Canonistas, qui contendunt, Matrimonium veri nominis Sacramentum non esse, nisi fuerit sacerdotali ministerio consecratum. Sed mala fide haec citantur, hi enim auctores in manifesto errore fuerunt; quippe loquuntur non de prima illa benedictione, quae datur in contractu de praesenti: *Ego vos conjungo* etc., sed de illa, quae datur tempore missae cum aliis precibus, et quam certum est Sacramentale aliquid esse, non Sacramentum: et certe non datur in secundis nuptiis, quae omnium judicio vera Sacramenta sunt.

Secundum argumentum est, quod Matrimonium, cum in N. L. dignitate Sacramenti auctum est, naturam contractus non amiserit. Cum ergo dicitur, Christum matrimonialem contractum elevasse ad dignitatem Sacramenti, sensus certe non est, Christum voluisse, ut qui Matrimonium legitime contrahunt, possint, si velint, praeter Matrimonium etiam suscipere Sacramentum; sed, Christum voluisse, ut Matrimonium esset Sacramentum. Quare non immerito *Eugenius* IV. in Decreto ad Armenos ait, causam efficientem Matrimonii esse mutuum consensum; quo loco de Sacramento mentionem esse jam ostendimus.

Tertium ex eo desumitur, quod neque Scripturae, neque Concilia, quae Matrimonii Sacramentum adstruunt, de aliquo Ministro loquantur, qui Matrimonium sacra benedictione Sacramentum efficeret. Apostolus de contractu Matrimonii loquitur; et postquam dixisset: *Relinquet homo* etc. *et erunt duo in carne una;* protinus addit: *Sacramentum hoc magnum est.* Ergo *hoc* quod dixerat: *erunt duo* etc. Sacramentum est. Decretum Concilii Florent. seu Eugenii IV. jam examinavimus. Idem ex *Concilio Trident.* eruitur. Nam qui sine anticipatione expositionem doctrinae perlegerit, quam Concilium Sess. XXIV. Canonibus praemisit, facile intelliget, frustra ibi formam aut Ministrum extra matrimonialem contractum quaeri. *Cum igitur Matrimonium*, ait Concil., *in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet, merito inter novae legis Sacramenta annumerandum* etc. En Matrimonium ipsum gratia praestat, et ideo Matrimonium hoc quod gratia praestat, inter Sacramenta numerandum dicitur.

Quartum est, quod Concilium Trid. eos anathemate damnet *a*), qui Matrimonia clandestina, antequam Ecclesia ea irrita fecerit, vera et rata fuisse negant, atqui, ut *Innocent.* III. docet *b*), Matrimonium fidelium ratum existit propter conjugii Sacramentum.

Quintum ducitur ex secundis nuptiis; et ita instituitur: Secundae nuptiae omnium judicio Sacramenti proprie dicti rationem habent: sed illae citra Sacerdotis benedictionem fieri olim solebant. Ergo etc. Vide *de secundis nuptiis*, cap. I. III. et V.

Illud demum *sexto loco* poni potest, quod, si benedictio Sacerdotis Matrimonio Sacramenti vim et dignitatem impertit, intelligi non possit, ut sententiae hujus patroni observant, cur Heterodoxi, quando ad Ecclesiam redeunt, non moneantur, ut a Sacerdote benedictionem nuptialem, et cum ea Sacramentum suscipiant. An ergo parum est, Sacramento carere, cum illud suscipi potest? An hic tam salutaris Sacramenti neglectus neoconversos non indignos redderet caeterorum Sacramentorum participatione? An posset Ecclesia in re tanti momenti dissimulare, neque curam aliquam adhibere de ovium salute tam sollicita mater?

II. Sententia: Quod Sacerdos Minister sit Sacramenti.

Haec Sententia 1.° probatur ex comparatione Matrimonii cum caeteris Sacramentis. Id enim per Sacramentum Ordinis habent Sacerdotes, ut sint Ministri Christi et dispensatores Mysteriorum Dei (I Cor. IV.). Imprimis Matrimonium comparant cum Poenitentia, atque exinde concludunt, quod, sicut Poenitentia Sacramentum non efficitur nisi per ministerium Sacerdotis, ita et Matrimonium. Si autem quaeritur, quodnam fundamentum sit hujus affinitatis Poenitentiae cum Matrimonio, fateor me illud nescire; nisi forte, quia poenitentia ut plurimum Matrimonium sequitur.

Probatur 2. Ex perpetua Ecclesiae Traditione; nam antiquissimi Patres et Concilia illa tantum Matrimonia approbant, et rata habent, quae fuerunt celebrata in facie Ecclesiae, et sacerdotali benedictione consecrata. Haec utique exigui momenti non

---

a) Sess. 24. Decreto de reform. Matrim. *b*) C. Quanto VII. de divers.

sunt. Attamen mirum videri posset, perpetuam hanc Traditionem, quae etiam Scholasticorum tempore interrupta nunquam fuit, tam parum movisse Scholarum Doctores, ut omnes uno ore docuerint, contrahentes esse Sacramenti Ministros, et quidem, quod multo magis mirandum, quamvis praecipuum Scholasticae Theologiae opus ex Patrum et Conciliorum sententiis extractum fuerit. Sciebant illi profecto, benedictionem Sacerdotis semper fuisse adhibitam ex usu et praecepto Ecclesiae, forsan etiam, ut postea videbimus, ex praecepto Christi; verum ex eadem Traditione sciebant, illud ad Sacramenti essentiam non ita pertinuisse, ut, ubi deesset, non tantum conscientiam offenderent contrahentes, sed etiam prorsus nullum esset Sacramentum.

Tertium argumentum ita proponitur: Ille est Minister Sacramenti, qui est Minister benedictionis essentialis et necessariae ad obtinendam gratiam Sacramenti: atqui Sacerdos est Minister benedictionis etc. Majorem negare nemo praesumet. Minor autem est ipsa haec sententia, quae Sacerdotem Ministrum Sacramenti facit. (Vid. Tournel.). Unde illam probant iisdem argumentis, quae jam attulimus, aut quae mox in medium proferemus. — Quis non miretur argumenti loco afferri, quod in Decreto caus. 30. q. 5. C. legitur: *Nullus fidelis, cujuscunque conditionis sit, occulte nuptias faciat: sed benedictione accepta a Sacerdote publice nubat in Domino.* Nemo certe nescit, hoc semper, ut dictum est, ab Ecclesia fuisse commendatum, semper reprobata fuisse clandestina Matrimonia, etiam tum, cum nondum irrita fuerunt. Sed fatendum est, sententiae hujus patronos singularem probare in concludendo dexteritatem: quae putares contra ipsos pugnare, haec illi sciunt per deductiones ac circuitus ad suam opinionem trahere. Qui ex adverso stant, Florentini et Tridentini auctoritate nituntur, parum est illis ad haec argumenta respondere, nam eorundem Conciliorum auctoritatem et ipsi invocant; sic in causae patrocinium proferunt, quae Tridentini Patres in Decreto de reformatione Matrimonii de praesentia et benedictione Sacerdotis decernunt. Nos, quibus constitutum est, nulli opinioni servire, quo magis rem examinamus, eo magis persuasum habemus, Concilium Trid. huic sententiae non favere, sed repugnare magis. En Concilium Sess. 24. in illa expositione, quae canonibus praemittitur, et quae inscribi-

tur: *Doctrina de Sacramento Matrimonii*, ne verbulum quidem habet de benedictione Sacerdotis, quam tamen eo loco non potuisset praeterire, si ad Sacramentum Matrimonii prorsus esset necessaria. Decretis deinde iis, quae ad doctrinam Sacramenti pertinent, subjicit decretum de reformatione *Matrimonii*. Hic ergo cuilibet sensato statim illud oboritur, quae ad essentiam Sacramenti pertinent, in expositione doctrinae quaerenda esse, non in decreto reformationis. Hic scilicet Concilium totum in eo versatur, ut clandestina Matrimonia non tantum reprobaret ut illicita, sed statuto impedimento dirimente in posterum irrita faceret. Hinc Lateran. Concilii sub Innocent. III. habiti vestigiis inhaerens praecipit, ut primum publicae denunciationes fiant, deinde ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiae procedatur etc. Quis quaeso in hoc aliud quidquam, quam disciplinae praeceptum deprehendere poterit?

4.° Non exiguum huic sententiae pondus accedit ex hac forma benedictionis, quam Tridentinum loco citato refert, et quam ritualia quamplurima praescribunt: *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris* etc. Ubi tamen illud adnotandum est, 1.° quod, si Concilii mens fuisset, formam Sacramenti in illis verbis consistere, de illis utique mentionem fecisset in capitulo: *Doctrina de Sacramento*, non in decreto reformationis. 2.° Quod Concil. statim subjiciat: *vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum*, quod probat, non agi hic de substantia Sacramenti: reperiuntur enim Dioeceses, ut inter alias Argentinensis, quae verba adhibent contrarium significantia: *Ideo Matrimonium per vos contractum confirmo* etc. 3.° Quod *Trident.* in eodem decreto illa tantum Matrimonia irrita declaret ac nulla, quae aliter quam *praesente Parocho* contrahuntur, nulla facta mentione de benedictione Sacerdotis. 4.° Quod verba illa: *Ego vos conjungo*, si in stricto sensu sumuntur, vix possint cum hac sententia conciliari. Nam si Matrimonium est aliquid a Sacramento distinctum, ita ut contractus matrimonialis legitime initus materia sit Sacramenti, sequitur, vinculum conjugale existere ante Sacramentum. Ergo non bene dicitur: *Ego vos conjungo;* quia nonnisi jam conjunctis et legitimo Matrimonio copulatis potest ministrari Sacramentum.

5.° Cum haec sententia Matrimonium dividat a Sacramento, ad omnia fere argumenta, quae opponuntur, promptam habet et expeditam responsionem. Nam, si dicitur, non semper patere aditum ad Sacerdotem, Ecclesiam Haereticorum Matrimonia rata habere etc.; statim reponunt, posse legitimum esse Matrimonium, etiamsi non suscipiatur Sacramentum. Verum hoc ipsum est, quod in quaestione versatur; qua autem ratione illud probari possit, nondum satis intelligo; nisi haec forsan admittatur argumentandi ratio: Quando probandum est, Sacerdotem esse Ministrum Matrimonii, fundamenti loco ponitur, Matrimonium posse a Sacramento separari; si autem hujus fundamenti ratio quaeritur, respondetur, illud necessario ponendum, quia Sacramentum Matrimonii Sacerdotis benedictione perficitur; neque aliter exiri potest ex difficultatibus, quae huic sententiae se objiciunt.

SENTENTIA MALDONATI.

Praeter has oppositas sententias tertiam quasi mediam proposuit *Maldonatus a)*. Cum is sibi objecisset, Matrimonium vel non esse Sacramentum, vel esse alterius generis ab aliis Sacramentis, eo quod nullus sit certus illius Minister, respondet: « etiam esse ordinarium Ministrum hujus Sacramenti Sacerdo- « tem; sed quemadmodum Baptismus potest conferri ab iis, qui « non sunt Sacerdotes, quod attinet ad essentiam, ita etiam « Matrimonium potest dari ab iis, qui non sunt Sacerdotes. » Hac ratione argumenta contra primam sententiam facili negotio diluuntur. Objicitur, ab antiquissimis saeculis hunc fuisse Ecclesiae usum, ut Christianorum connubia sacerdotali benedictione celebrarentur. At manifestum est, id etiam et multo magis dici posse de Baptismo; quod nonnisi a Sacerdotibus cum consuetis solemnitatibus dabatur. Attamen semper valebat Baptismus a Laico, imo ab Haeretico collatus. Ita etiam non iterantur Matrimonia, quando Haeretici ad Ecclesiam redeunt, quemadmodum non iteratur eorum Baptisma; sed dicunt: Christus ita instituit Baptisma, propter summam Sacramenti necessitatem. Optime! cur autem id non de Matrimonio etiam valeat *propter*

a) De Matr. part. I. resp. ad Arg. 6. tertiae sent. p. 442.

summam ejus necessitatem? Nam quidquid contingat, etiam si Sacerdotem adhibere temporum angustiae non permittant, abstineri tamen non potest a nuptiis. Si porro objicitur, Sacramenti Ministros esse non posse contrahentes, qui saepe, ut Heterodoxi, non credunt Matrimonium Sacramentum esse, et cum contrahunt, nihil sacrum cogitant; illico respondetur: etiam verba Baptismi aliquando ab infidelibus sine ulla religione pronuntiantur, et tamen quia ex institutione sua verba sacra sunt, et cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, pronuntiantur, Sacramentum efficiunt.

Est tamen aliquid, quod ex analogia cum Baptismo explicari non potest. Baptismum nemo potest sibi ipsi ministrare. Si autem Matrimonium contrahentes etiam Ministri sunt Sacramenti, idem erit et Minister, et subjectum. Sed respondet Maldonatus, discriminis manifestam esse rationem, cum Matrimonium non detur, ut Baptisma, sed contrahatur inter duos, qui per mutuum consensum uniuntur ad societatem inviduam vitae. Quandocunque autem haec societas contrahitur more Christiano, fit Sacramentum. Neque absurdum haberi potest, quod idem sit suscipiens et Minister; id enim exigit natura contractus, qui de persona contrahentium fit; quemadmodum si quis in servum se ipse venderet, idem esset materia et causa efficiens contractus.

Nunc redimus ad ea, quae ab initio diximus: nolle nos unam sententiam prae alia Theologiae candidatis obtrudere; manent, in quamcunque partem nos vertamus, difficultates et obscuritates plurimae. Liberum igitur sit, inter diversas sententias, quae probabilior videtur, eligere, aut suspensum tenere judicium. Praecipuum est, ut in praxi omnia serventur, quae Ecclesia tum suscipientibus, tum Ministro servanda praecipit; tunc enim neque Sacramentum periclitabitur, neque salus Ministri aut suscipientium in discrimen incurret.

ARTICULUS IV.

De Subjecto Sacramenti Matrimonii.

OBSERVANDA.

I. Hanc quaestionem possumus etiam inscribere: *De impedimentis Matrimonii.* Scilicet subjectum Matrimonii sunt omnes illi, qui nullo impedimento ad contrahendum sunt inhabiles.

Duplicis quidem generis impedimenta distinguuntur; alia vetant, alia dirimunt; illa connubium efficiunt illicitum, haec nullum. Nobis de illis tantum agendum est, quae Matrimonium dirimunt, seu, quae personas ita reddunt ad contrahendum inhabiles, ut, si illud attentarent, Matrimonium irritum esset ac nullum. Verum in hoc etiam argumento non possumus nisi generatim versari. Nam varias impedimentorum species percurrere, et infinitas, in quas sese diffundunt, quaestiones evolvere, fori nostri non est; sed partem efficit non exiguam institutionum canonicarum. Non possumus satis animarum Pastoribus commendare opus viri eximii, ac dum viveret, nobis amicissimi *D. Stapf*, Seminarii Bamberg. Praesidis. Vid. infra *a*).

II. Omnia ergo impedimenta ad personas contrahentes spectant; vel enim deest consensus aut intentio contrahendi, vel adest aliquid, quod personas efficit inhabiles. Et quidem, quod consensus necessarius sit, neminem credo inficiari posse aut velle: nam verba, quibus exterius Matrimonium contrahitur, ubi consensus deest, falsa sunt et mendacia, ergo non possunt esse materia aut forma Sacramenti. Huc pertinent *ignorantia* seu *error* personae, et *vis* aut *coactio;* haec enim consensum ipsum afficiunt, ut vel nullus omnino sit, aut metu extortus, et ea carens libertate, quae ex naturae lege ad ejusmodi actiones requiritur. Jam inter caetera impedimenta alia sunt, quae contrahentes inhabiles reddunt absolute respectu cujuscunque Matrimonii, ut *impotentia*, *votum solemne continentiae*, *Ordo sacer* et *ligamen* seu matrimonium cum alia persona jam legitime contractum: alia inhabiles reddunt solum respectu matrimonii cum certa persona contrahendi; sic *cognatio* obest matrimonio cum persona cognata, non cum alia; idem de *cultus disparitate*, ac de impedimento criminis valet.

III. Protestantes admittunt impedimenta ex defectu consensus, tum et consensum parentum requirunt: caetera omnia damnant, atque imprimis omnem Ecclesiae potestatem adimunt in rebus, quae ad Matrimonium spectant; nec mirum, cum ipsi in conjugio nihil nisi mere humanum, politicum, atque civile agnoscant; neque enim, si Matrimonium Sacramentum esse con-

a) Vollständiger Pastoral-Unterricht über die Ehe. Bamb. 1820.

cederent, illud a potestate ecclesiastica possent eximere, quod *Calvinus* ipse non obscure indicat, cum ait *a*): « Ubi enim se- « mel (Catholici) obtinuere (Matrimonium esse Sacramentum), « causarum conjugalium cognitionem ad se contraxerunt; quippe « res spiritualis erat profanis judicibus non attrectanda. » *Concilium Trident.* contra Novatorum errorem ita statuit Sess. XXIV. cap. XII.: *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; anathema sit.*

Launojus, Doctor Parisiensis, in opere, *de regia in matrimonium potestate*, cum potestatem Principum ultra modum dilatavit, non parum laesit Ecclesiae jura, quam ait impedimenta Matrimonium dirimentia statuere non posse, nisi ex concessione et indulgentia Principum. Novum hoc et inauditum figmentum animos Catholicorum vehementer offendit, atque ab Ecclesiae praesulibus, et Scholae Doctoribus passim contra reclamatum est. Nihilominus non defuerunt usque adhuc, qui saepe confutatam *Launoji* opinionem recudere veriti non sunt, vel sectae praejudiciis abrepti, vel ut melioris judicii gloriam ex sentiendi temeritate quaererent.

PROPOSITIO.

Ecclesia potestatem habet statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.

Concil. Trident. Sess. XXIV. Can. IV.: *Siquis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse: anathema sit.*

Probat. 1.° Haec potestas jure dicitur a Christo et Apostolis derivata. Christus impedimentum, quod *ligaminis* vocatur, constituit, cum Lucae XVI. ait: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, et alteram duxerit, moechatur; et qui dimissam a viro duxerit, moechatur.* Cfr. Marc. X, Matth. XIX. etc. Quo etiam illud Apostoli I Cor. VII. pertinet: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Eodem capite Apostolus impedimentum ex cultus

a) Lib. IV. instit. cap. XIX. §. 37.

disparitate inducit; permittit enim mulieri fideli discedere a marito infideli et vicissim.

2.° Ecclesia hanc potestatem semper exercuit continuo et antiquissimo usu. Evangelii praecones, una cum fide Christiana leges Matrimonii de divortiis, de polygamia, aliasque ad omnes gentes detulerunt: non enim, qui fidem Christi amplexi sunt, ii connubia ad leges civitatum, quas incolebant, sine discrimine exigere potuerunt. Qui inter Arabes et Persas v. g. degebant, cum sororibus non conjungebant connubia, nec plures ducebant uxores, ut Judaei, aut contracta solvebant, ut Romani. *Siricius* Papa, cum in Epist. ad Himerium (385) vetat, ne Monachi aut Moniales connubia contrahant, haec adjicit: *Quod et publicae leges et ecclesiastica jura condemnant.* — *Athenagoras* in Apolog. ait: *Uxorem suam unusquisque nostrum eam reputat, quam legibus nostris duxit.* — *Basilius* in Epist. ad Diodor. et alia ad Amphil. prohibet, ne vir secundas nuptias cum sorore prioris uxoris, vel cum privigna sua contrahat; idque ex Traditione et ecclesiastica consuetudine, quae vim legis habet, omnino deducit: *Principio igitur*, ait ad Diodorum, *quod in ejusmodi rebus maximi momenti est, morem, qui apud nos est, objicere possumus, quod is legis vim habeat propterea, quod sanctiones istae a sanctis viris nobis sunt traditae.*

3.° Hoc idem affinitatis impedimentum jam in Concilio *Neocaesariensi* (314) conditum legitur. *Eliberitanum* anno 305 Clericis in ministerio positis praecipit, *abstinere se a conjugibus, et non generare filios.* Multo minus ergo illis licebat uxores ducere. *Concil. general. Chalcedonense,* Can. 26, Monachorum et Virginum, quae se Deo consecrarunt, Matrimonia prohibet, simul et Episcopis permittit, ut indulgentia, seu dispensatione in iis uti possint, quae duo plenam Ecclesiae potestatem demonstrant. Omittimus *Innocentii* I., Leonis M. aliorumque testimonia. Facillimum quippe esset, continuam hac de re Traditionem ad nostra usque tempora deducere. Ubique enim Pontifices et Synodi leges circa res matrimoniales statuunt, aut impedimenta per canones statuta renovant, quod ex Decreto et Decretalibus,

quibus jus ecclesiasticum continetur, adeo est manifestum, ut in contentionem venire non possit. Porro si constat, Ecclesiam a primis saeculis in possessione fuisse impedimenta statuendi et in causis matrimonialibus pronuntiandi, negari non potest, eam auctoritatem ipsi fuisse a Christo traditam; nisi velis, Ecclesiam potestatis suae limites ignorasse, et jus indebitum usurpasse contra Christi voluntatem, quod vel suspicari nefas esset.

ARGUMENTA CONTRARIA.

Argum. I. Ex argumentis, quae ex veteris Ecclesiae praxi deprompta sunt, id tantum deduci potest, quod Ecclesia leges tulerit prohibentes certa Matrimonia, non quod ea irrita declaraverit. Ergo etc.

Resp. I. Plura sunt ecclesiastica statuta, quae non prohibent tantum, sed dirimunt Matrimonia. Ut si *Athenagoras* ait: *Uxorem suam unusquisque nostrum eam reputat, quam legibus nostris duxit* . . . an non palam est, eam, quae contra leges has duceretur, uxorem non reputari? Cum *Basilius* Ordinis et voti impedimenta statuit, vetans can. 6, ne qui in canone Ecclesiae conscripti erant ut Clerici, Monachi, et quae virginitatem erant professae, Matrimonio jungerentur, illud ita interpretatur *Balsamon:* «*Canonicorum fornicatio pro matrimonio non reputetur, sed eorum conjunctio cum eo divellatur.* Can. 23. dicitur: *Qui autem sui fratris uxorem habet, non prius admittatur, quam ab ea recesserit.* Hoc utique est impedimentum dirimens ex affinitate ortum. Can. 4. aliud impedimentum, quod conditionis appellatur, recensens addit: *Eorum enim, qui sunt in alterius potestate, pacta conventa nihil firmi habent.* Concilium Agathense, cui S. *Caesarius* Arelatens. Episcopus praefuit, can. 62 multa consanguinitatis et affinitatis impedimenta commemorat, atque ejusmodi nuptias incestas vocat, deinde statuit: *De incestis conjunctionibus nihil prorsus veniae reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint.* Sequentium saeculorum infinita prope essent hujus rei argumenta; sed haec sufficiant.

Resp. II. Qui potestatem habet in Matrimonium, potestatem habet illud irritandi; sed quae adduximus argumenta, clare

probant, Ecclesiam nullo non tempore leges tulisse, et pronuntiasse circa res matrimoniales. Ergo etc. Major ex eo patet, quod Matrimonium sit contractus, hoc enim quasi fundamento nititur Sacramentum; jam vero contractus ex natura sua hoc habet, ut subsit auctoritati legitimae, haecque possit conditiones ponere propter bonum commune, quae si desint, irritus est contractus. — Ergo necessarium est, ut contractus conjugalis, qui Sacramentum est et propagandae Ecclesiae officium, subsit ordinationi et irritationi Magistratus Ecclesiastici in ordine ad pacem Ecclesiae et fidelium salutem.

Argum. II. Negari non potest, Ecclesiam multas edidisse leges irritantes Matrimonia; verum haec non propria auctoritate egit, sed per usurpationem, aut ex indulgentia Principum: canon autem 4. Concilii Trident. nomine Ecclesiae non intelligit Praelatos ecclesiasticos, sed coetum fidelium, aut potius, qui populum repraesentant, Reges et Principes saeculares. Ergo etc.

Resp. neg. ant. 1.° Putida haec sunt *Launoji* figmenta. Nullus appellari potest Princeps Christianus, qui ejusmodi usurpationis unquam Ecclesiam insimulaverit. Si autem ex Principum benevolentia jus illud derivandum est, dicant, quis primus illud Ecclesiae concesserit. Qui Ecclesiae decreta perlegerit, videbit, ea ex intima propriae auctoritatis persuasione manasse: quin Reges et Principes videmus canonicas leges commendare, et ad eam ipsam Ecclesiae auctoritatem confugere, si forte dispensatione indiguerunt de aliquo impedimento. An non nostro adhuc saeculo vidimus imperiosissimum Franciae gubernatorem, cum Augustissimae domus Austriacae filiae in Matrimonio jungi peroptaret, et uxorem haberet sibi civili jure unitam, causam ad ecclesiasticum tribunal detulisse, a quo post maturam causae inquisitionem primum conjugium nullum et irritum declaratum est?

Capitularia *Caroli* M. hanc Ecclesiae potestatem passim agnoscunt, ut videre est lib. V. n. 5, 6 ac 7, qui ita concluditur: *De reliquis vero propinquis juxta constituta SS. Patrum, et juxta decreta Canonum judicetur.* In Concilio Trident. Oratores Galliae nomine Regis vehementer egerunt, ut clandestina Matrimonia nulla haberentur. Henricus IV. in edicto anni 1606 causas matrimoniales ad forum Ecclesiasticum pertinere declarat.

2.° Quod in antecedente additur, Ecclesiae nomine fidelium coetum, seu potius Reges et Principes intelligi, tam est absurdum, ut nihil magis malam fidem *Launoji* manifestam faciat. Norunt omnes ex usu sermonis recepto et quotidiano, per Ecclesiam societatem fidelium, et, cum de legum ferendarum potestate agitur, sacerdotalem Ordinem intelligi. Quod in hac quaestione eo est apertius, quod citati Concilii Canones adversus Lutheranos conditi fuerint, qui de Principibus nullam moverunt quaestionem, sed sacerdotali Ordini eam potestatem statuendi impedimenta detrahebant.

Argum. III. Si Ecclesia posset ejusmodi impedimenta statuere, posset mutare materiam Sacramenti: posset enim efficere, ut contractus, qui ex instituto Christi sufficiens materia Sacramenti fuit, posito impedimento dirimente non amplius sufficeret; atqui ejusmodi potestas nec Ecclesiae nec Principibus competere potest: id enim esset in ipsam Sacramentorum substantiam irruere.

Resp. neg. maj. Ecclesia non mutat materiam Sacramenti, sed irritat contractum, et sic aufert materiam Sacramenti. Sic ubi quis excommunicationis vinculo ligatur, jam non est idoneus recipiendo Poenitentiae Sacramento, neque propterea mutatur materia Sacramenti. Neque hic valet argumentum ab aliis Sacramentis; in his materia est aliquid physicum, quod ab arbitrio hominum non pendet, sicut contractus, qui legibus humanis irritus fieri potest. Hinc bene S. *Thomas* ait *a*): *Matrimonium non tantum est Sacramentum, sed etiam est officium; et ideo magis subjacet ordinationi ministrorum Ecclesiae, quam Baptismus, qui est Sacramentum tantum: quia sicut contractus et officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus et officia spiritualia lege Ecclesiae.*

Argum. IV. Ecclesia non potest irritare, quae lege naturali rata sunt et legitima. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Lex Ecclesiastica naturalem perficit, idque dictat ipse naturae sensus. Ex quo homo in societate constitutus est, necesse est, libertatem ejus legibus positivis constringi. Hoc potissimum in contractibus valet, et in nullo magis, quam

---

a) In IV. dist. 40. q. unica, art. 4.

in contractu Matrimonii, a quo Ecclesiae et reipublicae bonum, decus ac prosperitas familiarum quam maxime dependet.

Argum. V. Nulla est humana potestas, quae possit coarctare jus divinum; ergo neque impedimenta statuere potest Matrimonium dirimentia praeter ea, quae Levit. XVI. lege divina et naturali sint posita.

Resp. Apertum est, haec a Novatoribus tantum proferri contradicendi et omnia confundendi libidine. Illa quidem impedimenta tunc posita fuerunt lege divina, sed nulla lege divina cautum fuit, ne Ecclesia in aliis etiam gradibus Matrimonium vetaret. Moses rationem habuit temporis et gentis. Tunc enim conveniens erat, ut cognati conjugia miscerent; populus erat perexiguus, et augeri debebat numerosa sobole; atque praeterea quam maxime erat cavendum, ne ethnicis affinitate aut ullo foedere jungeretur. Econtra in Christiana societate, quae debebat per omnes gentes diffundi, convenientius erat, cognationis impedimentum latius extendere, ut Christiani non inter cognatos, sed apud alienos conjugia quaererent, atque ita mutua benevolentia magis sese diffunderet, et familiae vinculo affinitatis arctius inter se colligarentur. Conf. *August.* l. XV. de civit. Dei cap. 16. — Huc pertinet Concilii Trid. Can. III. Sess. XXIV.: *Siquis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, et dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant; anathema sit.*

Argum. VI. Ecclesia potestatem quidem habet in Sacramentum Matrimonii, cum haec res sit omnino spiritualis; verum exinde immerito concluditur, eam posse Matrimonium ipsum dirimere, in quantum est contractus. Ergo etc.

Resp. Ita quidem ratiocinantur quam plurimi ex illis, qui contractum separant a Sacramento: imo ideo in hanc sententiam libenter abeunt, quia putant, matrimoniales causas hac ratione facillime posse inter utramque potestatem dividi; cum Ecclesia ordinet, et judicet, quae ad Sacramentum pertinent: Matrimonium autem, quod esse, et legitimum esse potest, quin sit Sacramentum, Principum auctoritate regatur. — At argumenta omnia, quae Ecclesiae potestatem probant, de Matrimonio loqu-

untur, non de Sacramento, ut est a contractu conjugali abstractum. Idque optime intelligitur in illa sententia, quae Sacramentum nihil aliud esse asserit, quam Matrimonium ipsum a fidelibus legitime contractum. Difficilius hic se expediunt, qui volunt Ecclesiam impedimenta statuere posse, non Sacramentum tantum, sed ipsum Matrimonium irritantia, quamvis Matrimonium stare posse contendant absque Sacramento.

NOTA.

I. Quaeritur hoc loco: *An etiam Principes saeculares potestatem habeant, statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia?* Nos stabilitis iis, quae a Concilio Trident. definita sunt et ad fidem Catholicam pertinent, libenter ab hac quaestione abstineremus. Primum quidem non possumus illorum opinioni subscribere, qui volunt Principes posse, irritando contractum Matrimonii, ipsum quoque irritare Sacramentum; non quidem potestate, quam in Sacramentum haberent, sed quasi per accidens, auferendo nempe materiam Sacramento. Princeps, ajunt, potest in contractum agere, eumque irritum facere, nisi statutae per leges conditiones adsint; sed contractus, qui in se nullus est et cassus, non potest esse materia Sacramenti. Ergo etc. Sed apertum est, qui ita ratiocinantur, in falso versari supposito: nam ut verum assumunt, contractum civilem necessariam esse Sacramenti materiam; quod nullatenus concedimus. Quippe, fatente etiam *Tournelio a)*, si casus contingeret, in quo revera Princeps impedimentum aliquod statuisset, quod non statuisset Ecclesia, contractus naturalis et humanus utique materia sufficiens esset Sacramenti. Ex hoc et illud consequitur, Principem non posse legibus suis Matrimonium proprie et absolute irritare, id enim si posset, posset Matrimonium quoad substantiam nullum efficere et cassum, ergo etiam materiam Sacramento auferre. *Dicendum*, ait S. *Thomas b)*, *quod prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum Matrimonii, nisi interveniret Ecclesiae auctoritas, quae idem etiam interdicit.*

II. Quid? An ergo jus nullum erit Principi in id, quod sollicitudinem ejus et curam quam maxime postulat; cum nihil

---

a) De Matr. Q. VII. Art. II. pag. 493. *b)* Dist. 40. Q. unica, Art. 4.

ad Reipublicae conservationem magis pertineat, quam Matrimonia? Nos certe ii non sumus, qui vellemus ex Principum potestate aliquid detrahere; procul dubio penes ipsos jus est, irritare, ac invalidum reddere contractum civilem; nam quod civile est, potestati civili subjacet. Huc pertinet illud S. *Thomae a)*: *Matrimonium in quantum est officium naturae, statuitur jure naturae; in quantum est officium communitatis, statuitur jure civili; in quantum est Sacramentum, statuitur jure divino: ideoque ex qualibet dictarum legum potest persona effici ad Matrimonium illegitima.* Si ergo Ecclesia Sacramentum daret personis, quas lex civilis inhabiles declarat, verum quidem esset et legitimum Matrimonium in foro Dei et Ecclesiae, at nullum quoad effectus civiles. Quaestionem dilucide explicat auctor gallicus libri: *Autorité des deux puissances;* Tom. II. pag. 468 toto §. octavo. Inter alia haec habet: . . . *Compétence des deux puissances sur les matières matrimoniales. — Les Loix du Souverain en règlent la forme, les devoirs et les avantages, quant au temporel; et lorsque le contrat naturel est revêtu de toutes les formalités requises par ces loix, il devient contrat civil, et il donne droit à tous les avantages, qu'elles y ont annexés. La puissance Ecclésiastique fait des réglemens sur les conditions nécessaires à la sainteté du mariage et au bien spirituel; et le contrat naturel, étant revêtu des conditions requises par l'église, constitue le Sacrement, et en procure les grâces; si ces conditions manquent, le mariage est nul.*

III. Manent ergo utrique potestati jura sua salva et integra; neque pugnant inter se; cum Ecclesia Matrimonio ut Sacramento, Princeps ut contractui civili conditiones apponat. Deus, qui auctor est pacis et ordinis, utramque potestatem ipse constituit; utraque praecipuum exinde decus hauriet et firmamentum, si unaquaeque intra fines suos se continet, et una alteram auxilio suo adjuvat. Certe jam a primis temporibus videmus Ecclesiam suis canonibus, Principes suis legibus Matrimonium ordinasse. Pontifices et Concilia ab Imperatoribus leges postularunt, quibus canones ab ipsis sanciti firmarentur; et vicissim Principes canonibus edicta sua roborarunt; atque, ut ambae

---

a) In IV. Sententiar. 34. Q. 1. Art. 1.

potestates semper mutuo se foveant et adjuvent, vehementer optandum ad Ecclesiae et Reipublicae bonum.

CAPUT TERTIUM.

DE QUIBUSDAM MATRIMONII PROPRIETATIBUS.

Duae sunt praecipuae Matrimonii propietates, quod nimirum illud sit unum, et indissolubile: de utraque dicendum.

ARTICULUS I.

De Unitate Matrimonii.

Matrimonium ex prima sua institutione est conjunctio unius cum una. Haec unitas spectari potest dupliciter; vel simul, vel successive. Unitati opponitur polygamia, quae est vel polygamia plurium uxorum successive, vel plurium uxorum simul.

§. I.

De polygamia successiva.

OBSERVANDA.

Teste *Theodoreto a)* is fuit Montanistarum et Novatianorum error, quod secundas nuptias damnarent: neque defuerunt inter antiquos Patres, qui paulo acrius adversus eas invehuntur. Inter alios *Basilius b)* tertias nuptias ait non amplius esse Matrimonium, sed castigatam fornicationem. *Gregor. Naz.* ait *c)*: *Primum Matrimonium lex est, secundum indulgentia, tertium iniquitas.* Quaedam Synodi eas poenitentiae subjicere non dubitarunt *d)*; S. *Hieronym.* adversus Jovinianum scribens maculam imprimere videtur secundis nuptiis. Verum ad haec postea respondebimus.

---

a) Lib. III. haeretic. fabular. *b)* Ad Amphil. C. 4. *c)* Orat. XIII. *d)* Laodic. cap. Neocaes. Can. 3.

PROPOSITIO.

Secundae et ulteriores nuptiae licitae sunt et legitimae.

Probat. I. Ex pluribus Apostoli locis. Ad Rom. VII.: *Quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* I ad Cor. VII., 39.: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quodsi dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino.* Et ibid. v. 8. et 9.: *Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis si sic permaneant: quodsi non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.* Quamvis Apostolus hoc ipso capite continentiae excellentiam mire extollat, Matrimonium tamen, etiam pluries repetitum, non damnat, sed permittit. Quinimo ex cap. V. ad Ephes. etiam secundas nuptias rationem Sacramenti habere perspicuum est, nam generatim loquitur Apostolus de Matrimonio, illudque, nulla facta exceptione, magnum Sacramentum vocat. Thesis generalis est: *Viri diligite uxores vestras;* sive primas, sive secundas, sive tertias ineant nuptias.

Probat. II. *auctoritate Patrum et Concil.* Ex Patribus unum appellamus perantiquum auctorem libri *Pastoris*, qui libr. II. scribit: *Si vir, vel mulier decesserit, et nupserit aliquis eorum, nunquid peccat? Qui nubit non peccat. Concil. Nicaen.* I. Can. VIII. jubet, ut non admittantur Novatiani, cum ad Ecclesiam redeunt, nisi polliceantur, se communicaturos etiam cum iis, qui forte secundas nuptias experti fuerint. Tandem apertissime rem declarat *Eugenius* IV. in Decreto ad Armen. et cum eo Concilium Florent. *Declaramus*, inquit, *non solum secundas* (nuptias), *sed etiam tertias, et quartas, et ulteriores, si aliquod impedimentum non obstat, licite contrahi posse.*

OPPOSITIONES.

Opponitur I. Patres et Concilia secundas nuptias damnant, ut supra observatum est. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Concilia et Patres nunquam asseruerunt, secundas nuptias malas esse; nunquam eas nullas esse declararunt, aut illegitimas: sed putarunt, eas minus decere Christianos, et signum esse intemperantiae et incontinentiae. Hinc a quibusdam etiam poenitentiae subjiciebantur, ut alia quaedam, v. g. homicidium involuntarium, quae animam nullo crimine maculant. Hoc ita explicat *Clemens Alex. a): Si cui Apostolus, propter intemperantiam et ustionem, ex venia secundum concedit Matrimonium: hic quidem non peccat ex testamento; non est enim lege prohibitus; non implet autem summam illam perfectionem, quae agitur ex Evangelio.* Sed res clarior fiet ex ipsis Conciliorum et Patrum illorum testimoniis. *Concilium Laodic.* Canonem, quo secundas nuptias poenitentiae subjicit, ita inscribit: *De his, qui secundum Ecclesiasticam regulam secundis nuptiis juncti sunt.* S. Basilius ad Amphil. cap. XLI. ait: *Quae in viduitate potestatem sui habet, ita ut viro cohabitet, ab omni culpa libera est, cum Apostolus dixerit: Si mortuus fuerit vir ejus, libera est. Hieronymus* ipse acerrimus castitatis et continentiae propugnator, cum Jovinianum exagitaret, vehementius quidem secundas et ulteriores nuptias insectatus est; ad id etiam excitatus multorum incontinentia: refert enim *Damasi* tempore Romae fuisse par conjugum, quorum alter viginti uxores sepelierat, altera maritos viginti et unum. Verum ipse, cum vidit plurimorum se offensionem incurrisse, malam suspicionem editis apologiis a se removit. Sic Epist. 30, alias 50, ad Pamachium ait: *Aperiant, quaeso, aures obtrectatores mei, et videant me secundas et tertias nuptias concessisse in Domino* . . . et ibid.: *Quomodo non damnantur istae nuptiae, ita non praedicantur; solatia miseriae sunt, non laudes continentiae . . . imo nec trigamos, et, si sic dici potest, octogamos.*

Opponunt II. Secundae nuptiae non amplius signum sunt unionis Christi cum Ecclesia: ergo non sunt Sacramenta. Antecedens probatur, quia conjunctio Christi et Ecclesiae est singularis et unica. Christus enim habet unicam Ecclesiam, Ecclesia unicum Christum.

---

a) Lib. III. Stromat.

Resp. neg. ant. Verum equidem est, secundas nuptias non tam perfecte exprimere Christi et Ecclesiae conjunctionem, ac primas. Sed hoc ipsum ad naturam Sacramenti non spectat. Apostolus exemplo Christi et Ecclesiae utitur, ut probet, virum non debere uxorem adhuc viventem dimittere: *Viri, diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Verum non in omnibus stat comparatio. Ecclesia semper habebit sponsum suum, Christus semper habebit Ecclesiam, quam ipse nunquam permittet interire. Verum conjuges non possunt efficere, ut non unius morte conjugii vinculum dirumpatur.

Opponunt III. 1.° Mos Ecclesiae est, et semper fuit, ut secundae nuptiae carerent benedictione. 2.° Qui ad secundas nuptias transeunt, irregulares efficiuntur ad sacros. Ergo secundae nuptiae Ecclesiae inhonestae visae sunt et malae.

Resp. neg. conseq. 1.° Benedictio illa non pertinet ad naturam Sacramenti. Non datur secundis nuptiis, quia Ecclesiae consuetudo semper fuit, ut res, aut personae semel benedictae aut consecratae, non iterum benedicerentur et consecrarentur. 2.° Quod bigami irregulares sint ad sacros Ordines, non fit propter defectum Sacramenti, cum etiam secundae nuptiae vere sint Sacramentum: sed quia Apostolus jam tum ostendere voluit, nonnisi continentes ad Ecclesiae ministerium esse admittendos, et, si non habeantur nuptiarum penitus expertes, repellendos tamen, qui ad alteras nuptias processissent; nam post virginitatis honorem maximopere commendabatur status viduitatis. Sic Apost. I Tim. V. etiam prohibuit, ne vidua eligeretur, nisi quae esset unius viri uxor. Quia necessaria erat probata et comperta virtus castitatis in iis praesertim, quae erant Ecclesiae ministerio mancipatae. Neque id mirum videri potest, ita sensisse Christianos, cum videamus etiam gentiles illos in magno honore habuisse, qui post primas nuptias in viduitate vivebant. Apud Romanos foeminae, quae semel tantum nupsissent, vocabantur *univirae* vel *unicubae*. Non aliae adhibebantur pronubae, non aliae fortunae muliebri coronam imponebant, et corona pudicitiae donabantur: non aliae aedem pudicitiae ingredi poterant. Summo Pontifici bis uxorem ducere non licebat; itaque unius

uxoris vir esse debuit, consentiente lege Romana cum Christiana, ut observat *Haetius a)*.

§. II.

De Polygamia simultanea.

OBSERVANDA.

I. Protestantes de hac quaestione non conveniunt inter se. *Calvinus* docet, polygamiam simultaneam tam stricto naturae jure esse prohibitam, ut veteres Patriarchas violati in hac parte juris naturalis traducere non vereatur. Addit tamen, adulterii crimen ipsis non fuisse imputatum, eo quod essent praedestinati. Contra *Lutherus* pluribus in locis, atque inter alia in Explicatione Geneseos *b)* ex professo disputat, utrum Christianis liceat exemplo Abrahae plures simul habere uxores, ac tandem respondet, id neque esse praeceptum, neque prohibitum. Hinc etiam novus reformator, et Christi Evangelista, una cum Bucero et Melanchthone novo et inaudito exemplo permisit Philippo Hassiae Landgravio, ut vivente adhuc uxore aliam duceret. Rem totam ex actibus publicis describit illustriss. Meldensium Episcopus, lib. IV. Hist. variat.

II. Matrimonium a primis generis humani exordiis ita fuit institutum, ut unus esset unius uxoris vir; primus Lamech duas sibi uxores adjunxisse legitur. Post diluvium polygamiam nec in lege naturae, nec in lege Mosaica prohibitam fuisse, ex hoc solo manifestum est, quod viri sanctitate conspicui, qui ante, vel sub lege vixerunt, ut Abraham, Jacobus et David Rex, plures habuerint uxores. Videmus tamen multarum gentium etiam babararum instituta uxorum multitudinem repulisse. Jure Romano duas uxores simul habere non licebat, et a Scriptoribus Romanis laudantur gentes huic mori obsequi solitae. Germanorum haec praecipua laus est apud *Tacitum c)*, quod singulis uxoribus contenti sint, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. Cecrops, teste Athenaeo, primus apud Graecos instituit, ut una foemina

---

a) Quaest. Alnet. lib. XI. cap. XX. n. 7. *b)* Comment. ad cap. XVI. *c)* De morib. Germ. cap. XVIII.

marito tribueretur. Hunc morem laudat Euripides in Andromache, ubi ex persona Hermiones ait: « Non enim decet unum « imperare foeminis geminis virum; contentus uno conjugis vivat « thoro, quicunque cupit recte curatam domum. »

III. De illa polygamia, qua una mulier pluribus simul viris jungeretur, vix nobis mentio facienda est. Haec enim nusquam licita fuit, atque omnes consentiunt, eam esse per se et absolute contra legem naturae; cum aperte pugnet contra finem Matrimonii tum primarium, tum secundarium. Contra primarium quidem, quia liberorum procreationem impedit, quum constet, meretrices esse infoecundas; contra secundarium autem, qui est prolis educatio, quia incertum redderet filiorum patrem, qui necessarius est congruae filiorum educationi. Cum ergo de polygamia simultanea quaestio instituitur, intelligimus Matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus.

PROPOSITIO.

De fide est, polygamiam simultaneam in nova Lege esse jure divino prohibitam.

Trident. Sess. XXIV. Can. II. pronuntiat: *Siquis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.*

Prob. I. *ex Script.* Matth. XIX. Christus Pharisaeis, qui interrogarunt, an liceat uxorem dimittere quacunque de causa, ita respondit: *An non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos? et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo* (non tres) *in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Christus hic Matrimonium revocat ad primam suam institutionem; tunc autem Matrimonium fuit conjunctio unius cum una, nam si plures essent uxores ejusdem viri, non esset una caro. Optime ergo Trident. observat *a)*: *Hoc vinculo duos tantum copulari et conjungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba* (hoc nunc os ex ossibus meis etc.)

a) Sess. XXIV. in expos. doctrinae de Sacr.

tanquam a Deo prolata referens dixit: itaque jam non sunt duo, sed una caro.

Marci X. dicitur: *Quicunque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam . . .* et Lucae XVI.: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur.* Jam si adulter est, qui dimissa uxore alteram duxerit, quanto magis, qui priore retenta alteri copulatur?

Ad Rom. VII. Apostolus pronuntiat, mulierem, quae vivente viro fuerit cum alio viro, esse adulteram, ergo et vir adulterii reus est, qui vivente uxore aliam duxerit: nam juxta Apostoli doctrinam par est mulieris et viri conditio: *Mulier,* inquit I Cor. VII., *sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

Prob. II. *ex Tradit. Ambros.* lib. I. de Abrah. cap. VII.: *Non licet tibi uxore vivente aliam ducere; nam et aliam quaerere, cum habeas tuam, crimen est adulterii.* S. *Hieronym.* in cap. XIX. Matth. asserit, virum non posse adulteram uxorem dimittere, nisi ea conditione, ut secundam prima vivente non habeat. — *August.* lib. I. de nuptiis et concup. cap. X.: *Sterilem conjugem relinquere, ut alia foecunda ducatur, nefas est; quod si quisquam fecerit . . . lege Evangelii reus est adulterii.*

Plurima etiam proferri possent SS. Pontificum responsa et decreta: ut *Innocent.* I. ep. 3. ad Exuper., *Innocent.* III. cap. *gaudemus de divortiis.* Inter alios *Nicolaus* I. in respons. ad consulta Bulgarorum cap. LI. inquit: *Duas tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanae conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit.*

Quaestio I. *An plures simul uxores habere jure naturali sit prohibitum?*

Resp. Sufficiat nobis probasse polygamiam simultaneam lege divina prohiberi, hoc enim Catholicum est, et definitum ab Ecclesia. Jam scrupulosius investigandum non est, an idem etiam lege naturali vetitum sit; nam etiam Catholici Theologi in hac parte concordes non sunt. Plurimi putant, illud esse contra jus naturale, quia videtur ipsa ratio docere, ut unus uni copuletur.

Huic sententiae potissimum obstat, quod veteres Patriarchae et alii viri sancti in lege Mosaica plures uxores habuerint, idque citra ullum peccatum. Respondent equidem, Sanctis illis opus fuisse speciali Dei dispensatione, quae vel singulis speciali Dei revelatione innotuerit, vel quae primis revelata postmodum aliis fuerit sufficiens. Verum gratis omnino haec asseruntur; hujus dispensationis ne vestigium quidem occurrit in Scripturis, econtra palam est, in veteri testamento nemini prohibitum fuisse, quod Patriarchis concessum erat; Scriptura enim de multitudine uxorum loquitur tanquam de re licita; ut Deuteron. XXI.: *Si habuerit duas uxores, unam dilectam et aliam odiosam, genueritque ex ea liberos, et fuerit filius odiosae primogenitus, voluerit substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectae facere primogenitum, et praeferre filio odiosae.*

Accedit auctoritas SS. Patrum, qui, ut excusationem quaerant Patriarcharum polygamiae, non recurrunt ad dispensationem divinam, sed dicunt, illud nulla lege fuisse prohibitum. Sic *Hieronym.* Ep. ad Pamach., S. *Augustin.* lib. 16. de civitate Dei cap. 38., et lib. 22. contra Faustum cap. 47., ubi ita de hac re disserit: *Peccata alia sunt contra naturam, alia contra morem, alia contra praecepta. Quae cum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simulhabitis uxoribus objicitur sancto viro Jacob? Si naturam consulas, non lasciviendi, sed generandi causa illis mulieribus utebatur; si morem, illo tempore atque in illis terris factitabatur; si praeceptum, nulla lege prohibebatur.*

Caeterum quod lege naturali prohibitum est, illud licitum facere non potest divina dispensatio: seu, ut verius dicam, in lege naturae dispensare, Dei ipsius natura non patitur. Neque illud juvat, quod distinguant inter primaria juris naturalis praecepta, et remotiores eorum conclusiones: quia, quae ex principiis fluunt conclusiones aeque sunt immutabiles ac ipsa principia; discrimen in eo tantum, quod homines, quorum imbecillis admodum et incerta est ratio, conclusionum cum principiis nexum non videant, et ignorantia sua a peccato excusentur.

Id etiam ab omnibus conceditur, polygamiam non repugnare *primo fini Matrimonii*, id est, ut *Bellarmin.* ait *a)*, *prolis pro-*

---

a) De Matr. lib. I. cap. X.

pagationi et educationi; cum facile possit unus vir ex pluribus uxoribus liberos procreare et alere. Sed, pergit idem auctor, *secundus ille finis, qui est socialis cohabitatio, et domus gubernatio, non parum impeditur per uxorum multitudinem.* Verum multum saepe difficilius est, pacem domesticam servare cum una uxore rixosa, morosa, aut libidinosa, quam cum duabus bene morigeratis. Deinde an non bona liberorum educatio etiam impeditur per polygamiam successivam? Et si ex utroque conjugio liberi nascuntur, quanta quaeso discordiarum seges, non inter liberos tantum, sed et earum ex matre familias! Ergo non illico legi naturae repugnat, quod bono familiarum aut societatis non satis consulit. Alio modo differt malum a bono, alio minus perfectum a perfecto. Quod proprie malum est, a culpa eximi nulla ratione potest: at prudens legislator saepe quae minus perfecta sunt, si non approbat, permittit tamen; et ne graviora exinde incommoda nascantur, cautus providet, donec mutato populi statu ac conditione meliora et perfectiora possint in priorum locum substitui.

Libenter igitur concedimus, polygamiam, de qua agitur, juri naturali minus consentaneam esse, minusque favere paci domesticae. Concedimus etiam, primam Matrimonii institutionem, ac legem Evangelicam, quae Matrimonium ad primam hanc institutionem reduxit, fundamenta habere in lege naturali, et Deo, in quo summa ratio est et summus amor ordinis, esse dignissimam. Ex quo sequitur, antiquum morem a lege Evangelica differre sicut minus perfectum a perfecto juxta illud Apostoli: *Nihil ad perfectum adduxit lex a).* Quod ergo in lege Evangelica polygamia simultanea prohibita sit, id proprie ex praecepto Christi positivo dimanat. Ita scilicet legem implevit Christus, cum ea, quae imperfecta adhuc et manca rudi populo tradita fuerant, sanctioribus disciplinis perfecit, et Christianorum Matrimonio Sacramenti virtutem et dignitatem contulit, ac signum esse voluit unionis Christi cum Ecclesia, sponsa ejus dilecta et unica.

Quaestio II. *An uxorum multitudo permissa sit infidelibus?*

Resp. Sicut in priori quaestione diversae sunt sententiae, ita et hic. Illi, qui hoc genus polygamiae legi naturae repug-

---

a) Ad Hebraeos cap. VII, 19.

nare contendunt, praeceptum monogamiae necessario ad infideles extendunt, quoniam et hi lege naturali constricti sunt. Sequeretur autem in hac sententia, gentilibus, qui verae Religionis lumine carebant, illud ipsum ob legis prohibitionem crimini datum fuisse, quod antiquis Patriarchis et toti populo Judaico singulari dispensatione fuisset concessum. Sequeretur, hoc veluti privilegium fuisse sanctitatis et verae Religionis, ut in plures uxores effunderetur conjugalis societas. Fateor, ab hoc vel cogitando refugit animus.

Eadem pene difficultas occurrit, si praeceptum monogamiae ex primaeva Matrimonii institutione deducitur. Nam iterum gentiles haec lex premeret, a qua Patriarchas et totam Judaeorum nationem divina dispensatio exemisset. Nollem ego tanquam indubitatum asserere, primam illam institutionem vim verae et proprie dictae legis habuisse, etiam post peccatum. Verum nostrum non est, hanc quaestionem dirimere; quaedam tantum cogitata adjiciam. Deus ab initio unam tantum conjunxit uni viro, tum ut omne humanum genus ex iisdem parentibus oriretur, tum quia conveniens erat, ut primum illud Matrimonium, cujus Deus ipse paranymphus esse voluit, perfecti conjugii formam praeferret. Ante diluvium, praeter Lamechis exemplum, nullum polygamiae vestigium occurrit; siquidem diu apud Adami posteros impressa mansit perfectioris illius, quod Deus in Paradiso conjunxerat, Matrimonii memoria. Cumque aequalis fuerit hominum conditio, juraque aequalia, non video qua ratione tolerari potuisset polygamia; notum enim est, eundem pene masculorum numerum procreari, ac foeminarum; ex quo sequitur, quod si adessent, qui vellent pluribus jungi uxoribus, aliorum jura laederentur, cum necesse esset, hos uxoribus carere. — Praeterea eo tempore longa hominum aetas ad multiplicandum genus humanum cum una uxore sufficiebat; ad foecunditatem quoque contulit major naturae vigor, nondum attritis, ut postea, corporis viribus. Neque illud omittendum, nihil ante diluvium legi de Principum in subditos dominatu, de servitutis jugo parti humani generis imposito, quae non parum postea ad polygamiam contulerunt.

Post diluvium primum occurrit Patriarcharum exemplum, imprimis Jacobi, quod tamen excusatione non caret, propter fa-

miliae propagationem. Jam tum videtur, primam institutionem Matrimonii non fuisse habitam ut regulam et legem necessariam, a qua non licuisset omnino discedere. Ex lege scripta perspicuum est, polygamiam fuisse; id enim ab Aegyptiis didicerant, quo tempore in captivitate versabantur. Cumque postmodum neque lex, neque Prophetae hanc a prima conjugii perfectione aberrationem tanquam malam et illicitam damnaverint, morem illum communem procul dubio sequi potuerunt viri sanctitate conspicui.

Sed alia nunc exoritur quaestio: *an infideles teneantur lege Evangelica, qua polygamiam prohiberi nemo dubitat?* Si Christus legem hanc omnibus posuit, etiam iis, qui Christiani non sunt, manifestum est, infideles ea obligari. Si autem polygamia prohibita est propter Sacramentum, nescio an etiam illi hac lege teneantur, qui incapaces sunt Sacramenti, nisi forte ea ratione, quod infideles teneantur ad suscipiendum Baptisma, in quo continetur obligatio observandi, quae Evangelium praecipit. Sed urgent argumentum. Si infideles hac lege non tenentur, ergo legitima sunt Matrimonia ab illis cum pluribus uxoribus inita: et si legitima sunt, cur ab illis, qui ad Christi fidem accedunt, exigitur, ut prima uxore retenta caeteras dimittant? Respondemus, illud merito exigi, tum quia forsan illa Matrimonia legitima non sunt, tum etiam in hypothesi quod essent legitima. Nam 1.° multitudinem uxorum lex Evangelica non patitur. 2.° Valde probabile est, Matrimonia infidelium non esse indissolubilia; ideoque dissolvi per Baptisma. Et certe, si conjugium cum una tantum initum, ideoque absque omni dubio legitimum, dissolvitur, quando una pars Christi fidem suscipit, altera in infidelitate remanente, ut sequenti Art. videbimus, quanto magis dissolventur Matrimonia illa, quae nulla ratione possunt cum fide Christiana consistere?

ARTICULUS II.

De Matrimonii indissolubili nexu.

OBSERVANDA.

I. Jam notum est, a Theologis distingui inter Matrimonium *legitimum*, *ratum* et *consummatum*. *Legitimum* est, quod nulla

lege irritatur: sic est conjugium infidelium. *Ratum* vocatur, quod a Christianis contrahitur. *Consummatum*, quod usu ipso, seu carnali conjunctione perfectum est. Distant inter se ejusmodi connubia firmitatis et perfectionis gradu: quod enim inter Christianos ratum est per Baptisma, perfectione et firmitate superat conjugium infidelium, quamvis verum et legitimum; sic iterum quod ratum est et consummatum, firmius est rato et non consummato. Igitur aliud est, an Matrimonium separari possit jam consummatum, aliud, antequam consummetur.

Accedunt et aliae quaestiones: an Matrimonium possit dividi quantum ad actum, id est cohabitationem et thorum; vel quantum ad ipsam essentiam, ita ut Matrimonium desinat esse Matrimonium, et uterque conjux possit alias nuptias inire? Item: unde repetenda sit firmitas Matrimonii; an ex jure naturali, an ex jure divino positivo, an ex ratione Sacramenti? Has, aliasque quaestiones, quae ad hoc argumentum pertinent, breviter absolvemus. Unum est in hac controversia praecipuum, quod, quantum fieri potest, accuratius exponendum, et contra Adversariorum objectationes propugnandum ducimus: an nempe vinculum Matrimonii in nova Lege jure divino sit indissolubile. Sed prius quaedam adhuc sunt praemittenda.

II. Graecis, qui jamdudum ab Ecclesia Romana separati sunt, hic inter alios error objicitur, quod dicant, Matrimonii vinculum solvi per adulterium. Gloriantur quidem, se perpetuam et constantem Ecclesiae suae Traditionem sequi; verum *Arcudius* adductis Veterum Graecorum testimoniis probat *a)*, Graecos recentiores a patrum suorum doctrina recessisse.

Lutherus in lib. de capt. Babyl. dubie adhuc hac de re loquitur, nec quidquam statuere ausus est: addit autem, se nolle aliquid sola Papae aut Episcoporum auctoritate definiri; sed si duo eruditi et boni viri in nomine Christi consentirent, et in spiritu Christi pronuntiarent, eorum judicium se Conciliis praelaturum. Digna fanatico homine sententia! — Post tres annos, si non doctior, saltem audacior factus, multas ob causas Matrimonium solvi, et aliud iniri posse docuit *b)*; *Bucerus* id fieri

---

a) Conc. Ecclesiae Orient. et Occid. pag. 578. *b)* In C. VII. Ep. I. ad Cor.

posse contendit, quacunque de causa conjuges sibi invicem displiceant. *Melanchthon* et *Chemnitius* duas causas admittunt dirimendi Matrimonium, adulterium et desertionem, quam tamen uterque alio modo intelligit. *Calvinus* vult Matrimonii vinculum ob solum adulterium solvi. Ex Catholicis *Erasmus*, *Cajetanus* *Catharinus* eodem errore tenebantur. Hi tamen cum Haereticis nominandi non sunt, eo quod Ecclesiae judicio disertis verbis se subjecerint.

III. Integro fere post Trid. Concilium saeculo primus inter Catholicos Doctores nova bella movere conatus est *Launojus*, cujus inquietum ingenium libenter ad singulares opiniones ferebatur. Is in suo tractatu de regia in Matrimonium potestate, de quo jam dicendi occasio fuit, inter alia temerarie asserta docet, sententiam, quae ait, Matrimonium propter fornicationem posse dissolvi, tum in Scripturis, tum in Traditione esse fundatam; Canonem autem Trid., quo contrarium edicitur, disciplinae statutum esse, non fidei decretum. Hoc commentum vix ut apparuit, a Catholicis Doctoribus cum indignatione repulsum est; tum quia aperte totius Ecclesiae doctrinae repugnabat, tum etiam ob insignem auctoris temeritatem, qui Pontificum et Patrum testimonia, ut ea causae suae accommodaret, pro arbitrio corrumpere non erubuit. En exemplum: inter alia argumentum petit ex *Joan.* VIII. epistola. S. *Pontifex* ait: *Nulla ratione prorsus illi conceditur*, *aliam* (uxorem), *vivente priore*, *conducere*. Launojus omissis his verbis: *Nulla ratione*, ita citat: *Prorsus illi conceditur* etc.

Launoji doctrina vix non oblivione deleta hac nostra aetate et jam vertente priore saeculo non paucos defensores nacta est, non in Gallia tantum, ubi sacra omnia conculcabantur, sed etiam in Germania, ubi innovandi libido multos levioris ingenii viros arripuit. Exinde in omnia nova, et liberioris doctrinae placita itum est. Launoji opera tenebris eruta novis athletis arma suppeditarunt, quibus illi, ac si sua essent, mire gloriabantur. Sed habuit etiam veritas defensores suos, atque inter alia argumentum hoc de indissolubili Matrimonii vinculo a doctissimis viris in clarissima luce collocatum est. Laudandi sunt praeter celeberrimos illos Theologos, quorum jam mentionem fecimus, recentiores quidam, qui strenue contra novas aggressiones pro Ecclesiae doctrina pugna-

runt. Cfr. *Bonald* du divorce. Binterim, über Ehe und Ehescheidung. Auctor libri: Beweiſe für die Unauflösbarkeit der Ehe. Zenger, neuer Verſuch ꝛc.

IV. Ante diluvium nulla de divortio aut repudio mentio occurrit, sed neque post diluvium, nec Patriarcharum aetate. In lege Mosaica repudium certis de causis permittitur. Deut. XXIV, 1. Exinde merito concludimus: Judaeos hunc quoque morem durante captivitate ab Aegyptiis didicisse. Jam disputatur inter interpretes: 1.° An per libellum repudii solutum fuerit vinculum conjugale; aut an separatio tantum facta fuerit conjugum a thoro et mensa? 2.° An illud Judaeis permissum tantum fuerit ut minus malum, ut ita majoribus et atrocioribus criminibus occurreretur? 3.° Quaenam legitimae scribendi libelli causae fuerint? — Probabilius videtur, Matrimonium per repudium ita fuisse dissolutum, ut conjuges potuerint licite nova conjugia inire; hinc non tolerata tantum fuisse repudia ut minus malum, sed permissa ut aliquid minus perfectum; neque pro libitu scribi potuisse ejusmodi libellos, sed, ut textus Deuteron. habet, propter foeditatem, vel, ut Tertullian. interpretatur, propter impudicum negotium. Manifestum est, legem a Mose ideo datam fuisse, ut, quod jam in mores populi transierat, quantum fieri potuit, certis limitibus circumscriberetur. Illud tamen notatu dignum, quod in tota Judaicae gentis historia usque ad Machabaeorum tempora nullum repudii exemplum occurrat. Postmodum autem, atque imprimis sub Herodis regimine, vix dici potest, quam faciles Judaei fuerint ad scribendum tradendumque libellum, Romanorum forsan exemplo incitati, qui jam tum Palestinae dominabantur. Eo res devenerat, ut novas semper et vanissimas repudii causas invenirent, ut: si cibos nimio sale conspersisset; si formosior alia marito arrideret; si uxor usum linguae amisisset; quod certe magis retinendi causa fuisset. Imo tempore Christi multi in ea erant sententia, quod liceret uxorem dimittere quacunque de causa. Invaluit tunc et illud antea inauditum, ut uxores marito repudium darent. Josephus narrat *a*), sororem Herodis primum hujus rei exemplum dedisse.

---

a) Antiq. lib. XV.

V. Apud Romanos ita in honore fuit Matrimonii dignitas, ut, teste *Tertulliano a)*, per sexcentos annos nullum apud ipsos extiterit soluti Matrimonii, et repudiatae uxoris exemplum. Primus omnium uxorem repudiavit *Carvilius* sterilitatis causa, nec sine magna tamen populi invidia. «Quamquam tolerabili causa « motus videbatur, reprehensione tamen non caruit.» ait *Valerius Maxim. b)*, « quia nec cupiditatem quidem liberorum « conjugali fidei praeponi debuisse arbitrabantur.» Sed eo corruptionis postea devenerunt Romani, ut levissimis ex causis conjugia solverent. Circa Nativitatem Christi illa etiam consuetudo fuit, ut foeminae maritos suos repudiarent, et aliis pro libitu nuberent: quod ita invaluit, ut *Seneca* dicat *c)*, foeminas non Consulum, sed maritorum numero annos suas computare. Quo et illud *Juvenalis* pertinet *d)*: «Sic fiunt octo mariti, quinque per autumnos.»

Stabiliemus nunc primum fidei Catholicae doctrinam de indissolubili Matrimonii nexu; deinde ad quaestiones quasdam compresse respondebimus.

PROPOSITIO.

Vinculum Matrimonii sub lege Evangelica est indissolubile.

Argument. ex script.

I. Matthaei XIX. Christus Matrimonium ad primam ejus institutionem reducens, Pharisaeis respondet: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos? et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una; itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet...* et v. 8.: *Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non sic.* Hoc argumento utitur *Tridentinum* in prooemio de Matrimonio.

---

a) Apologet. cap. VI. *b)* Lib. II. cap. I. *c)* 3. de benef. 16. *d)* Satyra VI. v. 230.

II. Marci X. v. 11. et 12. ait Christus: *Quicunque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur.* Lucae XVI. v. 18.: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, moechatur, et qui dimissam a viro ducit, moechatur.* Christus in utroque textu generatim loquitur: *Quicunque, omnis.* Ergo sicut nullum hominem, sic nullam causam excipit. Hinc S. *Augustin.* lib. I. de adulterinis conjug. cap. XIX. haec verba ponderans exclamat: *Qui ergo sumus nos, ut dicamus, est qui moechatur, uxore sua dimissa alteram ducens, et est, qui hoc faciens non moechatur? cum Evangelium dicat, omnem moechari, qui hoc facit?*

III. Paulus pariter nulla adjecta restrictione simpliciter et absolute pronuntiat, sola morte solvi vinculum conjugale. I Cor. VII. inquit: *Iis, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quodsi discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari...* et v. 39.: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Ad Rom. VII.: *Vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri.... Haec verba Apostoli,* ait iterum *August.* lib. II. de adult. conjugiis cap. V., *toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis; sed non carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro; carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus.* Non potest clarius distingui inter separationem ratione cohabitationis, et ratione vinculi. Ad textus, qui ex Matth. objiciuntur, respondebimus postea. Merito ergo Trid. Synodus Sess. XXIV. Can. VII. statuit: *Siquis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta Evangelium et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi; anathema sit.*

ARGUMENTUM II.

Ex Traditione utriusque Ecclesiae tum Graecae tum Latinae.

Traditio latinae ecclesiae.

Longum esset, per omnes ire ecclesiasticos Scriptores, et accurate exponere, quid Latini Patres senserint, quid Summi Pontifices, quid Synodi in Occidentali Ecclesia congregatae sanxerint; potiora afferamus et vetustiora.

Tertull. quaedam de hac re paulo obscurius dixit. At in lib. de Monogamia, cap. II. disserte scribit: *Per mortem utique, non per repudium solvi Matrimonium, quia repudiatis non permitteret Apostolus nubere adversus pristinum praeceptum.*

S. *Ambros.* cap. 16. in Luc.: *Dimittis ergo uxorem,* inquit, *quasi jure, sine crimine, et putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet? Qui hominibus obsequeris, Deum verere. Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt. Quae Deus conjunxit, homo non separet.* — In Epistola ad Oceanum 84. al. 30. non alia ratione excusat *Fabiolam,* quae dimisso marito alteri nupserat, quam quod ignoraverit vigorem Evangelii, et hujus sui peccati duram et publicam poenitentiam sustinuerit.

S. *Hieronym.* hoc idem tradit multis in locis. Sic lib. I. adversus Jovinian., loquens de Paulo Apostolo, ait: *Docet juxta sententiam Domini, uxorem, excepta causa fornicationis, non repudiandam, et repudiatam, vivo marito, alteri non nubere, aut certe viro suo reconciliari debere.* Et in cap. XIX. Matthaei de marito, qui adulteram repudiaret, ait: *Sic priorem dimittere tenetur uxorem, ut secundam prima vivente non habeat.*

S. *Augustini* sententiam jam superiore argumento protulimus. Sed multa alia sunt hujus Patris testimonia. Sic lib. I. de adulterinis conjugiis ait: *Si par est forma in utroque* (uxore et marito), *uterque moechatur, si se alteri junxerit, etiam cum se a fornicante disjunxerit. Parem autem esse formam in hac causa viri atque mulieris, ibi ostendit Apostolus.*

Innocent. I., quae circa hanc quaestionem Romanae Ecclesiae doctrina fuerit, ita explicat, ad Exuperium Episcopum Tolosanum scribens: *De his etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio aliis se Matrimonio copularunt; quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Innocentii* tempore in Africa celebratum est *Concilium Milevitanum* II., cui S. *August.* interfuit. Illud autem haec statuit Can. 17.: *Placuit, ut secundum Evangelicam et Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungatur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendam promulgari.* Ex eo quod Synodus hoc suum decretum Imperatorum legibus confirmandum censeat, planum fit, Constantini legem, quae Patribus ignota esse non potuit, cum lege divina et Apostolica disciplina non satis convenisse. Quorsum enim aliam legem requirerent?

Multa sequentium aetatum testimonia praetermittimus. Nam qui vetres Patres consecuti sunt, Scriptores Ecclesiastici, perspicuis verbis et citra ambages docent, nefas esse viro, qui uxorem ob adulterium dimiserit, aliam ducere. Ita *Lanfrancus*, Cantuar. Archiep., Epistola ad Thomam Eboracens., *Anselmus, Ivo Carnotens., Magister Sentent.*, S. *Thomas*, tum omnes pene de Schola Theologi. Quam generalem Ecclesiae Catholicae doctrinam ex verbo Dei scripto et tradito deductam *Concil. Trident.* definivit supra citato Can. VII.

Eandem doctrinam jam anno 1439 *Eugenius* IV. in Decreto ad Armenos clare expresserat: *Ex causa fornicationis*, inquit, *liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est; cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.*

Graecorum Testimonia.

Notum est, Graecos hodiernos in ea versari opinione, quod dissolvi possit vinculum conjugale propter adulterium. Vid. *Goarium* in notis ad Euchol. Graec. Verum quidquid dicant, haec sententia solidum fundamentum non habet in

antiqua Ecclesiae Orientalis Traditione: idque perspicuum fiet ex testimoniis veterum Graecorum Patrum.

Primus est *Hermas,* Apostolorum Discipulus, qui lib. II. Pastoris, mandato IV., cui titulus: *De dimittenda uxore,* sic Dominum interrogat: *Quid ergo, si permanserit in vitio mulier? Et dixit* (Dominus): *Dimittat illam vir, et vir per se maneat. Quodsi dimiserit mulierem suam, et aliam duxerit, et ipse moechatur.*

Justinus Mart. (Saec. II.) in II. Apolog. loquens de foemina Christiana, quae viro suo, homini in omnes libidines effuso, libellum repudii misit, simul ostendit, hoc repudium separationem tantum fuisse a mensa et thoro: *Foemina verita,* inquit, *si de caetero eodem cum illo lecto, eademque uteretur mensa, ne impietatis quoque ejus fieret particeps, misso illi libello repudii, ab eo sejuncta est.*

Athenagoras, alter Christianae Religionis defensor (a. 165), de Christianorum institutis disserens ait: *Qui uxorem suam dimiserit, et duxerit alteram, adulteratur, dicit Dominus noster, neque illam dimittere concedens, cujus delibata est pudicitia, neque alteram ducere.* Loquitur absolute et sine omni exceptione: et quomodo potuisset ille permittere, ut dimissa uxore altera duceretur, qui improbat secundas nuptias etiam mortua uxore.

Ex Clemente Alexandr. unum tantum proferimus locum ex lib. II. Stromat.: *Quod autem consulit Scriptura, uxorem ducere,* ait, *nec a conjugio unquam permittit discedere, legem aperte constituit: non dimittes uxorem nisi propter fornicationem; adulterium autem existimat, conjungi Matrimonio, vivo altero ex separatis.* En, aperte pronuntiatur, posse separationem fieri a thoro propter fornicationem, sed firmum manere vinculum conjugale. Hinc S. Doctor ait ibidem, moechari eum, qui adulteram suscipit, rationemque affert: *Si enim non suscipiat eam, revertetur ad virum.* Quo jure autem ad virum reverti posset, si per adulterium omnino solutum est vinculum conjugii, et viro liberum est ad alias nuptias transire?

Origenes, Clementis Discipulus, comment. in cap. XIX. Matth.: *Contra Scripturae legem,* inquit, *mulieri vivente*

viro nubere quidam Ecclesiae rectores permiserunt, agentes contra id, quod scriptum est: Mulier alligata est, quanto tempore vir ejus vivit; et contra illud: Igitur vivente viro mulier vocabitur adultera, si fuerit cum altero viro. Declarat ergo Origenes, contra legem Scripturae esse, si mulier vivente viro alteri nubat; quamquam Episcopos, qui illud permiserunt, excusare conetur, quod scilicet ita egerint *ad vitanda pejora, et alieno arbitrio* (forsan edictis imperialibus) *moram gerentes.*

Saeculo IV. *Gregorius Nazianz.* carm. III., quod in laudem virginitatis scripsit, connubii incommoda recenset, atque inter alia haec habet:

Rursus emenda viro conjux, nec moribus illa
Praedita saepe bonis; quaesita attractaque pestis,
Pestis, quam nulla liceat ratione fugare.

Ex S. *Chrysostom.*, ejusdem saeculi Scriptore, plura possemus colligere. Sufficiat hoc unum. Hom. XVII. in cap. V. S. Matthaei ad ista verba: *Qui dimiserit uxorem, facit eam moechari* . . . expresse ait: *Expulsa quoque uxor, esse ejus, qui eam expulit, perseverat.*

Ultimum adducimus S. *Basilium*, in quo Graeci firmissimum suae sententiae praesidium collocant. Is tamen ita loquitur Hom. VII. in Hexameron.: *Quid sibi vult hic sermo? Nimirum necesse esse, ut conjux maritum perferat, licet asperum, licet moribus ferum; nec ob ullam causam conjunctionem dirimere velit.* Ep. 199., quae est canonica II. ad Amphilogium, sic habet Can. 48.: *Quae a marito relicta est, mea quidem sententia manere debet innupta; si enim Dominus dixit: Siquis relinquat uxorem fornicationis causa, facit eam moechari: ex eo quod eam adulteram vocet, praeclusit ei conjunctionem cum alio.* Unde sic concludit *Arcudius:* Basilius loquitur de muliere injuste relicta; haec enim verba: *Facit eam moechari*, ad eum tantum pertinent, qui injuste uxorem dimittit; sed si mulierem etiam injuste dimissam alteri nubere vetat, quanto magis dimissam propter adulterium?

Ex his satis apertum est, eandem fuisse olim Ecclesiae utriusque, Orientalis et Occidentalis Traditionem;

Graecos autem recentiores a Patrum suorum Traditione recessisse.

III. ARGUMENTA EX RATIONE.

Quod Christus in lege nova instituit, quod Apostolus, tanquam a Domino acceptum, promulgavit, quod omnium saeculorum Traditio confirmat, id suadetur etiam multiplici ratione.

1.° Matrimonium fidelium est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia: sed haec conjunctio indissolubilis est; et qui unitatem rumpunt, tanquam adulteri repelluntur, donec reconcilientur Christo.

2.° Divortium est genus polygamiae, ut ipsi Protestantes fatentur. *Beza* tractationem de polygamia et divortio ita orditur: « Polygamiam voco conjugii multiplicationem, cu« jus duae sunt species; vel enim uno eodemque tempore « plures uxores ducuntur, aut soluto Matrimonio alia uxor « ducitur. » Imo majora ex divortio, quam ex polygamia familiis et societati infliguntur mala. Nihil probrosius parentibus, qui iteratis nuptiis propriam publicant infamiam: nihil exitialius liberis, qui, a patre aut matre adhuc vivente separati, a teneris discunt odisse, quos venerari et amare natura jubet, et quibus per subsequens Matrimonium pro patre vitricus, pro matre noverca substituitur.

3.° Labefacta semel conjugii firmitate, infinitis repudiis via sterneretur. Nunc quidem, cum non liceat facto divortio alteri nubere, fraenum injicitur conjugatis, ut non facile individuam vitae societatem rumpant: imo separatis a thoro aperta manet ad reconciliationem via. At si liberum esset viro, repudiata uxore aliam ducere, et vicissim, heu! quanta mox ingrueret morum dissolutio, et rerum humanarum confusio! Atque imprimis, cum moribus nostris liceat foeminis in publicum prodire, et libere cum viris conversari. Vid. Mr. de *Bonald*, du Divorce, p. 184; Dict. Théol. voc. *mariage*, p. 163. etc.

4.ª est, quam exponit *Bellarm.* de Matr. cap. XVI. Si post divortium in causa fornicationis liceret parti innocenti aliud Matrimonium inire: vel illud liceret etiam nocenti,

vel non liceret. Si non liceret, quaero imprimis, quare? Nam si solutum est vinculum prioris Matrimonii, ita ut pars innocens possit ad alias nuptias transire, neque nocenti aliquid obest, quod novum Matrimonium impediat. Si id nocenti liceret, ergo adulter commodum ex peccato suo reportaret: et saepe etiam viri dedita opera adulterium committerent, ut possent ab uxore liberari et aliam ducere. Adde, quod et uxor, quae alterius viri amore teneretur, viam sibi ad exoptatas nuptias per adulterium parare posset.

RESPONDETUR ADVERSARIORUM ARGUMENTIS.

Argum. I. Christus Matthaei V. et XIX. de Matrimonii vinculo disserens, ita ejus firmitatem asseruit, ut tamen conceptis verbis fornicationem exceperit. — Sic ait Matth. V. v. 31 et 32.: *Dictum est autem: Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii; ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, adulterat.* En primum argumentum, quod probat Matrimonium dissolvi per adulterium.

Resp. Nego illud concludi posse ex loco citato; quippe ex contextu manifestum est, ibi agi de libello repudii, aut de uxore dimittenda tantum: nam non additur: *et etiam duxerit.* Porro Judaeis vetitum non erat aliam ducere, etiam prima non dimissa. Circa repudium autem voluit Christus perfectiorem sanctioremque doctrinam Seniorum dictis opponere: *Ego autem dico vobis* etc. Nam qui uxorem dimittit ob aliam causam, quam propter fornicationem, etsi aliam non duxerit, non moechatur quidem ipse, sed facit moechari dimissam; id est, conjicit eam in periculum quaerendi alium maritum et moechandi. Ipsi autem imputatur hoc peccatum, quia eam absque legitima causa dimisit. At si propter fornicationem eam dimittit, non ipse facit eam moechari, id est, ipsi non imputatur, si fuerit cum alio, quia jus habuit eam ejiciendi. Additur sine omni exceptione: *et qui dimissam duxerit, adulterat.* Clarum est ergo ex textu, uxorem dimissam, si alteri nupserit, moechari, quaecunque fuerit repudii causa: et de viro tantum quaeri, quo in casu ille hujus adulterii reus habeatur.

Instant. Praecipuam huic quaestioni lucem affundit textus Matth. XIX., ubi Christus Pharisaeis ita respondet: *Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis: quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ab fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur.* Ex his verbis clarum est, vinculum Matrimonii ita dissolvi per adulterium, ut, si dimittatur uxor, pars utraque libera sit, et possit aliud conjugium inire. Ergo alii Scripturae textus, in quibus exceptio nulla adjicitur, ex his Christi verbis sunt interpretandi.

Nota. Difficilis est, de quo hic agitur, Scripturae locus, atque in omnem partem versatus ab interpretibus. Praecipuas interpretandi rationes mox indicabimus; sed primum ad illud respondendum est, quod in objectione dicitur, alia Scripturae loca ex hoc textu explananda esse.

Resp. I. Perversa est ratio interpretandi, quam Adversarii sequuntur. Scriptura hac de re agit septem in locis; omnes hi loci aperti sunt et perspicui, excepto illo, qui Matth. XIX. legitur. — Marci X. et Lucae XVI. Christus generatim pronuntiat: *Quicunque*, et *omnis*, qui dimiserit uxorem, et aliam duxerit, moechatur. *Apostolus*, optimus certe verborum Christi interpres, etsi pluribus in locis hoc argumentum pertractet, nusquam exceptioni locum relinquit; idque Dei nomine, et cum magna auctoritate inculcat *(praecipio, non ego, sed Dominus)*, ut si mulier discesserit, maneat innupta. Jam vero, an non in primam interpretationis regulam impingunt, qui plures locos et perspicuos ex uno obscuro et ambiguo exponendos esse putant? cum sana ratio exigat, ut, quod in uno loco obscurum reperitur et ambiguum, ex aliis pluribus et apertis explanetur.

Deinde, demus etiam huic argumento ex Scripturis deducto obscuritatem aliquam affundi ex textu Matth. XIX., ita ut quasi incerti haereant quidam interpretes: an nescimus, a Christo institutum esse supremum controversiarum judicem; atque hujus esse, sensum Scripturae genuinum determinare, et divinam Traditionem ab adventitiis quibusque doctrinis secernere? Et cum id factum fuisse sciamus, an decet virum Catholicum, relicta Evangelica et Apostolica doctrina Haereticorum argutias et cavillationes sectari?

Resp. II. Patet ergo textum Matth. XIX. ita esse exponendum, ut possit cum aliis Scripturae locis, cum Traditione et Ecclesiae definitione conciliari. Neque illud adeo difficile est, si sinceri esse volumus veritatis indagatores. Ex diversis Doctorum interpretationibus duas tantum proferimus, quae videntur ad dissolvendum nodum magis accommodatae.

Prima ita rem explicat:

Triginta circiter ante Christum annis dissidium exortum est inter duos celebratissimos Judaeorum Doctores, *Hillel* et *Schammai*, eorumque Scholas. Inter alia dissensionis puncta et hoc erat: Qua ratione intelligenda sint, quae Moses scripsit de libello repudii Deuter. XXVI.; et quae legitimae causae sint dimittendae uxoris? *Schammai*, ejusque sectatores verba Mosis: *propter aliquam foeditatem*, interpretabantur de solo adulterii crimine, neque aliam repudii causam admittebant. At contra Hilleliani datam in lege dimittendi facultatem ultra modum extenderunt, per foeditatem intelligentes quidquid possit displicere marito. Haec opinio, quae magis morum corruptioni favebat, tempore Christi communior fuisse videtur inter Judaeos, non tamen ita, ut non inter utriusque Scholae discipulos saepe contentio oriretur. Inde illa Pharisaeorum interrogatio: *Sic licet homini dimittere uxorem suam, quacunque de causa?* (Matth. XIX.). Sciscitabantur enim a Christo, cui ex oppositis sententiis assensum praeberet. Quaestio ergo, quam Pharisaei proponebant, ad legem pertinebat, ejusque genuinam interpretationem. Christus Schammaitarum sententiam probans respondit: *Quicunque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, et alteram duxerit, moechatur.* Id est, ob solam fornicationem permisit vobis Moses uxorem dimittere, et aliam ducere.

Haec cum ad Judaeos dixisset Christus, de sensu legis disserens, domi, cum Discipulos suos in sanctioribus novae legis praeceptis instrueret, Matrimonii indissolubilem nexum clare pronuntiavit; quod manifestum fit ex loco parallelo *Marc.* X., ubi additur: *In domo iterum Discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum: et ait illis: . . . Quicunque dimiserit uxorem, et aliam duxerit, moechatur* etc. Vid. inter alios *Stolberg*, T. V. p. 360.

Contra hanc sententiam opponitur: 1.° Quod certum non sit, Deut. 24. per foeditatem solum adulterii crimen designari. 2.° Quod Christus Matth. XIX., etiamsi cum Pharisaeis sermonem habuerit, tamen legem suam novam legi veteri opposuerit: quemadmodum illud jam Matth. V. fecerat. Inde illae loquendi formulae: *Dictum est ... Ego autem dico vobis ... Moses propter duritiam cordis permisit etc. ... Dico autem vobis.* 3.° Si Christo de veteri lege tantum sermo fuisset, inutile fuisset addere: *Et aliam duxerit.* De hac re non potuit esse disceptatio apud Judaeos, sed tantum de dimissione uxoris: siquidem aliam ducere licebat etiam prima non dimissa; at in Evangelica lege illud addere necesse fuit, cum etiam repudiata legitima uxore vinculum non rumpatur, ideoque, qui aliam duceret, in polygamiae crimen incurreret. 4.° Cum Christus Matth. XIX., sicut in aliis textibus, semper sine omni exceptione adjiciat: *Et qui dimissam duxerit, moechatur...* patet, dimissam, etiam in fornicationis causa, semper manere conjugem prioris mariti, alias adulter non esset, qui eam duceret.

Secunda Sententia.

Haec sententia textum Matth. XIX. ita explicat, ut verba haec: *nisi ob fornicationem ...* ad primum tantum membrum propositionis pertineant, seu ad licentiam dimittendi uxorem; non autem ad secundum: *et aliam duxerit.* Ita ut sensus sit: *Quicunque dimiserit uxorem suam* (quod non licet, nisi ob fornicationem) *et aliam duxerit, moechatur.* 1.° Favet huic interpretationi Aethiopica versio, quae sic habet: *Quicunque aliam ob causam, quam ob fornicationem, dimiserit uxorem, et aliam duxerit, moechatur.* 2.° Hac ratione textus cum verbis SS. Marci, Lucae et Pauli, et cum Veterum doctrina facilius conciliatur. Audiamus in hanc rem Patres Concilii *Forojuliensis*, a *Paulino* Aquilejensi congregati anno 791. Exposito dubio circa sensum illius loci Matth. XIX., sic ajunt: *Idcirco peritissimi viri B. Hieronymi libellum commentariorum recenseri nobis studiose mandavimus, anxie utique cognoscere festinantes, qualiter idem famosissimus Doctor haec sacrata dominica verba, juxta capacioris ingenii sui subtilitatem sensisse monstraretur. Cujus nimirum sensum sagaciter explorantes, patuit, ad solam dimit-*

tendi uxorem licentiam pertinere. Nam cum more suo vir sanctus hujus capituli summatim seriem exponendam transcurreret, inter caetera sic ait: Et quia poterat, inquit, accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, et ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam prima vivente non habeat. 3.° Probatur ex ipso verborum contextu; siquidem exceptio, *nisi ob fornicationem*, adjecta est primae parti propositionis, non secundae, *qui aliam duxerit.* Neque etiam dicitur: qui dimissam duxerit, nisi ob fornicationem, moechatur; sed simpliciter et sine exceptione. Verum, ut jam adnotavimus, si omnis, qui etiam ob fornicationem dimissam duxerit, moechatur, illa adhuc alligata est viro, quamvis separata a thoro et mensa. 4.° Evangelista narrat, quod Apostoli conquesti sint, quasi Christus tradidisset legem Matrimonii intolerabilem: quae videntur in illud potissimum cadere, quod non liceret alteri nubere. Hoc illis difficile videbatur, sicut videtur nostris Adversariis.

Inst. Si quis dixerit: Quicunque graviter peccavit, nisi poenitentiam egerit, peribit; sequitur a contrario: Ergo qui post peccatum poenitentiam egerit, non peribit. Ergo ex illa Christi propositione: Quicunque dimiserit uxorem, nisi propter fornicationem, et aliam duxerit, moechatur, recte concluditur: Ergo qui ob fornicationem dimiserit, et aliam duxerit, non moechatur.

Resp. neg. conseq. et paritatem. In prima propositione unicum est membrum, nempe, *quicunque peccaverit;* ad quod solum refertur ista exceptio: *nisi poenitentiam egerit.* Contra vero Christi sententia duas partes complectitur; prima dimissionem uxoris spectat, posterior alterius ducendae licentiam. Quis autem neget, potuisse Christum pro prima parte exceptionem admittere, et non admittere pro secunda?

Argum. II. Nullius roboris est argumentum ex Can. VII. Sess. 24. Concilii Trident. desumptum: nam Decretum illud ad disciplinam tantum pertinet, non ad fidem. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Falsa omnino est haec *Launoji* et recentiorum quorundam opinio, idque ex verbis Canonis apertum est. *Concilium* ait: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet etc.* Agitur ergo de doctrina: at errare, vel non errare in doctrina, certe non pertinet ad disciplinam. Error

veritati opponitur, sicut abusus receptae disciplinae: idque magis adhuc apparet ex his, quae adjiciuntur: *Docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam.* Quod autem Ecclesia docet *juxta evangelicam et apostolicam doctrinam*, procul dubio res fidei est, non disciplinae.

Instant. Ex hoc sequeretur, doctrinam hanc, quod Matrimonium solvi non possit, etiam in casu adulterii, dogma fidei esse a Concilio Trident. definitum, et sub anathematis poena credendum: atqui falsum consequens, nam Graeci etiam uniti Matrimonia propter adulteria dirimunt, neque idcirco ab Ecclesia Romana damnantur.

Resp. Narrat Card. *Pallavicinus a)*, jam paratum fuisse Canonem cum anathemate in eum, qui diceret, Matrimonia consummata ob adulterium posse dissolvi: sed Concilium postmodum in gratiam Graecorum, qui sub ditione Venetorum degebant, Decretum ita temperasse, ut Graecos aperte non damnaret, sed lato anathemate percelleret Lutheranos, qui affirmabant, Ecclesiam Romanam errare, cum docet, non posse dissolvi Matrimonium propter adulterium. Attamen rem propius inspicienti facile apparebit, doctrinam, quam Synodus proponit, ad fidem pertinere, etsi eam sub anathemate credendam non decernat. Distingui debet, ut etiam *Veronius* docet in declaratione regulae fidei §. 11., inter veritates, quae in verbo Dei contentae sunt, et communi Ecclesiae fide nituntur, sed nullo adhuc solemni Ecclesiae decreto sancitae fuerunt; et illas, quas Ecclesia expresse definivit, et fide credendas sub anathemate proponit. Primi generis veritates ad fidem pertinere, dubium non est: attamen, qui dissentiunt, non ideo ab Ecclesiae unitate scinduntur, neque anathematis poenam incurrunt.

Argum. III. Immerito ad Veterum Traditionem appellant, qui Matrimonium negant adulterio dirimi; nam *Launojus* contrariam sententiam longe antiquorum Patrum serie, et innumeris testimoniis confirmat. Ergo etc.

Resp. Nemo a nobis exiget, ut speciatim ad *Launoji* argumenta respondeamus; id factum est a viris doctissimis, quorum jam saepe a nobis laudata sunt nomina. Haec generatim tantum

---

a) Hist. Conc. Trid. lib. XXII., cap. IV.

observamus: 1.° Jam dictum est, *Launojum* verba Patrum non raro insigniter adulterasse, ut, quod vellet, ex iis eliceret. Hujus rei exemplum supra retulimus. 2.° Adversarii ne unius quidem Patris, nisi forsan Lactantium excipias, testimonium proferre possunt, in quo clare et expresse enuntietur, in nova Lege non divortium tantum permitti propter fornicationem, sed etiam licere ad alias nuptias transire. 3.° Scriptorum, quos *Launojus* congerit, pars longe major Catholico dogmati tam aperte favet, ut mirum sit, eos potuisse ab Adversariis testes appellari. 4.° Inter illos Scriptores nonnulli reperiuntur, qui circa praesens argumentum obscuri et incerti videntur; ut *Origenes*, *Basilius*, *Hilarius*, *Epiphanius* etc., quos tamen nihil vetat de sola separatione a thoro et mensa intelligere. 5.° Etsi constaret, aliquos Veterum in hac parte a vero aberrasse, nullum inde detrimentum pateretur causa nostra, quae tot aliunde testes habet et vindices: quis enim nescit, in aliis etiam fidei capitibus id contigisse, ut quidam a communi sententia dissiderent, integra semper manente Traditionis serie, et fidei doctrina?

Argum. IV. Si solutio vinculi conjugalis jure divino esset prohibita, non potuisset permitti ab Imperatoribus et Regibus Christianis: atqui permissa fuit a *Constant.* M. lib. III. codicis Theodos. tit. 16., et deinde a *Justiniano*, Novella 117, ubi plures repudii causae exponuntur. Eandem sub *Carolo* M. adhuc in usu fuisse testatur *Marculfus*, qui lib. II. cap. XXX, formulam ejusmodi repudii affert, quod vocabatur ex *bona gratia*, seu ex mutuo conjugum consensu. Ergo etc.

Resp. I. Leges Imperatorum divortium tantum spectant, non facultatem novi conjugii ineundi. *Marculfi* formulae vim legum non habuerunt, ac forsitan obscurae fuerunt, et parum cognitae.

Resp. II. Non omnes leges, etiam a Christianis Principibus latae, justae fuerunt, et ad legis evangelicae normam accommodatae. Multi ex eorum subditis adhuc in gentilium superstitione haerebant. Multos numerabant Judaeos, aut Haereticos, qui aliter, quam Catholici, de Matrimonio sentiebant. Horum, ut ita dicam, improbitate superati, et ad majus malum praecavendum, quaedam sanxerunt praeceptis Christi adversantia.

Ut autem videamus, quam leviter et inconsiderate *Launojus* scripserit, leges illas nusquam fuisse ab Episcopis improbatas, aliqua veterum Patrum testimonia exscribenda duximus:

Hieronym. Ep. 84. al. ad Oceanum: *Aliae sunt*, inquit, *leges Caesarum, aliae Christi. Aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit.*

S. *Ambros.* lib. 8. cap. 16. Lucae: *Dimittis ergo uxorem quasi jure, sine crimine; et putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet: sed divina prohibet.*

S. *August.* Serm. 392. al. 49.: *Hoc non licet*, ait, *jure poli, etsi liceat jure fori.*

S. *Chrysost.* Hom. in I Cor. VII.: *Ne mihi leges ab exteris conditas legas, praecipientes dari libellum repudii et divelli. Neque enim juxta illas judicaturus est te Deus in die illa, sed secundum eas, quas ipse statuit.*

Gregor. M. de lege civili, quae Religionis causa permittebat solvi conjugia, ita scribit lib. 11. ep. 45. al. lib. 9. ep. 39.: *Sciendum est, quia etsi hoc lex humana concessit, divina tamen prohibet.*

Argum. V. 1.° Negari non potest, in Matrimonio eam saepe aut unius conjugis aut utriusque miserrimam esse sortem ita, ut necessitas in conjugio permanendi eos vix non in desperationem agat, cum magno et vitae praesentis, et aeternae salutis discrimine. Sed ratio ipsa et lex naturae exigere videntur, ut ejusmodi Matrimonia dissolvantur, praesertim quando alia via non patet ex tot malis exeundi. 2.° Si uxore propter fornicationem dimissa, marito non licet alteram ducere, pars innocens punitur contra illam justitiae regulam: *Sine culpa non est aliquis puniendus.*

Resp. ad I. Mala illa, quaecunque demum sint, non sequuntur ex indissolubilitate Matrimonii, sed ex aliis causis, ac persaepe ex prava hominum indole: cum econtra innumera sint mala, quae ex dissolutione conjugii tanquam ex proprio fonte defluunt. Deinde principium generale est, quod leges tum divinae tum humanae ad id spectare debeant, quod in bonum commune et publicum vergit, non vero ad illud, quod per accidens et aliquibus in casibus fini earundem legum potest adver-

sari: *In legibus Matrimonii*, ait S. *Thomas a)*, *magis attenditur, quid omnibus expediat, quam quid uni competere possit.* Id est, non cessat lex generalis ob aliquem casum particularem, in quo deficit ratio, quam generaliter spectat. Porro, quae averti non possunt, fortiter sunt toleranda; omnia enim vincit patientia, et cum valde exiguae sint vires nostrae, ad eum recurrendum est, qui potens est omnia facere superabundanter, quae petimus. Confr. D. *Bonald* du divorce, p. 186.

Resp. ad II. Si pars innocens incommodum aliquid patitur, illud poenae rationem non habet, nisi forsan ex occulto Dei judicio, qui effectus rerum naturales non raro sapientissima ordinatione ita disponit, ut, qui in eo, quod patitur, innocens est, poenas luat aliorum delictorum. Haec porro, ut jam diximus, rerum humanarum conditio est, ut leges etiam optimae, et evidenter in bonum commune conditae, in aliorum quandoque, etiam innocentium, damnum vergant. Potest maritus charitatis christianae memor uxori reconciliari, et eam, si facti poenitentem viderit, in gratiam recipere. Quodsi spes emendationis nulla superest, sortem suam constanter perferat, ut ille, qui in servitutem redactus, aut in longinquis regionibus degens ab uxore disjunctus vivere cogitur. Neque vero omni remedio destitutum se existimet, quandoquidem juxta illud Matth. VII.: *petite, et accipietis*, continentiae donum humili prece consequi potest.

QUAESTIO I.

Quo jure Matrimonium sit indissolubile, an jure naturae, an jure positivo divino, an ratione Sacramenti?

Resp. Omnes consentiunt, quod Matrimonium sit indissolubile; sed quaeri solet, quo jure eam habeat praerogativam. 1.° An ipsa Matrimonii natura, et finis per conjugii institutionem obtinendus id necessario exigunt? Video plurimorum hanc esse sententiam: sed in animum hic revocanda sunt, quae superius de monogamiae praecepto diximus. Certe nihil naturae Matrimonii, nihil familiarum et societatis bono magis est consentaneum, quam haec conjugii indissolubilis firmitas, ut in probatione

---

a) In IV. dist. 33. q. 2. art. 1.

ipsi ostendimus. Unde eam in lege naturali fundamentum habere, et praeceptam esse, ut quidam loquuntur, jure *quodam* naturali, libenter concedimus. Quin et illud non negamus viri clariss. et vere christiani Philosophi assertum *a)*, societatem publicam majorem ex dissolutione Matrimonii, quam ex ipsa polygamia exitium pati. Attamen, si stricte loquimur, ad jus naturae pertinere non potest, quod a Deo Judaeis indultum fuerat; nam a legibus, quae absolute naturales sunt, solvi nemo potest, ne a Deo quidem. Dicunt autem: Tale est ex lege naturae Matrimonium, quale fuit ab initio a Deo institutum; atqui in ipso naturae exordio institutum fuit indissolubile: ergo etc. Sed Major gratis asseritur. Matrimonium ab initio institutum fuit indissolubile, non quia aliter absolute esse non posset, sed quia melius erat, illud non dissolvi. Decebat enim, ut, quod perfectius erat, a Deo ipso institueretur, quod autem minus perfectum, hominibus ob duritiam cordis indulgeretur. Vide, quae supra de polygamia dicta sunt.

II. Jus divinum positivum multis argumentis superius probavimus. Intelligimus autem per jus positivum, non tantum primam conjugii institutionem in Paradiso, sed potissimum legem evangelicam, quae Matrimonio suam dignitatem restituit, primaevam ejus institutionem lege perpetua sanciendo. Exinde jam manifestum est, magnam Matrimonio sicut dignitatem, ita etiam firmitatem accedere ex ratione Sacramenti. Idem enim Christus Dominus, qui Sacramentum instituit, etiam polygamiam abstulit, et conjugalem societatem indissolubili vinculo colligavit. An haec propter Sacramentum constituta sunt; quia decebat esse honorabile connubium, ut Sacramenti dignitatem obtineret? An Sacramentum institutum est, propter illud conjugium a Christo reformatum; ut, qui perfectiora sequi debebant, Sacramenti gratia juvarentur? . . Parum refert. Manet semper inconcussum, Matrimonium suam indissolubilem firmitatem habere potissimum a ratione Sacramenti: nisi enim indissolubile esset, male exprimeret perpetuam et indissolubilem illam unionem, quam Christus cum Ecclesia sive per incarnationem, sive per jugem gratiae suae influxum contraxit. Id pluries docet S. *August.* Sic lib.

a) D. Bonald du div. p. 187.

de nupt. et concup. cap. X.: *Hujus procul dubio Sacramenti res est, ut mas et foemina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent: hoc enim custoditur in Christo et Ecclesia, ut vivens cum vivente in aeternum nullo divortio separetur.* Et lib. de bono conjugii cap. XXIV.: *Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est, etiam repudio discedentem alteri nubere.*

QUAESTIO II.

An Matrimonium inter Infideles initum solvi possit alterutro conjuge ad fidem converso?

Resp. Inter omnes convenit, valida esse Infidelium Matrimonia, alioqui, si pars una ad fidem convertatur, non posset cum parte infideli commorari. Quod autem simul habitare possint, patet ex prima ad Cor. VII. v. 12.: *Siquis frater habet uxorem infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Certum etiam est, infidelem conversum solvi a lege Matrimonii, et ad alia vota transire posse. *Altero*, ut *Innocent.* III. docet *a), vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini numinis, vel ut eum pertrahat in peccatum, ei cohabitare volentem. In hoc casu*, pergit *Innocent., intelligimus, quod ait Apostolus: Si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Generatim dicendum, conjugi converso semper licere a parte infideli discedere, idque de Judaeis potissimum Concilia quaedam statuerunt; et usus ac consuetudo jam obtinet, ut conversus cum parte infideli cohabitare non possit. Quae Apostol. ait: *Si consentit habitare cum illa, non dimittat illam* . . . probant quidem, illud tunc factum fuisse ex consilio Apostolorum, vel ut alii volunt, ex praecepto humano, quod Apostoli ad tempus dederant, propter magnum eorum qui convertebantur numerum, tum ne Pagani deterrerentur a fide, tum quia per cohabitationem infidelis facilius adduci poterai ad Christianam Religionem. Verum difficilis nunc quaestio

a) C. Quando, de divortiis.

occurrit: An dimissa uxore liceat alteram ducere? Non dubitamus, id licere in iis casibus, quos refert decretum Innocentii III. supra citatum; quamvis sint, qui ne hoc quidem concedunt, hoc imprimis Christi effato innixi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Sed facile solvitur argumentum: non enim homo, sed Deus ejusmodi connubia separat, quod ex Apostolo et Ecclesiae interpretatione discimus. Cfr. supra citat. librum D. *Stapf*, p. 241. Disputatur iterum, an ejusmodi Matrimonium solvatur per Baptismum, an per novum conjugium? Primum admitti non potest, ... *cum*, ut *Innocent.* III. ait *a)*, *per Sacramentum Baptismatis non solvantur conjugia, sed crimina dissolvantur.* Manet ergo secundum.

QUAESTIO III.

An solvi possit Matrimonium ratum et non consummatum?

Resp. De hac re in Scripturis nihil occurrit; sed usu et auctoritate Ecclesiae receptum fuit, ut Matrimonium ratum et non consummatum dissolvatur quoad vinculum, si alter conjugum solemne votum castitatis emittat. Ita in Concilio Trid. Sess. 24. Can. 6. decretum est: *Siquis dixerit, Matrimonium ratum et non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugis non dirimi; anathema sit.* S. *Thomas* rationem hanc affert *b)*, quod conjugati ante carnalem copulam spirituali duntaxat vinculo sint inter se devincti, cui accedit vinculum carnale consummato Matrimonio; atque ut carnale hoc vinculum corporis morte dissolvitur, ita per ingressum in Religionem, quae mors est quaedam spiritualis, spirituale solvitur vinculum. Dicunt iterum: Licet e statu minus perfecto in sanctiorem transire, dummodo id fiat citra alterius dispendium: cum autem quis, nondum consummato Matrimonio, Religionem ingreditur, ad perfectiorem commigrat statum, neque id fit cum alterius incommodo; cum nulla sit proles, et liberum sit alteri conjugi aliud inire connubium. Vereor ne haec, aliaeque hujus generis rationes non satis firmae videantur. Praecipuum fundamentum

---

a) C. Gaudeamus, de divort. *b)* In IV. dist. 27. q. 1.

hujus argumenti in Concilii Trid. auctoritate, et praecedentium saeculorum exemplis ac testimoniis situm est.

Major adhuc est controversia: An possit Summus Pontifex etiam in aliis casibus, seu quandocunque legitima causa subest, Matrimonium ratum dissolvere? Sunt, qui negant hoc jus Romano Pontifici competere; qui autem illud affirmant, exempla et facta non dubia proferunt; deinde in dubiis standum esse Superiorum sententiae, probant, atque recte id fieri existimant, quod Summi Pontifices fieri judicarunt.

QUAESTIO IV.

An Matrimonium consummatum solvi possit quoad thorum et cohabitationem?

Resp. Ita statuit Trid. Sess. 24. Can. 8.: *Siquis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.* Certum igitur est, separationem fieri posse non ob fornicationem tantum, sed ob alias etiam causas, quas exponere nimis longum esset. Adeantur Canonistae.

Unum est, quod omnino praeterire non possumus. Objicitur contra Concilii Decretum supra citatum, quod Christus, Matth. V. et XIX., dimissionem conjugis propter solam fornicationis causam permittat, non vero *ob multas causas.* Respondetur: etiam ex Scripturis constare, alias esse causas praeter fornicationem, cur conjugium separari possit quoad thorum. Sic in eodem capite Matth. XIX. v. 29. dicitur: *Omnis, qui reliquerit domum . . . aut uxorem propter me* etc. En vita aeterna promittitur illis, qui uxorem dimiserint propter evangelicam perfectionem. Ex *Apostol.* I Cor. VII. didicimus, posse infidelem conjugem a fideli dimitti, etsi causa fornicationis non existat. Accedit et illud Christi praeceptum: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te* etc. Dicendum ergo: 1.° Christum in illo loco Matth. XIX. loqui de dimissione ratione criminis, non ratione majoris perfectionis adipiscendae,

2.° Dominum ibi non loqui de dimissione ad certum tempus, sed de perpetua; nam de hac loquebantur, qui eum interrogaverunt. Porro causa perpetui divortii nulla est nisi fornicatio. Propter hanc enim alter conjux a debito reddendo liberatur per omnem vitam, etiamsi, qui peccaverat, resipiscat.

LIBER SEPTIMUS.

DE STATU HOMINIS POST MORTEM.

Animam hominis immortalem esse, partim assumimus ex Philosophia, partim ex Revelationis fontibus ipsi deduximus *a)*. Ubi autem semel persuasum est homini, se cum hoc mortali corpore non esse interiturum, nihil potest ipsi esse antiquius, quam scrire, quam post hanc brevem fragilemque vitam habiturus sit sortem. Sed et haec quoque cogitatio vehementer animum nostrum pulsare debet: an illi, qui ex vita jam excesserunt, aliquam nobiscum retineant necessitudinem; et an nos, qui hanc vitam adhuc decurrimus, eos juvare, aut juvari ab iis possimus. De hac re diligentius nunc inquirendum est, admoto Revelationis lumine. Pauca hic videt naturalis ratio, si sola est; siquidem incerta sunt et obscura, quae de ipsa animae immortalitate disseruerunt etiam sapientissimi veterum Philosophorum; et quamvis ex ipsa Dei notione concluditur, manere post hanc vitam mercedem virtuti, et poenam vitio: nihil tamen certi habetur, nisi fides rationi occurat. Caeterum, quaenam sit piis proposita remuneratio, quae vindicta reservata impiis, quae sit viventium cum illis, qui defuncti sunt, connexio; quae demum in fine superventura sint universo orbi, sola nos docere potest Revelatio. Ne ergo animos despondeamus, cum ad extremum perventum est, ea nunc tranctanda sunt, quae omnium, quae praecesserunt, scopus sunt et finis: quo omnis vita nostra, et tota divinae Providentiae oeconomia collimat. Ad id enim conditi ac redempti sumus, ad id abluti sumus et justificati; ad id tot egregia vitae sanc-

---

a) Lib. III. cap. II. art. II.

tioris praecepta, tot virtutis incitamenta, tot gratiae auxilia nobis concessa sunt, ut haereditatem capiamus salutis et partem habeamus in regno Dei et Christi.

Universos igitur, verba sunt Lanctantii *a), oportet operam dare, ut se quamprimum ad rectam viam dirigant, ac susceptis operatisque virtutibus, et hujus vitae laboribus patienter exactis consolatorem Deum habere mereantur. Nemo divitiis, nemo fascibus, nemo etiam regia potestate confidat, immortalem ista non faciunt. Nam quicunque rationem hominis abjecerit, ac praesentia secutus in humum se ipse prostraverit, tanquam desertor Domini et imperatoris et patris sui punietur. Intendamus ergo justitiae, quae nos inseparabilis comes ad Deum sola perducet; et dum spiritus hos regit artus, infatigabilem militiam Deo militemus, . . . ut victores praemium virtutis, quod ipse promisit, a Domino consequamur.*

Tria erunt hujus libri capita. Primum aget de iis, quae homini contingunt statim post mortem; secundum de vivorum cum mortuis nexu; tertium de iis, quae in fine saeculi evenient.

CAPUT PRIMUM.

DE IIS, QUAE HOMINI STATIM POST MORTEM EVENIENT.

OBSERVANDA.

Haec quatuor: Mors, judicium, infernus et regnum Coelorum, dicuntur hominis novissima; quia inter caetera omnia, quae homini accidere solent, extremum plane locum occupant. De his ait *Ecclesiasticus b): Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Mors per peccatum intravit in mundum (Rom. V.); unde illud S. *Augustini c): Mors non naturae conditio, sed poena peccati est.* Mortem

---

a) Inst. lib. VII. cap. III. *b)* Eccles. cap. VII. *c)* Lib. de praedestin. et gratia. cap. III.

sequitur judicium, quod cuilibet statim subire necesse est, ... *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum a)*. Jam vero judicatorum triplex status est. Illi, quos in peccato mortali mors opprimit, poenis apud inferos perpetuis addicuntur. Illi, qui nulla post mortem satisfactione egent, statim ad aeterna praemia assumuntur. Demum alii sunt quamplurimi, qui vita in statu gratiae defuncti, nondum plenam pro hac vita satisfactionem persolverunt; hi poenas purgatorii sustinent, donec abstersa omni peccati macula ad optatam in coelo felicitatem perveniant.

Ex his sequitur, ea, quae ad praesens hoc argumentum pertinent, quatuor punctis contineri. Docet nempe Ecclesia, et semper docuit: 1.° Hominem quemlibet statim post mortem esse judicandum, quod judicium particulare appellatur. 2.° Malos statim in infernum detrudi. 3.° Illos, quibus nihil luendum superest, statim in coelum recipi, et intuitiva Dei visione gaudere. 4.° Justorum animas, quibus adhuc maculae superioris vitae inhaerent, poenis purgatorii expiari ad tempus, ut eis ingressus in aeternam patriam patere possit, in quam nihil coinquinatum ingreditur.

§. I.

De judicio particulari.

PROPOSITIO.

Homo quilibet statim post mortem judicandus est.

Prob. I. Ad Hebr. IX. ait Apostolus: *Statutum est omnibus hominibus semel mori, et post hoc judicium.* Nullum hic ponitur intervallum inter mortem et judicium. *Ecclesiastici* XI. v. 28.: *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* Ex hoc necessario consequitur, hominem statim post mortem judicari, ut unicuique secundum vias suas retribuatur.

Prob. II. S. *Augustinus* lib. II. de anima et ejus orig. cap. IV.: *Rectissime et valde salubriter creditur,* in-

a) II Cor. V, 10.

quit, *judicari animas, cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet, jam redditis corporibus, judicari.* — S. *Chrysostom.* hom. XIV. in Matthaeum: *Sicut illi, qui e carceribus educuntur, una cum ipsis catenis ad judicium protrahuntur: sic omnes animae, cum hinc emigraverint, variis peccatorum poenis implicitae ad terribile illud ducentur tribunal.*

Prob. III. *Ex rationibus theologicis*, quas S. *Thomas* affert pluribus in locis. 1.° exponit P. III. q. 59. Art. 5. ad 1., ubi allatis verbis Apostoli II Cor. V. ait: Hominem post mortem relate ad ea, quae animae sunt, sortiri quendam immutabilem statum, et ideo quantum ad praemium animae non oportere ulterius differi judicium. 2.° affert in IV. sententiarum dist. 4.: Homo, quamdiu vinculis carnis solutus non est, manet in *via* et statu merendi et demerendi; judicium autem fieri debet statim post viam, ut determinetur, quonam in termino homo esse debeat. 3.° ibidem habetur dist. 42.: Quilibet homo est singularis persona, est etiam pars quaedam totius humani generis: ideo duplex judicium ei debetur, unum singulare, in quo recipiet juxta ea, quae gessit in corpore, non quidem totaliter, quia nondum quoad corpus, sed quoad animam tantum; aliud judicium ei debetur, in quantum pars est totius generis humani, quod judicium universale est. Accedit et hoc, quod sapientiae et justitiae divinae convenientissimum videatur, ut inter praesentem vitam et futurum hominis statum nulla mora intersit; quid enim agerent animae corpore exutae usque ad ultimum judicis adventum? An somnium somniarent? an incertae sortis suae saecula percurrerent vacua, et omnis aut boni aut mali inania? Fatemur tamen, haec non ejusmodi esse, ut rem plane conficiant; sed ostendunt, ipsam naturalem hominis rationem conjicere et aliquo modo postulare, quod nobis ex divina Revelatione infallibili certitudine innotescit.

Prob. IV. Propositio nostra tanquam consectarium sequitur ex iis, quae mox a nobis probanda sunt; scilicet, malos statim in infernum detrudendos, pios autem, vel a maculis animae inhaerentibus purgandos, vel in coelum sta-

tim assumendos; haec enim judicis sententiam necessario supponunt.

Scholion. Probatis iis, quae ad Catholicam fidem pertinent, libenter abstinemus a quibusdam quaestionibus magis curiosis quam utilibus, v. g. an judicium fiat in momento, vel saltem brevissima temporis mora? An fiat eo temporis instanti, quo anima e corpore egreditur? Item, quo in loco fiat? An a Christo homine? etc. De his Scriptura et Traditio nihil pronuntiant. Per librum illum scriptum, qui proferendus dicitur in judicio: *Quaedam vis est intelligenda divina*, inquit S. *Augustinus* a), *qua fit, ut cuique opera sua vel bona vel mala cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuita mira celeritate cernantur, ut accuset et excuset conscientia conscientiam, atque ita simul omnes et singuli judicentur. Quae nimirum vis divina libri nomen accepit. In ea quippe quodammodo legitur, quidquid ea faciente recolitur.*

§. II.

De inferno.

OBSERVANDA.

I. Nolumus hic Materialistarum aliorumque Incredulorum tum veteris tum recentioris aetatis errores recensere, quos propriae pravitatis conscientia impulit, ut animam corpori superstitem esse negent, atque ita inferni metu se liberent. Ecclesia in Concilio Lateranensi IV. damnavit errorem cujusdam Amalarici, Doctoris Parisiensis, qui docuit, infernum non esse locum specialem; sed, sicut ille, qui Dei cognitionem habet, in se Paradisum possidet, sic cum, qui in statu peccati mortalis versatur, in se ipso habere infernum. Hunc errorem adoptavit auctor anonymus operis, cui titulus: Es ſey keine andere Hölle, als die in dem Menſchen iſt.

II. Catholici omnes Scripturae et Patrum auctoritatem sequentes poenas inferni duplicis esse generis docent; una vocatur *poena damni*, altera *poena sensus*. Prima oritur ex considera-

---

a) Lib. XX. de civit. Dei, cap. IV.

tione boni amissi, cum damnati exclusos se vident a visione Dei, qui summum creaturarum bonum est; exclusos ab omni consortio Angelorum, hominumque beatorum in coelo triumphantium; exclusos ab omni spe resarciendi irreparabile damnum. S. *Augustin.* poenam hanc tantam esse dixit, ut nulla ei comparari tormenta possint. Et S. *Chrysost.* ait *a)*: *A tantis excidisse bonis tantum habet dolorem, tantam afflictionem, tantam angustiam, quantum ullum esse potest aliud flagellum.* Imo ibidem ait, hanc poenam acerbius mordere animas, quam tormenta reliqua gehennae. *Poena sensus* in eo consistit, quod damnati, praeter amissionem omnis boni, suppliciis et tormentis acerbissimis excrucientur. Jam hoc ipsum, avulsum esse et exclusum penitus a Deo, et tantae felicitatis, qua Beati fruuntur, propria insania jacturam fecisse, non potest non horrendum in modum torquere animas; verum in specie adhuc poena sensus comprehendit poenas positivas; quaenam autem sint haec supplicia, clare explicari non potest; Revelatio enim non tam naturam poenarum quam magnitudinem earum exprimere intendit, cum ad ea describenda adhibet, quidquid potest ab hominibus foedum et horribile cogitari. Scriptura frequenter de inferni igne loquitur, atque hic occurrit quaestio: an sit ignis verus, corporeus et materialis, qui damnatos exurit, et in animam agit immediate, quamdiu corpore est exuta: an autem imago tantum sit acerbissimi doloris. Prima sententia in Scholis communiter recepta est; quamvis inter definita ab Ecclesia dogmata referri non possit.

III. Quamvis sors omnium damnatorum miserrima sit et poenae acerbissimae, sunt tamen diversi poenarum gradus pro diversitate malitiae et reatus: *Deus reddet unicuique juxta opera ejus.* Rom. II., et ratio ipsa divinae atque ideo perfectae justitiae exigit, ut sit inter poenam et culpam justa proportio; sine hac enim non est, cur impius modum impietati ponat. Vid. etiam Matth. X, 15. et XI, 22. — In assignando inferni loco in diversissimas opiniones abierunt Auctores, ita ut taedeat eas referre. Nimiam hanc curiositatem ita redarguit S. *Chrysost. b)*: *Ne igitur quaeramus, ubi sit* (gehenna), *sed quomodo eam effu-*

a) Ep. V. ad Theodorum lapsum. *b)* Hom. 31. in Epist. ad Rom.

giamus. Dicendum tamen, secundum communiorem SS. Patrum et Theologorum sententiam, sedem damnatorum in terrae visceribus collocari. Cfr. *Wiest*, Oper. M. lib. VI. *Dobmayer*, lib. VII.

PROPOSITIO.

Injusti statim post mortem in infernum detruduntur, ibique gravissimis excruciantur suppliciis.

Prob. I. pars ex Script. 1.° ex verbis Ecclesiastici priore propositione citatis: *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* 2.° ex Lucae XVI, 12.: *Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae; mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.* Et vero, si, ut Apostol. ait II Cor. V., omnes nos stare oportet ante tribunal Christi, ut referat quisque propria corporis, prout gessit, sequitur, injustos, cum statim post mortem judicandi sint, ut priore propositione probatum est, etiam statim poenas delictorum subituros: *Non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos.* Ps. V.

Prob. ex patrib. *Hilarius* in Ps. II. scribit: *Excipit impios statim ultor infernus. Augustin.* lib. XIII. de Civit. Dei, cap. VIII.: *In requie sunt animae piorum a corpore separatae, impiorum autem poenas luunt. Gregor.* M. lib. IV. Dialog. cap. XXVIII.: *Sicut electos beatitudo laetificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat.* Unde etiam *Concilium generale Florent.* in decreto unionis solemniter definivit: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.*

Prob. II. pars. S. Scriptura et SS. Patres ita nobis damnatorum supplicia depingunt, ut omnes hujus vitae cruciatus gravitate et vehmentia longe superent. — In Scripturis non tantum repetitis vicibus ignis vocatur, sed *gehennae ignis a)*, caminus ignis *b)*, stagnum ignis *c)*, torrens sulphuris *d)*. His accedunt multa alia loca, in quibus summa

a) Matth. V. *b)* Ibid. XIII. *c)* Apoc. XIX. *d)* Isaiae 30.

damnatorum miseria variis imaginibus describitur. Lucae XV. est locus tormentorum ingenti intervallo a sede Beatorum remotus. Alias exhibetur tanquam carcer tenebrosus, tanquam tenebrae exteriores, ubi fletus est et stridor dentium. Ex infinitis prope Patrum testimoniis pauca tantum proferemus. *August.* Serm. 80. de tempore: *Ignis hic, qui in praesenti est vita, absumit cuncta, quae recipit; ille vero, quos suscepit, semper cruciat, et poenae suae integros servat. Potentiam autem illius ignis nulla vox exponere, nullus poterit sermo explanare.* S. *Chrysost.* Ep. supra citata: *Cum ignem audis, ne arbitreris esse similem huic igni; accensus enim defervescit et mutatur: ille autem semel in flammam exsurgens ardet perpetuo, nunquam intermoritur. Quo animo futuri sumus, quando in fluvium ignis inciderimus, qui ducitur ab illo horrendo tribunali? Profecto frendemus dentibus propter labores et cruciatus illos incredibiles, nemo suppetias feret... etc.* S. *Cyrill. Alexandr.* in oratione de exitu animae de statu damnatorum loquens, ait: *Non est, illam commemorare necessitatem, linguae non datur assequi cruciatus illic detentarum animarum. Ingemiscunt assidue, nec ullus miseretur: clamant e profundis, at nemo flectitur; lamentantur, et nullus eripit...* etc.

Nota. Quae contra inferni poenas opponuntur argumenta, poenarum aeternitatem passim respiciunt, de qua capite III. sermo erit.

§. III.

De sorte justorum in Coelis.

OBSERVANDA.

I. Haec quaestio duo complectitur. Primum, in quo posita sit Sanctorum in coelis felicitas, an intuitiva Dei visione fruantur? 2.° An animae, quibus nihil luendum superest, statim ad hanc felicitatem perveniant? Observandum itaque est, visionem, quatenus ad mentem spectat, duplicem distingui. Una *abstractiva* dicitur, quae est cognitio rei per aliud, ut cum Deum per creaturas, animam per ejus operationes cognoscimus. Altera *intuitiva* voca-

tur, qua rem clare, ut in se est, conspicimus. Circa visionis intuitivae possibilitatem et existentiam plane consentiunt Theologi; sed scinduntur et disputant, cum de modo agitur, quo Beati Deum intuitive vident; *an* v. g. *in visione intuitiva admittenda sit aliqua Dei species sive impressa, sive expressa? An intellectus humanus, ut possit ad intuitivam visionem assurgere, indigeat lumine gloriae? Quid sit hoc lumen gloriae? Quomodo in intellectum agat, et quomodo intellectus concurrat ad visionem Dei intuitivam? Quodnam objectum sit hujus visionis? An Beati Dei essentiam videant cum omnibus ejus attributis* etc. Cfr. *Tournel.* Tom. I. de visione Dei, aliosque Theologos.

Nos missis ejusmodi quaestionibus satis obscuris, et ex parte inutilibus, ea tantum, quae ad fidem Catholicam pertinent, expendemus.

II. Nunc dicendum de erroribus, qui ab ipso fere Religionis exordio contra Ecclesiae doctrinam emerserunt. Plurimi antiquitus in ea opinione fuerunt, ut existimaverint, Sanctorum animas nondum esse in coelestem beatitudinem receptas, sed invisibili loco conclusas resurrectionem corporum exspectare. Atque non una fuit eorum eademque sententia. Primus error eorum est, qui *Chiliastae* seu *Millenarii* dicti sunt, quia putarunt, Sanctos per mille annos cum Christo in terris regnaturos, priusquam ad conspectum Dei in coelo, aeternamque felicitatem pervenirent. Inter hos genus erat hominum turpe et impurum, qui duce *Cerintho* primi saeculi Haeretico . . . *mille annos*, ut *Augustin.* ait *a)*, *post resurrectionem in terreno regno Christi secundum carnales ventris et libidinis voluptates futuros* (homines) *fabulabantur.* Hos, quos crassiores Chiliastas vocamus, semper ut Haereticos exhorruit et damnavit Ecclesia. Sed fuerunt etiam ex antiquis Patribus non admodum pauci, qui auctoritate *Papiae* Hieropolitani Episcopi ducti, regnum mille annorum admittebant, ita tamen, ut puris tantum et innocuis deliciis locum futurum esse dicerent. *Papias*, qui, ut Eusebius refert *b)*, vir sanctus erat, et in divinis litteris eruditus, sed mediocri admodum ingenio praeditus, ex male intellectis Apostolorum narrationibus fabulam illam commentus est. Nihilominus, quia eo-

a) Lib. de haeresib. n. 8. *b)* Lib. III. histor.

rum, qui Apostolos audierant, familiari consuetudine usus erat, et multa ab ipsis audita congesserat, plures, viri sanctitate et antiquitatis auctoritate commoti, in eundem errorem concesserunt. Inter hos numerantur *Justinus Martyr*, *Irenaeus*, *Tertullianus*, *Lactantius*, *Sulpitius Severus* etc. Imo S. *Augustinus* candide fatetur *a)*, se aliquando in hoc errore haesisse. Ne tamen inferas, Patres illos haeretica labe conspersos fuisse; nam res nondum erat Ecclesiae judicio definita, non enim transiit in fixum et constitutum dogma, nisi post decreta Lugdunensis (1274) ac postea Florentinae Synodi. Hinc *Augustinus* sententiam hanc vocat tolerabilem *b)*, et S. *Hieronymus* de ea ita loquitur *c)*: *Regnum in terris Salvatoris, licet non sequamur, tamen damnare non possumus, quia multi ecclesiasticorum virorum et Martyres ita dixerunt; et unusquisque in suo sensu abundet, et Domini cuncta judicio serventur.*

III. Alius iterum error fuit eorum, qui licet fictitium illud mille annorum regnum non admitterent, putarunt tamen Sanctos nonnisi post resurrectionem intuitiva Dei visione donandos. Inter hos fuerunt, qui docebant animas post mortem superstites profundo quasi somno sopitas manere usque ad diem resurrectionis; quem errorem *Vigilantius* propugnasse dicitur. Saeculo XII. Graeci et Armeni dicuntur in hac sententia fuisse, quod Sanctis ante diem judicii clara Dei visio non concedatur: quin et Patribus quibusdam illud impingitur, ut *Hilario*, *Ambrosio*, *Chrysostomo*, *Augustino* et *Bernardo*, verum hos ab omni errore passim vindicant Theologi. Quid de Joanne XXII. sentiendum sit, quem hujus sententiae patronum fuisse dicunt, infra dicetur in solutione objectionum.

PROPOSITIO I.

Sancti post hanc vitam intuitiva Dei visione fruuntur.

Prob. I. *ex Script.* Matth. V. haec Dei visio justis tanquam praemium promittitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Porro hanc visionem proprie intuitivam fore clare exprimit Apostolus I Cor. XIII, 12.: *Vi-*

a) Lib. XXII. de civit. Dei, cap. VII. *b)* Lib. II. de civit. Dei, cap. VII. *c)* Comment. in cap. XIX. Jerem.

demus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum. Sic et *Joannes* ait Ep. I. cap. III.: *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.*

Prob. II. *ex Patribus.* Inter alios S. *Augustin.* Ep. 148. cap. III. haec habet: *Negare non possumus, filios Dei visuros Deum.* Et quidem, ut antea dixerat, *in ea substantia, qua ipse est, quod est.* Et S. *Bernard.*, Serm. VI. in festum omn. SS.: *In hoc erit vita aeterna et perfecta, ut cognoscamus Patrem et Filium cum Spiritu sancto, et videamus Deum, sicuti est. Non modo sicut inest nobis, aut caeteris creaturis, sed sicut est in semetipso.*

PROPOSITIO II.

Sanctorum animae, quibus nihil luendum superest, Deum statim intuitive vident.

Prob. I. *ex Script.* Apostolus cum I Cor. XIII. ait: *Videmus nunc in aenigmate, tunc autem facie ad faciem* ... ita unum alteri opponit, ut nullum inter utrumque medium appareat. Imo, quod de sorte Beatorum loquatur, quam statim post mortem experturi sunt, ex iis, quae antecedunt, manifestum est. Loquitur enim de tempore, quo Prophetiae evacuabuntur, quo linguae cessabunt, et scientia destruetur.

Sed clariora haec fiunt ex iis, quae II Cor. V. leguntur: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus, non per speciem), audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.* Et ad *Philipp.* I., 21. et 23.: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo.* In utroque textu nulla interponitur mora inter *peregrinari a corpore*, et *praesentem esse ad Dominum:* inter *dissolvi*, et *esse cum Christo.*

Prob. II. *ex PP.* Innumeri textus adduci possent tum Graecorum tum Latinorum Patrum, qui cum de Martyribus,

aliisque Sanctis loquuntur, passim dicunt, eos migrasse ad Dominum, eos Deum intueri, emicante ex eo lumine compleri etc. Ita S. *Gregor. Naz.* Orat. X. in Caesarium fratrem. Or. XI. de sorore Gorgonia, Or. XX. de S. *Basilio. Gregor. Nyssen.* oratione funebri in S. Pulcheriam inter alia ait: *A regno in regnum translata est; quam ille pulcher oculus est, qui Deum aspicit.* S. *Cyprian.* in fine libri de exhort. ad Martyr. ait: *Quarta dignitas et securitas . . . claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur et Christus.*

Prob. III. *ex Ecclesiae decisionibus.* Ecclesia, quod ex Scriptura et Patrum Traditione collegerat, solemni decreto definivit in generali *Synodo Lugdunensi* anni 1274. *Credimus illorum animas, qui post sacrum Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel iisdem exutae sunt purgatae, mox in coelum recipi. Concilium Florentinum* anno 1439 in decreto unionis, cui Graeci et Latini subscripserunt, Concilii Lugdunensis definitionem repetit, eique majoris claritatis causa haec adjungit: *Et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Concil. Trident.* Sess. XXV. de invocatione Sanctorum docet: *Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre. Illos vero, qui negant Sanctos aeterna felicitate in coelo fruentes invocandos esse . . . impie sentire.*

Hanc porro fidem Ecclesia ubique terrarum usu ipso et praxi quotidiana declarat in publicis precibus. Eam, cum Joannes XXII. quaestionem in controversiam adduxisset, *Benedictus* XII. ejus successor constitutione solemni definivit. Vid. *Raynald.* ad ann. 1336.

ARGUMENTA CONTRARIA.

Objic. contra I. propos. Ex eo, quod Deus dicatur a justis *facie ad faciem* videri, non sequitur, eos intuitiva Dei visione

fruituros; nam idem de antiquis Patriarchis dicitur. Sic Jacob et Moses dicuntur Deum facie ad faciem vidisse. Ergo etc.

Resp. Visionem Dei, antiquis Patriarchis concessam, intuitivam non fuisse, ex contextu et aliis Scripturae locis perspicuum est. Alia omnino est visio illa, quae justis in coelo promittitur; non enim Deum transeuntem videre debent, neque oculis corporeis, sed hac visione perpetuo fruentur. Paulus et Joannes, qui clare asserunt, Deum a nullo homine unquam visum fuisse, nihilominus declarant, illum a nobis aliquando visum iri, et quidem, sicuti est.

Inst. I. Deus ab *Apostolo* I Tim. cap. I. et VI. vocatur: *Rex saeculorum invisibilis . . . quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* . . . et Joan. VI., 46. Christus ipse expresse ait: *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem.* Ergo etc.

Resp. neg. conseq. ad I. Deus dicitur invisibilis seu lucem inhabitare inaccessibilem, vel quia Deus videri non potest oculis corporeis; vel quia juxta legem a Deo constitutam visio intuitiva hominibus in hac vita non tribuitur; vel quia ad eam ex solis naturae viribus assurgere mens humana non potest; vel quia nulla creatura Deum totum, quantus est, comprehendere potest: sed haec omnia visioni intuitivae, qua Justi in altera vita potituri sunt, nullo modo adversantur; eam enim nec solis naturae viribus obtineri, nec totum Deum exhaurire dicimus.

Ad II. Christus vel loquitur de hominibus, quamdiu in hoc mortali corpore vivunt, vel etiam de Justis, qui ante Messiae adventum ex hac vita excesserant. In aliis enim locis aperte dicit: *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt.* Et *Matth.* XXII. ait: Justos post resurrectionem Angelis similes fore; de Angelis autem *Matth.* XVIII. expresse pronuntiatur: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Coelis est.*

Inst. II. Ex Patribus unum citamus *Chrysostomum*, qui pluribus in locis aperte docet, Deum nec ab homine, nec ab Angelo videri posse. Sic Hom. 14. in Joann. ad verba: *Deum nemo vidit unquam*, haec habet: *Id quod est Deus non modo Prophetae non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli.*

Resp. dist. ant. *Chrysostom.* docet, Deum nec ab homine, nec ab Angelo videri posse visione illa plena et ex toto perfecta,

quae esset accurata Dei comprehensio, *conc.* Visione simpliciter intuitiva, qua Deus videtur ut est in se, *nego.* Mens S. Doctoris ex ejus instituto explicanda est; disputat scilicet contra Anomaeos, *qui*, ut ipse ait *a*), *stulte non minus ac impie jactitabant, se ita Deum nosse, ac Deus se ipse novit.* Totus ergo in eo est, ut ostendat, Deum a nulla mente creata posse comprehendi: vocem autem visionis plenae et perfectae, more Graecorum, pro ipsa comprehensione usurpat. Hanc Chrysostomi mentem esse ex multis ejusdem Patris testimoniis probatum apud Theologos reperies. Sic Hom. 4. de incomprehensibili Dei natura expendens illud S. Joan.: *Deum nemo vidit unquam*, sic ait: *Cur ergo Joannes ait: Deum nemo vidit unquam? Ut ediscas eum de perfecta et clara cognitione loqui* . . . et paulo infra: *Itaque cum audis, Deum nemo vidit unquam, id intellige, nullum esse, qui Deum substantialiter omnino perfecte cognoscat.* Res potest explicari aliqua similitudine. Veluti si quis in vertice montis positus totam circum regionem intuetur, eam revera videt, atque hac contemplatione mire laetatur. Attamen eam perfecte non videt, ac facile posset in ea plene cognoscenda integros annos insumere.

Inst. III. Illud non potest admitti, cujus ne possibilitas quidem probari potest: atqui consentientibus etiam Theologis visio Dei intuitiva non potest probari possibilis. Ergo etc.

Resp. dist. maj. Non potest probari possibilis *positive* et *demonstratione naturali*, *conc.* Non potest probari *negative* per rationem, et *positive* per criteria Revelationis, *nego.* Contingit huic dogmati, quod omnibus aliis veritatibus, quae supernaturalis sunt ordinis. Quod enim a solo Deo dependet, et naturam hanc supergreditur, non potest naturali lumine cognosci. Hinc bene *Apostol.* ait *b*): *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae Deus praeparavit illis, qui diligunt eum.* Sola ergo fides nos certos reddere potest ac securos; ratio autem humana, sicut possibilitatem hujus visionis, sic nec impossibilitatem probare potest. Attamen, quamvis facile intelligat, non satis virium esse in mente creata, ut summum illud lumen fixis veluti oculis intueatur; id tamen conjicere saltem et

---

a) Hom. II. adv. Anomaeos. *b)* I Cor. II, 9.

suspicari optime potest, spiritum creatum ope divina eo posse perduci, ut supra suae naturae sortem elevetur. Porro observandum est, apud omnes in confesso esse, speciale Dei auxilium requiri, ut Deus ab homine possit intuitive videri; hoc autem auxilium, quod mentis nostrae imbecillitatem corroborat, jam a sexcentis aut circiter annis *lumen gloriae* vocatur, juxta illud Ps. 25.: *In lumine tuo videbimus lumen.* Res definita est in Concilio Viennensi anno 1311 a Clemente V., et refertur in capitulo *ad nostrum* de Haereticis, ubi inter alios Beguardorum et Beguinarum errores etiam hic numeratur: *Quinto, quod quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum....*

Objic. I. contra II. propos. 1.° Justi ante supremum judicii diem regnum Dei non obtinebunt; tunc tantum dicetur illis: *Venite benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Apostol. ipse II ad Tim. ait: *Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.*

Resp. neg. conseq. ad I. In extremo judicio sententia publice pronuntiatur in bonos, sicut in malos, seu confirmabitur, et toto humano genere praesente promulgabitur judicium illud, quod in quemlibet statim post mortem latum fuerat.

Ad II. Per illam diem, de qua loquitur Apostolus ad Tim., non dies extremi judicii, sed dies mortis intelligenda est; prout ex toto sermonis contextu manifestum est.

Inst. I. S. Joannes in Apocalyps. cap. XX. expressis verbis asserit, Christum per mille annos cum suis regnaturum in terris ante ultimum et universale judicium. Vidit autem v. 2. draconem ligatum per mille annos; — v. 4. animas Martyrum, quae *vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis.* Postea additur: *Caeteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni, haec est resurrectio prima. Beatus est sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo* etc. (v. 5. 6. 7.). Nihil potest esse his verbis apertius. Prima resurrectio erit Justorum tan-

tum, qui mille annis regnabunt cum Christo in hac terra. Consummatis mille annis, post novam terribilemque persecutionem, finis saeculi adveniet, omnesque mortui resumptis suis corporibus ad ultimum generale judicium vocabuntur.

Resp. Hic locus Apocalypsis omnium fere difficillimus est, ac diversissimis explicationibus occasionem dedit. Chiliastarum interpretatio, sicut veterum quorundam Patrum assensum habuit, ita etiam oppugnatores experta est quam plurimos, atque inter caeteros *Origenem*, *Cajum* quendam S. Irenaei discipulum, *Basilium*. *Gregor. Naz.*, *Ephraem*, *Hieronym.*, *Augustin.* etc. atque a quarto jam Saeculo pene obliterata fuit apud Catholicos. Igitur non possunt ad literam intelligi, quae ex Apocalypsi objiciuntur . . . *alias*, ut ait S. *Hieronymus a)*, *judaizandum nobis foret*. Sed hic iterum labor est, nam in diversa abeunt inter- . Placet prae caeteris S. Augustini interpretatio. Ille *b)* per mille annos intelligit omne illud tempus, quod a morte Christi usque ad adventum Antichristi defluet: *Mille annos pro annis omnibus hujus saeculi posuit; ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo.* Reipsa familiare est Scripturae, ut longum temporis spatium numero millenario designet. Quod autem addit S. Joan.: *Caeteri mortuorum non vixerunt* etc., reprobos spectat, qui per peccatum vitam perdiderunt, et qui, cum primae resurrectionis per gratiam sanctificantem, antequam morerentur, participes effecti non sunt, etiam a secunda resurrectione, quae est felicitas aeterna, excludentur. Potest etiam per regnum mille annorum intelligi status animarum sanctarum post mortem usque ad ultimum judicium. Haec enim merito resurrectio prima dicitur, cum animae corpore solutae vivere incipiunt apud Deum. In iis autem, quae hujus primae resurrectionis participes erunt, secunda mors, nempe post generale judicium, non habebit potestatem. Vid. Cornel. a Lap. in cap. XX. Apoc. Item Stolberg's Geschichte der Rel. Jesu, 7. B. S. 468.

Objic. II. Patres complures negant, Sanctos statim post mortem intuitiva Dei visione perfrui. Ergo etc.

Prob. ant. Ita inter alios sentiunt, 1.° S. *Chrysost.*: *Anima*, inquit *c)*, *absque carne non accipiet bona illa ineffabilia, sicut*

---

a) Praef. in Isai. *b)* Lib. 20. de civit. Dei. cap. VII. *c)* Hom. 39. in I Cor.

neque punietur ... Si enim non resurget corpus, incoronata manet anima. S. *Augustin.* etiamsi Millenariorum errorem deposuerit, nihilominus docuit, animas Justorum in sinu Abrahae requiescere *a)*: eas ad ultimam resurrectionem in abditis receptaculis contineri *b)*: visionem Dei liberatis in resurrectione servari *c)*. — Tandem, ut caeteros taceamus, S. *Bernardus* ita sententiam suam explicat *d)*: *Consummato militiae tempore gaudium habent Sancti etiam in spiritu suo, donec adveniat dies illa, qua introire mereantur in gaudium Domini sui. Adhuc ergo signatum est super eos lumen vultus Dominici; et licet non plenam, habent tamen laetitiam multam in corde suo, donec veniat dies illa, qua implebit eos laetitia cum vultu suo.*

Resp. neg. ant. Patres non absolute negant, Sanctos visione intuitiva fruituros; sed docent, doctrinam de futura bonorum remuneratione tam necessariam habere cum corporum resurrectione connexionem, ut hac sublata et illa corrueret, cum in Scripturis animarum beatitudo a resurrectione carnis non separetur. Hinc et contendunt, animas perfecta et consummata felicitate non gaudere, nisi post recepta corpora; ideoque magnopere desiderare adventum Salvatoris ... *qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis ejus e).* Sed haec visionem intuitivam non excludunt. Hac ratione facile erit Patrum testimonia interpretari, quae videntur assertioni nostrae repugnare. Quod autem eam, quam defendimus, doctrinam cum universa Ecclesia tenuerint, et aliis eorum textibus probari potest. Sic S. *Bernardus* Serm. II. in S. Victorem inquit: *Jam coelos ingressus ... vere nunc revelata facie speculatur gloriam Dei.* Et Serm. XIX. de diversis, de Sanctis in genere ait: *Hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et nudis, ut ita dicam, oculis Divinitatis intuentur essentiam.*

Inst. Notum est, Joannem XXII. Summum Pontificem in ea fuisse sententia, quod Sancti ante extremum judicium Deum intuitive non videant: eumque hanc sententiam acriter defendisse. Ergo etc.

---

a) Serm. I. in Ps. 36. *b)* Enchir. cap. 189. *c)* In Ps. 43. *d)* Serm. II., in Festo omn. SS. *e)* Phil. III, 20.

Resp. Nullum est argumentum ex auctoritate Joannis XXII. deductum. Ne longiores simus in iis, quae sunt ab Historicis fusius perscripta, haec pauca adnotamus. 1.° Joannes Romanam sedem obtinuit anno 1316, et in ea sedit ad annum usque 1334. Ab initio autem Pontificatus usque ad quartum ante obitum annum antiquam Majorum fidem tenuit. Constat autem 2.°, eum postea in novam opinionem inclinasse, eamque propugnasse conquisitis undequaque argumentis et testimoniis, ut fatetur *Raynaldus* ad annum 1331. — 3.° Nullum ideo haeresis crimen ipsi posse aspergi, cum res nondum fuerit ab Ecclesia definita. 4.° Joannem nullum unquam decretum circa hanc quaestionem emisisse, quo error ab eo definitus fuisset, et fidelibus ad credendum propositus. Id ejus successor Benedictus XII. testatur in constitutione, quam contra hanc sententiam edidit. Imo Joannem hanc opinionem ejurasse et revocasse, antequam diem suum obiret, testis est idem Benedictus XII.

§. IV.

De Purgatorio.

OBSERVANDA.

I. Haec de Purgatorio tractatio maxime conjuncta est illi, quam de Satisfactione instituimus. Nititur enim hoc fundamento, quod in Sacramento Poenitentiae poena omnis cum culpa non semper remittatur, et quod pro levibus etiam noxis satisfactio debeatur Deo. Exinde consequitur, eos, quibus, dum ex hac vita excedunt, aliquid luendum superest, poenas daturos esse in altera vita: atque ita tertius exsurgit hominum status post mortem; eorum nempe, qui justi sunt, sed nondum plene expiati. Dogma Ecclesiae est, existere locum, in quo nonnullorum fidelium animae post hanc vitam poenas subeunt temporales, donec ab omni macula purgatae ad aeternam gloriam admittantur.

II. Praecipui Purgatorii impugnatores fuerunt Novatores Saeculi XVI. Nam, si paucos excipias obscuri nominis Haereticos, ut *Aërium* Saec. IV., *Petrum de Bruis* Saec. XII., tum Protestantium antesignanos Waldenses et Hussitas, omnes semper per totum orbem Christiani doctrinam Purgatorii tanquam a Christo

et Apostolis traditam tenuerunt. Id adhuc hodiedum docet Ecclesia Graeca.

Nemo inter Protestantes hoc dogma acrius insecutus est, quam *Dallaeus* lib. de Poenis et Satisfactionibus humanis. *Calvinus*, qui in suis institutionibus ait *a)*: «Clamandum non «modo vocis, sed et gutturis et laterum contentione, purgato«rium exitiale esse Satanae commentum:» alio loco ita scribit *b)*: «De intermedio earum (animarum) statu, curiosius in«quirere neque fas est, neque expedit.» D. Isaac *Beausobre* celebris Calvinista fatetur *c)*, doctrinam de necessitate alicujus purificationis animae, antequam coelum intrare possit, non dedecere rationem humanam, eam Scripturae conformem visam esse, atque a pluribus Patribus traditam.

III. *Lutherus*, ut *Bellarm.* observat *d)*, et omnes Posteri ejus, quamvis in varias sectas divisi, in hoc tamen conveniunt, ut Purgatorium tollant. Lutherus tamen ipse valde varius fuit. Primo plane catholice de Purgatorio locutos est; deinde illud admisit multis admixtis erroribus; tandem illud sustulit omnino. In Apologia Augustanae Confessionis §. 33. dicitur: «Scimus, Veteres de suffragiis pro mortuis locutus esse, neque illud prohibemus.» *Moshemius* fatetur *e)*, persuasionem de Purgatorio jam Saeculo II. incepisse, adeoque paulo post Apostolorum tempora. Siquidem, cum fixum fuerit auctori illi, omnia Catholicorum dogmata a gentilibus deducere, Purgatorii doctrinam ex Platonicorum Schola prodiisse commentus est. Verum, si aequus fuisset rerum aestimator, potius conclusisset, persuasionem illam, quam non apud Platonicos tantum, sed etiam apud alios gentilium auctores tum Philosophos tum Poëtas reperimus, ab antiqua humani generis traditione fluxisse; quam Christi Revelatio iterum confirmavit, et ab erroribus ac fabulis purgatam proposuit. Vid. *D. Wiest*, op. M. T. V. — Dict. théol. voce *Purgatoire*. — Theoduls Gaſtmahl etc.

IV. Quamvis post Lutherum Heterodoxi omnes in publicis suis confessionibus doceant, nullum esse Purgatorium, sed fig-

---

a) Lib. III. cap. V. n. 6. *b)* Inst. lib. III. cap. XXV. n. 6. *c)* Tom. II. hist. du Manichaeis. *d)* De purg. cap. II. *e)* Hist. Eccl. Saec. II. p. II. cap. III.

mentum esse ex officina satanae productum; non tamen inter eos convenit, utrum controversia haec inter ea, quae ad fidei fundamentum spectant, sit adscribenda. En quae Petri Martyris verba sint *a)*: « De Patribus, quid senserit, hac de re non habeo, « quid aliud referam, nisi majorem illorum partem in eam sen- « tentiam esse propensos, ut Purgatorium concedant. Sed apud « nullos eorum memini me legisse, esse articulum fidei, ita, ut « qui secus opinatus fuerit, salutem habere non possit. » Adde, quod semper fuerint inter Protestantium doctissimos, qui circa Purgatorii existentiam cum Ecclesia Catholica sentiebant. Quae Abbatis *Molani* sententia fuerit, vid. apud Cl. *D. Prechtl*, Friedensbenehmen zwiſchen Boſſuet, Leibnitz und Molan, S. 98 und 102.

V. Jam, ut ab hac quaestione removeamus, quae ad fidem non pertinent, ideoque non possunt esse materia controversiae inter Catholicos et eorum adversarios, notandum est: 1.° Post extremum Judicii diem nullum amplius futurum esse Purgatorium, ut docet *Augustin.* lib. XXI. de civ. Dei, cap. XIII. — 2.° Varias esse hujus vocis acceptationes, adeo ut calamitates hujus vitae eo interdum nomine designentur. 3.° Certum esse, animas in Purgatorio poenam damni pati, huicque adjunctam esse poenam positivam; sed non esse de fide (ut *Bellarm.* ipse docet *b)*), verum et proprium esse ignem Purgatorii, et ejusdem speciei cum nostro elementari igne, quia nusquam in Concilio hoc definitum est. Imo in Concilio Flor. cum Graeci dixissent, se ignem non ponere in Purgatorio, nihilominus in pacem Ecclesiae recepti sunt, et in definitione facta Sess. ult. decretum est, esse Purgatorium, nulla mentione ignis habita. 4.° Alia etiam, quae inter Theologos agitari solent, non esse curiosius inquirenda, ut, quam vehemens sit poena, quae animas cruciat? ubinam sit locus Purgatorii? an in aëre, an sub terra, an in inferno, an alibi? Has et consimiles quaestiones coram Christiana plebe tractari merito vetat *Concil. Trident.*, quod Sess. 25, Decreto de Purgatorio ita habet: *Apud rudem plebem difficiliores ac subtiliores quaestiones, quaeque ad aedificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concio-*

a) Locor. comm. lib. III. cap. IX. *b)* De Purgator.

nibus secludantur. Incerta item, et quae specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea vero, quae ad curiositatem quamdam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala, et fidelium offendicula prohibeant.

PROPOSITIO.

Datur Purgatorium, quo animae Justorum post mortem a residuis peccatorum maculis poenis piacularibus mundantur.

I. Argumenta ex scripturis.

I. *Ex veteri Testamento.* Lib. II. Macchab. cap. XII. v. 43. et seq. ita legitur: (Judas Macchab.) *facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans: (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum, orare pro mortuis); et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Ex hoc facto Judae Macchabaei, et ex verbis, quae auctor sacer subjungit, perspicuum est: 1.° Omnes peccati reliquias non semper expiari per mortem, ut Luthero et Calvino placet. 2.° Posse hominem pie et sancte mori *(qui cum pietate dormitionem acceperant)*, et tamen habere debitum solvendum. 3.° Ab hoc debito mortuos solvi post hanc vitam.

II. *Ex novo Testamento.* Primum sumitur ex insigni loco Matth. XII.: *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro.* Ex his recte concluditur, aliqua peccata in futuro Saeculo dimitti. Certe antiquissimi auctores ex illo loco probarunt Purgatorium; inter alios S. *Augustin.* lib. XXI. de civitate Dei, cap. XIV. ait: *Nec enim de quibusdam veraciter diceretur, quod eis non remitteretur nec in hoc, nec in futuro, nisi essent, quibus, etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro.* S. *Bernard.* serm. 66. in Cantica

hoc uno testimonio contentus fuit ad refellendam haeresin contra Purgatorium.

Secundum argument. deducitur ex illo loco Lucae XII., ubi Salvator ait: *Cum vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicium, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem. Dico tibi: non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas* ... vel ut apud Matth. cap. V. legimus: *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Haec similitudo non ab iis deducta est, qui capitali poena mulctantur, sed a debitoribus, qui in carcerem conjici solent, ut post aliquod temporis spatium inde exeant: atque is Parabolae scopus est, ut quamdiu in hac vita sumus viatores, persolvamus debita nostra, neque in futurum saeculum satisfactio differatur, quia tunc magna severitate debita exigentur.

Alia Scripturae loca praetermittimus, ut I Cor. 15.: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt?* Item locum illum insignem I Cor. 3.: *Ut sapiens architectus fundamentum posui. Unusquisque videat, quomodo superaedificet* etc. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* ... et alia pene multa, quae videri possunt apud *Bellarmin.* de Purgat. cap. III. et IV.

II. Argumenta ex traditione.

Quodsi nullum Scripturae extaret testimonium, satis valeret ad probandum Purgatorium perpetua Ecclesiae Traditio, quae multis ex rebus intelligitur.

1. *Ex Definitionibus Conciliorum.* Hanc Ecclesiae fidem expressam legimus in fidei professione, quam Clemens IV. anno 1267 Michaëli Palaeologo Imperatori obtulit; et quam anno 1274 Gregor. X. in Concilio Lugdunensi a Graecis accepit. In ea formula dicitur: *Si vere poenitentes in Charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satis fecerint et omissis: eorum animas in poenis purgatoriis post mortem purgari; et ad poenas hujusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia,*

Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Haec eadem fidei professio a *Concilio Florentino* in Decreto unionis, cui Graeci subscripserunt, denuo fuit sancita. Denique Trident. hanc fidem pluribus in locis adstruit. Sess. VI. can. 30. ita pronuntiat: *Siquis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae, vel in hoc saeculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regnc coelorum aditus patere possit; anathema sit.* Sess. XXII. cap. II. et can. 3. docet, Sacrificium Missae esse propitiatorium pro vivis et defunctis. Tandem Sess. XXV. Decretum de Purgatorio ita orditur: *Cum Catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta ex sacris litteris, et antiqua Patrum Traditione, in sacris Conciliis, et novissime in hac oecumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris Sacrificio juvari: praecipit S. Synodus* etc.

II. *Auctoritate Patrum.* Non egemus hic multis testibus: nam etiam Protestantes inficiari non possunt, vetustissimam esse hanc de Purgatorio doctrinam. Vidimus Moshemii et Petri Martyr. supra citata testimonia. Paucorum ergo tum Graecorum, tum Latinorum loca sufficiant. *Origenes* Hom. 13. in Jeremiam: *Si quis in secunda resurrectione servatur, iste peccator est, qui ignis indiget Baptismo, qui combustione purgatur, ut quidquid habuerit lignorum, foeni et stipulae, ignis consumat. Cyprian.* Ep. 32. ad Antonian.: *Aliud est ad veniam stare; aliud ad gloriam pervenire; aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem; aliud statim fidei ac virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo dolore cruciatuum emundari, et purgari diu igne; aliud peccata omnia passione purgasse. Gregorius Nazian.* Oratione pro mortuis: *Non potest,* inquit, *a corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas Purgatorii ignis abstulerit.* S. *Hieronym.* lib. I. contra Pelagianos ultra medium: *Dia-*

bolum et satellites ejus omnesque impios et praevaricatores dicimus perire perpetuo, et Christianos, si in peccato praeventi fuerint, salvandos esse post poenas. August. lib. XXI. de civit. Dei, cap. XXIV. loquens de fidelibus adultis, qui tamen cum levibus peccatis decedunt: *Tales,* inquit, *constat ante Judicii diem per poenas temporales, quas eorum spiritus patiuntur, purgatos, receptis corporibus aeterni ignis suppliciis non tradendos.*

III. Idem probari posset innumeris argumentis ex Patribus, ex antiquissimis Liturgiis, ex Conciliis deductis, quae probant, morem orandi et sacrificandi pro mortuis in Ecclesia a tempore Apostolorum semper fuisse religiose servatum. Haec enim necessario existentiam Purgatorii adstruunt. Verum de his cap. II. hujus libri agetur.

III. Argumenta ex ratione.

I. Probatum est, ubi de Satisfactione egimus, remissa culpa saepe manere poenam temporalem: sed haec non raro in vita hac non exsolvitur, sive ex negligentia, vel ob praecipitatam mortem: ergo in altera vita luenda est: alioquin, ut S. Thomas observat, melioris conditionis essent, qui salutis suae curam negligunt, quam illi, qui de praestanda satisfactione fuerunt solliciti.

II. Certum est, dari peccata venialia, quae animam quidem maculant, sed vitam spiritualem non extinguunt. Porro qui ejusmodi peccatis obnoxii moriuntur, non possunt aeternae damnationis poenam incurrere, cum justi sint, et amici Dei; neque etiam in coelum statim admitti, *quia non intrat in illud aliquod coinquinatum.* Apocal. XXI. Ergo etc.

III. Repeti potest a communi consensu. Id enim confitentur Judaei, Muhametani, et gentiles iique tam Philosophi, quam Poëtae. Sic *Augustin.* lib. XXI. de civit. Dei ait: *Quod Platonici nullam post hanc vitam agnoverint poenam nisi Purgatorium.* Ergo Novatores in communem hominum sensum impegisse convincuntur. Sed videmus jam plures ex illis, a fide Christiana in aliam partem declinare, et infernum ipsum mutare in Purgatorium. — Vide *Bellarmin., Wiest* opus M. etc.

ADVERSARII REPELLUNTUR.

Objic. contra argum. ex lib. macchab. 1.° Liber II. Macchab. non est canonicus. 2.° Auctor illius libri videtur supponere animas cum corpore interire, et cum eo iterum resurgere. Ait enim: *Nisi eos resurrecturos speraret, superfluum videretur orare pro mortuis:* quod non potest ad defunctorum animas pertinere, si ante corporum resurrectionem in Purgatorio detinentur.

Resp. ad I. 1.° Libros Macchab. canonicos esse in Demonstrat. Cath. lib. II. probatum est. 2.° Etiamsi liber ille canonicus non esset, mereretur tamen fidem historicam. Probaret ergo Judaeos solitos fuisse orare pro mortuis; ergo admisisse Purgatorium; hancque persuasionem non aliquorum tantum fuisse ex plebe; sed communem totius gentis, quia illud sacrificium publice in templo oblatum est a Sacerdotibus, id jubente principe populi Juda, qui et ipse ex genere sacerdotali fuit.

Ad II. Notum est, resurrectionem et animorum immortalitatem in Scripturis communiter ita conjungi, ac si una esset eademque quaestio. Nam Judaei vel utramque negabant, ut Sadducaei, vel utramque affirmabant, ut Pharisaei. Itaque unum pro alio frequenter ponitur etiam in libris N. T., ut cum Apostol. ait I Cor. V: *Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.* Falsum omnino esset hoc Apostoli argumentum, nisi haec verba: *Si mortui non resurgunt,* eundem sensum habeant, ac haec: *Si anima non est corpori superstes.*

Objic. contra text. Matth. XII. — Christus id tantum significare voluit, quod peccata in Spiritum S. nullam unquam habitura sint remissionem; quod quidem clarius expressit *Marcus* C. III.: *Non habebit remissionem in aeternum.*

Resp. Christum id quidem significare voluit; sed hoc dicendo eum adhibuit loquendi modum, qui nullum haberet sensum, nisi essent peccata quaedam, quae in altero saeculo remitti possunt.

Objiciunt. directe I. Scripturae aperte docent, peccata in hac vita commissa, in alia vita non posse expiari. Sic *Ecclesiastes* C. IX. ait: *Quodcunque facere potest manus tua,*

instanter operare; quia nec opus, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. — Et Cap. XI.: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.*

Resp. ad I. Quidam dicunt, Salomonem ibi loqui in persona impiorum, qui nihil omnino esse credunt post hanc vitam: alii volunt, Salomonem ad eos sermonem dirigere, qui otiose et flagitiose vivunt, et recta ad gehennam proficiscuntur: quo in loco verissimum est, nullum manere remedium et solatium. Potest tamen hic locus etiam ad eos accommodari, qui ad Purgatorium deducuntur: et sensus est, quod nunc, quantum possunt, operari debeant, quia post mortem mereri non possunt, neque aliter quam patiendo satisfacere; neque etiam viventium suffragiis juvari, nisi in quantum illud meruerint per bona opera, quae hic gesserunt.

Ad II. Si volumus verba illa ad statum animae post mortem accommodare, sensus est, post hanc vitam duplicem tantum esse statum fixum et permanentem. Nam post mortem nec justi a justitia excidere, nec injusti ad statum gratiae redire poterunt. Verum hoc statum aliquem intermedium aut transitorium non excludit.

Inst. Multa alia sunt Scripturae loca, ex quibus manifestum est, duos tantum esse hominum ordines post hanc vitam; vel qui generatim de omnibus justis pronuntiant, eos statim a morte transituros ad vitam.

Resp. Illi textus vel agunt de hominum statu post extremum judicium; vel de statu justorum in hac vita, vel de transitu a morte spirituali ad vitam gratiae; vel de justis, quibus in altera vita nihil luendum superest; vel demum de Beatitudinis certitudine, quia omnes, qui in justitia decedunt, jus habent certum et immutabile ad praemium aeternum.

Objic. II. Falso asseritur, Ecclesiam Graecam cum Latina in hoc dogmate convenire; nam in Concilio Florentino Graecos inter et Latinos multum circa Purgatorium fuit disputatum. Ergo.

Resp. dist. probationem anteced. Multum fuit disputatum circa accidentalia dogmatis, *conc.;* circa illius substantiam, *neg.* Controversia potissimum fuit circa locum et genus poenarum. De his Concilium nihil definivit. Poena Purgatorii temporaria

est, « et satisfactoria, ait Card. de Gotti *a*), in eodem autem « loco haec haberi potest, qua damnati torquentur; quemadmo- « dum in eisdem carceribus duo esse possunt servati, poenae « perpetuae unus, temporariae alter addictus, unus dignus gratia, « alter mortis reus. » Quod ad poenarum qualitatem attinet, jam supra dictum est, in Concilio Florent. disputatum fuisse inter Graecos et Latinos, his poenam ignis adstruentibus, illis negantibus; sed rem indecisam relictam fuisse a Concilio.

CAPUT SECUNDUM.

DE VIVORUM CUM MORTUIS NEXU.

Ex dictis certum est, triplicem esse eorum, qui ex hac vita excesserunt, statum. Alia impiorum seu damnatorum sors est, alia justorum in coelo regnantium, alia animarum, quae in Purgatorio detinentur. Reprobi, cum separati sint a corpore Christi, et ab omni spe salutis exclusi, nullam quoque cum Sanctis, aut cum membris Christi in hac terra degentibus consortionem habent. Verum cum iis omnibus, qui in amicitia Dei defuncti sunt, terrestris hujus Ecclesiae membra arctissimo nexu uniuntur. Inde Ecclesiae divisio in triumphantem, patientem et militantem. *Ecclesia triumphans* est coetus ille clarissimus beatorum Spirituum et hominum defunctorum, qui de mundo, de carne, de iniquissimo daemone triumpharunt, et ab his vitae molestiis liberi ac tuti, aeterna beatitudine fruuntur. *Ecclesia patiens* illas piorum animas complectitur, quae poenis Purgatorii ad definitum tempus expiantur. *Ecclesia militans* est coetus omnium fidelium, qui adhuc in terris vivunt, et perpetuum cum immanissimis salutis nostrae hostibus bellum sustinent. Non sunt autem proprie tres Ecclesiae, sed tres ejusdem Ecclesiae partes, quae inter se connexae sunt bonorum spiritualium communicatione; quae communionem Sanctorum efficit in latissimo sensu.

---

a) De Purgator.

Haec communio militantis Ecclesiae cum illis, qui in gratia Dei defuncti sunt, duplici modo spectari potest: alia enim est communio cum Ecclesia patiente, alia cum Ecclesia triumphante; de utraque breviter agendum.

ARTICULUS I.

Nexus Ecclesiae militantis cum Ecclesia patiente.

Jam refutavimus eos, qui nullas post mortem piaculares poenas admittunt; nunc alia dogmatis pars adstruenda est, nempe animas in Purgatorio detentas viventium suffragiis juvari posse. Ita apparebit, Ecclesiae filios, qui in statu justitiae decedunt, communione nobis esse conjunctos; siquidem, si aliquid luendum superest, preces et suffragia fratrum in hac terra militantium ipsis prodesse possunt. Eosdem hic experimur hostes, ac cum de Purgatorii existentia tractavimus.

PROPOSITIO.

Animae justorum, quae in Purgatorio detinentur, viventium suffragiis juvari possunt.

Prob. I. ex script.

Praecipuum Argumentum deducitur ex loco jam citato, II Macchab. XII., in quo Judas Macchabaeus jubet offerri sacrificium pro iis, qui occisi fuerant. Tum auctor in haec concludit verba: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis solvantur* . . . quae omnia idipsum clare exprimunt, quod Propositio continet; iis autem, qui divinam libri auctoritatem negant, id saltem probant, veteris testamenti Ecclesiae persuasum fuisse, orationes et oblationes pro mortuis factas esse pietatis opera, et iis prodesse, qui cum pietate dormitionem acceperant.

Prob. II. ex conciliorum et patrum auctoritate.

I. Jam supra citavimus, quae in formula fidei a Graecis Gregorio X. in Concilio Lugdunensi oblata continentur. Eadem repetuntur in Decreto unionis, quod *Florentinum* Sess.

ultima edidit, et cui Graeci subscripserunt. Accedit *Concilii Trid.* decretum de Purgatorio, cujus pariter superiori capite mentio facta est.

II. Ex Patribus paucos tantum citabimus, et antiquiores. Notum est illud *Tertulliani* lib. de corona cap. III.: *Oblationes pro defunctis annua die facimus.* Idem lib. de Monogamia cap. X. Christiano suadens, ne mortua uxore aliam ducat, ait: *Pro anima ejus oret, et refrigerium interim adpostulet ei, et in prima resurrectione consortium.* S. *Cyprianus* Ep. 66. prohibet, ne oblationes fierent pro *Victore*, qui ausus erat Presbyterum aliquem actorem constituere; et rationem affert: *Quia Episcopi antecessores nostri . . . consueverunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, ac siquis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro nomine ejus celebraretur.* Haec verba probant, usum orandi pro mortuis Cypriani tempore novum non fuisse, sed ab antecessoribus traditum. *Cyrillus Jerosolym.* Catechesi V. mystag.: *Pro omnibus oramus*, inquit, *qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius et tremendi, quod in Altari positum est, Sacrificii. Epiphan.* haeres. 75. inter Haereticos numerat *Aërium*, quia negavit, preces et eleemosynas viventium prodesse mortuis. Epiphanius Aërio Traditionem opponit, eumque hoc nomine inter Haereticos recenset, quod universae Ecclesiae Traditioni repugnet. Omittimus *Athanasii, Chrysostomi, Ambrosii, Augustini*, aliorumque testimonia.

PROB. III. EX CONSTANTI ET PERPETUA ECCLESIAE PRAXI.

Etsi expressa Patrum testimonia non haberemus, an non ipsa praxis Ecclesiae, quam reperimus a primis saeculis ubique terrarum diffusam, manifeste ostenderet, hanc communem omnium Christianorum persuasionem ex Apostolica Traditione fluxisse? Hic utique valet illud S. *Augustini* lib. IV. de Baptis.: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

Jam praxin Ecclesiae, praesertim in rebus, quae ad publica Religionis exercitia pertinent, nihil certius probat, quam libri Liturgici. Verum in antiquissimis Liturgiis, quales sunt, quae habentur in libro VIII. Constitutionum Apostolicarum, item in Liturgiis S. *Jacobi, Basilii, Chrysostomi, Romana, Ambrosiana, Gallica, Mozarabica* etc. modus praescribitur orandi pro mortuis, et sacrificium offerendi, ut illis obtineatur: *Indulgentia, requies, societas Justorum, perductio ad regna coelorum* etc.

Optime ergo S. *Augustin.* dicere potuit Serm. 32. de verbis Apost.: *Hoc a Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in corporis et sanguinis communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque offerri commemoretur.* Bene etiam *Tertull.* de corona militis, cap. IV.: *Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum* (inter quas etiam oblationes pro defunctis numeraverat), *si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi praetenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix.* Vid. praeter auctores jam cit. continuatorem Tourn. Tom. XII. de Purgat.

Prob. IV. ratione theologica.

In Symbolo Apostolorum profitemur *Sanctorum communionem*, qua fit, ut omnes Sancti ac fideles communi charitatis vinculo sint colligati, tanquam membra unius corporis Ecclesiae. Membra autem corporis pro invicem sollicita sunt, ut ait Apost. I Cor. XII.: *et siquid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Sed haec est vera radix et causa, cur justi in Purgatorio viventium precibus ac suffragiis, ac vicissim viventes Sanctorum in coelo orationibus sublevari possint.

CONTRARIA DILUUNTUR.

Argum. I. Liturgiae, quae in probatione tanquam antiquissimae laudantur, 1.° tantae antiquitatis non sunt, neque ab illis conscriptae, quorum nomina praeferunt. 2.° Multa continent, quae cum fide Ecclesiae Catholicae conciliari non possunt: sic

Deum precantur, ut liberet defunctos a damnatione infinita: ut parcat peccatoribus in die judicii; ut praestet requiem, bonamque memoriam Prophetis, Apostolis, ac potissimum sanctissimae Deiparae Mariae etc. Ergo etc.

Resp. ad I. Fatemur Liturgias, quae Apostolis, aut eorum discipulis attribuuntur, ante IV. aut V. Saeculum conscriptas non fuisse. Siquidem modus sacra mysteria peragendi, et Sacramentorum formae, ipsumque symbolum fidei tribus prioribus saeculis viva tantum voce tradebantur. Verum cum dubium non sit, Apostolos, aut discipulos Apostolorum, quando Ecclesias fundarunt, simul ritus instituisse, et modum rei sacrae faciendae docuisse; cumque haec instituta in Ecclesiis religiose conservata fuerint, et subin etiam adjectis quibusdam accidentalibus aucta: mirum videri non potest, quod Ecclesiae Liturgias suas illis Apostolis adscripserint. Sic Liturgia Jerosolymitana attributa fuit S. *Jacobo* primo civitatis illius Episcopo, Romana S. *Petro*, Alexandrina S. *Marco*. Quae postea editae sunt, aliquando eorum, a quibus conscriptae fuerunt, nomina referunt; tales sunt Liturgiae S: *Basilii*, S. *Chrysostomi*, S. *Ambrosii*. Manet ergo argumentum. Cum omnes Liturgiae, etiam antiquissimae, defunctorum memoriam faciant, et pro eorum requie ac liberatione Deum exorent, sequitur: hunc morem ab Apostolis descendere. Nisi enim in usu hoc fuisset, antequam Liturgiae scriptis mandarentur, nunquam illud introducere attentassent posteriores Liturgiarum compilatores.

Resp. ad II. Generatim observandum est, Ecclesiam in officio et precibus, quas pro defunctis persolvit, intentionem saepe referre ad animarum exitum ex hac vita, a quo aeterna sors mortalium dependet; ut ita viventes ad curam salutis excitet, ostendatque, quam gravi sese periculo exponant, qui dum vivunt, non omnem ad beatam vitam assequendam sollicitudinem impendunt. An non hodie adhuc precatur Ecclesia, ut defunctus a *poenis inferni*, a *profundo lacu*, ab *ore leonis* liberetur? An non anima defuncti clamat: *Tu bonus fac benigne, ne perenni cremer igne!* Attamen nota est Ecclesiae doctrina, et nemo est etiam inter rudiores Catholicos, qui arbitretur, defunctos posse Ecclesiae precibus ab aeterna damnatione liberari.

Saepe etiam Ecclesia de resurrectione et extremo judicio loquitur. Libenter enim, cum de defunctis agitur, omnia, quae hominis novissima dicuntur, in memoriam nobis reducit: ut ita et nobis *salutaris sit cogitatio pro defunctis exorare.* Adde, quod, cum in Scripturis non adeo multa reperiantur, quae praecise de Purgatorio agunt, Ecclesia Epistolas, Evangelia, Lectiones etc. ex illis locis desumat, quae propius sunt cum dogmate connexa.

Ad illud, quod dicitur, etiam pro Apostolis, et Deipara Maria preces fundi in Liturgiis, respondemus; *aliud esse*, ut advertunt fratres Waldenburgici *a*), *in Missa memoriam facere Sanctorum, aliud, requiem petere pro defunctis.* Rem ita explicat *Augustin. b): Habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, ut non pro ipsis oretur; pro caeteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria enim est pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.*

Instant. Si primi Christiani pro mortuis orarunt, id factum est, non ut mortuos juvarent, sed ut gratum erga eos animum testarentur, vel ut viventibus afferrent solatium. Aut dicendum, id indultum fuisse Christianis recens ad fidem conversis, quod is esset mos Ethnicorum, ut suis parentarent. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Auctores, quos citavimus, aperte docent juvari et relevari mortuos orationibus et eleemosynis: eos igne purgari etc. S. *Chrysost. c)* explicans, quid faciendum sit pro mortuo: *Ei succurre*, inquit, *non lacrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis et oblationibus* ... et alibi *d)*: *Non frustra haec sunt Apostolicis legibus constituta, ut in venerandis atque horrificis Mysteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt. Noverant, hinc multum ad illos lucri accidere, multum utilitatis.* Illud quoque effugium vanum est et puerile, Veteres preces pro mortuis permisisse ex indulgentia, ut morem gererent publico mori. Patres enim non dissimulant, sed exhortantur: non, ut a populo fiant, permittunt, sed ipsi docent esse facienda. Nemo certe alienior fuit ab illis ritibus, qui speciem quandam

---

a) Lib. XIII. cap. IV. n. 4. *b)* Serm. 159. n. 1. *c)* Hom. XLI. in cap. I. ad Cor. *d)* Hom. III. in cap. I. ad Philipp.

ethnicae superstitionis prae se ferebant, quam antiqui Patres, atque inter caeteros *Tertullian.*, qui ne illud quidem ferre poterat, ut Christianus miles coronam pro more gestaret.

Argum. II. Dici non potest, qua ratione animae in Purgatorio viventium suffragiis juventur. Ergo etc.

Resp. neg. conseq. «Nam, ut ait *Henricus de Holden a*), « quamvis veritas certissima sit (animas in Purgatorio detentas « fidelium suffragiis juvari, maxime vero acceptabili Missae « sacrificio), in ejus tamen explicatione exortae sunt inter « Theologos disceptationes nonnullae, quae, quia incertae et in- « decisae, ad fidem Christianam spectare nequeunt.» Igitur non est de fide, Sacrificium Missae certa lege et promissione semper operari remissionem poenae circa defunctos existentes in Purgatorio; sed illis tantum ad hunc effectum valere per modum suffragii, communis et certa sententia est. Non est de fide, suffragia, quae a fidelibus pro defunctis fiunt, certa lege iis prodesse; probabilius tamen est, certa lege id fieri. Non est de fide, remissionem poenarum fieri animabus in Purgatorio, per applicationem satisfactionum nostrarum; multi enim contendunt, suffragia vivorum defunctis prodesse tantum per modum impetrationis. Non est definitum, an suffragia vivorum omnibus generatim defunctis applicentur: an iis tantum, pro quibus nominatim preces et pia opera offeruntur; quamvis his saltem potiori ratione prodesse dubitari non possit.

Sufficiat nobis scire, quod universa semper Ecclesia docuit, juvari defunctos per suffragia Ecclesiae, aliaque officia pietatis et Religionis a fidelibus Deo pro illis oblata; caetera divinae committantur Providentiae, quae ea misericorditer acceptat, et pro sua sapientissima voluntate dispensat. Hoc tamen praetermittendum non est, charitatem et justitiam, in qua defuncti extremam diem obierunt, radicem esse et primam causam, cur ipsis prosint viventium preces et suffragia: *Haec eis prosunt*, ait S. *Augustin.*, *qui cum viverent*, *ut haec sibi postea possent prodesse*, *meruerunt*. Cfr. *Veronii* regul. fidei.

---

a) Analys. fidei, lib. II. cap. VI. §. 2.

ARTICULUS II.

Nexus Ecclesiae militantis cum Ecclesia triumphante.

Sub duplici ratione nexus Sanctorum cum fidelibus in hac terra militantibus considerari potest. Primum quaeritur, quid nos Sanctis expendere oporteat, quam eis observantiam exhibere, quo eos cultu prosequi debeamus; deinde, quem ipsi in nos animum gerant, an velint et possint opem ferre Christi militibus, qui mare hoc adhuc percurrunt plenum periculis et tot naufragiis famosum. Nostrum est illos venerari ut amicos Dei, et non personis tantum eorum, sed et reliquiis et illorum imaginibus cultum exhibere. Illi pro nobis apud Deum intercedunt, ac iis imprimis, qui eorum opem implorant, potenti sua intercessione succurrunt. Longior et accurata simul totius hujus argumenti tractatio apud celeberrimos Theologos nostros legi potest, ut sunt *Bellarmin.*, *Petavius*, *Tomassin* etc. Cfr. etiam *Wiest*, op. M. partem historicam. — Item lettres de *Scheffmacher*, Tom. II. lettre 4. *Discussion amicale* de Msgr. de *Trevern*, lettr. XIII. et XIV. etc.

§. I.

De cultu, qui Sanctis debetur eorumque reliquiis et imaginibus.

OBSERVANDA.

I. Quem Sanctis et sacris reliquiis ac imaginibus deferimus cultum, Heterodoxi ut superstitionis et idololatriae crimen nobis objiciunt. Hac in re, sicut in multis aliis Ecclesiae Catholicae doctrinam calumniantur, eique tribuere solent, quae ab ejus sensu sunt omnino aliena. Verum, quidquid contra dicant Catholici, nolunt intelligere; ne elabi sinant tam exoptatam criminandi occasionem. Doctrina Ecclesiae nihil continet, quod non sit in antiqua Christianorum praxi fundatum, et Scripturae ac ipsi communi hominum sensui accommodatum.

II. Praeter cultum illum supremum, qui a Graecis appellatur λατρεία, alius est cultus inferior, cui δουλεία nomen est. Primus cultus adorationis est in proprio sensu, eumque

soli Deo impendere licet. Cultus *duliae* Angelis exhiberi debet, et amicis Dei in coelo coronatis, et si Theologi B. Dei genitrici cultum *hyperduliae* attribuunt, nihil aliud per hoc intelligunt, quam cultum *duliae* multo excellentiorem illi deberi, quae mater Dei est, et Angelorum Sanctorumque regina. Hunc cultum *religiosum* nominamus, et merito quidem, quia Sanctis exhibetur ob virtutes Religionis Christianae praecellentes, ob sanguinem effusum propter Christum, ob insignia in Religionem Christi merita, et sanctitatem ope gratiae supernaturalis partam. Atque ita distinguitur a cultu *civili* et *politico*, qui omnibus exhibetur, qui in hac terra scientia, dignitate et morali aliqua virtute praestant. Falluntur ergo Protestantes, quando contendunt, omnem religiosum cultum divinum esse. Omnis enim actio, quae, licet ad virtutem Religionis proprie non pertineat, tamen fit ex Religionis Christianae impulsu, religiosa dici potest; et bene S. *Jacobus* ait *a)*: *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum.* Ipse *Grotius* magni apud Protestantes nominis in *animadv. Riveti* observat, vocem illam *cultus religiosi* esse ambiguam. «Nam «et religiosus est honos, inquit, qui Deo soli defertur, et reli«giosus est, qui ob Deum defertur Angelis et Apostolis; neque «enim is honor ad communem civilemque vitam pertinet.» Verumtamen non est, cur de voce litigemus, non enim hac voce religiosi cultus utitur Concilium, neque nostra fidei professio. Hinc si Protestantibus haec vox displicet, alio utantur vocabulo, quo honorem, Sanctis delatum, ab eo, qui mere humanus est, discriminent.

III. Ne vox *adorationis* in decursu negotium facessat, observandum est, hanc vocem multiplicem in Scripturis sensum habere. Saepe cultum exprimit Angelis aut hominibus exhibitum. Sic filii Prophetarum, cum rescivissent Elisaeum spiritu Eliae donatum *venientes in occursum ejus adoraverunt eum proni in terram b)*. Imo non raro prostratio, quemadmodum et vox adorationis adhibentur ad civilem tantum honorem designandum: *Cum vidisset Abigail David, festinavit, et descendit de asino, et procidit coram David super faciem suam, et adoravit super terram c)*. Neminem ergo offendere potest, quod Synodus Nicaen.

---

a) Cap. I. v. 27. *b)* II Reg. II, 15. *c)* II Reg. 25.

II. utatur voce προσκύνειν, cum de Sanctis et sacris imaginibus agit. Nam vox illa, ab externa actione deducta, interiorem quidem animi reverentiam, non cultum latriae semper significat; idque *Grotius* loco citato observat: «In Synodo septima, inquit, «προσκύνειν nihil aliud est, quam honoris signum exhibere.» In adoratione, ut scite animadvertit S. *Franciscus Salesius*, tria distinguenda sunt: 1.° Eminentis alicujus excellentiae notitia, quae est in mente ipsa, et fundamentum adorationis. 2.° Submissus animus. 3.° Ejus denique demissionis per exteriora quaedam signa testificatio. Natura autem adorationis, non in notitia intellectus, nec in externa actione consistit, sed in actione ipsa voluntatis.

Ut omnis evitetur ambiguitas, nunc vocem adorationis strictiori significatu coarctamus pro cultu, qui soli Deo debetur. Hujus autem obsequii cum cultu, qui creaturis exhibetur, vel religioso vel civili, differentia, ut jam diximus, non tam ex actionibus externis, quam ex intentione voluntatis repetenda est.

IV. Igitur cum de cultu Sanctorum sermo est, non agitur de cultu supremo, qui *latria* dicitur, et qui uni et soli Deo debetur. Neque etiam agitur de his aut illis Sanctis in particulari, de quibus rixari possent Protestantes; sed de Sanctis in coelo regnantibus generatim; si tamen Beatissimam Virginem Mariam excipias, illosque Sanctos, quorum Scriptura miminit. Imo ne id quidem asserere audemus, ad salutem absolute necessarium esse, Sanctos colere et invocare, aut existere aliquod praeceptum, quo illud fidelibus injungatur sub poena aeternae damnationis. Verum dicimus, bonum atque laudabile esse, Sanctos colere, huncque cultum Scripturae et omnium saeculorum Traditione, Patrumque ac Conciliorum auctoritate commendari. Dicimus cum Concilio Trid. *a)*: *Imagines Christi, Deiparae virginis et aliorum Sanctorum, in templis praesertim habendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam.* Dicimus cum eodem Concilio, eos, qui affirmant, *Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi . . . omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit et nunc etiam damnat Ecclesia.*

---

a) Sess. XXV. de invoc. etc. Sanct. et sac. imag.

ADVERSARII.

Cum Novatores honorem, quem Catholici Sanctis exhibent, superstitionis et idololatriae damnant, dum in cultum reliquiarum et sacrarum imaginum invehunt, nihil aliud agunt, quam quod criminationes et calumnias antiquorum Haereticorum regenerant, quos scimus ab universa Ecclesia Catholica damnatos. *Vigilantius*, obscuri nominis Haereticus, quem S. *Hieronymus* acriori stylo insequitur, Saec. IV. cultui Sanctorum infensus fuit, reliquiarum autem veneratores cinerarios vocavit et idololatras. Eundem errorem tenuerunt Manichaei et *Eunomius* quidam, qui rigidiorum Arianorum dux fuit. Judaei hodie in Symbolis suis nihil docent de cultu Sanctorum, imagines autem quascunque Dei aut Sanctorum abhorrent, quemadmodum et Mahumetani, qui usque ad hunc diem nullam in suis Moscheis aut templis imaginem tolerant.

Saeculo VIII. dirum in sacras imagines bellum exortum est in Oriente; qui contra imagines pugnabant, *Iconomachi (impugnatores imaginum)* appellati sunt, seu, quo nomine magis noti sunt, *Iconoclastae*, quod idem est ac *confractores imaginum.* Haec secta initium habuit anno circiter 726, cum Imperator *Leo Isauricus* Judaeorum artibus delusus, publico edicto imaginum usum penitus aboleri praecepit. Huic forti animo restiterunt *Germanus*, Const. Patriarcha, S. *Joannes Damascenus* et *Gregorius* II., Summus Pontifex, qui anno 732 convocata Romae Synodo 93 Episcoporum recentem haeresin proscripsit. Narrat *Cedrenus a)*, Leonem non tantum in errore de venerandarum imaginum debita adoratione versatum esse; sed etiam de Deiparae omniumque Sanctorum intercessionibus impie sensisse. Generatim observandum est, nullum esse errorem, qui non alios post se trahat, et ex contemptu imaginum successu temporis, cum bellum ab Imperatoribus protraheretur, inaudita impietatis genera prodiisse.

Leonis patris sui impietatem secutus est *Constantinus Copronymus*, ita dictus ab inquinato baptismali balneo. Hic, coacto anno 754 ex omnibus ditionis suae partibus Episcoporum Concilio, patris decretum adversus sacras imagines confirmavit. Imo

---

a) In Hist. compend. n. 215. etc.

et Pipinum Francorum regem in partes suas trahere conatus est, at frustra; nam *Pipinus* Gentiliaci conventum Episcoporum habuit, in quo Graeci legati Caesarem suum admonere jussi sunt, ut cum caeteris pie sentiret. Copronymo anno 775 successit *Leo* ejus filius, paterni in imagines odii haeres, quem quinque post annis excepit *Constantinus* cum *Irene* matre sua, a quibus restitutus est imaginum usus ac legitimus cultus, convocata ob hanc causam 787 generali Synodo, quae Constantinopoli inchoata, Nicaeae absoluta est. Hoc Concilium Nicaenum II., et inter oecumenica septimum est. Haeresis, solemni Ecclesiae judicio damnata, multas adhuc in Oriente persecutiones et innumera mala genuit. *Nicephorus*, qui dejecta Irene imperium obtinuit, Iconoclasta fuit. Huic anno 811 secutus est *Michael Curopalates*, princeps Catholicus, sed duobus post annis a *Leone Armeno* depositus Monachis se sociavit. *Leo* sacris imaginibus denuo bellum indixit; et anno 820 ipso natali Domini die interfectus est. Successorem habuit *Miachaelem Balbum*, quem 826 defunctum excepit filius ejus *Theophilus*, crudelis imaginum hostis, qui Joannem quemdam magicis artibus celebrem in sede Patriarchali locavit. Tandem mortuo Theophilo, cum ejus filius *Michael*, qui a matre *Theodora* fidem Catholicam edoctus fuerat, imperium teneret, haeresis Iconoclastarum in Oriente extincta est.

NOVATORES.

Protestantes, cum quibus nobis potissimum res est, fatentur et Angelos et Sanctos esse honore dignos; verum inutile et illicitum esse dicunt, eos invocare, et cultum, quem Catholici illis exhibent, tanquam superstitiosum repellunt. Ita rem explicat *Confessio Augustan.* art. 21.: « De veneratione Sancto-« rum docent (Ecclesiae nostrae), quod utile sit, Sanctorum « memoriam proponere, ut eorum exemplis fidem nostram con-« firmemus, item, ut eorum fidem et bona opera imitemur. « Debemus etiam gratias Deo agere, quod tam multa et gloriosa « exempla misericordiae suae praeposuerit Ecclesiae in Sanctis; « item quod Ecclesiam pulcherrimis donis ac virtutibus Sanc-« torum ornaverit. Laudandi sunt et ipsi Sancti, qui donis Dei « pie usi sunt. Caeterum Scriptura non docet invocare Sanctos

« . . . sed unum Christum nobis proponit mediatorem. » Eodem modo loquuntur confess. *Wirtemberg.* et *Helvetica;* haec art. 5. ait: « Divos non contemnimus neque vulgariter de iis sentimus. « Agnoscimus enim eos esse viva membra Christi, amicos Dei. » At, qui non vulgariter de Sanctis sentiunt, eosque venerantur ut amicos Dei, ii certe non vulgarem eis cultum exhibent, aut pure profanum; sed divino quidem minorem, at civili majorem, quem non immerito religiosum vocamus.

Caeterum Novatores omnes contemptores sunt reliquiarum et imaginum. *Lutherus* reliquias ut fidelium seductiones altissime sub terra abscondendas judicat. Imagines haberi posse etiam in templis ait, verum ad ornatum tantum et repraesentationem historiarum, non autem ad cultum. Notum est, quo furore Calviniani sacras reliquias invaserint et profanaverint, atque usque huc non cessant cum omnibus Novatorum sectis Catholicis putidas Ethnicorum, Manichaeorum, Vigilantii ac Judaeorum adversus Sanctorum monumenta et imaginum cultum querelas ac caluminas regerere, quae jam millies repressae fuerunt et refutatae.

Quamquam diffusissimum sit hoc argumentum et multiplex, licebit tamen in eo pertractando compendio uti, cum illud fuse et erudite pertractatum ac pene exhaustum fuerit ab innumeris Religionis defensoribus.

PROPOSITIO I.

Rectus et laudabilis est Sanctorum cum Christo in coelis regnantium cultus.

Prob. I. In Scripturis legitur, Angelis religiosum cultum fuisse exhibitum, nec Scriptura reprehendente, nec Angelis repugnantibus. Cfr. Genes. 18. et 19. Josue cap. V. videns virum stantem ex adverso stricto gladio, dixit ad eum: *Noster es, an adversarorium? Qui respondit: Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini. . . . Et cecidit Josue pronus in terram, et adorans ait* etc. Innumera sunt alia Scripturae loca, in quibus ejusmodi honos, quem adorationis voce exprimit Scriptura, Sanctis habitus fuit. Sic Abdias vir princeps inter Judaeos cecidit super faciem

suam ante Eliam Prophetham III Reg. 18. — Filii Prophetarum IV Reg. 2. adoraverunt Elisaeum proni in terram. Dan. II. Nabuchodonosor Rex cecidit in faciem suam, et adoravit Danielem. In praesenti quaestione eadem est causa Sanctorum et Angelorum, neque interest, an Sancti in terris vitam degant, an in coelum sint assumpti.

Prob. II. Ille cultus procul dubio legitimus est et laudabilis, qui in Ecclesia a primis ejus incunabulis semper in usu fuit. Superbissimae enim insaniae est, ut *Augustin.* ait, id arguere, quod Ecclesia, quae columna et firmamentum veritatis est, semper et ubique agere consuevit. Atqui cultus cum Angelorum tum Sanctorum ex omnibus retro saeculis semper in usu fuit in Ecclesia. Ergo etc.

Minor probatur multiplici ratione. 1.° Ex festis, templis et memoriis Martyrum. Auctor constitutionum Apostolicarum, qui, quisquis is demum sit, certe antiquissimus est, lib. VIII. cap. 33. praecipit fidelibus, ut in diebus S. Stephano aliisque Martyribus consecratis ab operibus, quae servilia vocantur, abstineant. Nihil est in tota antiquitate certius, nihil vulgatius, quam Basilicae Sanctorum nominibus insignitae. Quot *Constantinus* erexit? ipse pro foribus S. *Petri* sepultus est; unde a S. *Chrysostomo* janitor Piscatoris appellatur. Patres *Concilii Ephesini* I. scribunt, se convenisse in Sanctissima Ecclesia, quae dicitur *Mariae.* Concilium Chalcedonense dicitur congregatum *in Ecclesia sanctae et triumphantis Euphemiae. Concilium Gangrense* a. 324 habitum, sic statuit Can. 20.: *Siquis per superbiam, tanquam perfectum se existimans, conventus, qui per loca et Basilicas sanctorum Martyrum fiunt, accusaverit, vel etiam oblationes, quae ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasque Sanctorum contemnendas putaverit; anathema sit.* Haec ex illis temporibus desumpta sunt, quibus Heterodoxi fatentur Ecclesiam omni labe caruisse.

2.° Ex honore, qui ab antiquissimis temporibus Sanctorum reliquiis fuit exhibitus, ut Propos. seq. probabitur.

3.° Quod semper Ethnici, Judaei, Haeretici, Christianos idololatriae accusaverint propter cultum Sanctorum, quod

certe non fecissent, nisi vidissent a Christianis Sanctos passim religiose coli; vid. Euseb. lib. 8. cap. VI. hist. et lib. 6. cap. XV.

4.° Idem probatur ex testimoniis Patrum. *Eusebius* lib. VII. histor. cap. XIX. refert Cathedram S. *Jacobi* Jerosolym. cum summa reverentia servatam fuisse; causamque addens inquit: *Satis perspicue declarantes, qualiter tum antiquiores, tum nostri temporis Christiani viros sanctos ob ipsorum erga Deum amorem debito semper honore venerati sunt, et hactenus venerantur.* S. *Hieronym.* Ep. ad Riparium de erroribus Vigilantii: *Honoramus servos*, inquit, *ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait: qui vos suscipit, me suscipit.* S. *Augustin.* lib. II. contra Faustum cap. XXI. ait: *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat.... Colimus Martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti Dei homines. At illo cultu, qui graece λατρεία dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quaedam proprie divinitati debita servitus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.* Plura legi possunt apud *Bellarmin.* Caeterum multa adhuc in decursu hujus controversiae proferendi occasio erit.

PROPOSITIO II.

Cultus, qui Sanctorum reliquiis impenditur, licitus est et laudabilis.

Prob. I. Deus ipse innumeris miraculis comprobavit, quam acceptus illi esset hic reliquiis Sanctorum virorum habitus honos. De *Josepho* dicitur Eccles. XLIX.: *Ossa ipsius... post mortem prophetaverunt.* IV Regum II. aquae Jordanis Eliae pallio percussae, divisae sunt in gratiam Elisaei. Ibidem cap. XIII. ossa Elisaei cum mortuum tetigissent, illum insigni miraculo ad vitam revocarunt. Actor. XIX. *super languidos deferebantur a corpore Pauli sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.*

Ex Historia ecclesiastica duo tantum adjicimus insignia testimonia. S. *Ambros.* Ep. XXII. ad sororem narrat, se

Deo revelante SS. *Gervasii* et *Protasii* corpora invenisse, et eorum contactu spectante populo facta fuisse miracula. Quod etiam S. *Augustin.* testis oculatus refert Confess. lib. IX. cap. VII. — Idem *Augustin.* lib. XXII. de civitate Dei innumera pene commemorat miracula, quae Deus per reliquias S. *Stephani* Hippone et in finitimis locis palam coram magna hominum multitudine exhibuit, et quorum ipse testis fuit. Merito ergo *Hieronym.* hoc argumento contra Vigilantium utitur: *Responde, quomodo in vilissimo pulvere, favilla nescio qua, tanta sit signorum virtutumque praesentia.* Ante *Hieronymum* S. *Hilarius* hoc argumento utitur lib. II. de Trin.: *Non enim negari jam Christus, quin Deus sit, potest.... Hunc Apostolorum et Martyrum per virtutum operationes loquuntur sepulchra.*

Prob. II. Martyrum reliquias jam ab ipsis Ecclesiae exordiis magno apud Christianos in honore fuisse multis iterum exemplis et Patrum testimoniis demonstrari potest. I.° Exemplis. Ex 1.° saeculo jam attulimus, quod Eusebius narrat, Cathedram S. *Jacobi* cum magna reverentia Jerosolymis fuisse conservatam.

Saeculo 2.° Ossa S. *Ignatii* summo studio collecta sunt, et tanquam thesaurus inaestimabilis Antiochiam reportata, ut legitur in actis martyrii ejus. At nihil illustrius in hanc rem afferri potest, quam Ecclesiae Smyrnensis epistola ad Ecclesias Ponti, in qua S. Polycarpi martyrium describitur: *Ossa illius,* inquiunt, *gemmis clariora, et quovis auro puriora colligentes, ubi decebat condidimus.*

Saeculo 3.° Cum S. *Cyprianus* mortem pro Christo obiret, Christiani linteamina ante eum mittebant, ne quid de ejus sanguine in terram effluereret, quod ipsi pro sua pietate colligere non possent, ut testantur acta proconsularia. Multa alia exempla praetermittimus. Huc et illa non parum faciunt, quae Prob. I. ex historia ecclesiastica citavimus.

Prob. II. patrum testimoniis. Praeter ea, quorum jam mentio facta est, haec pauca citabimus. S. *Chrysostomus* Serm. de SS. Juventio et Maximo ita hortatur populum: *Idcirco saepius eos invisamus, capsulam attingamus, magnaque fide reliquias eorum complectamur, ut inde be-*

nedictionem aliquam assequamur. S. *Augustin.* Quintiliano commendans Galiam et Simpliciolam Ep. 212. ait: *Portant secum reliquias beatissimi et gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat Sanctitas vestra, sicut et nos scimus, quam convenienter honorare debeatis.* *Coelestinus* S. P. in Ep. ad Concilium Ephesin. Patribus hujus Concilii sic gratulatur: *Vos Joannis Apostoli reliquias praesentes veneramini.* His multa alia addere facillimum esset. Quis ergo idololatriae crimine condemnare audeat cultum ubique et ab universa Ecclesia et semper observatum? *Hieronymus* jam suo tempore hoc argumento Vigilantii audaciam retundit. *Ergo sacrilegi sumus,* inquit, *quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreae, Lucae et Timothei transtulit Constantinopolim; apud quas daemones rugiunt, et inhabitatores Vigilantii illorum se sentire praesentiam confitentur?* Et infra: *Male fecit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia?*

Hanc perpetuam totius Ecclesiae doctrinam Concilium Trid. solemni decreto sancivit contra Novatores. Docendi sunt fideles, ait *a*): *Sanctorum quoque ... sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda a fidelibus veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur. Ita ut affirmantes, Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta ab hominibus inutiliter honorari ... omnino damnandi sint, prout jampridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia.*

PROPOSITIO III.

Licitus est cultus imaginum.

Prob. Concil. Trident. Sess. XXV. in decreto de invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus ita pronuntiat:

---

a) Sess. XXV. de invoc. etc. Sanctorum.

« *Mandat S. Synodus omnibus Episcopis, et caeteris docendi munus curamque sustinentibus, ut juxta Catholicae et Apostolicae Ecclesiae usum a primaevis Christianae Religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum consensionem et sacrorum Conciliorum decreta, ... de legitimo imaginum usu Fideles diligenter instruant, docentes eos ... imagines Christi, Deiparae Virginis et aliorum Sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam. Quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant.* »

Recte Patres Concilii dicunt, doctrinam hanc in antiquissimo Ecclesiae Catholicae usu, in Sanctorum Patrum consensione, et in sacrorum Conciliorum decretis fundari: idque nunc probandum est per partes.

I. Cultum imaginum primis Ecclesiae saeculis infrequentem fuisse, nemo mirabitur, qui ad statum veteris illius Ecclesiae attenderit, quae erat ex utroque populo Judaico et gentili colligata, et a qua omnis scandali et offensionis occasio procul removenda erat. Judaei ex legis praescripto ab omni simulacro vel imagine abhorrebant; ex alia parte gentiles simulacris et imaginibus ob cultum idololatricum nimium erant addicti, atque in eis divini aliquid latere arbitrabantur; quapropter sapienter omnino Ecclesia voluit, ut ab eorum oculis imagines certo adhuc tempore removerentur. Nihilominus aliquis imaginum usus eo ipso jam tempore occurrit.

Eusebius lib. VII. hist. cap. XVIII. meminit statuae aeneae, quam mulier sanguinis profluvio liberata Christo Domino erexerat Paneade. Ait autem Eusebius, se propriis oculis conspexisse tum statuam illam, tum et Christi ac Apostolorum Petri et Pauli depictas imagines. Aliud exemplum suppeditat *Tertull.* lib. de pudicitia; cap. VII. et X. testatur, figuram boni pastoris ovem amissam humeris suis reportantis in calicibus pingi solitam: unde argumentum sumserint Catholici contra duriorem Montanistarum doctrinam. S. *Basilius* oratione in S. Barlaam Martyr. sic pictores alloquitur: *Videam alacriorem pugilem per vestram*

depictum imaginem. Nyssenus describit Basilicam Theodori Mart., in qua facta ejus fortia, cruciatus et beatissima consummatio depicta videbantur: *Solet*, inquit, *pictura tacens in pariete loqui.*

Superfluum est, ex subsequentibus saeculis afferre exempla; tunc enim usum imaginum in Ecclesia communem fuisse Adversarii ipsi fatentur.

II. Multa Patrum testimonia collegit *Bellarminus* lib. II. de Ecclesia triumphante, cap. IX. Inter alios in Missa Chrysostomi, quam Erasmus latinam fecit, sic habetur: *Sacerdos egreditur e parvo ostio portans Evangelium, praecedente Ministro cum lucerna, et conversus ad Christi imaginem inter duo ostia, inflexo capite cum exclamatione dicit* ... etc. S. *Augustinus* Serm. 94. de diversis, dulcissimae figurae meminit, in qua S. Stephani martyrium depictum erat.

III. Longe ante Tridentinam Synodum et Novatorum ab Ecclesia scissionem, haec de cultu imaginum doctrina discussa et definita fuit in Concilio Nicaeno II., generali VII., quod anno 787 contra Inconomachos congregatum est. Actione VII. in definitione fidei ita statuit: *Sequentes divinitus inspiratum Patrum nostrorum magisterium, et Catholicae Traditionem Ecclesiae ... definimus ... sicut figuram pretiosae et vivificae crucis, ita venerabiles et sanctas imagines collocandas esse in sanctis Dei Ecclesiis, et sacris vasis et vestibus, et in parietibus et tabulis, domibus et viis. Illisque salutationem et honorariam adorationem adhibeant, non veram latriam, quae solum naturae divinae competit* ... et paulo infra: *Sic enim sanctorum Patrum nostrorum obtinet disciplina, et Traditio Catholicae Ecclesiae, quae a finibus usque ad fines Evangelium suscepit.* Idem pronuntiat Concil. generale VIII. cap. IV. act. X. Can. III.: *Intemeratae genitricis effigiem et Sanctorum omnium veneramur et colimus; qui aliter sentiunt, anathema sunt.*

His addi possunt argumenta quaedam ex ratione petita. 1.° Sensus quidam naturalis nos impellit, ut eorum, quos amamus et honoramus, imagines habeamus, iisque affectum et venerationem eo majorem impendamus, quo magis pro-

totypon amore ac reverentia prosequimur. 2.° Imperatorum imaginibus civilem cultum deberi nemo dubitat: *Qui imaginem adorat*, ait *Athanas. a), in ipsa adorat imperatorem.* Num ergo imaginibus Christi, B. Virginis et aliorum Sanctorum cultus aliquis impertiendus non erit, non latriae quidem, nec mere civilis, sed inter utrumque medius, qui Religionis dicitur, quia ex Religione oritur et ad Religionem pertinet? 3.° Ratio contra Calvinianos dirigitur, qui volunt Eucharistiae cultum et reverentiam exhibere, quam tamen dicunt meram esse imaginem et figuram corporis Christi. Licet ergo res creatas et inanimas veneratione aliqua prosequi, quia alterius rei per se venerabilis signa sunt.

SATISFIT OBJECTIONIBUS ADVERSARIORUM.

Objic. I. contra primam propos. Cultus, quem Catholici Sanctis exhibent, idololatricus est, omnis enim cultus religiosus, qui creaturis exhibetur, idololatria est. Ergo etc.

Resp. neg. ant. et ejus probat. Idololatriae crimen committit, quicunque creaturis cultum illum supremum exhibet, quem cultum latriae vocamus. Datur autem cultus religiosus inferioris ordinis sive *duliae*, qui creaturis deferri potest, propter Deum. Cum Saeculo IV. *Vigilantius*, cujus vestigia Novatores nostri sequuntur, Catholicis idolalatriae crimen impegisset, respondit S. *Hieronym.: Quis, o insanum caput, aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Eandem calumniam a Fausto Manichaeo Ecclesiae impactam S. Augustin. sic depellit *b*): *Quis Antistitum assistens altari aliquando dixit: Offerimus tibi, Petre, aut Paule; sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit.*

Inst. Catholici Sanctis templa construunt, Sacrificia offerunt, dies festos instituunt: atqui haec omnia ad cultum supremum pertinent, qui soli Deo debetur. Ergo etc.

Resp. ad I. Optime *Bellarminus* observat *c*): « Quatuor « ob fines sacrae aedes eriguntur, unde et diversa sortiuntur « nomina. 1.° Ad sacrificandum Deo, et hinc dicuntur *templa.*

---

a) De Incarn. Verbi. *b*) Lib. II. contr. Faust. cap. XXI. *c*) Lib. III. de cultu SS. cap. IV.

« 2.° ad orandum, et hinc dicuntur *oratoria.* 3.° ad Martyrum « reliquias honorifice conservandas, et hinc dicuntur *basilicae*, « seu *memoriae*, seu *martyria.* 4.° ad populum verbo Dei et « Sacramentis pascendum, et hinc dicuntur *Ecclesiae.* » Sacrae ergo aedes a Catholicis in honorem quidem Sanctorum aedificantur, at Sanctis ipsis non consecrantur, sed Deo in Sanctorum memoriam.

Ad II. Quae de templis diximus, potiore jure ad sacrificia pertinent, quae Deo offeruntur in honorem Sanctorum; idque notissimum jam fuit Cypriani temporibus, qui Epist. 37. dies quibus Martyres vita excedunt, diligenter annotari jubet . . . *ut celebrentur his a nobis oblationes et sacrificia ad commemorationes eorum.*

Ad III. Nihil vetat, quominus dies festi agantur in honorem Sanctorum, neque in eo idololatriae crimen est. Quid! Dallaeus ipse Cypriani testimonio convictus fatetur, id homini pro Christi nomine mortuo deferri posse, ut ejus memoria certo die celebretur. *Cyprianus* autem ita scribit Ep. 34.: *Sacrificia pro eis, pro eorum scilicet honore semper offerimus, quoties Martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus.* Idipsum probat jam citata Smyrnensis Ecclesiae Epist., ubi S. Polycarpi reliquias ait idoneo loco fuisse repositas . . . *ut celebrem ejus Martyrii diem instar natalis festi cum exultatione et gaudio, quanto fieri potest, maximo recolamus.*

Objic. II. 1.° Scripturae aperte cultum Sanctis exhibitum reprobant. Sic Deuteron. VI. dicitur: *Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies.* Cui simile est illud *Pauli* I *Timoth.* 1.: *Soli Deo honor et gloria.* 2.° Ex Scripturis patet, a Sanctis repudiatos esse honores, qui illis ab aliis deferebantur. Sic *Actor.* X. cum Cornelius adoraret Petrum, prohibuit *Petrus* dicens: *Surge, et ego ipse homo sum;* at credibile non est, Cornelium voluisse Petrum adorare ut Deum. Iterum Paulus et Barnabas Actor. XIV. non permiserunt sibi deferri cultum. Ergo etc.

Resp. ad I. neg. ant. Illa Scripturae loca supremum tantum latriae cultum soli Deo vindicant, non cultum quemcunque: siquidem Genes. 27. Isaac Jacobo benedicens ait: *Serviant tibi populi et adorent te filii matris tuae* . . . et Apostolus,

qui ad Timoth. scribit: *soli Deo honor;* ad Rom. ait: *Gloria et honor omni operanti bonum.*

Ad II. Ex aliis Scripturae locis patet, sanctos homines cultum sibi exhibitum non repudiasse. Ergo dicendum, in allatis exemplis de cultu latriae agi, qui soli Deo debetur; idque ex tota narratione Actor. XIV. manifestum est. Ad illud, quod primo loco affertur, dicendum est, vel Cornelium putavisse divinum aliquid in Petro inesse, vel Petrum ex modestia eum honorem recusasse. Caeterum si valeret hoc argumentum, sequeretur, illicitum esse ante homines virtute conspicuos, etiam cum vivunt, procumbere: id vero nequidem ipsi Adversarii admittunt.

Inst. Eadem debet esse ratio Sanctorum, et Angelorum; atqui Angelorum cultum 1.° Scriptura reprehendit Coloss. II.: *Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione Angelorum, quae non vidit, ambulans.* 2.° Canon 35. antiquissimi Concil. Laodicens. prohibet, cum ait: *Non oportere Christianos Ecclesiam Dei relinquere; et ire atque Angelos nominare, et congregationes facere, quae interdicta noscuntur. Siquis igitur inventus fuerit huic occultae idololatriae serviens, sit anathema.* Ergo etc.

Resp. ad I. dist. Scriptura reprehendit cultum Angelorum falsum et superstitiosum *conc.*, cultum verum et genuinum, qualem Ecclesia semper Angelis exhibuit, *nego. Erant nonnulli dicentes,* ait *Chrysostom. a): non oportet nos per Christum aditum habere apud Deum, sed per Angelos, illud enim captum nostrum superat.* Erant tunc temporis varia genera Gnosticorum, qui vanam sapientiam secuti, Christi crucem evacuabant, ac spreto Christo Angelos veluti primarios et solos apud Deum intercessores adhibebant; docentes, qua ratione homines possent ad secretum aliquod cum Spiritibus commercium pervenire; videmus Apostolum saepe in suis Epistolis impias ejusmodi superstitiones impugnare. Ideo eo ipso Capite totus est, ut Christi Mediatoris nostri divinam virtutem extollat, qui *delens, quod adversus nos erat, Chirographum decreti . . . et exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans*

---

a) Hom. VI. in Ep. ad Coloss.

illos in semetipso. Vide Kiſtemaker Introduct. in Epist. ad Coloss.

Ad II. Canon ille Concilii Laodic. valde obscurus est. Id tamen ex ipso textu erui posse videtur, Concilium cultum aliquem superstitiosum et idololatricum proscribere, cui quidam relicta Dei Ecclesia in occultis conventiculis vacabant. Caeterum canon ille ex his explicandus est, quae supra dicta sunt. Illi enim Magi, aut Gnostici, aut Theosophistae, quos Apostolus tam saepe redarguit, radices egerant in quibusdam provinciis Asiae minoris. *Theodoretus* ait *a)*: *Morbum hunc in Phrygia et Pisidia haesisse longo tempore, cujus gratia Synodus apud Laodiceam Phrygiae oppidum habita lege vetuit, Angelos orare.* Et scribens in C. III. ejusd. Epistolae: *Hanc legem*, inquit, *secuta Laodicena Synodus, ut veteri illi morbo remedium afferret, decrevit non esse supplicandum Angelis, neque relinquendum esse Dominum nostrum Jesum Christum.*

Objic. III. Catholici non modo Sanctos in genere colunt, sed hunc aut alium Sanctum peculiarem; atqui hoc licitum esse non potest. Ergo etc.

Prob. min. Ut id liceret, de Sancti cujusque, quem nominatim colimus, sanctitate certi esse deberemus certitudine fidei, quemadmodum certi sumus, in genere Sanctos existere. Atq. etc.

Resp. neg. majorem probationis. Sufficit in hac re certitudo moralis, aut magna probabilitas. Pulchre hoc explicat Catholicus quidam Theologus, cum Protestantem haec sibi objicientem ita alloquitur: « Numquid honorant et colunt te proles « tuae tanquam patrem, a quo sint progenitae? Colunt utique, « et religiose quidem, si Augustanam Confessionem et Lutherum « sequamur. Peccabuntne te non honorando? Dices: Pecca- « bunt: quia praeceptum Domini est. At, creduntne fide di- « vina, te verum esse eorum patrem? Non utique, cum illud « nullibi in sacris Bibliis suis legerint unquam; sed credunt « tantum matri suae, uxori tuae. Si itaque testimonium uxoris « tuae, opinionemque probabilem, vel ad summum moraliter « tantum certam putas sufficere, ut te proles, quae putantur « tuae, possint colere ut patrem suum, et peccent etiam non

a) In cap. II. Ep. ad Coloss.

« colendo; cur ergo non vides, quam ridiculum sit argumentum « eorum, qui cultum Sanctorum, de quorum individuali sancti- « tate certitudinem fidei non habent, peccaminosum esse osten- « dere volunt, eo scilicet, quod omne ex fide non proveniens « sit peccatum (Rom. 14.). »

Objic. contra II. propos. Cum Vigilantius eos, qui cereos accendebant coram reliquiis, idololatriae accusasset, respondit *Hieronymus*, id solum fieri posse ab iis . . . *qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.* 2.° S. *Augustin.* lib. de morib. Ecclesiae C. XXXIV. reprehendit adoratores sepulchrorum. 3.° Concilium Mogunt. Anni 813. Can. 51. ait: *Deinceps corpora Sanctorum de loco ad locum nullus praesumat transferre.*

Resp. ad I. S. *Hieronym.* illorum superstitionem arguit, qui putarent, hoc lumine Sanctos illustrari, ut patet ex ipsa objectione Vigilantii; ibidem ait: *Quicunque accendunt cereos secundum fidem, suam habebunt mercedem.*

Ad II. S. *Augustin.* eos solum redarguit, qui ad tumulos quorumcumque defunctorum more gentilium deferebant escas, vinum etc., quibus se postea ingurgitabant.

Ad III. Concilium Mogunt. Canonem illum statuit propter fures reliquiarum, quales tunc temporis plures inveniebantur, addit autem: *Sine consilio Principis, vel Episcoporum, vel S. Synodi licentia.*

Objic. I. contra propos. Deus ipse prohibuit cultum imaginum Exod. XX.: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.* Ergo etc.

Resp. Primum quidem illud omnibus certum est et confessum, hoc Dei praecepto artem pingendi et sculpendi non esse prohibitam; cum Deus jusserit fundi serpentem aeneum, et Cherubim, et leones et palmas in templo Salomonis. Duplici sensu intelligi possunt, quae ex C. XX. Exod. citantur. Vel continent praeceptum morale, et tunc prohibent idololatriam. Sic enim ibi dicitur: *Non facies tibi*, etc.; et Levitici 26. legitur: *Non facietis vobis idolum et sculptile . . . nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum.* Si autem ad omnem imaginum cultum extenditur praeceptum illud, tunc mere positivum est, et ad solos Judaeos pertinet, quibus necesse erat,

omnem idololatriae occasionem praescindere. *Optimus animorum medicus*, ait *Joann.* Damasc. *a)*, *infantibus adhuc, et idololatriae morbo laborantibus, qui cum simulacra Deos esse putarent, ac tanquam Deos adorarent, debitum Deo cultum et adorationem denegabant, ipsiusque gloriam ad creaturam transferebant, his imagines facere vetuit.*

Inst. 1.° Insulsum est ligno, aut lapidi, aut picturae cultum exhibere. 2.° Nefas est, et superstitionis plenum, Deo ipsi invisibili et incorporeo imaginem visibilem et corpoream collocare; atqui id faciunt Catholici. Ergo etc.

Resp. ad I. Nemo Catholicorum unquam somniavit, picturis aut statuis sanctitatem aliquam virtutemque inhaerere. Et licet Theologi disputent de ratione honorandi imagines, et multi existiment, eas honorandas esse proprie, sive per se, id tamen ita intelligunt, quod dignitatem suam habeant ex ipso, quod repraesentant, exemplari. Sed his missis, quid Ecclesia doceat, ex Concilio Trident. discamus, quod Sess. 25., postquam dixisset: *Sanctorum imaginibus debitum honorem et venerationem impertiendam esse* . . . statim subjungit . . . *non quod credatur, inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur; id quod Conciliorum, praesertim secundae Nicaenae Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.*

Ad II. Apposite ad hanc rem Catechism. Romanus ait *b)*: *Duplici potissimum ratione, quod ad primum decalogi praeceptum attinet, Dei Majestatem vehementer laedi perspicuum est: altera, si imagines et idola tanquam Deus colantur; altera, si quis conetur Divinitatis formam aliquo artificio effingere, quasi oculis corporeis conspici possit. Cum igitur c) Dominus Deos*

---

a) Orat. II. de imag. n. 7. *b)* De praec. Decalogi cap. II. q. 11. *c)* Ibid. q. 12.

alienos coli prohibuisset, ut penitus idololatriam tolleret, imaginem Divinitatis ex aere duci, aut alia quavis materia fieri prohibuit, quod Isaias declarans inquit (C. XL.): *Cui ergo similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei? Nemo tamen a) propterea contra Religionem Deique legem quidquam committi putet, cum Sanctissimae Trinitatis aliqua persona quibusdam signis exprimitur, quae tam in veteri quam in novo Testamento apparuerunt; nemo enim tam rudis est, ut illa imagine Divinitatem credat exprimi. Veluti cum ex Daniele pingitur antiquus dierum in throno sedere.*

Objic. II. Concilium Eliberitan. in Hispan. circa A. 300 celebratum Can. 36. statuit, picturas in Ecclesiis esse non debere. Ergo etc.

Resp. dist. ant. Concilium id statuit tanquam statutum disciplinare, quia tempus et locus illud postulabant, *conc.* Quia omnem imaginum cultum illicitum putabat, *nego.*

Objic. III. 1.° Concilium Francofortense Anno 794. ex omnibus Episcopis, qui sub Caroli Magni ditione erant, collectum Nicaenam Synodum II. damnavit, quod circa cultum imaginum male sensisset. 2.° Libri Carolini sic dicti, quia vel a Carolo M. vel ejus jussu conscripti fuerunt, acriter in eandem Synodum Nicaenam invehuntur, atque cultum imaginum impugnant. Ergo etc.

Resp. ad I. Concilium Francofortense errore deceptum fuit; putavit enim a Patribus Nicaenis imaginibus divinum cultum decretum fuisse. Huic errori occasionem dedit mendosa actorum Concilii in latinum conversio. Actione III. Constantinus Cypri Episcopus Catholico certe sensu dixerat: *Ego consentio . . . suscipiens et honorabiliter amplectens sanctas ac venerabiles imagines; atque adorationem per Latriam soli Trinitati impendo.* Infidus autem interpres hanc professionem latine ita reddiderat: *Suscipio et amplector sacras imagines secundum servitium adorationis, quod Trinitati emitto.* Caeterum nondum tunc persuasum erat Patribus Francofort. Synodum Nicaeae habitam oecumenicam dici posse; quod Occidentis provinciae per Epistolas more ecclesiastico sententiam rogatae non fuissent, ut

---

a) Ibid. q. 13.

observat *Petrus* de Marca *a*). Confr. etiam Natalem Alex. Saeculo VIII. dissert. VI. de imaginib. §. 8.

Resp. ad II. Libri Carolini eodem fere tempore scripti fuerunt, quo Concilium Francoforti congregatum fuit; atque eodem, quo Concilium illud, errore laborant. Quod autem non omnem imaginibus honorem denegent, haec libri III. verba probant: *Nihil nos in imaginibus spernamus praeter adorationem.* Fortassis etiam auctor ille acrius quam par est in Graecos invehitur, qui in externis cultus et venerationis testificationibus profusiores erant, et ritus in cultu imaginum adhibebant eo tempore apud Occidentales nondum usitatos, ut sunt oscula imprimere imaginibus, coram illis procumbere, luminaria accendere, thus adolere. Sed haec magis ad disciplinaria pertinent, ac variis temporibus, et in diversis Ecclesiis diversa esse possunt. Sic et hodiedum contra Ecclesiae Latinae ritum offenderet, qui imagines Sanctorum genuflexu veneraretur; quia haec cultus externa testificatio apud nos cultus divini signum est. — Vid. mox citatam dissertat. §§. 5, 6, 7. et Clariss. *Petavium* de Incarn. lib. XV. cap. XVI.

---

a) De concord. lib. II. cap. XVII.

APPENDIX.

DE VENERATIONE SANCTAE CRUCIS.

I. Etsi, quae supra de reliquiarum et imaginum cultu disputavimus, ad hoc etiam argumentum plurimum valeant, singularem tamen de hac re quaestionem habendam esse duximus; siquidem ab ipsis Haereticis diversa crucis ab aliis reliquiis et imaginibus habita est ratio. Multi enim fuerunt iconum oppugnatores, qui cruces tum retinendas, tum etiam colendas esse censuere; uti pluribus probat doctiss. *Petavius a)*. Tria sunt in hac quaestione distinguenda: 1.° Crux Christi vera, in qua salus mundi pependit. 2.° Hujus sacratissimae crucis imagines. 3.° Signum crucis, quod a fidelibus manu efformatur.

II. Bene observat *Bellarm. b)*, crucem Christi partim inter reliquias, partim inter imagines sacras referendam. Crux illa, in qua Christus nos redemit, propter contactum corporis Domini, et tanquam praecipuum salutis nostrae instrumentum in magno semper honore habita fuit, tanquam reliquia omnium pretiosissima. Ante Saeculi XVI. Novatores nemo unquam eo impudentiae pervenerat, ut negaret, veram Christi crucem Saec. IV. Hierosolymis inventam fuisse. Id enim testantur Scriptores eorum temporum quamplurimi, et omni exceptione majores, ut *Eusebius*, *Cyrillus Hierosolym.*, *Ambros.*, *Rufinus* aliique plures. Iidem auctores testantur, quanta veneratio huic ab omni christiano populo, tum ab ipsis Imperatoribus fuerit exhibita. *Cyrill. Hierosolym.*, qui hujus rei testis oculatus fuit, Catech. 4. ait: *Ligno crucis universus tandem orbis terrarum oppletus est ... Pau-*

---

a) De Incarn. lib. XV. cap. VII. *b)* Lib. II. de imag. cap. XXVI.

lin. Nolan., cum exiguam sanctae crucis partem Severo transmisisset, ait *a)*: *magnum in parvo se ei munus, munimentumque praesentis, pignusque aeternae salutis dare.* Et *Chrysostom.* de ligno crucis loquens *b)*: *Quanto omnium studio expetitur! Itaque multi exiguum ex eo frustum adepti, auro includentes viri pariter ac foeminae de collo suo suspendunt.*

Fuerunt inter Theologos, qui cum S. *Thoma c)* docuerunt, crucem, in qua Christus crucifixus est, et quae sanguine Christi fuit perfusa, adorandam esse eadem adoratione cum Christo: quod, cum volunt catholice explicare, *coguntur uti*, ait *Bellarmin. d)*, *subtilissimis distinctionibus, quas vix ipsimet intelligunt, nedum populus imperitus.* Hinc passim Theologi cum eodem *Bellarmino* docent, crucem non esse cultu latriae adorandam.

III. Usus imaginum ad verae crucis similitudinem effictarum in Ecclesia antiquissimus est; neque probabile est, *Constantinum* M. crucium pingendarum aut sculpendarum primum auctorem fuisse. Equidem, cum hic Imperator, qui non procul ab urbe splendidam crucem in aëre vidit, mox alias huic similes exprimi curavit, quas *labara* passim vocitarunt, incredibile dictu est, quantum repente hic usus invaluerit, ut crucis imagines haberentur, et quantus eis cultus habitus fuerit. S. *Chrysost. e)* docet, tantam fuisse crucis venerationem, ut eam in foribus, in parietibus, in viis, in lectis, in palliis, in armis, in vasis depingere volupe esset Christianis. Imperatores vero illam in capite ipsi diademati insculptam gestabant teste *Augustino f)*. Qua igitur fronte Calviniani crucem vilem et contemptibilem esse ajunt? Quis ferat impiam illam Bezae vocem: «Fateor, me ex «animo Crucifixi imaginem detestari.»

IV. Etsi ante Constantinum M. imagines crucis coloribus aut sculptura expressae jam extiterint, ut ex antiquissimis monumentis et Veterum testimoniis constat: earum tamen usus communis non fuit, neque hujusmodi imagines publice in conspectu hominum ponebantur ob metum gentilium. Verum eo frequentior erat ab antiquissimis temporibus usus, crucis imagi-

---

a) Ep. I. ad Severum Sulp. *b)* Hom. XI. Tom. VI. *c)* III. P. q. 25. art. 4. *d)* Loco cit. cap. XXII. *e)* Hom. LXI. Tom. VI. *f)* Tract. 117. in Joan.

nem manibus efformandi. *Tertullianus* consuetudinem hanc perpetuae Traditioni, ut alias multas, refert acceptam: *Ad omnem progressum atque promotum*, inquit *a*), *ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et calceatum, ad lavacra et mensas, ad lumina et cubilia, ad sedilia, quandocunque nos conversatio exercet, frontem crucis signando terimus. Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies, Traditio tibi praetenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix.* Ita multi alii Veterum, qui non tantum usum probant semper in Ecclesia extitisse, sed etiam signi hujus virtutem adversus daemones mire praedicant: *Quid timent daemones*, ait *Origenes b*), *quid tremunt? sine dubio crucem Christi, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus et potestates. Timor ergo et tremor cadent super eos, cum signum in nobis viderint fideliter fixum, et magnitudinem brachii illius, quod Dominus extendit in cruce.* Sic et *Chrysostom. c*): *Quando te cruce signas, magna tuam fiducia frontem arma, libertate animum muni. Pretio empti estis. Pretium hic appellavit crucem, quam non simpliciter digito inscribere oportet, sed potius mentis proposito, et multa fide. Nam si hoc modo faciei tuae impresseris, nullus scelestorum daemonum, cum hastam videat, qua lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit.*

Caeterum quotiescunque pie crucem formamus, fidem nostram testificamus, et meritum addimus operibus nostris. Nam crucis imaginem corpori nostro imprimentes redemptionis mysterium recolimus: et personas nominando Trinitatis fidem profitemur. Cum autem opus aliquod aggrediendo nos cruce signamus, nonne hoc ipso opera nostra meritis Christi et sanguinis pretio unita Deo offerimus, profitentes, nos illud agere velle in nomine Patris etc.? Alia, praeter hanc, significatio dari potest, quando cruce parvula frontem, os et pectus munimus. Frons enim cogitationum sedes est; ex ore verba prodeunt; cor est affectuum officina, bona et mala opera quasi ex thesauro suo proferens. Signatur ergo frons, ut Deus malas cogitationes depellat, bonas et sanctas ingerat; signatur os, ne verbo deficiamus, sed,

---

a) Lib. de coron. militis. *b*) Hom. VI. in Genes. *c*) Hom. LV. in Matth.

quae ad aedificationem sunt, loquamur; signatur pectus, ut extincto pravorum affectuum aestu, ad ea, quae laudabilia et Deo digna sunt, peragenda accendamur. Quodsi parvam hanc crucem effingimus ad Evangelii lectionem, aut sacrae concionis auditionem: frontem signando petimus, ut Deus nobis det coelestium veritatum intelligentiam; ori crucem imprimimus, ut, quod mente percepimus, ore profiteamur: ore enim confessio fit ad salutem; pectus autem signamus, ut quae adjuvante Deo cognovimus, opere adimpleamus.

§. II.

De intercessione et invocatione Sanctorum.

I. Demonstravimus, Sanctos esse colendos; sed quia nobis peculiaris cum Protestantibus controversia est de cultu invocationis, nunc recto ordine sequitur, ut de invocatione Sanctorum, et quod consequens est, de eorum intercessione tractemus. Praecipuum vinculum, quod triumphantem Ecclesiam cum militante connectit, hoc est, quod illi, qui hanc mortalem vitam feliciter emensi, haeredes facti sunt aeternae beatitudinis, pro illorum, qui adhuc in terris militant, salute solliciti sint, et Deo pro illis preces assidue offerant; quodque multa eorum merito et gratia Deus his beneficia conferat.

II. Negant hoc, quotquot cultum Sanctorum repudiant. *Vigilantius* omnium primus videtur in hunc lapidem impegisse; hic teste S. *Hieronymo* docuit, *dum vivimus nos mutue pro nobis orare posse, post mortem vero nullum pro altero orare.* Mitto Henricianos, Waldenses, Catharos, Wiclefitas etc., qui Saeculi XVI. Haereticos erroris sui haeredes reliquerunt. Hi autem omnes, quamvis in plures sectas divisi, communi sententia Sanctorum intercessionem et invocationem rejiciunt. *Confessio Augustana* art. 23. sic habet: « Totum morem invocandi « sanctos homines, qui ex hac vita discesserunt, damnamus et « fugiendum esse censemus. » *Gallica* art. 24. inquit: « Quid- « quid homines de mortuorum Sanctorum intercessione com- « menti sunt, nihil aliud esse, quam fraudem et fallacias Sa- « tanae, ut homines a recta precandi forma abduceret. » Igitur inutile et illicitum esse dicunt, eos invocare . . . « quia non

« habent tam longas aures (Calvini haec vox est), ut preces « nostras audire possint. » Sed spretis haereticorum hominum clamoribus, quid verum sit in hac causa, quid fide divina tenendum, videamus.

PROPOSITIO.

Sancti pro nobis apud Deum intercedunt, eosque invocare bonum est ac utile.

Prob. 1. Non desunt exempla in utroque Testamento, quibus constat, Sanctos pro nobis intercedere. 1.° Jerem. XV. habetur: *Si steterit Moses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ergo Moses et Samuel jam mortui orare pro populo consueverunt. II Macchab. XV, 12. legimus, Oniam, qui fuerat summus Sacerdos: *multum orasse pro omni populo Judaeoram...* et v. 14. de Jeremia dicitur: *Hic est, qui multum orat pro populo.*

2.° Certum est ex Scripturis, viros sanctos, dum in terris versantur, pro aliis intercedere posse; imo Deum sese misericordem et placabilem non exhibere, nisi mediatoris ac deprecatoris officium accesserit. I Reg. VII. Judaei Samuelem alloquentes dicunt: *Necesse est, pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum.* Habemus etiam illustria exempla *Abimelech* et amicorum *Job*, quibus Deus Abrahami et Job precibus placatus est. Genes. XX, Job. XLII. Sic *Apostolus* ad Rom. XV. ait: *Obsecro vos, fratres, per Dominum N. J. C. et per charitatem sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Item I ad Thessal. V.: *Fratres, orate pro nobis.* Jam, si Sancti, qui in hac mortali vita adhuc peregrinantur a Domino, pro aliis intercedere possunt eosque juvare precibus suis: quanto magis id poterunt Sancti, qui cum Christo in coelis triumphant? Aut an minus tunc gratia valent apud Deum? An charitas illa, quae eos in terris tam vehementer incendit, subito extinguitur, cum propius ad Deum omnis amoris fontem accesserint?

3.° Ex multis Scripturae locis constat, Angelos non in genere tantum, sed etiam speciatim pro nobis orare, et

curam nostri gerere. Vide Genes. XLVIII., Tob. XII., Zachar. I., Daniel. VIII., Matth. XVIII., Apoc. X. Ergo multo magis id spiritus hominum beatorum faciunt; nam nihil eis deest eorum, quae Angeli habent, quantum ad hoc munus pertinet: cum adsint semper Deo, et nos vehementer diligant, ac demum sint aequales Angelis, ut dicitur Lucae XX. Imo habent aliquid prae Angelis, cum sint membra corporis Ecclesiae nobis magis conjuncta, et experti sint miserias et pericula nostra.

Prob. II. Etsi invocatio Sanctorum verbo Dei scripto non contineretur; an non fidelibus satis esse deberet, si Ecclesiae perpetua Traditione comprobetur? Illud nunquam evincent Adversarii, universa, quae ad fidem pertinent, Scripturis contineri, cum bene multa ipsi credant, quae in Scriptura non habentur: uti alio loco fuit demonstratum. At de Ecclesiae constanti fide non est dubitandi locus. In Symbolo, quod Apostolorum inscribitur, communionem Sanctorum semper Ecclesia praedicavit; et cum IV. Saeculo *Vigilantius* Sanctorum invocationem impugnaret, statim S. *Hieronymi* scriptis et totius Ecclesiae execratione oppressus est. Longe ante *Vigilantii* tempora *Irenaeus* lib. V. contra haeres. ait: *Et sicut illa* (Eva) *seducta est, ut effugeret Deum, sic haec* (Maria) *suasa est obedire Deo, ut Virginis Evae Virgo Maria fieret advocata. Gregor. Naz.* de virgine quadam loquens, quae Cypriani tempore vixit, et ad stuprum fuerat sollicitata: *Mariam Virginem*, inquit, *rogavit, ut periclitanti virgini opem ferret. Origenes* hom. 21. in lib. Num. scribit: *Quis dubitat, quod Sancti quique Patrum et orationibus nos juvent, et gestorum suorum confirment exemplis?* Et S. *Cyprian.* Ep. ad Cornel.: *Memores nostri invicem simus, et siquis hinc nostrum prior divinae dignationis celeritate praecesserit, perseveret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus et sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.* Nimis longum esset, innumera pene Patrum exempla et testimonia ex quarto et sequentibus saeculis proferre; nam ipsi Protestantes atque inter caeteros Dallaeus, fatentur, invocationem Sanctorum quarto Saeculo in usu fuisse. Lege *Bellarminum.*

Prob. III. *Conciliorum generalium auctoritate. Concil. Nicaen. II.*, quod est generale VII., contra Iconoclastas congregatum, Ecclesiae fidem solemni decreto confirmavit Act. IV.: *Salutamus autem*, inquiunt Patres, *et dominicas, et apostolicas, et prophetica voces, per quas honorare et magnificare didicimus primo quidem proprie et veraciter Dei genitricem, coelestibus cunctis virtutibus superiorem; sanctasque angelicas virtutes . . . et omnes sanctos viros: et horum expetere intercessiones, quippe qui valent nos familiares reddere regi omnium Deo.*

Trid. Sess. XXXV. decreto de invocatione Sanctorum adversus recentiores Haereticos docet, . . . *illos, qui negant, Sanctos aeterna felicitate in coelo fruentes invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Jesu Christi, impie sentire.* Et paulo post ait, quod ii, qui affirmant, Sanctorum memorias eorum opis impetrandae causa frustra frequentari, *omnino damnandi sint, prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia.*

REFUTATIO CONTRARIORUM.

Argum. I. Invocatio Sanctorum non modo vetita est, sed est etiam genus quoddam idololatriae; nam ad Rom. X. dicitur: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Ex quo sic concluditur: ille solus invocandus est, in quem credimus; sed credimus in solum Deum, non in Sanctos. Ergo etc.

Resp. dist. maj. Ille solus, in quem credimus, invocandus est ut Deus, et tanquam auctor et dator omnium bonorum, *conc.;* ille solus invocandus est tanquam patronus et intercessor apud Deum, *nego.* Vox *invocationis* ambigua est, atque interim Deo, interim hominibus tribuitur. Sic *Jacob* ait Genes. 48.: *Invocatur nomen meum super pueros hos, et nomina patrum meorum.* Quemadmodum alio modo Deum colimus, alio modo Sanctos, sic etiam alia Dei, alia Sanctorum invocatio est;

quod ita explicat Catechis. Rom. *a*): *Non eodem modo Deum et Sanctos imploramus. Precamur Deum, ut ipse vel bona det, vel liberet a malis. A Sanctis autem, quia gratiosi sunt apud Deum, petimus, ut nostri patrocinium suscipiant, ut nobis a Deo impetrent ea, quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas modo differentes; ad Deum enim proprie dicimus: Miserere nobis; audi nos; ad Sanctum: Ora pro nobis. Quamquam licet etiam alia ratione petere a Sanctis ipsis, ut nobis misereantur; sunt enim maxime misericordes. Ita precari eos possumus, ut conditionis nostrae miseria permoti, sua nos apud Deum gratia et deprecatione juvent.*

Inst. Catholici Sanctos invocant non tantum ut intercessores, sed tanquam gratiae largitores, et ab ipsis opem ac beneficia efflagitant. Ergo merito idololatriae crimine condemnantur. *Antecedens* probari potest ex ipsis Ecclesiae precibus, quae B. Mariam vocat *matrem gratiae, matrem misericordiae*, eamque precatur, ut *nos ab hoste protegat, in hora mortis suscipiat.* Item canit in hymno Apostolorum:

Quorum praecepto subditur
Salus et languor omnium,
Sanate aegros moribus
Nos reddentes virtutibus. Etc.

Resp. Nemo Catholicorum tam rudis est, ut nesciat, Sanctos non esse auctores donorum et gratiarum, quas petimus: neque alia ratione ad eos confugiendum, nisi ut ipsi pro nobis orent. Verum, cum haec dicimus, non de verbis quaestio est, sed de sensu verborum. «Quantum ad verba, ut *Bellarm.* observat *b)*, licet dicere: B. Maria, aut: Sancte Petre etc. salva me; aperi mihi aditum coeli, da mihi sanitatem corporis, da patientiam etc. Haec enim ita et non aliter intelligenda sunt, quam: salva me, adjuva me intercedendo pro me. An non quotidie donum acceptum referimus ei, cujus illud patrocinio accepimus; et si Sancto dicimus: da nobis hoc; quid aliud volumus, quam: fac tuis precibus et meritis, ut hoc assequamur. Sic enim loquitur *Gregor. Nazianz. c)* et alii multi Veterum; et ipse Apo-

a) Parte IV. cap. q. 3. *b)* De Eccles. triumph. lib. I. cap. XVIII.
c) Orat. in Cyprian. et Basil.

stolus de se dicit Rom. II.: *Ut salvos facerem aliquos ex illis . . .* et I Cor. 9.: *ut omnes facerem salvos.* Non certe ut Deus, sed juvando doctrina, precibus etc. Hinc optime Beatissima Virgo mater gratiae appellatur, quia innumerae pene gratiae ubique terrarum in eos effunduntur, qui ejus apud Deum patrocinium efflagitant.

Argum. II. Scriptum est I Timoth.: *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Ergo non est alius mediator praeter Christum; ergo injuriam Christo facit, qui Sanctos deprecatores et mediatores adhibet, et in eis spem suam collocat.

Resp. dist. ant. Unus est mediator redemptionis *conc.*, unus est mediator intercessionis, *nego.* Apostolus, cum de Christo mediatore loquitur, statim addit: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Christus solus mediator est in eo sensu, quod ab ipso tanquam a fonte derivetur, quidquid gratiae nobis largitur Deus; nam: *Non est in alio aliquo salus. Non enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri.* Hoc tamen non impedit, quominus Sancti cum Christo in coelis regnantes aliquo modo mediatoris officium implere possint, cum patronos et advocatos agunt pro nobis. Nihil nos a Sanctis, quod ipsis proprium sit, speramus; neque spem nostram in alio collocamus, quam in Christo Jesu, optime scientes, etiam Sanctos aut Angelos, aut ipsam beatissimam Virginem aliter nobis prodesse non posse, quam cum pro nobis et nobiscum ad Deum orant per Jesum Christum, per quem solum et nobis et Sanctis datur ad thronum gratiae accessus.

Adde, quod, si non liceret ad Sanctos recurrere, vel quia Deus vult, ut cum fiducia ad eum, nullo interposito interprete, recurramus; vel quia mediator alius non est, quam Christus; sequeretur: etiam vivorum fratrum orationes petendas non esse; quod tamen Scripturis contrarium esse, etiam Adversarii concedunt.

Argum. III. 1.° Ritum invocandi Sanctos Saeculo quarto *Gregor. Nazianzenus*, *Nyssenus* et *Basilius* orationibus suis panegyricis in Oriente invexerunt; quibus fere paria fecit *Ambros.* apud Latinos. Ergo non est Traditionis apostolicae. 2.° Concilia, quae Sanctorum invocationem commendant, posterioris aevi sunt,

quo tempore jam in multis corrupta erat et adulterata antiqua fides.

Resp. ad I. Patres illi de cultu Sanctorum locuti sunt, non tanquam de re nova, sed quam ipsi a majoribus acceperant. Revera hunc cultum primis jam saeculis extitisse, ex supra allatis testimoniis patet. Verum, an non hoc ipsum, quod morem illum videamus Saeculo quarto per totam Ecclesiam communi consensu usurpatum, omnino demonstrat, illum esse antiquissimum et ab Apostolorum Traditione profectum? Unde, quaeso, in quartum Saeculum ita invadere potuit, si priora saecula illum ut superstitionem et idololatricum respuebant? An, qui XVI. aut XVII. Saeculo vixerunt, Novatores, ritus et mores primorum saeculorum melius noverunt, quam tot Patres quarti Saeculi, qui insigni sanctitatis et doctrinae laude floruerunt? At si nova haec superstitio tunc in Ecclesiam invecta est, quo id fieri modo potuit, ut nemo adversus eam scripserit, aut reclamaverit? Quid causae fuit, ut Aërium et Vigilantium, qui IV. Saeculo contra Sanctorum invocationem surrexerunt, tota subito Ecclesia tanquam haereticos et Novatores repulerit? En *Calvinus* ipse fatetur *a*): « Quingentis circiter annis floruisse « Religionem, et sinceriorem doctrinam viguisse » ... et alibi ait: « extra controversiam esse, ab initio usque ad tempora sancto- « rum doctorum nihil in doctrina mutatum fuisse. » At si nulla doctrinae apostolicae facta mutatio est ad tempus usque S. Augustini, profecto invocatio Sanctorum non est quarti Saeculi foetus.

Resp. ad II. 1.° Post ea, quae Tom. II. hujus operis de infallibili Conciliorum generalium in decidendis fidei controversiis auctoritate dicta et probata sunt, optimo nunc jure hoc argumento utimur, cum de stabiliendis in specie fidei dogmatibus agitur. 2.° Si Protestantes contendunt, posteriora Concilia jam superstitionis et idololatriae labe conspersa fuisse, dicant, an Concilia generalia tertium et quartum eodem morbo laboraverint? Cur non reclamarunt Patres Ephesini, quando *Cyrillus* Joannem Apostolum in oratione die ejus festo coram Patribus habita sic compellabat *b*): *Ecce hic tantus Pastorum coetus ad te venit; remove*

a) Lib. I. instit. cap. II. *b*) Ibid. lib. IV. cap. II.

nobis lapidem, sicut B. Jacob pastoribus, resera nobis puteum vitae. Cur Calcedonense Concilium act. 11. apertis verbis profitetur: *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* Quid ad haec *Calvinus*, qui has Synodos amplectitur? « Priscas illas Synodos, ait *a*), ut Nicaenam, Constantinopolitanam, « Ephesinam primam, Calcedonensem ac similes, quae confutandis erroribus habitae sunt, libenter amplectimur reveremurque ut sacrosanctas, quantum attinet ad fidei dogmata. »

Argum. IV. Sancti non possunt audire preces nostras, cum sint longissime a nobis dissiti; neque simul possunt se attentos praebere ad preces, quae ex diversis orbis partibus ad eos diriguntur. Ergo etc.

Resp. Adversarii pervertunt legitimum ratiocinandi modum, cum certum negant propter incertum. Rectius hoc modo concluditur: certum est ex doctrina et consensu totius Ecclesiae, Sanctos pro nobis orare, idque Deus ipse multis miraculis comprobavit, ita ut si error adesset, erroris causa in Deum ipsum conferri posset. Ergo audiunt preces nostras, et, quae ad eos emittimus, vota cognoscunt. Porro de modo, quo hoc fieri possit, ne solliciti simus; Deo enim media deesse non possunt, Sanctis, quae ad eos pertinent, manifestandi. Angelis preces nostras innotescere negari nullo modo potest; ipsi enim res nostras procurant, ut Scripturae passim testantur; ipsi preces nostras offerunt Deo, Tob. X.; ipsi gaudent super uno peccatore poenitentiam agente etc. Verum qua temeritate audebunt Adversarii asserere, Deum non posse Beatorum animis eam rerum humanarum cognitionem tribuere, quam certum est Angelis esse concessam? Legi merentur, quae habet *Veronius* in regula fidei, cap. XI. §. 7. de invocat. SS. Vid. etiam *Leibnitzii* systema theol., ubi de hac re et de cultu imaginum multa praeclare dicuntur.

---

a) Ibid. lib. IV. cap. IX.

CAPUT TERTIUM.

DE IIS, QUAE IN FINE SAECULI EVENIENT.

Agendum nobis est. I. de resurrectione corporum; II. de judicio extremo; III. de iis, quae judicium consequuntur.

ARTICULUS I.

De resurrectione corporum.

OBSERVANDA.

I. *Propria fides Christianorum est resurrectio mortuorum*, ait *August. a)*. Hujus ratio manifesta est ex Apostolo, qui I Cor. 15. repetitis vicibus inculcat, sublata hac veritate omnem Christianae Religionis fidem, quasi subruto fundamento, corruere: *Si mortuorum resurrectio non est, neque Christus resurrexit; quodsi Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, vana est et fides vestra.* Mirum ergo non est, inter praecipuos fidei articulos, qui in symbolo Apostolorum recitantur, et hunc reperiri: *Credo carnis resurrectionem.* In quae verba ita commentatur *Catechis. Roman. b)*: *Hoc imprimis attendere oportebit, resurrectionem hominum in hoc articulo carnis resurrectionem appellari; quod quidem sine causa factum non est; nam docere voluerunt Apostoli id, quod necessario ponendum est, animam esse immortalem: quare ne quis forte eam simul cum corpore interiisse, utrumque vero simul in vitam revocari existimaret, cum animam plurimis sacrarum litterarum locis immortalem esse plane constet, ob eam rem carnis tantum suscitandae mentio in articulo facta est.*

II. Haec fides resurrectionis ut est imprimis necessaria, sic etiam nullo non tempore fuit vehementer impugnata. S. *Augustin.* observat *c)*: *Nulla in re sic contradici fidei Christianae, quam in resurrectione carnis.* Quantum ea gentilium Philosophis displicuerit, ex Actor. 17. videri potest, v. 18.: *Quidam Epicuraei et Stoici . . . dicebant: Quid vult seminiverbius hic dicere? Quia Jesum et resurrectionem annuntiabat eis;* et v.

---

a) Serm. 4. in fer. II. Paschae. *b)* Part. I. cap. XII. q. II. *c)* In Ps. 88.

32.: *Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant etc.* Sic et de gentilibus *Arnobius* ait *a*): *Audetis ridere nos, quod mortuorum dicamus resurrectionem futuram.* Judaei fidem immortalitatis animae ex primaeva traditione habebant; huic conjuncta semper erat spes restituendi corporis. Hinc *Sadducaei*, qui dicebant, *non esse resurrectionem mortuorum* (Matth. XXII.), etiam animam corpori esse superstitem negabant. Inter Christianos error hic a tempore Apostolorum non parum grassatus est. *Apostolus* I ad Cor. 15. graviter expostulat quosdam, qui resurrectionem negabant. Et II Tim. 11. impietatis arguit *Hymenaeum et Philetum, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam.* Praeter hos veram corporum resurrectionem impugnarunt Saturninus, Basilides, Carpocrates, Manichaei, Priscillianistae, Waldenses, Albigenses et alii. Posterioribus saeculis haec doctrina, quae cum animae immortalitate, judicio extremo, poenis reproborum intime connexa est, hostes experta est quamplurimos, non tantum inter illos, qui aperte ad Incredulorum castra transierunt, sed etiam inter Protestantium Theologos, qui Christiano nomine retento, omnem suam Theologiam ad Rationalistarum placita exigunt. Hi, si qua obstant Scripturae loca, ea nova exegesi facili negotio pervertunt, aut suo accommadationis systemate armati contendunt, Christum, ut hominum ingenio et praejudiciis sese accommodaret, sub imagine resurrectionis, quam Judaei passim credebant, animae immortalitatem inculcasse. Vide *Dobmayer*, Tom. VII. de resurr. mort. Legitur ibi dictum *Münscheri* protestantici Theologi, qui scribit, hanc nunc omnium fere Theologorum in Germania sententiam esse. At ego neminem scio ex Catholicis, qui vellet novae interpretationi patrocinari: an forsan hi inter Germaniae Theologos numerandi non sunt?

III. Hostibus Catholici dogmatis merito annumerantur, 1.° Illi, qui asserunt, pios tantum aliquando surrecturos, male interpretantes illud Ps. I.: *Non resurgent impii in judicio.* 2.° Omnes, qui negarunt, idem hoc quod nunc gerimus corpus esse suscitandum. Hujus erroris accusantur *Origenistae*, nonnisi

---

a) Lib. cont. Gentil.

corpus aëreum in resurrectione admittentes, prout observat *Huetius a*). Eodem implicatus fuit *Eutychius*, Patriarcha Constantinopol., quem *Gregorius* M. ad confessionem verae Catholicae doctrinae inducere vix potuit. Recentiori aevo multi ex Novatorum sectis in hanc sententiam abierunt, nos in ea carne, quae post mortem in sepulchro dissolvetur et putrescet, non surrecturos. Ita Sociniani passim, ita ex Arminianis *Joan. Clericus*, ita inter Anglos plurimi. Quos autem ad haec usque tempora progressus fecerint, supra indicatum est.

PROPOSITIO.

Futura est generalis corporum resurrectio.

Argumenta ex veteri testamento.

I. Habemus insigne testimonium ex aetate patriarchali, quod legitur Job XIX, 25—27.: *Scio, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum; quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius; reposita est haec spes mea in sinu meo.* Non possunt haec aliter intelligi, quam de futura carnis resurrectione; et quae contra objiciuntur, tanti ponderis non sunt, ut infra ostendetur.

II. Isaias cap. XXVI. restitutionem Reipublicae Judaicae praedicans, ad eam adumbrandam imagine resurrectionis utitur; idem *Ezech.* XXXVII. occurrit celebri illo loco a v. 1. ad 14.: *Vaticinare de ossibus istis* etc.; atque observant *Hieronym.* et *Theodoretus,* haec, etsi directe resurrectionem non probent, fidem tamen resurrectionis supponere, cum similitudines nonnisi a rebus notis desumantur. Accedit *Danielis* Prophetae effatum cap. XII, 2.: *Multi ex his, qui dormierunt in terrae pulvere, evigilabunt, alii in vitam aeternam, alii in opprobrium.* Haec verba de resurrectione mortuorum intelligenda esse, ipse *Spinoza* negare ausus non est teste *Buddaeo b*). Porro, si similitudinem continent, manet mox allatum argumentum.

---

a) Origenian. lib. XI. cap. II. q. 9. *b*) Instit. theol. lib. II. cap. III.

III. II *Macchab.* VII. fortissimi Macchabaei fratres hac spe resurrectionis se erigebant. Secundus ait v. 9.: *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus aeternae vitae resurrectione suscitabit.* Ita et tertius v. 11. et quartus v. 14.

Argumenta ex novo testamento.

I. Christus ipse pluribus in locis mortuorum resurrectionem docet, eosque suscitandi potestatem sibi vindicat: *Ego resuscitabo eum in novissimo die.* Joan. VI. Conf. Joan. V, 25 et 28. Matth. XII. Sadducaeis ita respondet: *Erratis nescientes Scripturam et virtutem Dei; in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in coelo. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente: Ego sum Deus Abraham* etc. *a).*

II. Apostolus, qua data occasione de hoc dogmate loquitur tanquam praecipuo fidei nostrae fundamento. Vide Actor. 17. et 23. I Thess. 4. Legatur imprimis cap. XV. primae ad Cor., ubi ex proposito veritatem hanc contra quorundam contradictiones propugnat: *Si Christus praedicatur, quod surrexit a mortuis,* inquit v. 12., *quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Deinde in hoc argumento ad finem usque hujus capitis versatur. Inter alia v. 51. ait: *Ecce mysterium dico vobis; omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti.*

Argumenta ex ecclesiae traditione.

I. Ecclesia universa hanc fidem a tempore Apostolorum profitetur; prout ex Symbolo Apostolico, Nicaeno et Athanasiano, manifestum est. His accedit solemnis Ecclesiae declaratio in Concilio Lateran. IV. cap. I.: *Omnes mortales cum suis propriis corporibus resurgent.*

II. Patrum testimonia longo ordine adducere necesse non est. Habemus antiquissimos Veterum, qui non tantum

---

a) Exod. III.

ex occasione, et quasi per transennam de hoc dogmate locuti sunt; sed ejus defensionem susceperunt contra Gentiles et Haereticos. Id egit *Athenagoras* lib. de resurr., *Theophil.* Antioch. lib. I. ad Autol., *Tertull.* lib. de resurrectione carnis, *Minutius Felix* in Octav., *Gregorius Nyss.* dialogo de resurr., qui *Macrinia* inscribitur etc. Omnes Patres Tertulliani sententiae subscripserunt: *Fiducia Christianorum resurrectio mortuorum* ... lib. de resurr. carnis.

Argumenta ex ratione.

Patres optime sciebant, dogma de carnis resurrectione ex sola Revelatione ut certum stabiliri posse; verum quando illud vindicandum erat contra Gentilium argumenta, et ipsi ex philosophica ratione arma desumebant, atque in hoc disputationis genere praeclare versati sunt. Dicebant autem: ut probaretur resurrectionem nihil habere, quod sit credibile, demonstrandum esset, vel quod Deus non possit, vel quod non velit suscitare mortuos; atqui neutrum dici potest. Non primum; *qui enim*, ait *Tertullian. a), ex nihilo molitus est cuncta, poterit et carnem in nihilum perductam exprimere nihilo. Utique idoneus est reficere, qui fecit; quanto enim plus est fecisse, quam refecisse.*

Non secundum. Quia, ut ratiocinatur *Athenagoras b)*, resurrectio nulli creaturae nocet: non brutis, non animae, multo minus corpori, cui multum exinde accedit lucri. Neque etiam Deo indigna est, imo congruit ejus bonitati, justitiae et sapientiae; aequum enim quam maxime videtur, ut corpus, quod animae in hac vita ad bonum et malum instrumentum fuit, ejusdem etiam poenis aut praemiis consocietur. Quis porro sibi persuadeat, carnem Christi corpore et sanguine nutritam, Sacramentis delibutam, templum Spiritus sancti, et Christi membrum effectam, nulla alia sorte donandam esse, quam jumentorum cadavera! Sic contra Basilid. ratiocinatus est Irenaeus lib. V. contra haeres., sic quoque Tertull. loco citato.

---

a) Lib. da resurr. carn. n. 12. *b)* Loc. cit.

ARGUMENTA CONTRARIA.

Argum. I. Job loco citato non agit de futura corporum resurrectione, sed de carnis suae in pristinum statum restitutione.

Resp. neg. ant. 1.° Certum est, Job infixam animo habuisse fidem resurrectionis et alterius vitae, quod ex plurimis ejusdem libri locis perspicuum est. Ut cap. XIII.: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo . . . et ipse erit salvator meus.* Cap. XIV. v. 12.: *Homo, cum dormierit, non resurget, donec atteretur coelum.* Cfr. ejusdem cap. vers. 1, 2, 3 et 14. Item cap. XVII. v. 17. — Merito igitur verba supra citata de futura corporum resurrectione intelligimus, scientes Jobum hanc spem semper fovisse in corde suo.

2.° Locus ipse aliter quam de resurrectione mortuorum intelligi non potest, nisi consulto in alium sensum detorqueatur. Id probat magnificum illud exordium: *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei . . . stylo ferreo, vel plumbi lamina, vel celse sculpantur in silice?* Deinde quae sequuntur: *In carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ipse* etc.

3.° Ex toto libro apparet, Job ne cogitasse quidem tunc futurum, ut pristinae valetudini et sanitati restitueretur. Hinc capite VII. ita conqueritur: *Dies mei consumti sunt absque ulla spe. Non revertetur oculus meus, ut videat bona.* Vid. etiam cap. XIX. v. 8, 9, 10 etc.

Argum. II. Multa sunt Scripturae loca, quae corporum resurrectioni adversantur. Ejusmodi sunt: Ps. 113.: *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum.* Sapientiae 16.: *Cum exierit spiritus, non revertetur.* Job. VII.: *Sicut consumitur nubes, et pertransit, sic, qui descenderit ad inferos, non ascendet.* 1 Cor. 15.: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Ergo etc.

Resp. neg. ant. Hi textus nihil habent, quod carnis resurrectioni repugnet. 1.° Psaltes Deum rogat, ut justis in hoc saeculo benedicat, et adjiciat super eos et filios eorum, ut tota haec justorum generatio nomen ejus celebret ritu publico; quod a mortuis fieri non potest. 2.° Sap. 16. id tantum dicitur, quod nemo, qui vitam alteri eripuit, animam, cum semel exicrit, revocare possit. Vitam auferre quis potest, amissam red-

dere nemo potest. Hic sensus ex contextu apertus est. 3.° In illo Jobi loco post verba citata statim additur: *Nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus.* Ergo de reditu in vitam hanc mortalem agitur, non de resurrectione in fine saeculi. 4.° Caro et sanguis I Cor. 15. homines carnales significant, qui utique regnum Dei non possidebunt.

Argum. III. Saltem generalis futura non est corporum resurrectio. 1.° Malos non surrecturos multis in locis Scriptura docet, ut Ps. 1.: *Non resurgent impii in judicio.* Christus Joan. VI. de iis tantum, qui in eum crediturі sunt, ait: *Haec est voluntas ejus, qui misit me Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* Isaias cap. XXVI. sic malis imprecatur: *Morientes non vivant, gigantes non resurgant* 2.° Danielis IV. dicitur tantum: *Multi de his, qui dormierunt, evigilabunt.*

Resp. ad I. Omnes illi aliique similes textus loquuntur tantum de resurrectione ad vitam, quae sola motivum solatii esse potest. Psl. autem 1. nihil aliud dicitur juxta hebraeum, quam: impii non stabunt in judicio, seu causam suam sustinere non poterunt. Sie werden nicht aufrechtſtehen — oder: Sie werden nicht beſtehen.

Ad II. S. *Augustin. a)* textum Danielis explicat: *Multos sumit pro omnibus, ut Apost. ad Rom. VIII.* Deinde dicendo *multos*, significat immensam resurgentium multitudinem.

Argum. IV. Per resurrectionem carnis status animae deterior efficeretur; nam, quae antea libera fuerat ab omni concretione materiae, iterum in corpus tanquam in ergastulum cogeretur. Ergo etc.

Resp. Haec quidem de damnatis dici poterunt, quibus corpus redditur in poenae augmentum; non autem de beatis, qui corpus assument praeclaris dotibus exornatum, ut postea ostendetur. Porro optime observat S. *Thomas b): Dicendum, quod caeteris paribus perfectior est status animae in corpore, quam extra corpus, quod est pars totius compositi.* Cum res unaquae-

---

a) Lib. XX. de civ. Dei cap. XXIII. *b)* In Supplem. 3. part. q. 75. art. 1.

que eo sit perfectior, quo magis habet, quidquid exigit naturae suae conditio, sequitur, quod anima hominis corpori suo unita plus habeat perfectionis, quam si ab eo separata sit.

QUAERITUR I.

An in ea carne resurgemus, quam in vita hac mortali gessimus?

Resp. Id fide certum est: Ecclesia ubique terrarum carnis resurrectionem profitetur, et semper professa est; si autem alia essent corpora post resurrectionem, non esset vera resurrectio, sed nova aliorum corporum productio. Apost. I Cor. XV. expresse ait: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Et *Concil. Lateran.* sub *Innocent.* III. definivit: *Omnes mortales cum suis corporibus resurgent.* Idem ratio ipsa persuadet. Siquidem aequum est, ut supra diximus, ut corpus illud, quod animae in hac vita boni aut mali instrumentum fuit, etiam ejusdem praemiis aut poenis consocietur. *Quam absurdum*, ait *Tertull. a), quam et iniquum, utrumque autem quam Deo indignum, aliam substantiam operari, aliam mercedem dispungi, ut haec quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur.* Hac fide non parum excitantur Christiani, ut terrena haec et moribunda membra in justitiae et virtutis servitutem redigant, et corpus hoc veluti vas purum beatae praeparent immortalitati.

Haec tamen ita intelligenda non sunt, ac si corpus in eodem omnino statu resurgeret, cum eadem prorsus forma aut molis quantitate, quam hic habuit. In resurrectione carnem mutari, converti, reformari licebit, inquit idem *Tertull.*, sed cum salute seu integritate substantiae: *Potest enim demutari quid, et ipsum esse nihilominus.* Sic et in hac vita, quamvis humanum corpus sit variis vicissitudinibus obnoxium, ita ut modo crescat, modo decrescat; modo consumtis per morbos carnibus languescat, modo etiam in magnam molem et obesitatem augeatur, nihilominus idem ejusdem hominis corpus est.

Dicunt. 1.° Multa sunt in hac doctrina, quae in hominis rationem offendunt. 2.° Impossibile est, ut eadem caro resur-

---

a) Lib. de resurrect. carnis.

gat, quando omnes ejus partes in animalium, aut aliorum hominum substantiam transierunt. Ergo etc.

Resp. ad I. Multa ad doctrinam Christianam pertinent, quae humanae rationi omnino sunt impervia. Ratio credendi est Dei revelantis auctoritas: haec, ut jam alio loco confectum est, indagandae veritatis via est certior et securior, quam imbecillis et incerta ac in omnes partes fluctuans ratio. Optime ergo de resurrectionis fide ait *Augustinus a)*: *Non ideo inanis est fides nostra, si quemadmodum futura sit, perfecte comprehendere non valeamus.* Optima ratio est Dei omnipotentia. *Utique idoneus est reficere, qui fecit*, ut Tertull. ait. Verum, quamvis fide certissima sint, quae asserimus, multum tamen prodest, ea, quae fides docet, aliquo modo confirmare exemplis et analogiis a rebus naturalibus petitis; sunt enim multa, quae imaginem quandam referunt futurae resurrectionis. Apostolus ipse I Cor. XV. ejusmodi exemplo utitur, nam quaerenti, quomodo resurgent mortui, sic respondet v. 36.: *Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur: et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum; Deus autem dat illi corpus sicut vult.* Et paulo post: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* Multa ejusmodi apud Patres reperiuntur. Sic *Minutius Felix b)*: *Video*, inquit, *quomodo in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur: sol demergitur et nascitur; astra labuntur et redeunt; flores occidunt et reviviscunt; post senium arbusta frondescunt; semina nonnisi corrupta reviviscunt.* Easdem similitudines adhibet *Tertull.*, iisque adductis subjicit *c)*: *omnia pereundo servantur, omnia de interitu reformantur* . . . et iterum *d)*: *Omnia in statum redeunt, cum abscesserint; omnia incipiunt, cum desierint; ideo finiuntur, ut fiant. Nihil deperit, nisi in salutem: totus ergo hic ordo revolubilis rerum testatio est resurrectionis mortuorum. Praemisit tibi naturam magistram* etc.

Aliam hujus rei imaginem suppeditant varia erucarum genera, quae primum caducum et ignobile corpus humi trahunt; deinde ut chrysalides veluti sepulchro includuntur, ac bombycis

---

a) Lib. XX. de civ. Dei, cap. XX. *b*) In Octavio, cap. XVI. *c*) Apolog. n. 48. *d*) De resurr. carn. n. 12.

folliculis obductae, omni animali vita destitutae videntur. Demum fracto cortice, mutato, non deposito, corpore exeunt, et levibus alis, ac mira colorum varietate coruscantibus, in altum sese tollunt, et libere per aëra volitant.

Ad II. Respondet S. *Augustin. a)*: *Ecce, quomodo omnipotentiae Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas . . .* et alio loco *b)*: *Absit, ad resuscitanda corpora vitaeque reddenda non possit omnipotentia creatoris omnia renovare, quae vel bestia, vel ignis absumsit, vel quod in pulverem cineremque collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum.*

QUAERITUR II.

Quae sit corporum immutatio, bonis et malis communis?

Resp. Cum Catechismo Conc. Trid. *c)*: *In eo maxime resurgentium corpora a se ipsis differunt, quod, cum antea mortis legibus subjecta essent, posteaquam ad vitam suscitata fuerint, sublato bonorum malorumque discrime, immortalitatem assequentur. Quam quidem admirabilem naturae restitutionem insignis Christi victoria meruit, quam de morte reportavit, quemadmodum sacrarum Scripturarum testimonia nos admonent. Scriptum est enim: Praecipitabit mortem in sempiternum d)*: et *alibi e)*: *Ero mors tua, o Mors! quod explicans Apostolus inquit f)*: *Novissima inimica destruetur mors. Et apud S. Joannem legimus g)*: *Mors ultra non erit. Idem etiam divinae justitiae consentaneum fuit, ut boni beata vita in perpetuum fruerentur; mali vero, sempiternas poenas luentes, quaerent mortem et non invenient. Apocal.* 9.

QUAERITUR III.

Quae sint resurgentium corporum dotes in Beatis?

Respondemus ex eodem Catechismo Rom. Habebunt praeterea rediviva Sanctorum corpora insignia quaedam et praeclara ornamenta: praecipua sunt quatuor illa, quae dotes appellantur,

---

a) Lib. XXII. de civ. Dei cap. XI. *b*) Ibid. cap. XX. *c*) Part. I. cap. XII. q. 8. *d*) Isai XXV. *e*) Osee XIII. *f*) I Cor. XV. *g*) Apoc. XXI.

ex Apostoli doctrina a Patribus observatae. Prima est *impassibilitas;* qua fit, ut nihil molesti pati, neque ullo dolore, aut incommodo affici queant. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* I Cor. XI., et *Apocalyp.* XXI.: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Secunda est *claritas,* qua Sanctorum corpora tanquam sol fulgebunt. Ita testatur Salvator noster *a*): *Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Ac nequis de eo dubitet, transfigurationis suae exemplo declaravit. Sic et Apost. ait *b*): *Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae,* et ad Cor. loco cit.: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Est vero claritas haec fulgor quidam ex summa animae felicitate ad corpus redundans, ita ut sit quaedam communicatio illius beatitudinis, qua anima fruitur: quomodo etiam anima ipsa beata efficitur, quod in eam pars divinae felicitatis derivetur. Hac tamen insigni dote non omnes aequali modo ornabuntur: *Alia claritas solis,* ait Apost. *c*), *alia claritas lunae, alia claritas stellarum; stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum.* Dos tertia illa est, quam *agilitatem* vocant, qua corpus ab onere, quo nunc premitur, liberatum, facillime in quamcunque partem anima voluerit, moveri poterit. Hanc dotem exprimere videntur haec *Sapientiae* verba (cap. III.): *Fulgebunt justi, et tanquam scintillae in arundineto discurrent.* Et illa Apost. loc. cit.: *Seminatur in infirmitate, resurget in virtute.* Quarta vocatur *subtilitas,* juxta illud *Apost.: Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale.* Tunc etiam cibo, potu, somno non egebit, quibus vita animalis sustentatur, et tantae erit exilitatis, ut facile omnia penetrare et pervadere possit, spiritui plurimum simile.

Haec dotes justorum tantum corporibus concedentur: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur d*). Sola immortalitas communis erit omnibus, ut, sicut justorum corpora aeterna felicitate una cum anima fruentur, ita illa malorum sint immortalia ad poenam.

---

a) Matth. XIII. *b*) Ad Philipp. III. *c*) I Cor. XV. *d*) I Cor. XV. v. 51.

Scholion. Multae adhuc quaestiones moventur, quarum plurimae magis curiosae sunt quam utiles. *An una tantum futura est resurrectio? Quandonam ea fiet, et quomodo? Respondemus:* Una tantum erit omnium hominum resurrectio in novissimo die; fiet autem subito, *in momento, in ictu oculi, in novissima tuba.* I Cor. XV. Fiet ministerio Angelorum. Matth. XXIV.: *Mittet Angelos suos* etc. Cfr. II Thess. 4. — Quod attinet ad aetatem, quam corpora praeferent, ad staturam et corporis conditionem, variae sunt sententiae. Alii existimant homines surrecturos in forma aetatis juvenilis; alii in aetate Christi, *secundum mensuram plenitudinis Christi;* alii in ea statura et aetate, quam morientes habuerunt, demptis tamen difformitatibus ac imperfectionibus. *Augustinus* lib. XXII. de Civit. Dei cap. XX. putat in corporibus Martyrum cicatrices remanere vulnerum, quae pro Christi nomine pertulerunt, sicut conspicua fuerunt vulnera in corpore Christi glorioso post resurrectionem. Cfr. eundem Aug. cit. libro cap. 12, 13, 14, 15, 17, 19, 20. Item ejusd. Enchiridion cap. 80 et seq. — Fuse haec omnia tractavit S. *Thomas* supplem. Part. III. q. 74. usque ad q. 87.

ARTICULUS II.

De judicio extremo.

PROPOSITIO.

Post mortuorum resurrectionem futurum est generale judicium.

Prob. I. Sacrae litterae duos Filii Dei adventus esse testantur: alterum, cum salutis nostrae causa carnem assumpsit; alterum, cum in consummatione saeculi ad judicandos homines veniet. Hunc adventum Scriptura diem Domini appellat: *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* I Thess. 5. Hunc Christus ipse non semel annuntiavit; ut Matth. XVI, 27.: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis; et tunc reddet unicuique secundum opera sua.* Cfr. Matth. XXVI, 64. Hunc Christo in coelum ascendente annuntiaverunt viri illi, qui steterunt juxta Discipulos in vestibus albis, et dixerunt: *Quid*

statis aspicientes in coelum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet. Actor. I.

Jam vero de generali hoc judicio Christus ita loquitur Matth. XXV, 31. et seq.: *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem sicut pastor segregat oves ab hoedis* ... etc.

Consonant Apostolorum testimonia. Rom. XIV.: *Omnes stabimus ante tribunal Christi: scriptum est enim: vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo.* Judae v. 14.: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes impios* ... Plura alia V. et N. Testamenti vide in opere catechet. Patris *Canisii.*

Prob. II. Ex Symbolis, in quibus profitemur, Christum sedere ad dexteram Patris, et inde venturum esse judicare vivos et mortuos. Quod Patres omnes summo consensu hanc fidem tenuerint, et docuerint, res est tam aperta, ut probatione non indigeat. Unum adducimus S. *Augustin.*, qui lib. XX. de Civitate Dei, cap. XXX., ita generatim pronuntiat: *Nullus igitur vel negat, vel dubitat, per Jesum Christum tale, quale istis sacris litteris praenuntiatur, futurum esse novissimum judicium; nisi, qui eisdem litteris nescio qua incredibili animositate seu coecitate non credit.*

Nota. Afferuntur etiam argumenta ex ratione, quae quamvis stricte non probent, valent tamen ad rem confirmandam et elucitandam. Vid. cap. I. de jud. part. argumenta ex ratione, arg. III. Accedit et illud, quod, cum homines non sibi tantum boni et mali sint, sed etiam aliis, et cum mala, quae in hac vita fecerunt, post eorum mortem diu, et forsan ad extremum usque diem perseverent: aequum sit, de his in communi omnium hominum judicio rationem haberi. Alia ratio est, ut Christus, qui salutis nostrae auctor est et consummator, redemptionis suae operi hanc coronam imponat, et solemnem de inimicis suis triumphum agat; utque, qui in primo adventu humilis factus est et pauper et obediens usque ad mortem crucis, in fine saeculi

in majestate appareat, ut gloriam ejus videat *omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Deinde et illud convenientissimum videtur, ut publice fiat segregatio justorum ab impiis, ut ii, qui simulatione justitiae caeteros deceperunt, debitam suae fraudi confusionem recipiant; pii vero, qui toti in eo erant, ut laterent et in occulto bene facerent, aut qui, dum viverent, pessimorum hominum malitia et calumniis opprimebantur, creptam injuria existimationem in publico universorum hominum conventu recipiant.

SATISFIT QUIBUSDAM OBJECTIONIBUS.

Dicunt I. Scripturae docent, non omnes judicandos esse; Christus enim Joan. III., 15. expresse ait: *Qui credit in eum* (filium hominis), *non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est.* Ergo etc.

Resp. *Judicare* in Scripturis non raro idem est, ac *condemnare.* Cum ergo dicitur: *qui credit in eum, non judicatur;* idem sensus est ac versus 16.: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat . . .* et v. 17.: *Non misit Deus filium suum, ut judicet mundum* (i. e., ut condemnet); *sed ut salvetur mundus per ipsum.* Quod autem additur: *Qui non credit, jam judicatus est*, ita intelligi debet: hujus jam manifesta est damnatio, quia, ut statim additur: *Non credit in nomine unigeniti filii Dei: hoc est enim judicium;* seu, haec enim causa erit damnationis manifesta ejusmodi hominum; *quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.*

Dicunt II. S. *Augustin.* in Ps. I. sic habet: *Resurgent quidem impii, sed non ut judicentur, qui jam poenis certissimis destinati sunt.* Eadem fere docet *Lactantius*, aliique etc.

Resp. dist. Non ut judicentur judicio discussionis, *conc.* Judicio evidentiae, *neg. Gregor.* M. *a*) et ex eo *Beda*, *Magister sent.* etc. quatuor distinguunt judicandorum ordines. *Primus* est electorum, quorum sanctitas tam evidens est, ut nemini dubia esse possit; ut B. Virginis, Apostolorum etc. *Secundus* est eorum inter electos, quorum non sunt tam manifesta et evidentia

a) Lib. XXVI. moral. cap. XX.

merita. *Tertius* est reproborum, qui nihilominus bona quaedam opera patrarunt, quibus occulta vitia tegebant. *Quartus* demum eorum, qui manifeste ad numerum reproborum pertinent. Primus et quartus ordo judicabitur judicio evidentiae, secundus et tertius judicio discussionis.

Dicunt III. Si universum hominum genus judicandum est, quantum quaeso temporis requiretur, ut causae omnes discutiantur? Deinde dici non potest, in qua regione hujus orbis tam immensa hominum multitudo ad judicium congregari poterit.

Resp. Necesse non est, ut in decidendis his et similibus quaestionibus anxie laboremus; Deo enim media deesse non possunt, omnia pro sua voluntate efficiendi. Non homo est, qui judicat, sed Deus, qui omnium corda intuetur, et satis potens est, ut possit, quae quisque egit, eorum immensa hominum multitudine manifestare. Neque putandum est, singulorum examen et sententiam sono vocis esse pronuntiandam: silentio illud peragetur in omnibus conscientiis, ut ait Apost. *a)*, *testimonium illis reddente conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Probabile tamen est, generalem sententiam, de qua Matth. XV. fit mentio, a Christo homine Deo humana voce pronuntiandam. Quod ad locum attinet extremi judicii, nihil certi statui potest. Joël III. v. 2. et 12. dicitur, congregandas esse nationes in valle Josaphat. Exinde orta est popularis opinio, ultimum judicium in valle Josaphat fore; verum vox hebraica *Josaphat* nihil aliud significat, quam judicium, ita ut sensus sit: congregabo omnes gentes in vallem judicii. Incertum praeterea est, an unquam vallis extiterit, quae ita denominaretur.

Nota. Multa adhuc sunt, quae possent in quaestionem adduci, sed ab iis consulto abstinemus. Cfr. S. *Thom.* Supp. p. III. q. 88. et seq. Item instructiones catecheticas F. *Amati Pouget*, Tom. I. p. 412., edit. in fol. *Dobmayer*, lib. VII. p. III. cap. III. Sect. III. — Id autem maximopere curandum nobis est, ut ad omnem pietatem et sanctitatem vitam instituamus; ut fides nostra *multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem et gloriam et honorem in Revelatione Jesu Christi.*

a) Rom. II, 15.

ARTICULUS III.

De iis, quae post judicium universale contingent.

Post judicium extremum pronuntiatamque a judice sententiam duae tantum erunt hominum classes, una Beatorum, reproborum altera: *Et ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam* a). De utroque hoc statu quaedam dicenda supersunt: et primum quidem de poenis damnatorum agemus; et tunc demum de felicitate Sanctorum aeterna, quae potissimum ultimo Symboli articulo exprimitur: *Credo in vitam aeternam.*

PROPOSITIO I.

Poenae damnatorum aeternae sunt.

Prob. I. *ex Script.* 1.° Poena damnatorum expressis verbis aeterna dicitur. Matth. XVIII, 8.: *Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum.* Matth. XXV, 41.: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum...* et v. 46.: *Ibunt hi in supplicium aeternum.* II Thess. I, 9.: *Poenas dabunt in interitu aeternas.* 2.° Scriptura verbis utitur, quae in sensu naturali et obvio aeternitatem significant. Ut Apoc. XIV.: *Fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum.* Ibid. cap. XX. *Cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum.* Marc. IX, 44.: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Lucae III.: *Paleas* (id est impios) *comburet igne inextinguibili.*

Prob. II. Doctrinam de poenarum in inferno aeternitate semper docuit Ecclesia, et contraria sentientes damnavit. Opinionem, quae docet: damnatos per ignem purgatos post certum tempus in statum integritatis restituendos, et quam communiter Origeni attribuunt, Ecclesia Catholica semper rejecit et proscripsit: ut videri potest apud *August.* lib. de haeresib. et lib. XXI. de civit. Dei, cap. XVII., *Epiphanium* etc. In Concilio generali V. sub Vigilio Papa Ori-

a) Matth. XXV, 46.

genes damnatus est, eo quod doceret: « Omnium impiorum « hominum, ipsorumque etiam daemonum tormenta finem « habitura; atque impios et daemones in priorem suum « statum restitutum iri. » Ita narrat *Evagrius* lib. IV. hist. cap. XVII., *Nicephor.* lib. XXVII., *Photius* in libello de Synodis. Idque testantur et comprobant *Synodus* VI. art. 18., *Leo* II. Epist. ad Constantin. Pogonatum, et Synodus VII. Act. 1.

Porro Patres *Concilii Lateran.* IV. in capitul. de fide Cathol. ita profitentur: *Omnes cum suis propriis corporibus resurgent, quae nunc gestant, ut recipiant secundum merita sua, sive mala fuerint, sive bona: illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam. Concil. Trident.* Sess. VI. Can. 25. hanc poenarum aeternitatem supponit, ita statuens: *Siquis dixerit, justum in quolibet bono opere mortaliter peccare, atque ideo poenas aeternas mereri; anathema sit.*

Demum tota Ecclesia hanc fidem profitetur in Symbolo Athanasio: *Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam; qui vero mala, in ignem aeternum.*

Patrum testimonia longa serie collecta reperies apud *Petavium* tom. III. lib. III.; vide etiam *Natalem Alex.* dissert 27. in Saecul. III., et opus Revdss. Dom. *Sinsart,* Monasterii in valle S. Gregorii in superiori Alsatia Abbatis, *Défense du dogme catholique sur l'éternité des peines,* ubi hoc dogma primum Scripturae et Patrum testimoniis adstruitur, deinde contra incredulorum objectiones egregie vindicatur.

PROPOSITIO II.

Aeterna erit Sanctorum in coelis felicitas.

Prob. *Ex Scripturis.* Sapient. V.: *Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum.* Matth. XXV, 46.: *Ibunt hi in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam.* I Petri I. beatitudo coelestis designatur per *haereditatem incorruptibilem, incontaminatam, immarcescibilem.*

Superfluum esset in re tam manifesta Patrum testimonia colligere. Omnium loco sit *Augustin.*, qui lib. XXII. de civit. Dei, cap. XXX. ait: *Tunc plena erit, certa, secura, sempiterna felicitas.* Id etiam testatur fidei nostrae Symbolum, quo profitemur nos credere *vitam aeternam.* Quamvis haec verba etiam de impiorum statu intelligi possint, qui vitam agent immortalem in tormentis, speciatim tamen perpetuitatem beatitudinis significant, quae Sanctis continget in coelo. Ita intelligebat legis peritus, qui a Domino Salvatore quaesivit Luc. XVIII.: *Quid faciens vitam aeternam possidebo?*

Praeterea cum beatitudo Sanctorum talis esse debeat, ut omne desiderium expleat, etiam perpetua sit, necesse est. Neque enim potest Beatus non magnopere velle, ut illis bonis, quae adeptus est, sibi perpetuo frui liceat. Quare, nisi ea possessio stabilis et certa sit, magno cruciatu timoris angatur, necesse est.

CONTRADICENTIBUS RESPONDETUR.

Dicunt contra propos. 1.° *Aeternum* in Scriptura saepissime pro diuturna et indefinita duratione ponitur. 2.° Alia sunt Scripturae loca, quae probant, etiam damnatorum poenas finem aliquando habituras. S. *Petrus* Actor. III. ait, Jesum in coelos susceptum esse *usque in tempora restitutionis omnium.* Ad Coloss. scribit Apost. cap. I.: per Christum reconciliari omnia, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt. Patet ergo, etiam daemones, qui in his terris versantur, in pristinum statum restituendos.

Resp. ad I. Equidem verbum: *aeternus*, in Scriptura non raro longissimam temporis durationem significat; sed tunc sensus ille ex scopo, contextu, aut aliis locis facillime eruitur. Ubi autem de poenis damnatorum agitur, nihil est, quod probet, sensum vocis non esse stricte sumendum; imo omnia suadent perpetuam durationem exprimi. Nam Scriptura etiam cum aliis verbis utitur, ea semper ejusmodi sunt, ut duratio sine fine melius exprimi non possit.

Praeterea nemo dubitat, cum de felicitate Sanctorum dicitur, quod aeterna sit, intelligendam esse aeternitatem proprie sump-

tam. Ergo idem dicendum, quando de damnatorum suppliciis pronuntiatur, quod sint aeterna, imprimis quando haec duo juxta ponuntur in eodem sermonis contextu; ut Matth. XXV., 45.: *Ibunt hi in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam.*

Ad II. S. Petrus loquitur de restitutione, vel ut *Tertull.* reddit, de exhibitione eorum, quae Deus promiserat per Prophetas, et quae nonnisi in secundo Christi adventu plene consummabuntur. Forsan etiam de renovatione et quasi regeneratione omnium, id est totius mundi, uti idem Petrus docet Ep. II. cap. III.: *Novos coelos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus.* Ad Coloss. Apostolus loquitur de generis humani reconciliatione cum Deo, quae in Christo Jesu facta est.

Instant. Deus minatur tantum poenas aeternas, ut homines a peccato absterreat. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Nam, ut S. *Gregor.* M. observat *a*): *Si falsa minatus est, ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa pollicitus est, ut ad justitiam provocaret.* Deinde Deus potest quidem ex malis bona eruere, at nunquam potest malum facere, ut sequatur bonum. Si Deus falsa poenarum comminatione vellet terrere peccatores, mentiretur et deciperet; quod vel cogitare grande nefas esset et magna insania, cum nihil magis cum perfectissima Dei natura pugnet.

Dicunt II. Plures ex antiquis Patribus aeternitatem poenarum negarunt. Unum citare juvat *Hieronymum*, cujus haec sunt verba *b*): *Illud vero, quod in sequenti ponis capitulo: in die judicii iniquis et peccatoribus non parcendum, sed aeternis eos ignibus exurendos, ferre quis potest? Et interdicere te misericordiam Dei, et ante diem judicii te sententia judicis judicare; si voluerit iniquis et peccatoribus parcere, te praescribente non possit.*

Resp. I. *Petavius* existimat, S. Hieronymum hic humanitus lapsum fuisse; neque tamen haeresis incusandum, eo quod contrarium nondum fuerit expresse definitum.

Resp. II. Sensus S. Hieronymi est, magnum discrimen ponendum esse inter impios, ut sunt Ethnici, Haeretici e

---

a) Lib. XXCIV. moral. cap. XVI. *b*) Dialog. I. contra Pelag.

Apostatae, et Christianos peccatores: illorum certum esse interitum et sempiternum; de his autem non ita judicandum, cum possint in eo statu decedere, in quo salvari possunt sic tamen quasi per ignem. Haec clariora fiunt, si ad scopum S. Patris attenditur; siquidem Pelagianos ibi exagitat, qui Purgatorium negabant, et ob levia etiam peccata, quae ipsi gravissima habebant, Christianos in fide Christi mortuos aeternis poenis addicebant.

Sic autem exponendum esse S. Hieronymum, etsi quaedam ejus loca difficilia videantur, id potissimum suadet, quod nequaquam verisimile sit, tantum virum in re magni utique momenti voluisse sibi contradicere et pugnantia scribere. At Hieronymus aeternitatem poenarum inferni diserte asserit, etiam quoad Christianos, qui mortalibus illigati peccatis moriuntur. Ubi enim haec verba Isaiae V.: *dilatavit infernus animam suam* ad Judaeos retulit, ait, ea referri etiam posse ad eos, qui saeculi deliciis occupati . . . *captivi ducuntur in peccatum, et non habent scientiam Dei: et idcirco fame et siti pereunt bonorum operum atque virtutum; et detrahentur in gehennam; ibique aeternis cruciatibus deputati potentiam et superbiam cernent miseria et humilitate mutari.* Vid. ejusd. comment. in Matth. XXV. et in haec verba Jonae II.: *Pervenit verbum ad regem Ninive, et surrexit de solio suo* etc.

Caetera Adversariorum argumenta ex Patribus desumpta facili negotio diluuntur. Vide Natalem Alex. dissert. supra citata.

Dicunt III. Dogma de aeternitate poenarum divinae bonitati et justitiae repugnat. Scilicet alienum est a bonitate et misericordia Dei, ut creaturas suas in aeternum infelices esse sinat: alienum est a justitia, ut peccato, quod exiguo temporis spatio commissum est, poena aeterna infligatur; quae enim proportio inter momentum et aeternitatem?

Resp. I. Ultro concedimus hanc litem sola ratione dirimi non posse. Patet equidem ex ipsa Dei infinite justi et sancti notione, impium et peccatorem post hanc vitam suppliciis addicendum: at poenarum perpetuam durationem ex Revelatione discimus: huic nos tuto committere possumus; huic fidem adhibendam esse, ratio ipsa postulat.

Resp. II. Scimus quidem, clementem esse Deum; sed legimus: *Misericors et justus Dominus.* Spretae bonitati succedit justitia vindicans. Deus ab aeterno voluit, ut omnes rationales creaturae essent quam felicissimae; sed voluit etiam, ut, qui media felicitatis acquirendae despicerent, punirentur. Generatim observandum est, non semper posse ex divinis perfectionibus *a priori* concludi; cum enim infinitae sunt, quid non posset exinde per consequentias deduci? An non aequo jure concluderes, Deum, cum summe bonus sit, nulla posse mala permittere, nullas poenas infligere hominibus; aut certe debere peccata impedire, quae nos poenae reos efficiunt? An non melius ita *a posteriori* concluditur: Non repugnat divinae bonitati, ut justos sinat in peccatum labi, neque ut injustos in finem usque in sua impietate perseverare permittat; id enim fieri experientia probat. Simili modo recte ita ratiocinamur: poenas damnatorum aeternas esse ex Scriptura et Ecclesiae fide certum est; ergo divinae bonitati id non repugnat.

Caeterum, cur Adversarii non etiam a priori concludunt, justitiam Dei, cum sit infinita, modum in puniendo non habere? Quare ex eo, quod Deus sanctissimus peccatum odio prosequatur infinito, non inferunt, eum necessario poenas gravissimas et aeternas infligere? Sed libenter sibi fucum faciunt. Quando de aeternitate praemii sermo est, nemo opponit, id nostrae conditioni et operibus nostris non esse attemperatum. Sed poenarum aeternitas molesta est; et ideo de nimio rigore conquerimur. Et tamen stricto jure non debetur praemium piis, quia nos nostraque omnia multis titulis Deo debemus, transgressores autem puniendos esse, ratio ipsa et natura Dei exigunt.

Instant. Manet tamen, quod dictum est, nullam esse inter poenas et peccatum proportionem; nam multo majores sunt poenae, quae finem non habent, quam peccatum, quod saepe in puncto temporis perficitur.

Resp. Certum est eos, qui in peccato ad finem usque perseverant, ad aeterna supplicia damnari; est ergo justa inter poenam et culpam proportio, quia voluntas Dei semper justa et sancta est. Praeter hanc rationem, quae sola peremptoria dici potest, aliae a Theologis proferuntur, quae non parum ad illustrandum dogma valent. En praecipuas. 1.° Legislator divinus

procul dubio jus habet legis observationem iis poenis urgendi, quas censet ad finem assequendum necessarias. 2.° Absurdum est, poenae durationem velle ex peccati duratione metiri. Quippe ut S. *Thomas* observat *a*) . . . *in nullo judicio requiritur, ut poena adaequetur culpae secundum durationem: non enim, quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea poena punitur, sed quandoque quidem perpetuo carcere, vel exilio; quandoque etiam morte, in qua non consideratur occisionis mora, sed potius, quod in perpetuum auferatur a societate viventium.* 3.° Non ad hunc vel illum actum attendendum est, qui momentaneus esse potest, sed ad culpam, seu reatum perpetuo manentem, nisi expietur, et qui expiari post hanc vitam amplius non potest. Igitur, quando peccator in suo peccato moritur, seclusa manet reconciliationis via: quapropter poenas aeternas esse oportet, quia iniquitas sempiterna futura est. 4.° Proportio inter peccatum grave et poenas aeternas ex eo desumitur, quod utrumque sit ex aliqua parte infinitum, id est, ex ea parte, ex qua infinitum esse potest. Offensa, quae in se, ut actus hominis est, infinita esse non potest, talis efficitur ex parte infinitae majestatis, quae offenditur. Sic et poena, quae in sua natura infinita esse non potest, aliquo modo infinita efficitur duratione. 5.° Demum considerandum est (atque id nobis maximi momenti esse videtur), peccati mortalis gravitatem in eo potissimum consistere, quod libere se avellat a Deo, et finem suum suamque felicitatem in creatura constituat. Qui ita agit, is ita animo comparatus est, ut vellet, aeternam esse hujus felicitatis durationem. Vellet ergo sine fine carere Deo, et spreta summi Dei voluntate bono creato et vetito perfrui. Ita facile intelligitur, quomodo peccatum aliqua ratione sit duratione infinitum. Haec autem perversa voluntas in homine perdurat, quamdiu ad Deum finem suum ultimum non revertitur, suamque felicitatem in Deo summe bono et omnium bonorum largitore non constituit. Pulchre in hanc rem S. *Gregor.* scribit *b*): *Iniqui voluissent sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere, . . . ad districti ergo judicis justitiam pertinet, ut nun-*

---

a) P. III. q. 87. art. 3. *b*) Lib. XXXIV. Moral. cap. XIX.

quam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluisset carere peccato.

OBSERVANDA.

Propositio, quae aeternam Beatorum felicitatem adstruit, Adversarios alios non habet, praeter eos, qui animae immortalitatem impugnant; unde non est, cur haec nos discussio diutius remoretur. Notandum est, Sanctos post generale judicium in statu versari perfectae beatitudinis, atque ita in bono stabiles esse, ut nullam amplius habere possint peccandi voluntatem. Corporis beati dotes jam supra exposuimus. Demum in illo regno beatitudinis diversos esse felicitatis gradus ex Scriptura discimus, et si haec sileret, vel sola ratio ostenderet. *In domo Patris mei*, inquit Dominus *a)*, *mansiones multae sunt*... et S. Paulus ait *b)*: *Qui parce seminat, parce metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Nihilominus ad omnes pertinet illud Apostoli *c)*: *Oculus non vidit, nec auris audivit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

Quae cum ita sint, omnes in id vires intendamus, ut reportemus finem fidei nostrae, salutem animarum, paratam revelari in tempore novissimo: in quo exultabimus, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus (I Petr. I.). Non contemplantes, quae videntur, sed quae non videntur: quae enim videntur, temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna sunt (II Cor. IV.).

---

a) Joan. XIV. *b)* II Cor. IX. *c)* I Cor. II.

CONSPECTUS TOMI QUINTI.

LIBRI SEXTI

DE SACRAMENTIS PARS QUARTA.

De poenitentia et extrema unctione.

Pag.

Sacramentum poenitentiae. 1
CAPUT I. *De poenitentiae Sacramento generatim.* 2
§. I. Errores. *Montanistae et Novatiani.* 3
Novatores. 4
§. II. *De notione Poenitentiae.* 7
§. III. *De poenitentia, ut est virtus.* 9
ARTICULUS I. *De potestate Clavium.* 11
§. I. Prop. *Christus Ecclesiae commisit potestatem clavium, seu potestatem remittendi aut retinendi peccata.* 11
Confutantur argumenta adversantium. 13
§. II. *An potestas clavium ad omnia peccata se extendat.* 17
Prop. *Nullum est peccatum, quod non remitti possit per potestatem clavium Ecclesiae concessam.* 17
Oppositiones. 18
§. III. *Ad quem potestas clavium pertineat.* 20
Prop. *Potestas clavium pertinet ad solos Sacerdotes.* 20
Objectiones. 22
§. IV. *An potestas clavium sit judicialis.* 25
Prop. *Potestas clavium a Christo Sacerdotibus concessa judicialis est.* 25
Objecta diluuntur. 27
ARTICULUS II. *De Sacramenti Poenitentiae existentia et necessitate.* Observa. 30

Pag.

Prop. I. *Poenitentia exterior, in qua Sacerdotes per potestatem clavium peccata dimittunt, est verum novae legis Sacramentum a Baptismo distinctum.* 32

Prop. II. *Sacramentum Poenitentiae post Baptismum lapsis necessarium est, vel in re, vel in voto.* 35

Contrariorum confutatio. 37

ARTICULUS III. *De materia et forma hujus Sacramenti.* 40

§. I. *De materia Sacramenti Poenitentiae.* Observanda. 41

Prop. I. *Materia Sacramenti Poenitentiae remota sunt peccata post Baptismum commissa; et quidem materia etc.* 43

Prop. II. *Tres actus poenitentis, Contritio, Confessio et Satisfactio sunt materia proxima Sacramenti Poenitentiae, seu partes, ex quibus componitur.* 44

Respondetur adversantibus. 45

§. II. *De forma Sacramenti.* Observanda. 49

Quaeritur I. *Quis fuerit antiquae Ecclesiae usus circa formam Absolutionis?* 50

Quaeritur II *Quo tempore in Ecclesia Latina forma deprecatoria mutata fuerit in absolutam?* 53

Quaeritur III. *An forma indicativa, qua Ecclesia Occidentalis nunc utitur, convenientior sit et perfectior; et an ea etc.* 54

Quaerit. IV. *An in Absolutionis forma, qua nunc utitur Ecclesia Latina, omnia verba sint absolute necessaria etc.* 54

Quaerit. V. *An Graeci usque nunc retinuerint formam deprecatoriam et an valeat, quam ipsi usurpant etc.* 55

ARTICULUS IV. *De Ministro et effectibus Sacramenti Poenitentiae.* 56

§. I. *De Ministro Sacramenti.* Observanda. 56

Prop. *In Ministro Poenitentiae, ut valide absolvat, praeter Ordinis potestatem requiritur jurisdictio.* 57

Contraria. 59

§. II. *De effectibus Sacramenti Poenitentiae.* Observanda. 60

CAPUT II. *De Contritione.* 65

ARTICULUS I. *De Contritione universim spectata.* 65

§. I. *De natura et necessitate Contritionis.* Observanda. 65

Prop. I. *Contritio est dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero.* 67

Prop. II. *Contritio peccatori ad justificationem omnino est necessaria.* 68

Quaestio I. *An propositum non peccandi de caetero formale, ut ajunt, et explicitum esse debeat, vel, an sufficiat etc.* 69

Quaestio II. *Quo tempore obliget praeceptum Contritionis.* 70

Quaestio III. *An semper formalis Contritio requiratur, et an singulorum peccatorum debeant esse singulae etc.* 71

*

Pag.

Quaestio IV. *An Contritio etiam necessaria sit ad remissionem peccati venialis?* 72

Quaestio V. *An certum et definitum tempus requiratur, ut vera et legitima sit Contritio?* 72

§. II. *Quae sint Contritionis proprie sumptae affectiones, seu proprietates.* Observanda. 73

Prop. *Contritio, ut ad remissionem peccatorum valeat, debet esse interior, supernaturalis, universalis et etc.* 76

Dubia quaedam explanantur. 77

ARTICULUS II. *De Contritione perfecta.* 81

§. I. *De Contritionis perfectae vi et efficientia.* 81

Prop. *Contritio perfecta hominem statim Deo reconciliat etiam extra casum necessitatis, sed non sine voto etc.* 81

Oppositiones removentur. 83

§. II. *In quo posita sit Contritionis perfectio.* Observanda. 87

ARTICULUS III. *De Contritione imperfecta, seu Attritione.* Observanda. 92

§. I. *An bona et laudabilis sit Attritio ex solo gehennae metu nata.* 95

Prop. *Timor gehennae simpliciter servilis bonus est, et Attritio ex eo concepta donum Dei est, et Spiritus etc.* 95

Oppositiones. 98

§. II. *An attritio ex metu gehennae concepta sufficiat ad effectum Sacramenti sine amore Dei?* 100

Prop. *Ut attritio ad gratiam in Sacramento poenitentiae obtinendam sufficiat, amorem Dei saltem imperfectum etc.* 100

Argumenta contraria solvuntur. 102

§. III. *Quis Dei amor in Sacramento poenitentiae requiratur.* 105

Prop. *In Sacramento sufficit attritio cum amore spei seu castae concupiscentiae.* 105

Argumenta adversariorum. 106

CAPUT III. *De Confessione.* 111

ARTICULUS I. *De Confessionis origine et necessitate.* Observanda. 112

Prop. *Confessio sacramentalis est vere a Christo Domino instituta et jure divino necessaria.* — Probatur I. *ex Scripturis.* 114

Argumentum II. *Ex testimoniis Veterum.* 117

Argumentum III. *Quod praescriptionis vocatur.* 122

Respondetur ad praecipua adversariorum argumenta. 123

ARTICULUS II. *De Confessionis proprietatibus et administratione.* 135

§. I. *De proprietatibus Confessionis.* Observanda. 135

Prop. I. *In confessione omnia peccata mortalia singillatim declaranda sunt.* 138

Pag.

Prop. II. *Circumstantiae peccatum intra eandem speciem mortaliter aggravantes necessario declarandae sunt, etc.* 139
Adversariorum argumenta diluuntur. 140
§. II. *De confessionis administratione.* Observanda. 144
Quaestio I. *An valeat confessio per litteras aut internuntium facta?* 145
Quaastio II. *Quid sit sigillum confessionis, et qua ratione obliget.* 147
CAPUT IV. *De Satisfactione.* 149
ARTICULUS I. *De notione et necessitate Satisfactionis.* Observanda. 149
§. I. *De Satisfactione pro culpa.* Observanda. 152
§. II. *De Satisfactione, quae dimissa culpa et poena aeterna in hac vita exsolvenda est.* Observanda. 155
Prop. I. *Dimissa culpa et poena aeterna saepe remanet poena temporalis divinae justitiae persolvenda.* 156
Prop. II. *Poena temporalis, quae remissa culpa luenda manet, in hac vita poenitentiae operibus exsolvi potest.* 158
Satisfit Calvini et aliorum novatorum argumentis. 159
ARTICULUS II. *De quibusdam ad Satisfactionem pertinentibus.* 165
§. I. *Quot modis et quibus operibus fiat satisfactio.* 166
Elucidantur quaedam ad hanc quaestionem pertinentia. 167
§. II. *Quae sint proprietates Satisfactionis.* 168
§. III. *Quo tempore Satisfactio peragi debeat.* 170
§. IV. *Cujusmodi Satisfactiones a Sacerdote imponendae sint poenitentibus.* 171
§. V. *De antiqua Ecclesiae disciplina circa poenitentiam.* 173
De ratione agendi poenitentiam in veteri ecclesia. 174
Quae peccata poenitentiae publicae fuerint obnoxia. 177
ARTICULUS III. *De Indulgentiis.* 179
§. I. *Probatur dogma Catholicum.* Observanda. 180
Prop. *Ecclesia potestatem habet concedendi indulgentias, earumque usus populo Christiano est maxime salutaris.* 182
Solvuntur argumenta contraria. 184
§. II. *Quaedam cum dogmate Catholico proxime conjuncta.* 189
Prop. I. *Indulgentiae liberant hominem a reatu poenae, non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo.* 190
Prop. II. *Datur in Ecclesia thesaurus indulgentiarum constans ex meritis Christi et Sanctorum.* 192
Respondetur contradicentibus. 194
§. III. *Quaedam solvuntur quaestiones circa indulgentias.* 198

Pag.

De Sacramento extremae unctionis. 203
ARTICULUS I. *De Sacramenti Extremae Unctionis existentia.* 204
Prop. *Extrema Unctio est verum et proprie dictum Sacramentum novae legis.* 206
Argumenta adversariorum dissolvuntur. 209
ARTICULUS II. *Varia ad hoc Sacramentum pertinentia.* 213
§. I. *De Materia et Forma Extremae Unctionis.* Materia. 213
Forma. 214
§. II. *De auctore et ministro Sacramenti.* 215
§. III. *De effectibus Extremae Unctionis.* 216
§. IV. *De suscipientibus Sacramentum.* 219

LIBRI SEXTI PARS QUINTA.

De Ordine et Matrimonio.

Sacramentum Ordinis. 222
CAPUT I. *De Sacramenti Ordinis existentia.* 223
ARTICULUS I. *An Ordo sit Sacramentum.* Observanda. 223
Prop. *Ordo, vel Ordinatio, qua Ministri sacri inaugurantur, verum est ac proprie dictum novae legis sacramentum.* 225
Refelluntur quaedam contraria. 227
ARTICULUS II. *Qui Ordines sint Sacramenta.* Observanda. 229
§. I. *De Sacerdotio.* Observanda. 231
Prop. *Ordinatio Episcoporum verum est Sacramentum a Presbyteratu distinctum.* 233
Responsio ad objecta. 234
§. II. *De Ordine Dioconatus.* Observanda. 236
Prop. *Diaconatus est verum novae legis Sacramentum.* 237
Oppositiones quaedam. 238
§. III. *De Subdiaconatu et minoribus Ordinibus generatim.* 239
§. IV. *De Subdiaconatu et minoribus Ordinibus singillatim.* 242
Appendix. *De coelibatu Clericorum.* 246
§. I. *Quid de coelibatu sentiendum sit.* 247
Respondetur adversariis. 251
CAPUT II. *De iis, quae necessario conjuncta sunt Sacramento Ordinis.* 258
ARTICULUS I. *De Materia et Forma Sacramenti.* 258
§. I. *De Materia et Forma Ordinis generatim.* 258
§. II. *De Materia et Forma sacrorum Ordinum separatim.* 261
ARTICULUS II. *De Subjecto et Ministro Sacramenti Ordinis.* Observanda. 264
Prop. *Episcopi, iique soli, Sacramenti Ordinis ministri sunt.* 266
Difficultates quaedam diluuntur. 267
ARTICULUS III. *De effectibus Sacramenti Ordinis,* 269
Appendiculae duae ad Art. II. et III. 270

Pag.

Quaest. I. *De sacrarum Ordinationum iteratione.* 270
Quaest. II. *An valida haberi possit Ordinatio Episcoporum in Anglia.* 275
De Sacramento Matrimonii. 278
CAPUT I. *De natura et institutione Matrimonii generatim.* 279
§. I. *De natura Matrimonii.* 279
§. II. *De Matrimonii institutione.* Observanda. 282
Prop. *Matrimonium a Deo ipso institutum est.* 282
Contraria dissolvuntur. 284
CAPUT II. *De Matrimonio, ut est novae legis Sacramentum.* 287
ARTICULUS I. *Quod Matrimonium novae legis Sacramentum sit.* 290
Prop. *Matrimonium proprie dictum novae legis Sacramentum est.* 290
Argumenta contraria confutantur. 294
ARTICULUS II. *De materia et forma Sacramenti Matrimonii.* 300
Quaest. *An ratio Sacramenti possit separari a contractu Matrimonii, ita, ut a fidelibus iniri possit Matrimonium etc.* 303
ARTICULUS III. *De Ministro Sacramenti Matrimonii.* 306
Sententia Maldonati. 311
ARTICULUS IV. *De Subjecto Sacramenti Matrimonii.* Observanda. 312
Prop. *Ecclesia potestatem habet statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.* 314
Argumenta contraria. 316
Nota. 320
CAPUT III. *De quibusdam Matrimonii proprietatibus.* 322
ARTICULUS I. *De Unitate Matrimonii.* 322
§. I. *De polygamia successiva.* Observanda. 322
Prop. *Secundae et ulteriores nuptiae licitae sunt et legitimae.* 323
Oppositiones. 323
§. II. *De polygamia simultanea.* Observanda. 326
Prop. *De fide est, polygamiam simultaneam in nova lege esse jure divino prohibitam.* 327
ARTICULUS II. *De Matrimonii indissolubili nexu.* Observanda. 332
Prop. *Vinculum Matrimonii sub lege evangelica est indissolubile.* 336
Argumentum I. *Ex Script.* 337
Argumentum II. *Ex Traditione utriusque Ecclesiae tum Graecae tum Latinae.* 338
Respondetur adversariorum argumentis. 343
Quaest. I. *Quo jure Matrimonium sit indissolubile, an jure naturae, an jure positivo divino, an ratione Sacramenti?* 351
Quaest. II. *An Matrimonium inter Infideles initum solvi possit alterutro conjuge ad fidem converso?* 353

Pag.

Quaest. III. *An solvi possit Matrimonium ratum, et non consummatum?* 354

Quaest. IV. *An Matrimonium consummatum solvi possit quoad thorum et cohabitationem?* 355

LIBER SEPTIMUS.

De statu hominis post mortem. 357

CAPUT I. *De iis, quae homini statim post mortem evenient.* Observanda. 358

§. I. *De judicio particulari.* 359

Prop. *Homo quilibet statim post mortem judicandus est.* 359

§. II. *De inferno.* Observanda. 361

Prop. *Injusti statim post mortem in infernum detruduntur, ibique gravissimis excruciantur suppliciis.* 363

§. III. *De sorte justorum in coelis.* Observanda. 364

Prop. I. *Sancti post hanc vitam intuitiva Dei visione fruuntur.* 366

Prop. II. *Sanctorum animae, quibus nihil luendum superest, Deum statim intuitive vident.* 367

Argumenta contraria. 368

§. IV. *De Purgatorio.* Observanda. 374

Prop. *Datur Purgatorium, quo animae Justorum post mortem a residuis peccatorum maculis poenis piacularibus mundantur.* 377

Adversarii repelluntur. 381

CAPUT II. *De vivorum cum mortuis nexu.* 383

ARTICULUS I. *Nexus Ecclesiae militantis cum Ecclesia patiente.* 384

Prop. *Animae justorum, quae in Purgatorio detinentur, viventium suffragiis juvari possunt.* 384

Contraria diluuntur. 386

ARTICULUS II. *Nexus Ecclesiae militantis cum Ecclesia triumphante.* 390

§. I. *De cultu, qui Sanctis debetur eorumque reliquiis et imaginibus.* Observanda. 390

Adversarii. 393

Novatores. 394

Prop. I. *Rectus et laudabilis est Sanctorum cum Christo in coelis regnantium cultus.* 395

Prop. II. *Cultus, qui Sanctorum reliquiis impenditur, licitus est et laudabilis.* 397

Prop. III. *Licitus est cultus imaginum.* 399

Satisfit objectionibus adversariorum. 402

Pag.

Appendix. *De veneratione sanctae crucis.* 410

§. II. *De intercessione et invocatione Sanctorum.* 413

Prop. *Sancti pro nobis apud Deum intercedunt, eosque invocare bonum est ac utile.* 414

Refutatio contrariorum. 416

CAPUT III. *De iis, quae in fine saeculi evenient.* 421

ARTICULUS I. *De resurrectione corporum.* Observanda. 421

Prop. *Futura est generalis corporum resurrectio.* 423

Argumenta contraria. 426

ARTICULUS II. *De judicio extremo.* 432

Prop. *Post mortuorum resurrectionem futurum est generale judicium.* 432

Satisfit quibusdam objectionibus. 434

ARTICULUS III. *De iis, quae post judicium universale contingent.* 436

Prop. I. *Poenae damnatorum aeternae sunt.* 436

Prop. II. *Aeterna erit Sanctorum in coelis felicitas.* 437

Contradicentibus respondetur. 438

Observanda. 443

FINIS.

MOGUNTIÆ,
TYPIS FLORIANI KUPFERBERG.

208.9
L 621
8758
LIEBERMANN, F.L.B.
AUTHOR
Institutiones Theologicae IV
TITLE
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
ROOM NUMBER
[redacted]
8758